VITA ABAELI ARDI:

ALIQVOT EIVSDEM

OPVSCVLA, HACTENVS

DESIDERATA, NVNC PRIMVM EDITA.

OPERA

ET STVDIO VIRORVM ERVDITORVM.

PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM NIVELLE, via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

APOLOGETICA PRÆFATIO

PRO PETRO ABAELARDO,

AD

ILLVSTRISS. AC SAPIENTISS.

DOMINVM D. NICOLAVM BRVLARTIVM,

Equitem, Sillerij Dominum, Marinarum Baronem, Franciæ & Nauarræ Cancellarium.

PER FRANCISCVM AMBOESIVM

Equitem, Regis in ſanctiore Conſiſtorio Conſiliarium.

VM ſtudioſi viua voce præceptorum ſæpiſſimè fuerint deſtituti, aut eos qualeis voluerunt adprimè eruditos, non ita facilè & in promptu habuerint; factum eſt vt Bibliothecæ ab Optimatibus, aut claris & locupletibus viris ſint inſtitutæ, in quibus tanquam promi condi munere, optimorum & veterum Auctorum Libri repoſiti adſeruarentur, & à quibus tanquam à diuite penu ſcientiarum cupidi ſuo tempore doctrinarum exquiſitos theſauros petere poſſent. Hinc Athenienſis Piſiſtratus, Eumenes Pergamenus, Ptolomeus Filadelfus, quòd conquiſitos ad ducenta ferè milia libros ex autografo deſcribi magna impenſa curaſſent, benè de poſteritate meriti nomen ſuum immortalitati conſecrarunt. Nec minorem apud Romanos L. Lucullus, Aſinius Pollio, Traianus, C. Plinius, Tacitus A. comparatis numeroſorum voluminum ornatiſſimis Bibliothecis, ſplendoris ac magnificentiæ laudem ſunt aſſecuti. Quòd ſi in his Poëtarum, Philoſophorum duntaxat, & Hiſtoricorum reliquiis conquirendis & colligendis tantam curam adhibuerint adhuc profani, & cæcitatis erroribus, fœdiſque dæmonum tenebris & præſtigiis involuti; quid cenſendum putamus de pia Heroum naſcentis Eccleſiæ ſollicitudine in re haud abſimili: quantò eorum laus iuſtior, quòd propenſo animo in hanc curam incubuerint,

Digitized by Google

poſtquam divini Verbi ſemina toto orbe diſperſa ſunt: vt Profeticæ Canonicæque primùm Scripturæ, deinde Orthodoxorum Conciones & Interpretationes non incurioſè deſcriptæ, in templorum adytis & ſacratiis collocarentur, tanquam in armamentariis ex quibus certiſſima tela parari poſſent adverſus ingruentes hæreſeôn inſultus. Adniſus eſt ſua ætate Conſtantinus Magnus magna diligentiâ, zeloque ardentiſſimo, ſuaque auctoritate perfecit, vt authentica exemplaria ab ipſis fontibus repeterentur; Profetarum monimenta Hebræa, Apoſtolorum Græca lingua, quâ ſcripta primùm fuerunt in mundum redigerentur, apocryfa à Canonicis, quæ Meliton & Origenes ad notarum XXII. numerum retulerant, ita diſcernerentur, vt ſuus cuique honos ſartus tectus remaneret: neque adulterini pro veris, carbones pro theſauris ſupponerentur. Ex quo certè effectum vidimus, vt doctrinæ puritas, vnitas, antiquitas, & vniverſalitas nullas novitates admitteret, nulla ſe in fruſta minutatim ſecari ſineret: quas certiſſimas eſſe Eccleſiæ notas, tum Petri παραδόσεια indicat Lirinenſis; & vt quòd Marcion ſimiliſve farinæ homines tentaverant, in ſcedis ſacratiſſimis corrumpendis, id tandem ſucceſſibus caruerit, manſerintque illæ inter publicas & cedrinas tabulas ab omnibus impoſtorum inſidiis illæſæ, ita vt nihil in his ſit repertum, quo ſuam Arius, Eutyches, Neſtorius cauſam fulcire poſſent; & cùm Sardicenſes Canones pro Nicænis obtrudere quidam malè feriati auſi fuiſſent, deterſus eſt totus hic fucus per incorruptos Canonum Nicænorum Codices, qui manuſcripti in Bibliothecis Conſtantinopoli, Alexandriæ & Antiochiæ ſunt reperti. Meminit etiam Euſebius Hieroſolimitanæ & Cæſarienſis Bibliothecæ. Et harum omnium imitatione Eccleſiæ Occidentales publicas & privatas etiam erexêre, vt his vti frui liceret, iis, qui ſacris initiandi ſeſe totos Bibliorum & Patrum lectioni addicerent: curabántque Epiſcopi, vt quiſque libros eos fideliter deſcriptos domi haberet, & nocturna diurnáque manu verſaret. Et ad id parabantur diligenteis librarij notarum & ſiglarum periti, quos Irenæus Lugdunenſis & alij cordati Doctores, cùm Libros aliquos ederent, ſæpè per omnia ſacra ſunt obteſtati; vt quod in archetypo eſſet exemplari bona fide deſcriberent, nihilque vel detraherent, vel adderent, vel immutarent. Sed nocuit ſequentium temporum barbaries, quæ Librariis vſa eſt indoctis, & idiotis, plerumque etiam Cœnobitis, quos ſui Abbates, ne otio marceſſerent, ad id cogebant, vt aliquot horas exſcribendis Libris impenderent: quin & ad id mulierculæ & puellæ operas ſuas locarunt, magno rei literariæ detrimento & dedecore, priuſquàm ſingulari Dei beneficio ars Typografica inventa eſt ante ſeculi decimiquinti initia. Itaque ex illis ſcriptis, quæ veteres reliquerunt; è multis, quæ adjumento ad vitam rectè inſtituendam, & ad plurimarum artium cognitionem eſſe poſſent, pauca ſeruata ſunt; ſed ita depravata & mutila, vt vix legi, & intelligi poſſent, & brevi tempore per Chalcografos in lucem erupit ſtupenda ſine delectu Auctorum moles, qui diu cum blattis & tineis erant luctati: ſed multo plures fato Auctorum in illo Manuſcriptorum pulvere & ſitu delituerunt, donec paulatim diligenti ſolertia curioſorum eruerentur. Quod ſi quiſquam eſt, cui cordi ſemper fuerit Bibliothecas illas veterum perquirere, inſpicere, rimari, in

Digitized by Google

his profecto nomen meum ſemper ab adoleſcentia ſum profeſſus, ſive meorum æqualium exemplo, vt jacentem literatorum laudem pro viribus ſublevarem maculis eorum detergendis, ſive quòd Criticam plus æquo fortaſſe adamaverim, ſive quòd varia illa & promiſcua lectione delector. Atque ita accidit, vt in manus meas inciderint aliquot Epiſtolæ doctiſſimi Petri Abaelardi, & Heloiſſæ eius vxoris; quæ cùm primò arriſiſſent, poſtea etiam relectæ ſummoperè placuerunt. Cœpi etiam reliqua eius Auctoris Opera conquirere, quorum nonnulla reperi in membranis exarata, minutiſſimis characteribus, & lectu difficillimis, & ex collatione diverſorum emendaui, emendatúmque vnum exemplar ſemel atque iterum curavi tranſcribendum: ſed laborem vicit voluptas legentis, & vtilitas cum publica, tum priuata, quam percepturi ſunt, qui ad ea legenda volent animum appellere. Fuit enim Abaelardus, vel Bailardus, vt cum Accurſio & Alciato loquar, vel Balardus vt cum Genebrardo: ſiue mavis Abailardun vocitare, de apiculæ Gallico nomine, ſive ab Abailardū, nam hoc poſterius in Chronico Ioannis Criſpini reperi; vt apud noſtrates vſus eſt frequens ab pro de in gentilium nominibus vſurpare: non aliter quàm ſi ego, qui de Ambœſia vernaculè nuncupor, Abambœſius indigitarer: Fuit, inquam, Petrus iſte iuvenis Palatij caſtelli dominus ad S. Nazarium in Nannetenſi dioceſi ad Ligerim, patre equite Berengario, matre Lucia; qui ambo nobilibus proauis orti, poſt aliquot liberorum creationem, poſt Petri Abaelardi, quem Roſelini præceptis informandum tradiderant, educationem, Religionis nexibus ſeſe mancipandos tradiderunt, Filius eorum iuſſu Lutetiam miſſus, in ſinu tam celebris Academiæ, vt Erichtonius in Minetvæ ſinu educatus, in magnum virum evaſit, & non ſolum Polyhiſtor & ſcientiarum omnium encyclopedia inſtructus, & omniſcius; ſed & Filoſoforum & Theologorum coryfeus, & in ſuo genere princeps, primuſque Theologiæ Scholaſticæ ſeu diſputatricis auctor creditus, vnde illæ Nominalium & Realium apud Vignerium ſectæ. De quo Samſon Rhemorum Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis, dum eum ad Papam deferrent, retulerunr nihil eſſe quod eum lateret, ſive in profundo maris, ſive in excelſo ſuprà: qui in promptu de vniuerſa Filoſofia, de Mathematicis, & etiam de quæſtione qualibet reſpondebat, qui invitatus à condiſcipulis, vt in obſcuriſſimæ Ezechielis Profetiæ interpretatione ſpecimen ingenij ederet, impetrato breuis noctis ſpatio, toti Academiæ ſe admirabilem præbuit. Sed & Iuriſconſulti noſtri eum in ſalebris Iuris Iuſtinianæi exercuerunt, ita vt ſuprà nominatus gloſſator ad legem, *Quinque pedum præſcriptione*, quæ eſt Imppp. Valentiniani, Theod. & Arcad. *C. fin regund.* in verbo *præſcriptione*, de eo ſic ſcripſerit. *Sed Petrus Bailardus qui ſe iactauit quòd ex qualibet quantumcumque difficili littera traheret ſanum intellectum, hîc dixit, NESCIO.* Quid mirum, ſi & Azo, & ipſe Accurſius, qui rati ſunt nihil videri in iure quod à ſe penitus perſpectum non fuerit, ita hallucinati ſint, vt magnus ille Andreas Alciatus, in illo quem de quinque pedûm præſcriptione ſcripſit Tractatu, poſtquam Petrum Bailardum celebrem ſua tempeſtate profeſſorem laudauit, quòd ingenuè faſſus eſſet eam legem à ſe non intelligi, ipſe ſuorum doctorum interpretationem eludit & reprehendit, eorumque ſequaces Baldum, Paulum & Sa-

Digitized by Google

licetum, qui ex ea hanc regulam elicere conantur, non reddi ſolitum olim iudicium de quinque pedibus, id eſt de re leviſſima; cùm variæ conſtitutæ ſint actiones de modica glande, de piſce, de ouo, *l. 1. ff. de glande leg.* §. *Gallinarum inſtit. de rerum diuiſ. l. ſi proprietarius. ff. de damno infecto*, cumque verior interpretatio ſumi debuerit ex l. xii. tab. qua cautum vt inter vicinorum prædia conſtitutis finibus, quinque pedum ſpatium relinqueretur, quo ire, agere, vterque dominus poſſet, eiuſque ſpatij vſucapio lege Mamilia prohibita eſt, vt apud Tullium 1. de L L. & Ag. Vrbicum de limitibus. Quibus experimentis conſtare arbitror tanta Abaelardum fuiſſe ingenij pernicitate & dexteritate, vt potuerit in qualibet ſcientia, præſertim verò in ea quæ aliarum Regina dicitur, breui tempore multũ profeciſſe, & ad metam peruenire, citiùs quàm alius ex carceribus exijſſet: ſed de eo poſtea amplior dicendi patebit campus.

Heloiſſa verò, vt altera Suſanna aut Eſthera, pulchra & Deum timens, vetuſtiſſimos illos Mommorantios legitima agnatione contingens, Canonici Pariſienſis non notha, ſed neptis, Pſalmos Hebraicè perſonare ab incunabulis docta, clarum ſexus ſui ſydus & ornamentum, tres illas linguas, necnon Matheſin, Philoſophiam & Theologiam à viro ſuo edocta, illo ſolo minor fuit: in qua tantas ingenij dotes, prudentiæ, pietatis, patientiæ, humilitatis, virtutúmque omniũ, & pudicitiæ chorus illuſtrabat, quã religioſè coluit poſt breuem & furtivum aliquot menſium iuſti connubij vſum, viri ſui etiam immerito execti & abſentis amantiſſima: vt dubites, plúſne exemplo matronis an virginibus profuerit, vel cùm Argentolienſibus, vel cùm Paracletenſibus præfuit. Si ad matronale decus, ad linguarum aut ſcripturarum cognitionem inſpicias, alteram Paulam; ſi ad cuſtodiam perpetui pudoris, morumque aſperitatem, Euſtochium videre videberis: quam Epiſcopi quaſi filiam, Abbates ſororem, laici matrem diligebant; ita ab omnibus in cultu & admiratione habita, vt cùm vir eius inuidiæ & calumniæ telis premeretur, liuor in ea eiuſque moribus non inuenerit, quod dente Theonino carpere poſſet. Eius Epiſtolarum facundiam ſimul inſpexi, vt Fidiæ ſignum ſimul probaui; ingenij verò acumen, magnumque in ſacræ Scripturæ, Patrumque lectione profectum ſatis indicant Problemata illa, ſiue dubia, quæ domino ſuo præceptori & coniugi in ſcriptis propoſuit diſcutienda: quæ qui attentè legerit, agnoſcet eſſe verum quod ab Ariſtotele eſt vulgatum, non minus eſſe difficile quæſtionem benè ponere, quàm benè ſoluere. Prætereo quàm ſubtiliter hæc Heroina diuo Bernardo Abbati in Paracleti Cœnobio hoſpitanti, etſi ille parùm candidè de Abaelardo ſentiret, ſatisfecerit percontanti, cur in Orationis Dominicæ publica recitatione verba illa vſurparet, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem*, cùm cæteræ Eccleſiæ vulgò *quotidianum* dictitent; illa contra Græcorum diſcretione fulta, quorum, vt ait Ambroſius, auctoritas maior eſt, ſolum Matthæi textum adduxit, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, maluitque tranſlationem ex Hebræo, quam propriæ linguæ ſcripturam ſequi, prout videre licet Epiſtolâ v. ſecundi Libri, quæ eſt ad eundem D. Bernardum. Felix, ô nimium felix coniugũ par, & benè concordans in diſſimili fortunâ matrimonium, nec ipſa in morte diuulſum, ſi ille tam benè liuoris inſultus, quàm illa in ſequiore

Digitized by Google

oppreſſione, ea melius ab ipſo Auctore, quàm à me repeti poſſunt; cùm meum potius ſit conſilium vindiciis meum Abaelardum, ſi non ab errore, qui in idoneum cadere poteſt, ſaltem à ſervitute hæreſcos falſo infimulatæ aſſerere.

Hæ me juſtiſſimæ cauſæ impulerunt, vt quotquot exemplaria nanciſci potui in variis Provinciis conquiſierim, collegerim, legerim, relegerim, optimæ certè notæ frugiſque non expertia: conſiliumque ceperim ea in vulgus emittendi, tum vt R. P. ſacræ literariæ prodeſſem, tum vt Galliam noſtram ab illorum impoſturis vindicarem, qui negant perpetuo verum eſſe, quod ex Plinio adſtruit D. Hieronymus, eam ſolam carere monſtris. Quid enim potiùs facerem, quàm Monachi ſaltem in extremis innocentiſſimi viri nomen è flammis eripere, eruditiſſimique Scriptoris Opera magnis ſudoribus vigiliiſque eluçubrata, noſtræ ætati, ac poſteritati conſecrare? Itaque vnum exemplar Epiſtolarum nactus ſum in Armorica, in qua iuvenis prima auſpicia cœpi laticlavij & meæ Senatoriæ dignitatis: Alterum ex Filippo Portæo Abbate Tyronio Poeta excellentiſſimo & mihi amiciſſimo, qui affirmabat ſe accepiſſe ab hæredibus Stefani Gormeleni Curioſolitæ: Tertium ex Monaſterio Paracletenſi, ad quod profectus ſum, vt quæ ibi ex eius Operibus reperire poteram, in vſum publicum convaſarem, ibique comiter ſum excep.us, & ad contigua fundatoris & fundatricis ſepulchra manu ductus benignitate Reverendæ D. Mariæ Rupifocaldæ Diaconiſſæ ſapientiſſimæ cognatæ meæ: eius enim paterna avia Antonia Ambœſia, quæ Equiti Torquato Barbeſio nupſit, Vidi Ambœſij filia vnica, Karoli Calvimontis D. Franciæ Mateſcalli neptis & hæres totam vetuſtiſſimam familiam crevit, & primogenita noſtra ad Rupifocaldos tranſtulit. Ea etiam mihi communicavit divini officij Homilias toto anni curriculo legendas ſtylo Abaelardico exaratas, cum Collectis & Hymnis, in quibus magna Catholicæ pietatis lux ſeu legenti, ſeu canenti affulget. Opuſcula varia ex Navarrana Bibliotheca, Homelias ex Sorbonico Gymnaſio celeberrimo, in Epiſtolam ad Romanos quinque Libros Commentarios ex Cœnobio S. Michaelis de Monte, ſeu in Periculo maris, quos dedit vtendos A. Quercetano doctiſſimus P. Iacobus Sirmondus Theologus è Societate IESV: Introductionis ad Theologiam Libros treis, reconditioris doctrinæ ex MS. Cod. Bibliothecæ Canonicorum Regularium ſancti Victoris propè noſtros muros: alia etiam aliundè, vt ſuis locis indicavi. Quæ Opera niſi Patres illi cognoviſſent eſſe fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ profeſſoribus vtilia, ea certè vltricibus vrenda flammis dediſſent; quæ tanto ſtudio divinitùs conſeruata nobis tranſcribenda & in medium proferenda dederunt. His volutandis, & ex collatione emendandis non exiguam operam locavi, vt me voto exſoluerem, quo pridem obſtrictus eram, cùm Libellum de Concilio in publicum vulgari paſſus ſum: & ſuperid durius inveni, cum germano meo R. D. Adriano Ambœſio Epiſcopo Trecorenſi inter Theologos eminentiſſimo communicavi, & cum aliis etiam amicis, nec aut ab illis aut à me in his Operibus aliquid eſt repertum, quod eſſe poſſet lectionis infructuoſæ. Priùs tamen, ne tacito vel aperto linguæ aut cogitationis convitio verberari poſſem, accuſationes

contra

Digitized by Google

contra Abaelardum, ac pro eo proſcriptiones ac depulſiones in publicum proferre decrevi,& rationum ponderibus ac momentis adamuſſim examinare, ne quid temerè, aut perperam feciſſe me quiſquam obganniat. In arenam producuntur athletæ, immò bellatores fortiſſimi, quibus ingenij vires ac famæ,& plus quàm vitæ,ſunt periclitandæ,

——— *nec enim leuia, aut ludicra petuntur,*
Præmia, ſed Turni de vita & ſanguine certant.

Et vt ille de Hectore Iliados χ.

Πρόσθε μὲν ἐσθλὸς ἔφευγε δίωκε δ' μιν μέγ' ἀμείνων,
Καρπαλίμως, ἐπεὶ οὐκ ἰρήιον οὐδὲ βοείην
Ἀρνυσθὼν τε πο ἐστὶν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν,
Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Hic igitur curſu, hic fugiens, ille acriter vrgens,
Delati, bonus & fortis pede concitus anteit,
Inſequitur melior: nec enim pro tergore tauri,
Pro bone, nec certamen erat, quæ præmia curſus
Eſſe ſolent: ſed pro magni vitaque animáque
Hectoris ———

Siſtendus eſt igitur,Nomofylax illuſtriſſime & perfectiſſime, ad tuæ dignitatis tota Europa auguſtiſſimæ Tribunal, ad Galliarũ Præfecti Prætorium, à quo appellare nefas, cui reliqui ſupremorum Senatuum & Curiarum Provincialium Iudices,faſces ſubmittunt, ad tuæ divinæ Themidis trutinam,hic Doctor infelix inter reos & proſcriptos adnumeratus,qui cauſam dicat quaſi ex vinculis,& ad criminum graviſſimorum capita reſpondeat magnis delatoribus, vel potiùs accuſatoribus non tam deterritus, quàm cauſæ bonitate fretus, & vitæ morum que innocentia, per quam à Legato S.S. Prouinciæquæ Rhemenſis Antiſtitibus perſona non eſt damnata, ſed in ſcripto comburendo eius cæca obedientia comprobata, & ab jis qui Senonis coadunati erant, nihil aliud quam damnationem Capitulorum quæ non agnoſcebat ſua retulit, ipſe non auditus, ad ſacroſanctam Sedem appellauit. Ab Innocentio verò Pontifice Opt. Max. ad quem totum negotium remiſſum fuerat,plenæ abſolutionis teſſeram,honorificumque Cluniaci vt petierat Prytaneum meruit: à tuis etiam Oraculis æquiſſimis & Diplomatibus,in integrum reſtitutionem impetrabit,cum iure liberę legationis; vt cum tui fauoris aura per omnium ora, per Academias Orbis totius celebres,per Doctorum Bibliothecas,

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

& ſicut D. Auguſti de Æneide retinenda, ita D. Brulartij de Abaelardi lucubrationibus non abolendis Edictum publicetur. Poterit enim tua amplitudo, vel ſolo aſpectu facilè ſanare famam adfectam Filoſophi & Theologi in hunc vſque diem non minus languentis, quàm illi qui ad Æſculapij fanum tranſeuntibus conſpiciendi exponuntur. Tu enim es Brulartı Silleri, cuius in manu legum ferendarum & abrogandarum jus omne conſiſtit; qui in magiſtratuum, & in honorum omnium culmine & ſolſticio (vt ita dicam)excelſo,& pleno ſtellarum, illuſtri & claro loco præſides; & quem Sol ſplendorem mundo, eum huic regno exhibes, ex quo ſplendi-

Digitized by Google

diſſimo candore inter flammas elucente circulo, tanquam è ſublimi ſpecula te Cynoſuram honeſtis diſciplinis præbes : qui bonis omnibus plaudentib. vulnera ſuperiorum iniquitate temporum Galliæ inflicta curaſti, qui rixarum & litium præſertim aulicarum ſemina, quibus nulla capitalior peſtis eſſe potuit, ſi non radicitus euulſiſti, ſaltem magna ex parte circumcidiſti & amputaſti: qui rem Francicam ſæpe aduerſa fortuna nutantem confirmaſti, interdum etiam diſſidijs propè extinctam & euerſam vnus ipſe non modo reſtituiſti, verum etiam magnoperè auxiſti: qui publicè iuſtitiam, priuatim temperantiam, & abſtinentiam ab ineunte ætate ſemper coluiſti: qui triplici legatione, Nauarrana, Heluetica, Romana, quàm eſſes publico bono natus demonſtraſti, cùm virtutibus magnis fortunam adæquaſti : & vt alia non modò in Reges, ſed & in patriam, aut in ſingulos haud vulgaria merita omittantur, mirandum non eſt ſi tanto patre genitus, antiquis gentis veteſtiſſimæ ſtemmatibus fulgens, domeſticis tamque claris exemplis permotus, nihil non egregium, nihil non amplum, non proavis equitibus & patricijs dignum aut cogitaſti aut feciſti: De quo patre tuo, quia de te ſileri jubes, hoc tantum dicam, ad te fatali ordine & jure hæreditario fuiſſe delatum annuli Regij ſcrinium, cuius adminiſtrationem ob egregias & heroicas D. Præſidis Bernij virtutes, omnes boni deberi clamitabant tuo illi parenti noſtri ſeculi Catoni integerrimo, quem duobus illis Romanis, vel trecentis Socratibus longè anteſtetiſſe, qui eius ſapientiam & conſtantiam norant, & mirati ſunt, & confitentur. In quorum memoria viuet, quamdiu probitati, conſilio, innocentiæ, ſapientiæ locus erit. Virtuti enim, quam ducem ſemper habuit, comitem adiecit bonam exiſtimationem, ſine qua vivere ſapienti eſſet injucundum. quo magis gratulandum tibi cenſeo, Iuſtitiæ Antiſtes digniſſime, qui hanc veram & ſolidam laudis paternæ poſſeſſionem tam libenter occupes, veteremque majorum tuorum de omnibus benè merendi conſuetudinem heroicis virtutibus, eloquentiâ, doctrinâ, ſolertiâ, rerum maximarum vſu cumulatam, conſtanter retines : eamque vt officio ſolito erga hunc Auctorem teſtatam relinquas, te etiam atque etiam obteſtor.

O te igitur beatum Abaelarde, qui cùm atrocioribus percuſſus ictibus olim in eo fueris miſerrimo ſtatu conſtitutus, vt te cùm malè à quamplurimis audires, omnes qui benè non norant, quaſi vomitu nauſeantis fortunæ è rerum natura exſputum crederent : occurrit tibi maximus ille Brularius, ſalutaris & tutelaris Genius, ad cuius ſacram anchoram accurriſti, ſub qua nullos fluctus, quamvis decumanos, nullas procellas aut tempeſtates, tibi putes pertimeſcendas. Videquàm non formidare debeas tanto iudice, vide quanta lux clementiæ & æquitatis tuis oculis cooriatur.

Age veniant tui ſive æmuli, ſiue adverſarij, ſive irriſores, criminibuſque recum vel decertent etiam maledictis. Quod enim maledictum acrius, quàm ſi hæreticus audias, cùm vbicumque latueris te ſemper invenerit invidia? Nam hîc referre non placet, quæ Sueſſione per invidiam acta ſunt, cùm Abaelardus adhuc inter Sodales Regalis Cœnobij Dionyſiani militaret; vbi ſeſe obſequentem filium Eccleſiæ demonſtrauit, Legato ſanctæ Sedis cauſam ſuam approbans, cum eius nutu ſuum Commentarium de Tri-

Digitized by Google

nitate(in quo nihil contra fidem contineri putabat) manu tamen propria comburere maluit,quàm ſcandali occaſionem præbere. Ingens certamen erit in antiqua Senonum ciuitate, in qua falangem ducet Primipilus fortiſſimus,teſtis idemque Auctor omni exceptione maior D. Bernardus Teſſelini F. Claræ vallenſis primus Abbas,ſui Ordinis lumen & cõſumen: qui ex diſcipulo Sylvarum Doctor Eccleſiæ verè Theodidactos eſt appellatus, miraculis ante & poſt obitum claruit, & in Cælitum numeros ab Alexandro III. eſt relatus,cujus tanta fuit, vigetque nunc adhuc fama & auctoritas, vt de eo nemo hanc formulam jure poſſit vſurpare, *Hunc nolo, timidus eſt*:cui ſtatim non aſſentiri ſtultum;velle in aliquibus refragari, aut fidem detrahere,impietati proximum videatur. Ille vbi Abaelardum ex S. Gildaſij,quod ejuraverat,Cœnobio reverſum audivit,& aliquot Opuſcula partim verè partim falſo ei attributa legi, iras ſe dignas concepit, & Proceres Eccleſiæ ad Synodum Senonenſem movit, literiſque convocauit,apud quos Abaelardum inter reos violatæ religionis detulit:& ad Cardinales ſummúmque Pontificem Innocentium capita graviſſimæ accuſationis miſit.

Hoc claſſico multi ad arma ſpiritualia excitati ſunt.Sed præſtat audire clangorem ipſius tubæ, nempe Epiſtolæ,quæ inter Bernardinas eſt ordine CLXXXVII.cum hac inſcriptione:*Ad Epiſcopos Senonas convocandos. Exijt ſermo inter multos, & credimus ad vos perveniſſe, quomodo videlicet apud Senonas in Octavis Pentecoſtes vocamur & provocamur ad litem pro defenſione fidei:cùm ſervum Dei non oporteat litigare,ſed patientem eſſe ad omnes.* Abſtineo à ſequentibus quæ Lector poterit reperire libro II.huius Operis. Parum erat niſi vir Dei à natura potius quàm ab arte ad facundiam inſtructus, Epiſcopos & Cardinales in Curia Romana reſidentes hoc galli cantu experrexiſſet altera Epiſtolâ,cui initium:*Nulli dubium quin ad vos ſpectet tollere ſcandala de regno Dei*,in qua hos aculeos contra Petrum diſtrictos reperietis lib.II.pag. 270.*Legite ſi placet librum,quem dicit Theologiæ,legite & alium quem dicunt Sententiarum eius,nec non & illum qui inſcribitur, Scito teipſum, & animaduertite quantæ ibi ſilveſcant ſegetes ſacrilegiorum & errorum.* Pax ſit rebus, cętera non apponam,quin potiùs libet exclamare,

——*tantæne animis cœleſtibus iræ?*

Nam eodem tenore, imo fervore mittit per Nicolaum ſuum ſervum & nuntium ad Innocentium II. Epiſtolam,cuius initium:*Neceſſe eſt vt veniãt ſcandala. Neceſſe eſt, ſed non ſuave.* In qua poſt captatam in exordio benevolentiam, narrationem breviter contexit rerum apud Senonas coram Rege Ludovico VII geſtarum in conſeſſu Epiſcoporum,Abbatum,& plurimorum Religioſorum ac Clericorum: Ex quibus inferre licet Abaelardum ſtantem non fuiſſe auditum:ſed quædam cœpiſſe legi,quæ nolens audire,exierit,provocaveritque ad ſanctam Sedem Apoſtolicam: quod non putat Bernardus ei licere, admovetque faces incendij, vt damnationem ab eo extorqueat:*Leonem*,inquit,*evaſimus,ſed incidimus in draconem.* pag.274.

His non contentus, Capitula hæreſeõn colligit, quiſquilias vndique verrit ex ſchedis,lectionibus & ſcriptis,quæ partim Abaelardi erant, partim ſub ejus nomine circumferebantur, & à malevolis etiam accepta ali-

Digitized by Google

qua,vir quidem ſanctus,ſed qui dum in carcere eſſet falli poterat,pro veris & compertis ad Innocentium miſit:quæ etſi in Epiſtolis ſub nomine Bernardi editis non reperiũtur, tamen quia in quodam MS. reperi, (ne quid diſſimulem))bona fide transſcribenda curavi:non quòd putem tam perverſæ mentis fuiſſe Abaelardum,aut quenquam alium,vt tam abſurdis & impijs ſententijs voluerit debacchari: ſed vt quò magis abſona& impia ſunt illa dogmata;eo magis judicentur aliena, & multis paraſangis diſtantia à mente & intellectu tam pij & benè morati Monachi,qui libros,ex quibus excerpta eſt major ac periculoſior Articulorum pars numquam agnovit. Quòd ſi ex veris eius dictatis quædam arguantur, oportuit ad verum eius ſenſum recurrere,& non contra eum verba decurtata retorquere. Nihil eſt enim,quod malè narrando haud poſſit depravarier:& ſæpè accidit vt ſi Doctor aliquis quæſtionem aliquam problematicè & in vtramque partem tractarit,malè feriatus ſciolus rationes dubitandi ſumat pro rationibus decidendi:quod ſæpè contigiſſe vidimus,& nuper ad Fontis-Bellaudi caſtrum in diſſertatione coram Rege & celebertimo Franciæ Procerum Conventu. Quis enim poterit non ridere, aut potiùs ſtomachari, ſi in Summa Theologiæ Angelici illius Thomæ Aquinatis quæſt. III. art. I. hæc legerit:*Vtrum Deus ſit corpus: videtur quòd ſic. Corpus enim eſt quod habet trinam dimenſionem. Sed ſacra Scriptura eam attribuit Deo: dicitur enim Iob* XI. *Excelſior cælo eſt, profundior inferno, ergo Deus eſt corpus?* Si quis iſta nobis obtruderet tanquam Thomæ doctrinam,nonne cælum terrę, & mare cœlo miſceret?cùm concluſio eiuſdem Doctoris,quã impoſtor reticere voluerit,ex diametro pugnet. Eſt enim talis: *Cùm Deus ſit primum movens immotum, ac primum ens, & omnium nobiliſsimum,impoſsibile eſt corpus eſſe. Ad primum ergo dicendum eſt,quòd ſacra ſcriptura tradit nobis ſpiritualia & divina, ſub ſimilitudinibus corporalium, &c.*

Veniamus igitur ad ſupradicta Capitula,quę magnus ille D. Bernardus Claræuall. Abbas miſiſſe dicitur Innocentio II. Papæ, reperta,ſi credere fas eſt,partim in libro Theologiæ,partim in libro Sententiarum,partim in libro, cui titulus eſt,*Scito teipſum*: quos duos poſtremos libros Abaelardus negavit à ſe ſcriptos. De his erroribus deteſtandis quivis poteſt hoc vſurpare:Heu cadit in quemquam tantum ſcelus!

Quod Pater ſit plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus ſanctus nulla potentia.

Quod Spiritus ſanctus non ſit de ſubſtantia Patris aut Filij.

Quod Chriſtus non aſſumpſit carnem vt nos à jugo diaboli liberaret.

Quod nec Deus & homo, neque hæc perſona, quæ Chriſtus eſt, ſit tertia perſona in Trinitate.

Quod liberum arbitrium per ſe ſufficit ad aliquod bonum.

Quod ea ſolummodo poſsit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum, vel eo tempore quo facit, & non alio.

Quod Deus nec poſsit nec debeat mala impedire.

Quod non contraximus culpam ex Adam, ſed pœnam tantum.

Quod non peccaverunt qui Chriſtum ignorantes crucifixerunt, & quod non culpæ adſcribendum eſt quidquid fit per ignorantiam.

Digitized by Google

Quod in Chriſto non fuerit Spiritus timoris Domini.

Quod poteſtas ligandi atque ſolvendi Apoſtolis tantum data ſit, non ſucceſſoribus.

Quod propter opera nec melior nec pejor efficiatur homo.

Quod ad Patrem, qui ab animo non eſt, proprie vel ſpecialiter attineat operatio non etiam ſapientia & benignitas.

Quod diabolus immittat ſuggeſtiones per operationem lapidum vel herbarum.

Quod ad ventus in fine ſeculi poſsit attribui Patri.

Quod anima Chriſti per ſe non deſcendit ad inferos, ſed per potentiam tantum.

Quod nec opus, nec voluntas, neque concupiſcentia, neque delectatio cum movet eam, peccatum ſit, nec debemus eam velle extingui.

Non credo quenquam eſſe aquâ baptiſmatis ablutum, & pingui vt aiunt, Minerua myſterijs fidei imbutum, cui in mentem veniat tam abſurdas enunciationes, tam à ſymbolis fidei alienas, tam horrendas defendere ac tueri. Neque puto nimis elaborandum eſſe vt hæc opinio minuatur: cùm Abaelardi vita piè & in timore Dei tranſacta nullum dogma redoleat niſi ſanctum, cum ſacræ Scripturæ, Patrumque interpretationibus congruũ & conueniens: ſi verum eſt quòd fides oſtendatur, ac ſe prodat ex operibus: cùm ipſe ſibi debellandas hęreſes ſingulari certamine ſumpſerit: cumque ſi qua fortè ſecus dicta in libro Theologiæ eius reperiuntur, publica fidei Confeſſione à ſe edita retractaverit, vel virtute rationis, vel auctoritate Scripturę correctus.

Sequitur Epiſtola alia eiuſdem D. Bernardi ad eundem Pontificem Innocentium, eiuſdem argumenti cum præcedentibus (niſi quòd in accuſando & diſputando prolixior eſt) cuius initium: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum. Habetis*, inquit, *in Francia novum de Magiſtro Theologum, qui ab incunte ætate ſua, in Dialectica luſit: nunc in Scripturis ſacris inſanit. Qui dum omnium quæ ſunt in cælo ſurſum, & quæ in terra deorſum nihil præter ſe ſolum neſcio quid neſcire dignatur, ponit in cælo os ſuum.* Cætera quia nihil aliud continent, quàm quæ in ſuprà ſcriptis Articulis recitantur, malo æquus & curioſus Lector requirat ex ipſa Epiſtola bene longa & erudita: quam qui totam legerit, definitivam non ferat ſententiam, niſi priùs breui reſponſione perlecta.

Qui enim ſtatuit parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Nec contentus fuit egregius Cœnobiarcha ſub perſona ſua iuſtæ magnitudinis Libellum edidiſſe, in eumque ſtilum cum tot tãriſque aculeis tamque acerbis ſtrinxiſſe, niſi Samſonem Archiepiſcopum Rhemenſem, & tres ex eius Suffraganeis excitaret, tanquam ad commune reſtinguendum incendium. Dictavit enim Epiſtolas ſub eiuſdem nomine ad Papam, vt per eas majoris ponderis eſſet accuſatio. Adduntur appendicis loco duę commendatitiæ: altera ad Cardinalem Vidum de Caſtello, qui Petrum in Theologicis audierat, & poſtea electus in Papam Cæleſtini nomen aſſumpſit: altera ad Yuonem etiam Cardinalem, quæ eſt eiuſdem argumenti. In priore objectat iemper libellum illum γνῶθι σεαυτον, quem pernega-

vit Petrus à ſe ſcriptum. Hoc tanto criminationis hiatu magni ille nominis accuſator omnia quę rei poterant eſſe auxilia pręoccupavit. At quas deinde probationes ſubijcit? nullas, aut penè nullas: breuia enim ſunt Epiſtolia. Quę ergo dixit verbo tenus, Scaurus verbo negat. Nam ſi accuſare ſufficeret, quis vnquam erit innocens? Tritum etiam illud: Vt vir vnus, vir nullus; ita teſtis vnus, teſtis nullus. Quòd ſi quis quæſierit, quis tam crebrarum ſcriptionum, tantique laboris ſpontanei fructus & profectus? Duplex ſane: nam Innocentius Chriſti Vicarius, ſummus de Fide arbiter, cui nemo Orthodoxorum refragari, ac ne quidem mutire audeat, Reſcripto ſuo Dogmatum ad ſe miſſorum Capita, quę Petro Abaelardo adſcribebantur, non tamen ipſam Petri perſonam hæreſeos damnavit de plano, & nondum parte altera audita, quæ ſi Romæ judicio ſe ſiſtens ad diluendas objectiones aliquot horas aut dieculas, aut comperendinationes habuiſſet, fortaſſe aliò erat alea recaſura. At accuſatores potentiſſimi, tanquam albis equis triumfantes, lętum Pæana cantarunt, victoriamque ſuam toto orbe diſſeminarunt: Ita vt miſer ille inauditus apud probos quamplurimos maſe audiret, & eius exemplaria, quæ Galliam, Italiamque ſplendore colluſtrarant, tanquam horrendi criminis carmina, vel voracibus rogis cremanda traderentur, vel in ſitu, ſqualore, & cinere veterum Bibliothecarum latitantia putreſcerent: nec iam Triſoni, ceteriſque Librarijs, veris ſuis medicis curanda mãdarentur: perijſſentque ſtirpitus, niſi bono aliquo genio & divino impulſu ad ea conquirenda, è pulvere eruenda, emendanda, publicanda fuiſſemus excitati, eorum præſertim teſtimonijs, quos benè de illis ſenſiſſe & ſcripſiſſe, variaque eius ſcripta in delicijs & admiratione habuiſſe infra oſtendemus. Quorum vna eademque vox extitit, non fuiſſe eam mentem Abaelardi, vt aliquid ſcriberet contra fidem receptam Eccleſię: quòd ſi quidpiam tale irrepſiſſet, credendum aliunde proveniſſe, aut forte à culpa Librariorum, neque Lectorem vbi plura nitẽt in Opere, paucis offendi debere maculis,

——— quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Siquidem neque multiplex bonum exiguo malo, neque vtile inutili vitiatur.

Et mala ſunt vicina bonis, errore ſub ipſo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.

Nec eo deveniendum eſt temeritatis, vt hunc nunquam erraſſe audeamus aſſerere; ſed ſi quid ab eo ſit erratum, id non hęretica pravitate (ſola enim pertinacia Eccleſiaſticæ doctrinę & auctoritati reſiſtens hęreticum facit) ſed humanæ naturæ imbecillitate, aut forſan nimijs ingenij viribus admiſiſſe, culpamque ſi qua erat reſarciſſe, vt ſe poſſet tueri *l.* XII. *Tab.* SANATIBVS IDEM IVRIS, QVOD FORTIBVS.

Interea placet D. Bernardo forti bellatori, quaſi ſuccenturiatos proferre aliquos Scriptores illorum & ſubſequentium temporum, qui eius ſententiæ ſunt adſtipulati, tanquam ſi ex eius ore aut ſcriptione penderent: ne quis eos me vel neſciſſe, vel putet ſilentio tegere voluiſſe. Familiam itaque ducat Godofredus Claræuallenſis Monachus vitæ Bernardicæ

Digitized by Google

ſcriptor luculentiſſimus, famæque Præceptoris propugnator acerrimus, cuius hæc ſunt verba lib. III. cap. V.

Fuit in diebus illis Petrus Abailardus Magiſter inſignis, & celeberrimus in opinione ſcientiæ, ſed de fide perfidè dogmatizans. Cuius cùm blaſphemiis plena graviſſimis volitare vndique ſcripta cœpiſſent, profanas novitates vocum & ſenſuum viri eruditi atque fideles ad Dei hominem, S Bernardum, detulerunt: qui nimirum ſolita bonitate & benignitate deſiderans errorem corrigi, hominem non confundi, ſecreta illum admonitione conuenit. Cum quo etiam tam modeſtè tamque rationabiliter egit, vt ille quoque compunctus ad ipſius arbitrium correcturum ſe promitteret vniuerſa. Cæterum cùm receſſiſſet ab eo Petrus idem, conſiliis ſtimulatus iniquis, & ingenij ſui virib. plurimóque exercitio diſputandi infeliciter fidens, reſilijt à propoſito ſaniori. Expetens denique Senonenſem Metropolitanum, quòd in eius Eccleſia celebrandum foret in proximo grande Cõcilium, Claræuallenſem cauſatur Abbatem ſuis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum ſe eſſe in publico ſua defendere ſcripta, rogans vt prædictus Abbas dicturus ſi quid haberet ad Concilium vocaretur. Factum eſt vt poſtulauit. Sed vocatus Abbas venire penitus recuſauit, ſuum hoc non eſſe renuncians. Poſtea tamen magnorum virorum monitis flexus, ne videlicet ex ipſius abſentia ſcandalum populo, & cornua creſcerent aduerſario, demum pergere acquieuit, triſtis quidem, nec ſine lacrimis annuẽs, ſicut in Epiſtola ad Papam Innocentium ipſe teſtatur, in qua plenius lucidiuſque negotium omne proſequitur. Affuit dies, & Eccleſia copioſa conuenit, vbi à Dei famulo Petri illius in medium ſcripta prolata ſunt, & erroris capitula deſignata. Demum illi optio data eſt aut ſua eſſe negãdi, aut errorem humiliter corrigẽdi, aut reſpondendi ſi poſſet obijciendis ſibi rationibus pariter & ſanctorum teſtimoniis Patrum. At ille nec volens reſipiſcere, nec valens reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur; vt tempus redimeret, ſedem Apoſtolicam appellauit. Sed & poſtea ab egregio illo Catholicæ fidei aduocato monitus, vel iam ſciens in perſonam ſuam nihil agendum, reſponderet tam liberè quàm ſecurè, audiendus tantùm, & ferendus in omni patientia, non ſententia aliqua feriendus: hoc quoque omnibus modis recuſauit. Nam & confeſſus eſt poſtea ſuis, vt aiunt, quòd ea hora maxima quadẽ ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit, & interior fugerit ſenſus. Nihilominus tamen Eccleſia quæ conuenerat dimiſit hominẽ, multauit abominationem, à perſona abſtinens, ſed dogmata praua condemnans. Quando verò Petrus ille refugium inueniret in ſede Petri tam longè diſſidens à fide Petri? Et ipſum ergo auctorem eadem ſententia cum erroribus ſuis Apoſtolicus Præſul inuoluens, ſcripta incendio, ſcriptorem ſilentio condemnauit.

Quod ſi interrogetur Abaelardus, Quid ad hæc? Reſpondebit fortaſſe, Nolo hunc, reprobo hunc, domeſticus eſt.

Secunda acie procedit nulli ſecundus, qui tamen à præcedentibus quæ ſcribit deſumit, Vincentius ille Bellovacenſis in Speculo Hiſtoriali lib. XXVII. cap. XIII. vbi ſic ait: *Eo tempore fuit Petrus Abaelardus, Magiſter inſignis celeberrimus in opinione ſcientiæ, ſed de fide perfide dogmatizans. Huius ſcripta in-*

Digitized by Google

cendio, & ſcriptorem ſilentio condemnavit Innocentius Papa. Capitula in libris eius reprehenſibilia annotauit B. Bernardus in Epiſt.

Vincentium per omnia ſequutus Antonius Floretus diui Bernardi vitam & miracula multis ſigillatim proſequutus: & paucis mutatis, demptis, vel additis eadem tranſcribuntur in Chronico Hirſaugienſi, in continuatione Sigeberti, apud Anton. Sabellicum Ennead. IX. & Bergom. & B. Platinam. Nihil moror proletarios iſtos neotericos Annalium ſarcinatores, præſertim manu ſcriptos, qui omnes in eodem ludo edocti ex ijſdem expiſcati ſunt lacunis trichias in ſua Chronica relatas, ijſdemque verbis: vt iam nonniſi vnius teſtis loco ſint habendi, non quidem oculati, ſed tantum auriti, atque ideò eadem exceptione perpetua ſubmovendi.

Hinc colligere licet quàm varij varia. Nam noſter poſt appellationem à conventu Senonenſi interjectam, ſe itineri accinxit Romano, vt ad pedum Apoſtolicorũ oſcula admitteretur, ſed præventus eſt reconciliatione & benedictione, permiſſuſque cum pace in Cluniacenſi Cœnobio manere, vbi cum Petro Venerabili manſit, Scholaſticæ cathedræ præfectus, primo poſt Abbatem loco ſedere iuſſus: in humilitate tamen præcipuus ſilentij obſervator, niſi cùm aut Scripturas interpretari, aut concionari iubebatur, vt ex Epiſtolis eiuſdem Petri infrà patebit: tandemque ingraveſcente ægritudine & morbo, Cabilonum ad S. Marcelli Martyris miſſus, piam animam Deo reddidit.

Aventinus Rozelinum & Abaelardum novi Lycæi conditores fuiſſe ait: qui ſcientiam vocum ſiue dictionum inſtituerunt, novam filoſofandi viam invenerunt, ijs auctoribus duo Peripateticorum genera eſſe cœperunt, vnum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod ſcientiam rerum ſibi vendicat, quamobrem ſectatores Reales vocantur: alterum novum quod eam ad nomina trahit, Nominales ideò iſti nuncupati, quòd avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur eſſe aſſertores. Hæc ex eius VI. Annal. quæ Vignerius in ſua Bibliot. Hiſtor. tranſcripſit.

Ioannes Monachus S. Victoris prope & extra Mœnia Lutetiana: *Senonis*, inquit, *contra Petrum Abaelardum juſſu Regis Ludovici facta eſt congregatio Epiſcoporum & Abbatum totius regni: qui quadam profana verborum & ſenſuum novitate in Eccleſia ſcandalum generabat. Igitur præſente Ludovico Rege & B. Bernardo eſt interrogatus de multis, & cùm eſſet reſponſurus, de iuſtitia & veritate timens, Sedis Apoſtolicæ audientiam appellavit. Vnde ſic evadens non multo poſt Cabilone apud S. Marcellum obijt. Hic in Comitatu Campaniæ fundavit Eccleſiam Conuentualem Sanctimonialium de Paracleto. Hic autem Petrus Magiſter ſubtilis & famoſus, & celeberrimus in opinione ſcientiæ, ſed de fide perfide dogmatiſans. Huius ſcripta incendio, & ſcriptorem ſilentio Papa Innocentius condemnavit. Capitula in libris eius reprehenſibilia annotauit S. Bernardus in Epiſtola, quam de ipſo ſcripſit ad Innocentium Papam. Libri tamen eius à multis habentur. Ego ipſe*, inquit Helinandus, *multa in eis reprehenſibilia inueni.*

Huius Petri aliquando fuerat diſcipulus Gaufridus Autiſſiodorenſis, qui multo tempore fuit Notarius S. Bernardi, &c. Et quia meminit Helinandi, dicam obiter eum fuiſſe Picardum Belgam, Poëtam Gallicum ſui temporis ſubriliſſimum,

Digitized by Google

liſſimum, qui elegantem Tractatum De morte rithmis vernaculis panxit, tandémque pertæſus vanitatis huius ſeculi, elegit vitam ſolitariam in Cœnobio Frigidi-montis Ordinis Ciſtercienſis ſub Epiſcopo Bellovacenſi, huic & Siluanectenſi, vicinis ſuis cariſſimus. Plura de eo reperies apud Trithemium in catalogo Benedictinæ gentis & familiarum ſub ea.

De Trithemio injecta mentio elicit à nobis excerpta ex eius libro de Scriptor. Eccleſ. *Petrus*, inquit, *Dialecticos Pariſienſis, dictus Abelardus, natione Gallus, vir in ſeculari filoſofia eruditiſſimus, & in divinis ſcripturis nobiliter doctus, gaudens novitate terminorum, & altiora ſe ſcrutari tentans, oppreſſus à gloria in plures incidit errores, & agente ſancto Abbate Bernardo in Senonenſi Concilio cum pravis ſuis doctrinis condemnatus. Ab hoc tempore filoſofia ſecularis ſacram Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpit. Scripſit autem Petrus iſte nonnulla Opuſcula, quibus ſi errores non miſcuiſſet, utilitati poſteritatis profuiſſe poterant. Ex quibus extat volumen Dialectica obſcuritate ſubumbratum multis ſententijs varium, quod prænotare voluit Theologiam ſuam lib. 1. & quædam alia. Claruit ſub Conrado Imperatore* III. *anno Domini* MCXL. Eadem totidem verbis Conradi duo, Geſnerus nempe, & Lycoſthenes in Biblioth.

Ioannes Nauclerus Volum. III. à Chriſto nato, generatione 39. *Sub Innocentio condemnatur Petrus Abaelardus, vt refert in Speculo Vincentius, de quo ad Innocentium S. Bernardus, Habemus, inquit, in Francia novum de veteri Magiſtrum Theologum.* Plura non adjungam quæ ipſemet Chronografus ſe à D. Bernardo & Gaufrido ſuprà citato accepiſſe fatetur: eademque columna refert ingens miraculum, quod coram Conrado Imp. magnáque populi frequentia & concurſu in Spirenſi Baſilica accidiſſe affirmat de D. Bernardo ter Virginem matrem ſalutante multis audientibus, & ab eadem ſemel reſalutato.

Paulus Aemilius Veronenſis, Hiſtoricus Francorum clariſſimus lib. v. in Ludovico Iuniore: *Petrus Abaelardus Britannus, cœtus diſcipulorum frequentiſſimos habebat, qui omnium liberalium artium ſtudia æmulabantur. Ad eum undique concurſus fiebat, nec ipſe contentus erat ſui ſeculi gloria, eruditioneque, de Deo religionéque Chriſtiana diſſerens, à cæteris Scholis ſenſibuſque deſciſcebat. In primis offendebat, quòd in definitione ſanctæ Fidei, contrà ac ſancti Patres tradidiſſent eſſe verabat, ita vt videretur falſam perſuaſionẽ, opinionemque ancipitem fide Theologica contineri cenſere, quod ſi reciperetur, de firmitatẽ, certaque ac inexpugnabili ſententia pietatis noſtræ actum foret. Vim vocum, quam diſciplinam nominum vocitabat, ea ratione Theologicis ſtudiis conjungebat, vt conceptione verborum Deum Opt. Max. trinum eundem & unum prædicans, re oppugnare refellereque videretur. In Senonibus Conventus Gallicorum Patrum ad verſus ejus placita habitus eſt. Coactus eſt ille ſcripta ſua coram igni dare. Nec idcirco juventus ſtudia æmulans ab eo defecit. Dicta rurſus dicta, cùm quæſtio repeteretur, condemnareturque, Pontificem Max. appellauit. Is & ſectam illam damnavit, & ſilentium homini indixit.* Vignerius in Bibl. Hiſtor. nil aliud de Abaëlardo ad fert, niſi quod ab aliis ſe accepiſſe fatetur, inter quos præcipuum Gilbertum Genebrardum, qui poſtea Archiepiſcopus Aquenſis fuit, laudat auctorem.

Bernardus Girardus Hallanus Burdegalenſis, qui Gallicanam Hiſtoriam Karoli IX. iuſſu & ſumptibus eleganter literis mandavit, hæc de noſtro in

Digitized by Google

Ludouico Iuniore: *Armoricanus quidem*, inquit, *Abaelardus, aut Abbayelardus, Magiſter ſummus in Dialectica creditus, ſui temporis doctiſſimus, quamplurimos habebat diſcipulos & aſſeclas, qui pendebant eius ab ore, vt addiſcerent liberales diſciplinas; ad eumque omni ex parte fiebat concurſus, & his non contentus penetravit in abdita Theologiæ, de Religione pertinaciter diſputans, & nominum ſignificatione abutens.* Et paulo poſt, *Damnatus in Prouinciali Synodo ſummum Pontificem appellavit, qui ei ſilentium impoſuit.* Subjungit deinde Gallicarum rerum Scriptor totam de eius & Heloiſæ amoribus narrationem, fugam, puerperium, nuptias: deinde vt illa apud Argentolium, ille apud S. Dionyſium ad Sequanam tria vota emiſerint : vtque ille prope Novigentum Paracleti Cœnobium ædificavit, eique poſtea vxorem ſuam præfecerit, migraritque ipſe ad patriam, præfuerit S. Gildaſio Ruienſi, eamque Abbatiam, vt tranquiliori vitæ genere frueretur ejurarit. Cujus quidem Conventus Ruienſis ipſe Girardus noſtra memoria fuit Abbas commendatarius, & me adoleſcentem ſenex inter amicos præcipuos habuit, Carmine meo Panegyrico laudatus.

Franciſcus verò Belliforeſtus Convena; item meus familiaris, Girardi coætaneus & æmulus, quem etiam verſibus celebravi in magnorum Annalium Operis bipartiti lib. III. Cap. XLVII. vt eſt copioſus & Aſiaticus, ne dicam redundans, multa de hoc noſtro ingerit partim comperta, partim etiam ignorata: Eum videlicet exquiſita literarum humaniorum & Filoſofiæ reconditioris cognitione tumidum, eò arrogantiæ progreſſum, vt ex ſuo, non Eccleſiæ ſenſu plurima auſus ſit in ſacris Scripturis pervertere, nova dogmata introducere, novam etiam & Chriſtianis perniciosiſſimam de fato Stoicorum & Poetarum opinionem tueri. Alios errores, quos à B. Bernardo mucrone verbi divini transfoſſos recitat, prætereo, ne actum agere videar. Sed illud ratum habere non poſſum quod ſub Pontificatu Lucij adſtruit, eum coram Rege Ludovico, Cõcilioque Nationali palinodiam cecinisſe, & errores agnoviſſe & abjuraſſe : quod qualecumque ſub Innocentio accidiſſe ſatis ſuperque probatum eſt. Hallucinatur etiã in eo quod dicit poſt illum vomitum tranſiiſſe ad Monaſticam vitam ; cùm ex ſuprà ſcriptis conſtet, eum adhuc juvenem Ordini Benedictino nomen dediſſe ſtatim poſtquàm canterius ſiue ſpado factus eſt. Quod ſi ita eſſet vt dicit, non ideò vituperanda eſſet ſera pœnitentia. Rectè Seneca,

Nam ſera numquam eſt ad bonos mores via:
Quem pœnitet peccaſſe, pene eſt innocens.

De Heloiſſa vxore poſtmodum Abbatiſſa, candidè fatetur eam vitæ & mortis ſanctitate fuiſſe inſignem: ſed perperam abutitur ſtylo & ingenio, cùm reprehendit vltimam Epitaphij clauſulam, quòd fuerit gnauiter impudens & arrogans Abaelardus, qui omnia quæ ſciri poſſent, ſibi ſoli patuiſſe jactitaret. Quaſi vero ipſe ſibi vivens Epitafium condiderit, cujus Petrus Venerabilis ſe auctorem agnoſcit, aſſiduus auditor doctiſſimarum eius Concionum, teſtis piæ eius converſationis & in Chriſto dormitionis.

Vltimum verò hoc non ferendum, quòd cùm Belli-foreſtus agnoſcat eum Eccleſiæ reconciliatum, ex filio iræ in filium dilectionis tranſiiſſe,

Digitized by Google

ſummo Pontifici acceptum, in Fidei conſtantiſſima profeſſione animam Domino reddidiſſe: tamen comminiſcitur oſſa eius longo poſt tempore è monumento extracta, & igne incenſa & conſumpta fuiſſe. Huius nullum citat neque habet Auctorem opinionis, niſi forte Argentræum, quæ facilè Necrologio Paraclitenſi, & Epiſtolis Petri ipſius Mautiacenſis refelli & convinci poteſt, quibus teſtatur illum inter manus Cluniacenſium Cabiloni animam exhalaſſe, eius cadaver ad S. Marcelli honeſto ſarcofago cõditum, poſtea ad Heloiſſam remiſſum, quæ in fano ſeu Sacello Paracletenſi virum ſuum humandum curavit, & ei poſtquam ipſa fato functa fuiſſet, comes individua mortis vt vitæ adiungi voluit. Viſiturque hodie amborum tumulus communi titulo dedicatus in Oratorio Paracletico, cum dierum anniverſariorum adnotatione, ad quorum recurſum vtrique fundatori ſolvuntur parentalia, nempè in Doctoris memoriã XI. Kal. Maias, qua die tranſivit ad Dominum anno vitæ climacterico LXIII. in memoriam verò Diaconiſſæ & verè matris pientiſſimæ XVI. Kal. Iunias.

Hactenus ad aquarum ſtillicidium productiore tempore vix circumſcriptum accuſandi modum menſi ſumus, immò & patienter tulimus, δηλῶσαι καὶ τὸ ὕδωρ ἐκχεόμενον εἶναι. Par erat, cùm ſint favorabiliores rei, tribus clepſydris quatuor addere, vt apud Plinium. Depulſiones tamen colligemus breviùs quàm res tanta dici poterit, productis aliquot teſtibus, quibus hæc cauſſa fulcitur, & Abaelardus abſolvitur: de quo quidem faſſi ſumus, eum hominem fuiſſe, labi, decipi, errare potuiſſe in quibuſdam, non in omnibus, quæ illi imputantur: At non hæreticum propterea fuiſſe, qui ſacram Eccleſiæ Hierarchiam ſemper agnoverit, ſummo Pontifici Dei Vicario ſe ſuáque vota ſubmiſerit, pœnitudiniſque tam clara documenta dederit: quarum rerum citabo teſteis quamplurimos præcedentibus doctrina & fide non inferiores. Nam D. Bernardum ſemper excipio nemini ſanctitate comparandum, & ſui ſeculi Fœnicem, qui cùm nondum ex efebis exceſſiſſet, ex domo paterna in ſolitudinem Ciſtercienſem migravit cum XXX. ſociis, inter mappalia & vepreta deliteſcens, à nullo præterquàm à Deo doctus eſt: itavt Θεοδίδακτος crederetur, plus favoris in humilitate adeptus, quàm Salomon in omni gloria ſua, ita omneis in ſui admirationem, tum doctiſſimis Commentariis in obſcuriſſima Scripturæ ænigmata, tum diſertiſſimis Concionibus, profundiáque ſenſus Meditationibus, ad famam ſui nominis, ad ſui amorem & obſervantiam rapuit, vt ad eum totius Orbis vota concurrerent, vt ab eius monitis & exemplis tota res Monaſtica & Eccleſiaſtica pẽdere viſa ſit, vt ab eius Oraculis Præſules, Principes, Populi conſilium expeterent, eúmque induciarum ac pacis arbitrum agnoſcerent, & ſe eius orationibus omnes Ordines cupiverint eſſe commendatos. Quin in illa ſui abnegatione, & eremi auſteritate, multa diuinæ virtutis ſigna ac prodigia eo adhuc in terris degente refulſerunt. Nam eius precibus meritiſque puer per oſculũ ſanatus, claudus erectus, paralyticus curatus, leproſi mundati, energumeni liberati, ſchiſmatici communioni ſacræ reſtituti, plurima Cœnobia erecta, ſeptingentæ & eo plures animæ Deo lucratæ. Multa quoque poſtea evenerunt, ab eo in ſpiritu profetico prævisa & prædicta, præſertim verò in felici illius dormi-

Digitized by Google

tione. Quibus permotus Alexander III. Pontifex Max. vndecim ab excessu D. Bernardi annis eum in Sanctorum catalogum retulit, quod vsitato Canonizare dicunt verbo, quia tales sancti disquisitione habita judicantur ab Ecclesia digni, qui intra Canonem Romanum in consecratione recitari solitum redigantur: sicut & Iurisconsulti aliquam Legem D. aut C. esse canonisatam notant, quæ per Gratianum Corpori Decretorum & Canonum fuerit inserta. Par est omneis Catholicos iudicio S.R. Ecclesiæ submitti: Sed hæc sanctitas, & vt ita dicam, canonizatio, quam amplector lubens, ejus suffragia apud Christum exposcens, non concludit necessariò, ea omnia esse rata, quæ à D. Bernardo, dum in terris ageret, dicta, facta, disputata, scriptáq; sunt; sicut nec omnia Patrum venerandæ antiquitatis, vtpote D. Hilarij. Qui cùm fuerit Arriano-mastix, tamen ejus scripta suspenso gradu legenda monet D. Hieronymus. Duo enim dixit Hilarius, propugnator fidei Trinitatis, in quibus ab Ecclesia non auditur. Prius quod Christum nil doloris in passione sensisse putat: alterum quòd nullum incorporeum sensit esse creatum. Cõtra quos errores gladium strinxit Claudianus Lugdunensis. Sed non ob hoc scientia sanctitasq; Doctoris Gallicani perdidit meritũ Confessoris, cui mater bono filio indulsit. Augustinus & Hieronymus se mutuis morsib. impetunt. Hic contra Iouinianum, ex his verbis, *Sanum est mulierem non tangere*, & ex his Apostoli, *καλὸν γαμεῖσθαι, ἢ πυρῶσθαι*, inferre conatur malum esse mulierem tangere, & inhumanius de nuptijs disputat: contra quem Pammachius Senator mucronem intorquet. Et hæc damnata opinio est in Gangrensi Concilio. Ille Eucharistiam infantibus non minus necessariam quàm baptismum, cum Innocentio primo multis locis pronunciat: quod Ecclesia reprobat. Sed sufficit quòd suis erroribus ipsemet sanctus vir non fauerit, qui ideo Retractationum libros secundas curas sapientiores vulgavit. Nec ipse quidem Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas, cùm omnes Filosofos & Theologos multis spatijs transcurrerit, primusque è carceribus ad metam doctrinæ & sapientiæ pervenerit, vllum ex discipulis aut sectatoribus reperire potuit, qui ita jurare vellet in ejus verba, vt non eis contradici possit, vt non multa reperiantur in tam laboriosis voluminibus, quę multi non probent: imò quæ neque à Nauarræo Collegio aut Sorbonico, nec ab ipsa quidem Prædicatorum Sodalitate, sub qua meruit, pro certis & compertis habeantur.

Pace igitur sancti Abbatis liceat dicere, quod de eó ausus est Annalibus mandare ejus discipulus Clarevallensis quondam Monachus, demum Abbas Morimontanus, Otho Episcopus Frisingensis, Leopoldi Pij Marchionis Austriæ filius, Frederici I. Ænobarbi, cujus vitam scripsit, patruus, qui quamvis Abbatem suum in magna habuerit veneratione, tamen scribit eum ex Religionis Christianæ fervore zelotypum, & ex habitudinali (sic enim loquitur) mansuetudine quodãmodo credulum, vt Magistros, qui humanis rationibus & seculari sapientiæ confidenter nimiũ inhærebant, abhorreret; & de talibus siniſtrũ quid recitãti facilè auré prębere t, juxta illud Festi, *τὰ πολλὰ χάσματα εἰς μανίαν πεσεῖται*. Quo fieri potuit, vt sibi in animũ induxerit, quædam esse dicta aut scripta ab Abaelardo quæ non essent, aut quæ in pejorẽ partẽ accipi nõ deberent. En Teucer noster sub Ajacis clypeo

Digitized by Google

ſeptẽplici tectus. Sed & protectores alij nõ deſunt, inter quos familiã ducit Petrus ille Moritius, aliàs Mauriacenus IX. Abbas Cluniaci, qui apud ſuos ſancti nomen adeptus, tamen in Martyrologio Romano Venerabilis cognomento contentus fuit. Hic eſt ille, quem cum toto Ordine ſuo non dubitavit D. Bernardus œſtro ſuæ iracundię pungere, vt videre licet in ejus Epiſtola 1. in qua ob nepotem ex fratre, ab ſe & à Claravalle abductum, & Cluniacenſibus mancipatum, quoſdam ex iis ait veniſſe in veſtimentis ovium, intus autem fuiſſe lupos rapaces.

Huius ergo magni Patris & Doctoris teſtimonium cum Othone conjunctum, ſi non majori, at certè pari lance ad libram Critolai exploratum ſtabit. Tritum illud, Papinianus vincit ſingulos, ſed vincitur à duobus: præſertim cùm hic meſſem in falcem alienam injeciſſe videri poſſit. Non enim noſter Benedictinus, qui Abbatiali annulo conſecratus erat, ditioni Ciſtercienſium vllo modo ſubjacebat, non imminebat Ægyna Pyræo, cùm bonus ille Burgundio in extremis Campaniæ finibus ad Albam fluviolum gregi ſuo, noſter verò ad tractum Oceani Aremorici ſuo itidem præeſſet; nec par in parem, Abbas in Cœnobiarcham vllum haberet imperium, nec aliunde Britoni noſtro creatum eſſet periculum, niſi ex magna potiùs quàm ex mala fama. Quod ſi D. Bernardus Eccleſiaſticus nihil Eccleſiaſtici à ſe alienum putavit: ſi huic noſtro fuit reſiſtendum in faciem, quia reprehenſibilis videbatur: certè exercendum erat judicium illud Divinationis apud Romanos vſitatum, de idoneo accuſatore deligendo, danduſque actor ſelectus è Turonenſi, non è Provincia Senonenſi, multo etiam minus ex Provincia Lugdunenſi. Nam Claravallis Lingonibus adjacet & ſubjacet, qui ſunt ſub ditione Archiepiſcopali Primatis Lugdunẽſis, quem ideò majores noſtri excelſiore loco ſupra Celtarum Præſules collocarunt, quod Lugdunum Munatij ſub Auguſtis Romanis fuiſſet ſedes Præfecti Prætorio Galliarum, ſitu & aditu opportuna Gallis, Hiſpanis, Britannis: quæ dignitas etiamnum hodie viget in Primatu Lugdunenſi per Senonenſem, Turonicam, & Rothomagenſem Provinciam, excluſis & exemptis Rhemis ſeu Belgis. Nec tamen id fuit perpetuum. Nam ſub Karolo Magno, eiuſque filio, & nepotibus, Senonenſis, titulo Primatis Galliarum & Germaniarum erat conſpicuus.

Demus hoc tamen ferventiſſimo zelo, & inſigni probitati ſancti Patris, qui cùm eſſet Prælatus in Eccleſia Dei, tertiuſque in illa numeroſa ſobole Archimandritarum Ciſtercienſium, ſæpiſſimè ad Aulas Regum & Principum conſilij cauſa evocatus, quique inter pręclaras peregrinationes, quas religionis ergo ſuſceperat, hoc confecerat apud Vvillelmum Aquitaniæ ducem, Pictaviæ Comitem, vt ab Anacleti Antipapæ conſpiratione nefaria, eum ad veri Patrum Patris obedientiam, & ad pœnitentiam reduceret: Demus, inquam, vt ei licuerit legatione pro Chriſto hac in parte fungi. Demus etiam, vt tacentibus Canibus ad cuſtodiam gregis deputatis, & latrare non valentibus, illi fuerit licitum clangore ſuo Capitolij cuſtodes evocare & expergiſcere. Illud ſane laudibus prædicandum, quòd Abaelardi neque flumen aureum dicendi, neque fulmen linguæ reformidavit, quòd excelſo & infracto animo poſt Arnoldum de Brixia & Petrum

Digitized by Google

Bruſium, confutatos Gilbertum Porretanum Pictonem Epiſcopum à ſuis Archidiaconis delatum, qui nova qnædam de fide Trinitatis interſerere crederetur, ad examen vocavit, anathema etiam illi intentaturus coram Eugenio III. P. Lutetiæ tunc ſedente', qui pro ſua ſuprema' poteſtate rem totam ad ſuum Rhemenſe Concilium remiſit, provt idem Otho recitat aliquot Capitibus libri 1. de geſtis Friderici.

Fuit, fuit hic catulus, quem cùm mater Aletha vxor Teſſelini in vtero geſtaret, ſomnio vidit præſagium futuri partus, Catellum ſcilicet ſe parituram totum candidum, in dorſo ſubrufum & clarè latrantem. Cui de illo terriculamento anxiæ & ſciſcitanti reſpondit Religioſus quidam vaticinij ſpiramine affl itus: Optimi catuli mater eris, qui Domus Dei cuſtos futurus, validos pro ea contra inimicos fidei editurus eſt latratus. Hæc Vvillelmus lib. 1. eius vitæ. Firmavit vaticinium eventus: nec enim vlli pepercit, ne quidem Patribus & Proceribus, qui in Curia Romana rerum potiebantur, neque minima aſſentatiuncula cujuſvis præpotentis favorem voluit aucupari. Nec tamen illi fibra cornea fuit, neque odium cum vllo Vatinianum, neque ſimultates diuturnæ, cùm ſciret indulgendum quidem iræ brevi, ſed non peccandum, habendumque ſtimulum iræ tantum pro cote fortitudinis Chriſtianæ.

Iraſci facilis, tamen vt placabilis eſſet.

Paſſus eſt enim, vt ille Romanus dictator, Petrum hunc, & illum Gilbertum propter Deum redire ſecum in gratiam, & veniam errorum humanorum deprecatos, Eccleſiaſticæ communioni vnde dejecti fuerant', velut ex Prætoris edicto reſtitui. Sapienter Maximus ille Auguſtinus: *Eccleſia*, inquit, *Catholica materno ſinu recepit quamplurimos ex filijs, tanquam Petrum poſt fletum negationis & gallicinium admonitum, aut tanquam eumdem poſt pravam ſimulationem Pauli voce correctum.* Et alibi: *Petrus præficitur poſtquàm tentatus eſt, quod Petrus negavit; profuit, quia emendavit.* Et D. Ambroſius: *Etiam Sanctorum lapſus vtilis eſt, nec nocuit labecula aſpergi.* Vſque adeò in rebus humanis nihil eſt tam purum, tam ſanctum, tam firmum, quod non aliquando poſſit inquinari, labefactari, aut convellj, niſi Dei Opt. Max. providentia, quæ ſuis tempori nunquam non adeſt, milites ſtrenuos & in acie principes, è diverticulis in veram viam per Spiritum ſanctum ſubitò revocaret, reduceret, & retraheret. Vt enim Adamantium illum Origenem taceam, qui vt Ethiopis turpitudinem, quam ipſe non facturus, ſed perpeſſurus erat, evitaret, thura idolis adolevit, puſillanimitatemque illam longis lachrimarum decurſibus lavit: Quàm multa in ejus ſcriptis aureis abſona, & abſurda reperiuntur, quæ tamen leguntur & retinentur: Quamvis de illo hoc jactetur: *Vbi Origenes malè, nemo pejus: vbi bene, nemo melius.* Sic Baſilius Epiſcopus, Græcanicæ Eccleſiæ Doctor, tot Monachorum per Orientem Pater, ne ſuis quidem per omnia probatus eſt. Tertullianus verò cùm vetè Florens de hæreticis innumeros triumfos reportaſſet, nonne in Catafrygum hæreſim vergente iam ætatis veſpere prolapſus, multas venenatas & peſtiferas herbas, ſicut de Ægypto cecinit Homerus, ſalutaribus animæ medicamentis miſcuit? De Marcellino Papa & Martyre quid attinet dicere, niſi quòd Deus permiſit illum crebris paſſionibus deterri,

Digitized by Google

tum, ad tempus cadere,& ad horam titubare,ſed non confringi: qui poſt tranſgreſſionem convocatis fratribus Coëpiſcopis, in ſeipſum ſententiam tulit depoſitionis? Quid attinet etiam memorare Hoſium & Luciferium, qui ſuis lapſibus documenta dederunt fragilitatis, humanæ & arcani imperſcrutabilis?

Fruſtra eſſet, ſi in hoc argumento diutiùs vellem immorari, cùm ipſe Liberius Petri Sedis ſucceſſor & infirmitatis, in hoc illũ imitatus ſit, quòd circa ſui Pontificatus initia Legatos ſuos contra Athanaſium Alexãdriam miſerit,& eum tanquam judicium detrectantem condemnarit, eique tot ſententiis abſoluto, communione ſacra interdixerit. Quin & poſtea Epiſtolæ Sirmio à ſynodo ad Orientaleis miſſæ,tædio exilij, ſuæque Sedis recuperandæ præfracto deſiderio ſubſcripſit,quo nomine Hilarius æſtu fidei abreptus illj anathema impingere voluit. Nónne Vrſatio & Valente inſtantibus ſub Conſtantio A. coactum eſt Ariminenſe pſeudo-Concilium, contra Nicæni Tractatus formellam, & trecentorum octodecim Eſpiſcoporum decretum, ἐσαι ἀγόμενοι, itavt totus orbis ingemuerit, & ſe fere Arianum,vt cum Hieronymo loquar,ſit demiratus,niſi fides Nicæna reparata & rurſus ſtabilita fuiſſet, mundúſque à Sathanæ faucibus ereptus per illum eundemque Liberium, qui ad meliorem mentem reverſus, egregiam operam deinceps navavit, priſtinæ & orthodoxæ fidei reſtaurandæ, ſtabiliendæ,conſervandæ,per ſe & per illos R.P.Chriſtianæ Trium-viros Athanaſium Alexãdrinum,Hilarium Pictavienſem,& Euſebium Vercellenſem ab exilio reverſos, μείζους τῶν ψυχῶν οἰκονόμους. Nec vnum aut alterum, ſed plures in apice Catholicæ Eccleſiæ ſeſſitantes permiſit Deus in via virtutum ad tempus errare,vt illi meliores redditi diſcerent veri Patres nec peccantibus filijs ſuperbè inſultare, vel reverti cupientib.non difficile ignoſcere.

Sed vt ad noſtrum Abaelardum redeamus, immenſas Deo agere gratias debemus,nec vnquam intermorituras, quòd propter illas Senonenſeis tempeſtates turbaſque vndíque exortas, & invocationem Tribunalis Apoſtolici,non eſt valde neque diu periclitata D. Petri Nauicula, quæ ſerenam tranquilitatem cito per pœnitudinem Abaelardi recepit, Deuſque ſecundum præſcientiam ſeculorum, omnia vt inquit Hermas Paſtor, etiam ſi quæ peſſima eſſent vertit in bonum. Quod vt faciliùs innoteſcat, precor vos qui teſtimonia in Abaelardum audiſtis,audiatis etiam auctoritates elogiorum, & judicia beneuolentiæ virorum ſummorum illius & ſequentis ſeculi,pro eius emendatione, purgatione, vel innocentia. Præcedat agmen totius depulſionis princeps ille Otho Friſingæ Præſul,quondam Ciſtercienſis inſtituti, qui quamvis Imperatoriam geneſim haberet, primos annos adoleſcentiæ egit ſub ferula D. Bernardi;& Othoni ſuccenturiatus accedat P.Mauricius Abbas verè venerandus. Verba igitiur Othonis ex 1. Hiſt.de geſtis Friderici I. A.cap. XLVII. XLVIII. XLIX.hîc tranſcribenda curavi,vt in illis plus ſit ponderis.

CAP. XLVII. *Erat autem Bernardus Clarevallenſis Abbas, tam ex Chriſtianæ religionis feruore zelotypus, quàm ex habitudinali manſuetudine quodammodo credulus; vt & Magiſtros qui humanis rationibus, ſeculari ſapientia confiſi,*

nimium inhærebant, abhorreret, & si quicquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facile aurem præberet. Ex quo factum est, vt non multo ante hos dies, ipso auctore, primò ab Episcopis Galliæ, post à Romano Pontifice PETRO ABAELARDO silentium impositum fuerit. Petrus iste ex ea Galliæ Provincia, quæ nunc ab incolis Britannia dicitur, originem trahens: (est enim prædicta terra Clericorum acuta ingenia & artibus applicata habentium, sed ad alia negotia penè stolidorum ferax, quales fuerunt duo fratres Bernardus & Theodoricus viri doctissimi), is, inquam, litterarum studiis, aliisque facetiis ab ineunte ætate deditus fuit, sed tam arrogans, suóque tantum ingenio confidens, vt vix ad audiendos Magistros ab altitudine mentis suæ humiliatus descenderet. Habuit tamen primò præceptorem Rozelinum quendam, qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit: & post ad grauissimos viros Anselmum Laudunensem, Guilhelmum Campellensem Catalauni Episcopum migrans, ipsorumque dictorum pondus, tanquam subtilitatis acumine vacuum judicans, non diu sustinuit. Inde Magistrum induens Pharrisios venit, plurimum in inventionum subtilitate non solum ad Filosofiam necessariarum, sed & pro commouendis ad jocos animis hominum vtilium valens. Vbi occasione quadam satis nota non benè tractatus Monachus in Monasterio S. Dionysij effectus est. Ibi diu noctúque lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato efficitur literatior: intantum vt post aliquod tempus ab obedientia Abbatis sui solutus ad publicum prodiret, docendique rursus officium assumeret. Sententiam ergo vocum seu nominum in naturali tenens facultate, non cautè Theologiæ admiscuit. Quare de sancta Trinitate docens & scribens, tres personas, quas sancta Ecclesia non vacua nomina tantum, sed res distinctas, suisque proprietatibus discretas, hactenus & piè credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis vsus exemplis, inter cætera dixit: Sicut eadem oratio est propositio, assumptio, & conclusio: ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ob hoc Suessionis Prouinciali contra eum Synodo sub præsentia Romanæ Sedis legati congregata, ab egregijs viris, & nominatis Magistris, Alberico Remense, & Leutaldo Nouariense, Sabellianus hæreticus judicatus, Libros quos ediderat propria manu ab Episcopis igni dare coactus est: nulla sibi respondendi facultate, eo quod disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessa. Hæc sub Lodouico seniore Francorum Rege facta sunt.

CAP. XLVIII. Post hæc, dum rursus pluribus diebus legeret, maximámque post se sociorum multitudinem traheret, sedente in vrbe Roma Innocentio, in Francia verò Lodouico superioris Lodouici filio regnante, ab Episcopis Abbatéque Bernardo denuò ad audientiam apud Senonas euocatur, præsentibus Lodouico rege Theobaldóque Palatino Comite, & aliis Nobilibus, de populoque innumeris. Vbi dum de fide sua discuteretur, seditionem populi timẽs, Apostolicæ Sedis præsentiam appellauit. Episcopi verò, simul & Abbas, missa ad Romanam Ecclesiam legatione, ac eis pro quibus impetebatur Capitulis, damnationis eius sententiam in litteris reportauerunt, quarum exemplar hoc est, Reuerendissimo Domino & dilectissimo Patri, Dei gratia summo Pontifici Innocentio, &c. vide integras infra, pag. 296. Rescriptum verò Innocentij tale, Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Henrico Senonensi, Rainaldo Remensi Archiepiscopis, &c. integrum quoque require posteà pag. 299.

CAP. XLIX. Petrus damnationem sui dogmatis à Romana Ecclesia confirmatam

matam cognoſcens, ad Cluniacenſe Cœnobium ſe contulit, Apologeticum ſcribens, prædictorum Capitulorum partim verba, ex toto autem ſenſum negans.

En Abaelardus ex ingenio & doctrina filoſofica à laudato viro laudatus, en ille Alexander inter doctos ab Apelle & Liſippo pictus & fictus, cum ſuis etiam nævis: Habemus enim Abbatis Cluniacenſis treis Epiſtolas eius Operibus inſertas, quæ Opera maximam partem abſolvunt operoſi Voluminis Bibliothecæ Cluniacenæ, nuper à viro docto Andrea Quercetano collectæ & editæ, à quo etiam me adjutum in conferendis, emendandis & edendis his exemplaribus non diffiteor. Eas Epiſtolas quia Lector inf. fol. 335. & ſeqq. facilè reperiet, nõ in illis immorabor: ſed tantum digitos ad fonteis intendam. In prima ſiquidem, quæ eſt ad Innocentium II P. ait Abaelardum, quem Magiſtrum Petrum vocat, gravatum vexationibus quorumdam, qui illi nomen hæretici, quod valde abominabatur, imponere volebant, Majeſtatem Apoſtolicam appellaſſe. Abbatem Ciſtercienſem de pace inter ipſum & Claræ vallenſem egiſſe, eos eſſe collocutos ſancita per mutuos & fraternos amplexus amicitiâ, tractatum inter eos, vt poſtmodum ſi quæ Catholicas aureis offendentia in ſcriptis eius reperirentur, obducta ſpongia abraderentur. Quod eſt factum. Ipſeque Magiſter à Deo inſpiratus, relictis Scholarum tumultibus, in Cluniaco perpetuam manſionem ſibi ſponte elegit. Rogat itaque tam ex parte Petri & Cluniacenſium fratrum, quam ex ſua, vt reliquos dies ſenectutis ſuæ liceat illi in Cluniaco conſummare, & vt ſcuto Apoſtolicæ defenſionis protegatur.

Alterâ Epiſtolâ ad Heloiſſam Abbas in encomio ſapientiſſimæ Diaconiſſæ aliquot paginas abſumit, & in enumeratione eius virtutum inſignium, immoraturque in explicatione aliquot vocum linguæ ſanctę, quam vt Græcam & Romanam illi feminæ primariæ notiſſimas eſſe non diffitetur: ſed ita eam laudat, vt facilè quivis proſpicere poſſit, non velle eam palpo inſciam percutere, ſed vt illam oſtendat fuiſſe digniſſimam connubio ſemper cum honore nominandi Abaelardi, verè Chriſtiani Filoſofi, quem credit à divina diſpoſitione tranſmiſſum ad ædes Cluniacas, vt eas in ipſo, & de ipſo, ſuper omne aurum & topazium munere cariore ditaret. Aſſerit enim numquam ei viſum ſimilem in humilitatis habitu & geſtu: *Intantum vt nec B. Germanus abjectior, nec ipſe B. Martinus pauperior appareret.* Et paulo poſt. *Lectio ei erat continua, oratio ad Deum frequens, ſilentium juge, niſi aut fratrum familiaris collocutio, aut ad ipſos de diuinis publicus ſermo eum loqui vrgeret. Sacramenta cæleſtia, immortalis agni ſacrificium Deo offerendo pro vt poterat frequentabat. Imò poſtquam literis & labore meo Apoſtolicæ gratiæ redditus eſt, penè continuabat. Et quid multa? mens ejus, lingua ejus, opus ejus ſemper diuina, ſemper filoſofica, ſemper eruditiora meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiſcum vir ſimplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo, conuerſatione, ultimos dies vitæ cõſecrauit Deo. Quia corporis incommoditatibus grauabatur, Cabilonum à me miſſus eſt. Ibi libris ſemper incumbebat, & ſicut de Gregorio legitur, momentum illum non ſinebat præterire, quin ſemper aut oraret, aut legeret, aut ſcriberet, aut dictaret. In his ſacrorum operum exercitijs eum ad ventus illius Evangelici Viſitatoris reperit. Attulit ille ſecum lampadem plenam oleo, h. conſcientiam refertam ſanctæ vitæ teſtimonio. Tunc verò quàm ſancte, quàm deuote, quàm Catholice primo fidei, de-*

Digitized by Google

hinc peccatorum confeſſionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis, ac vitæ æternæ pignus corpus ſcilicet Redemptoris Domini acceperit, quàm fideliter corpus ſuum & animam heic & in æternum ipſi commendaverit, teſtes ſunt religioſi Fratres, & totus illius Monaſterij, in quo corpus S. Marcellj Martyris jacet, conventus. Hoc Magiſter fine dies ſuos conſummavit: qui ſingularj ſcientiæ magiſterio toti pene orbi terrarum notus, & vbique famoſus erat, in illius diſcipulatu, qui dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; mitis & humilis perſeverans ad ipſum, vt dignum eſt credere, ſic tranſivit. In fine Epiſtolæ epitafia amici ſui ſubjungit.

Eat nunc, ſi quis tam gravi teſti fidem derogare, ſi quis conceptam ſemel opinionem & fruſtrà vulgatam de Petro velit retinere: eat, ſi quis à lectione Operum ſacrorum tam Catholici Monachi velit ſtudioſos arcere. Sed quia de Martyre Marcello injecta mentio eſt, dicam obiter illum eſſe, qui brachijs manibuſque ad quatuor arbores alligatus, recurrentibus ſurſùm ramis in fruſta diſcerptus pro Chriſto & membratim laniatus eſt: cui templum, quod nos venerati ſumus, ſolo totius Burgundiæ amœniſſimo Cabilone, prope vrbem quidem, ſed Arari interfluente eſt erectum, & magnis opibus ditatum, quod Cluniacenſes Sodales poſſident: de quo Marcello & eius miraculis videndus eſt Gregorius Turonicus lib. 1. de gloria Martyrum.

Tertiâ Epiſtolâ Abbas pollicetur Heloiſſæ, facturum ſe vt Aſtralabio Abaelardo eius filio in aliqua nobilium Eccleſiarum de præbenda provideatur: qua de re etiam poſtea ad Papam ſcripſit. Mittitque Magiſtri abſolutionem in Charta deſcriptam, & ſigillis munitam, ſub hac formula.

Ego Petrus Cluniacenſis Abbas, qui Petrum Abaelardum in Monachum Cluniacenſem recepi, & corpus eius furtim delatum Heloiſſæ Abbatiſſæ & Monialibus Paracleti conceſſi, auctoritate omnipotentis Dei & Sanctorum omnium, abſolvo eum pro officio ab omnibus peccatis ſuis.

Quod ſi certiſſimum eſt in eo ſtatu, in quo nos invenimur, i. morimur, in eo nos eſſe judicandos; quis eſt qui non ſperet, & in charitate non ficta confidat, Petrum noſtrum poſt ſupradictam profeſſionem & confeſſionem abſolutum, in ſinu Abrahæ receptum, in extremis audita hac ſuavi voce, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. Siquidem dictum eſt diſcipulis, Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Et Ioan. 20. *Quorum remiſeritis, &c.* Et D. Auguſt. i. de doctrina Chriſtiana: *Has claves dedit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, vt quæ ſolveret in terra, ſoluta eſſent in cælo, quæ ligaret in terra ligata eſſent in cælo: ſcilicet vt quiſquis crederet in Eccleſia, ſeque à peccatis correctus converteret, in Eccleſiæ gremio conſtitutus, tandem fide atque correctione ſanaretur.*

Sed ne putemus vnum è multis Venerabilem, ſanctitatis epitheto Abaelardum decoraſſe, ſunt & alij illorum temporum proximi, qui ad eius ſanctitatis famam etiam miracula edita retulerunt. Proferam enim verba Chronici MS. Turonici: *Conſtruxerat*, inquit, *Petrus Abaelardus Cœnobium in territorio Trecaſſenſi, in prato quodam vbi legere ſolitus fuerat, quod Paracletum nominavit, in quo Sanctimoniales plurimas congregavit, & quandam religioſam feminam quendam vxorem ſuam, literis Latinis & Hebraicis eruditam eis Abbatiſ-*

Digitized by Google

ſam præfecit. Quæ verò ipſius amica, magnam ei poſt mortem in aſſiduis precibus fidem ſervavit: corpuſque eius de loco vbi obierat, tranſtulit ad prædictum Cœnobium, in cujus tumulo hoc Epitaphium eſt inſertum.

Eſt ſatis in titulo, Petrus hic jacet Abailardus.
Cui ſôli patuit ſcibile quicquid erat.

Hæc namque, ſicut dicitur, in ægritudine vltima poſita præcepit, vt mortua infra mariti tumulum poneretur. Et ſic eadem defuncta ad tumulum apertum deportata, maritus eius, qui multis diebus ante eam defunctus fuerat, elevatis brachijs illam recepit, & ita eam amplexatus brachia ſua ſtrinxit.

Libet hoc loco exclamare: O altitudo divitiarum ſcientiæ & ſapientiæ Dei! Ecce enim, qui cum iniquis quodammodo erat deputatus, poſt obitum miſericordiæ divinæ ſigna dat manifeſta, vt vbi abundaverat forte delictum, abundaverit & gratia. Mirandum ſanè quod mortuam vxorem ad ſe venientem ipſe brachiis expanſis ſuſceperit, dilectaque in vlnas ſuas receptâ, ijſdem compreſſis, fœderis conjugalis non intermortui argumentum dederit: ſive hoc Deus arctę pœnitentiæ tributum voluit, vt oſtenderet ſe à reſipiſcentibus non abhorrere: ſive hoc datum ſanctitati Heroinę noſtræ, quam nemine penitus diſcrepante omneis prædicant fide, exemplo, & doctrina, omnibus ſui ſeculi feminis præluxiſſe, & inter beatas certò annumerandam. Simile quidpiam miraculi memini legiſſe apud Gregor. Turon. de duorum Amantium caſtitate & ſepultura, lib. 1. Hiſtor. Franc. & lib. de gloria Confeſſorum: qui conjugati multos annos in vno ſtrato recumbentes vixerunt, cum virginitate mirabili; & cùm virgo migraſſet prior ad Chriſtum, ſponſuſque eam in ſcrobe reponeret, in hæc verba ſtupens erupit: *Gratias tibi, Domine æterne, ago, quia hunc theſaurum ſicut à te commendatum accepi, ita immaculatum pietati tuæ reſtituo.* Ad hęc illa ſubridens: *Quid*, inquit, *loqueris quod non interrogaris?* Addit Hiſtoricus Arvernorum alumnus, hunc maritum non multo poſt ſubſecutum fuiſſe conjugem ſuam: porro cùm vtriuſque ſepulchrum è diverſis parietibus collocatum fuiſſet, miraculi novitas, quæ eorum ſanctam caſtitatem manifeſtaret, apparuit. Nam manè cùm ad locum populi accederent, invenerunt cadavera juncta ſimul in eodem loculo, quæ longè inter ſe diſtantia reliquerant: ſcilicet vt quos tenet ſocios cælum, ſepulcrorum hîc corporum non ſeparet monumentum. Hos vſque hodie ſanctos duos Amanteis loci incolæ vocitare conſueverunt, ſummóque venerantur honore, ſuntque templa in Arvernia in eorum honorem incognito nomine, Deo dedicata, & nos vnum etiam vidimus duobus Amantibus conſecratum ad ripam Sequanæ non longe à Rothomago. Similem quoque hiſtoriam refert idem Turon. Senatorem Hilarium apud caſtrum Divionem, qui ex vxore filium ſuſceperat, & juxta Apoſt. honorabile coniugium & thorum immaculatum conſervaverat, obiiſſe, & ſepulturę ex marmore Pario mancipatum: ejuſque mulierem deducto anni circulo, in eodem tumulo collocatam juxta virum, qui elevata dextera conjugis cervicem amplexus eſt.

Quòd ſi ad hæc magnalia Dei aureis ſurdeſcant, cordáque indureſcant quorumdam, qui Patrum ſcripta ſi non ludibrio, at deſpectui habent, nihilque ſe credere fatentur, niſi quod in vtraque veteris & novi Teſtamen-

Digitized by Google

ti pagina expreſſiſſimis monimentis litterarum conſignatum reperiunt, en profero textum 4. Reg. 13. *Mortuus eſt Heliſæus, & ſepelierunt eum. Quidam autem ſepelientes hominem, projecerunt cadaver in ſepulchrum Heliſæi, quod cùm tetigiſſet oſſa Profetæ, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.*

Quæ majora putas miracula? ſummus virisque
Auctor ineſt ——————

Deus nempe ille æternus mundi fabricator, principio antiquior, fine diuturnior, cuius manus numquam eſt abbreviata, qui Ioan. XIV. dixit. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & majora horum faciet.* Pergamus ad reliqua teſtimonia, ea tamen lege ne legem ordinemque temporum exactè ſequi cogamur.

Videamus quid in Chronico Roberti Autiſſiodorenſis Monachi. *Anno Domini* MCXL. *Senonis, præſente Rege Ludovico, Epiſcoporum & Abbatum religioſorum fit Conventus contra Petrum Abailardum. Hic ingenio ſubtiliſſimus, mirabiliſque Filoſofus, qui cõſtruxerat Cœnobium in territorio Trecaſſino in prato quodam vbi legere ſolitus fuerat. In quo Sanctimoniales plurimas Epiſcopali auctoritate congregavit, quod Paracletum nominavit. Quibus Sanctimonialibus* HELOISSAM *quondam vxorem ſuam religioſam feminam, & litteris tam Hebraicis quàm Latinis adprimè eruditam præfecit Abbatiſſam. Quæ verè ipſius amica magnam ei poſt mortem in aſſiduis precibus fidem conſervavit, corpuſque ejus de loco, vbi obierat, tranſtulit ad prædictum Cœnobium.*

Supplementum Supplementi Chronicorum Fr. Iacobi Philippi Heremitani. *Baliardus natus in Francia, Peripateticus & in omnibus ſcientijs doctiſſimus, floruit illis temporibus in civitate Pariſienſi, compoſuitque multa Opera lectu digniſſima. Ille in quibuſdam articulis fidei cùm videretur hæſitare, in præſentia Ludovici Iunioris, & Congregatione Prælatorum doctiſſimorum coactus eſt recantare. Itaque non ſolùm ab illis dubijs aut erroribus liberum ſeſe præſtitit, ſed arcta devotione in vero Monachatu reliquo vitæ ſpatio permanſit, cum aliquot diſcipulis in eremo permanens, vixitque & obijt in magna ſanctitate.*

Sequentes etiam Hiſtoricos adſcribam, qui cùm nullius criminis Abaelardum inſimularint, pro eo fuiſſe videntur. Annales Morinienſis Cœnobij lib. II. *Petrus Abaelardus Monachus & Abbas, vir erat religioſus, excellentiſſimarum Rector Scholarum, ad quas penè de tota Latinitate viri litterati confluebãt.* Idem ferè Manuſcr. S. Petri in Vico, quem perperam Vivum nominant, vbi annum obitus notat cum epitafio.

Henricus de Gandavo lib. de Viris illuſtrib. meminit noſtri Petri duobus in locis, quem Dialecticæ peritiæ, immò omnium liberalium artium, & Theologicæ Scholæ Rectorem vocat.

Chronicum etiam Archiepiſcoporum Senonenſium MS. *Anno*, inquit, MCXLII. *Magiſter Petrus Abaelardus*, aliàs Abailardus, *primò Canonicus majoris Eccleſiæ Senon. obijt, qui Monaſteria monialium reformavit, ſpecialiter Abbatiam de Paracleto, in qua à ſe fundata ſepelitur, cum vxore ſua. Vxoratus enim primò fuerat, & poſtea Canonicus.*

Meritò ſanè Monaſteria Virginum ab eo reformata dicit, quia ab Heloiſſa rogatus, vt de Origine & dignitate Monialium ſcriberet, vtque ei & Sodalibus Regulam religiosè Deo ſerviendi præfiniret, vtrumque ele-

Digitized by Google

ganter gemina Epistolâ executus est. Priore enim, quæ septima in ordine est, professionem Monasticam à primitivę Ecclesię cunabulis, imò & ab ipso Messiæ sacro deducit Collegio, & à primis Ascetis; sexusque feminei & virginitatis laudes latissimè percurrit. Posteriore, quæ octava est, Librique nomen ex Patrum sententijs adunati melius meretur quàm Epistolę, Paracletensibus Virginibus Regulam pręscripsit, & tripartito Tractatu de Continentia, de Paupertate, & Silentio salubertima præcepta dat, cæteraque munia ad vitę Monasticæ ordinem pertinentia sapientissimè disponit. Quem Libellũ verè aureum omnes Sanctimoniales nocturna diurnaque manu versare deberent, & nos in Gallicum idioma transferri curavimus. Nec enim cedit Regulis à S. Basilio, S. August. S. Benedicto traditis, quas Erasmus, Melanthõ, & Centuriatores veras, & ab iis conscriptas non diffitentur. Cæsarius Episcopus Arelatensis, vt est apud Greg. Turon. regulas viris, & Cæsaria ejus soror Virginibus scripserant, quæ in Galliis aliquo tempore floruerunt in viridi observantia. Sed D. Maurus à D. Benedicto in Gallias missus ad reformanda Deo servientium Cœnobia, pro illis veteribus novam & strictam Pręceptoris sui Regulam suppositit, qua ferè omneis vtuntur vtriusque sexus in hunc vsque diem, exceptis Canonicis S. Augustini, & fratribus in Eremo, & sodalibus vtriusque Francisci Assisinatis & de Paula.

Franciscus Petrarcha Florentinus, reflorescentis literaturæ injuria seculorum inquinatæ restauratur lib. II. de vita solitaria, Abaelardum inter illustreis & sapientes Filosofos, Deóque amabiles recenset, his verbis: *Iungam*, inquit, *tot veteribus Filosofis vnum recentiorem, nec valde semotum ab ætate nostra; quàm rectè nescio, sed apud quosdam, vt audio, suspectæ fidei, & profecto non humilis ingenij, Petrum illum cui Abaelardi cognomen est. Qui vt in Historia suarum calamitatum longa oratione ipse meminit, in vidiæ cedens solitudinis Trecensis abdita penetravit: ersi non sine magno vndique studiosorum conventu, quos ex multis vrbibus sibi solitario discipulos doctrinæ celebris fama contraxerat; sine requie tamen optata, quam sibi radicitus tenax livor odiumque convulserat.*

Platina sive Bartholomæus, sive Baptista, olim Cancellariæ R. Abbreviator, post verò Historiæ Pontificiæ Collector celebertimus, ea quæ de nostro Abaelardo alij ad tempora Innocentij II. referunt, ille ad Lucij II. Pontificatum retrahit: de Abaelardo tamen satis candidè loquitur: *Ejus*, inquit, id est Lucij, *consensu in Gallia Synodus Episcoporum quorumdam & Abbatum coacta est contra P. Abaelardum Filosofum Peripatiticum, virum multæ doctrinæ, non benè in quibusdam tum fide nostra sentientem, qui præsente etiam Ludovico Rege rationibus victus, non modo sententiam mutavit, sed etiam monasticam vitam & Religionem induit, ac deinceps vnà cum discipulis quibusdam in loco deserto sanctissimè vixit.*

In hunc Platinæ errorem seu μνημονικὸν ἁμάρτημα impegit Severinius Binius, seu quis alius doctus & diligens sarcinator magnæ illius Conciliorum editionis Colon. an. 1606. qui sub Lucio celebratum fuisse illud Concilium Senonense scribit, parum memor quod paulò ante attribuerat Innocentio. Nam Lucij Pontificatus, si Abbati Vrsperg. credimus, &

Digitized by Google

Onufrio vix VI. aut ad ſummum XI. menſium fuit, & in annum MCXLV. excurrit. At Innocentius XIII. plus minus annos ſedit, & in Gallia peregrinatus eſt. Sed alius ſequitur anachroniſmus eiuſdem Binij Tom. 3. Conciliorum part. 2. cùm duo quæ vocat privata Concilia, Sueſſionenſe nempe, & Senonenſe, contra Abael. eodem anno ait fuiſſe celebrata MCXL. Nam inter vtrumque XX. annos interceſſiſſe, temporum ſeries & ſupputatio, convincit. In quo miror doct. Gilb. Genebrardum profeſſorem Regium etiam erraſſe, qui inter hæc duo vnius tantum anni ſpatium ponit. Congregatio illa Sueſſioni indicta eſt, vt ipſe Abaelardus Epiſt. 1. narrat, procurante Rodulfo Archiep. Rhem. rogantibus ejus æmulis, occaſione ſumpta quòd Connanus Epiſcopus Prænestinus S. R. E. Legatus, tunc in Gallijs erat aliorum Conciliorum & negotiorum cauſa; & rogatus eſt vt ei præeſſe non grauaretur, quem ſibi favere ſtuduiſſe narrat Abaelardus in illa Epiſtola totius huius rei internuntia. Ille Connanus ter aut amplius in conſeſſu noſtrorum Præſulum prò ſummo Pontifice legatione functus eſt, deceſſitque ex Gallijs circa annum MCXX. neque poſt illud tempus ad nos remigravit. Quo tempore Abaëlardus ſubjacebat adhuc ferulæ Abbatis Dionyſiani, erat florente juventa fervidus, neque adhuc ſe contulerat ad Theobaldum Comitem Palatinum Campaniæ & Briſgeij, vt ab eo aliquot jugera terræ & prati impetraret, in quibus jaceret fundamenta Cellulæ Paracletenſis: quæ omnia tranſacta ſunt priuſquàm accerſeretur ad Ruyenſis Abbatiæ regimen. Sed cùm evocatus eſt ad illam Senonenſem congregationem, jam illi detetior ætas canis aſpergi poterat, etſi hoc de Eunuchis negant: jam ſexaginta annos attigerat. Per me excuſetur licet ſolers ille antiquitatis Conciliorum indagator, ſi in longo & difficili Opere levis ſomnus ei irrepſerit.

Quod ad Centuriatores Parthenopolitanos attinet, etſi varijs in locis noſtri hujus honorificam mentionem fecerint, nihilque diligentiæ & ſolertiæ in eo prædicando ex Auctoribus illius ævi præterierint: tamen quòd Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ maſſam veterem & optimam novo ſuo fermento corruperint, libens eos prætereo: nihilque hîc decerpendum puto ex veriſſimis Annalibus magni illius Cardinalis Baronij, cujus animæ ob vigilias & labores, quos Eccleſiæ cauſa tot annos perferre voluit, omneis benè precari debent. Multa ille de Petro noſtro ejuſque felici obitu prolixè recenſet Tom. XII. quæ ipſe ex ſupradictis, præſertim ex Petro Abbate Clun. penè tranſcripſit.

V. Cl. Bertrandus Argentræus Præſes Rhedonenſis, I. C. acutiſſ. & Hiſtoriarum Britanniæ Celticæ Scriptor luculentiſſ. qui me ſenex & veteranus dilexit, cùm ego Neoptolemus prima tyrocinia Magiſtratus in Senatu illius Provinciæ experiter, & quem ego vnicè colui, & vt patrem ſum veneratus, Annalium ſuorum duobus in locis, hujus noſtri Britonis, ejuſque ingenij honorificè meminit. Primo quidem libro Cap. X. vbi magnos viros & celebres ex Aremoricis ortos vel oriundos recenſet, primaſque in Filoſofia & Theologia ei attribuit. Et lib. III. cap. IX. in vita Connani III. vbi eum vniverſalis, id eſt omniſcij nomine decorat: quod vult ita accipi, vt non omnia ſciverit (quod id quemquam cadere non poteſt) ſed

Digitized by Google

comparatione habita ad reliquos omneis, quos longo ſpatio anteit, cujus doctrinæ fiducia, fundamenta fidei ſanctæ in demonſtrationibus humanis voluit collocare. Hæc Argentræus, qui poſtquam totam hiſtoriam hanc proſecutus eſt, queritur eum non fuiſſe auditum in Concilio contra eum coacto; quod omneis quantumvis docti & ſubtiles, ejus acumen ingenij, linguæ verſatilis volubilitatem, eloquentiæ flumen aureum, vel potius fulmen igneum, & triſulcum, ſyllogiſmorum gryfos & contorta enthymemata reformidarint: D. Bernardum ex nimio zelo & ſolitudine ad credulitatem & iram pronum, dicit cum eo ſimultates graviſſimas exercuiſſe, itavt literas acrimoniæ plenas ſcripſerit ad varios, ei refragante, vt inquit, Abbate, quem Guillelmum vocat, perperam; cùm Abbas ille diſcipulus Petri non Guillelmus, ſed Petrus Berengarius fuerit vocitatus, qui Britonem noſtrum claro patrocinio tutatus eſt. Ad vltimum dicit eum tam perſpicuam interpretationem ſuis enuntiationibus attuliſſe, vt quæ primo aſpectu ancipitem curam cogitandi afferebant, intellecta ejus interpretatione, poſtea vera, liquida, certa, & fidei orthodoxæ conſona judicarentur; in qua quidem teſtatur illum obijſſe, Chriſtianamque ſepulturam cùm vxore doctiſſima, Græcis Hebraicisque literis ornata, & numquam ſatis laudata femina.

Eadem penè refert Io Papirius Maſſonus familiaris meus, & Hiſtoricus confidentiſſimus, Annal. III. in Ludovico Iuniore: vbi ortum eius in Armorica, ſtudia Logicæ, dein Theologiæ, Lutetię inſtituta, amores inter illum & Heloiſſam pangit, vt illa ventrem tulerit, fugerit, pepererit, Petro reverſa clam nupſerit, vt ejus pater vel patruus injuriam ſectione vltus ſit: vt ille in Monaſterio Dionyſiano Monachi cultu, illa Monachæ in Argentolienſi latuerit, vt ille in perfectiſſimum Theologum, illa in eruditiſſimam & modeſtiſſimam Diaconiſſam evaſerit, vt docendi munus repetere coactus, poſtmodum livori cedens ſeceſſerit in ſolitudinem Novigẽtanam, vbi Paracleticum Oratorium Anachoretis potiùs quàm Cœnobitis conſtruxit, in quo poſtea ſociam thalami prefecit virginibus: Vt ad Oceani Britannici oras Veneticoſque ſinus, Monachis durę cervicis prefectus onus illud ſponte abjecerit. Addit de confeſſu in Senonenſibus adverſus illum habito, vt non auditus Innocentium appellarit, vt Cluniaci humaniter exceptus eſt à Mauriaceno Ordinis Generali, qui eum D. Bernardo ac ſacroſanctę R. Sedi reconciliavit, arctęque pœnitẽtiæ ab eo peractæ, & tranſitus verè Chriſtiani teſtimonium perhibuit. Hęc & plurima in favorem hujus Doctoris leguntur in rutis & cęſis ſeu ruderibus Maſſoni illius architecti non pœnitendi: quæ quantus hic vir fuerit, quàm Deo charus, quàm Eccleſiæ humiliter & ſincerè obediens, ſatis declarant.

Sed aurem mihi vellunt duo noſtrates Poetę vetuſtiſſimi, quorum vnus anonymos, qui circa annum MCCCLX. viuebat, hos rithmos fudit, ex quibus apparet Abaelardum de libero hominis arbitrio cum vniverſali Eccleſia idem ſenſiſſe & credidiſſe: quam liberi Arbitrij fidem Erminius qui à nobis defecerat hiſce vltimis annis in aliquot Bataviæ oppidis renovavit, maximè vero in vrbe Roterodamęa ex qua Eraſmus ortus.

Pierre Abaillard en vn chapitre
Où il parle de franc arbitre,
Nous dit ainſi en verité,
Que c'eſt vne habilité
D'vne volonté raiſonnable,
Soit de bien ou de mal prenable,
Par grace eſt à bien faire encline,
Et à mal quand elle decline.

De hac quæſtione difficillima vidēdæ ſunt adverſus ſervum Luth. arbitrium, Diatribæ D. Eraſmi. Guillelmus de Loriſio paulò antiquior, ſed Poetarum ſui ſeculi princeps, complexus eſt Hiſtoriam Abaelardi in illo Poemate, vt illa ferebant tempora Epico, cui Romani de Roza inſcriptionem dedit. Quod opus varia & promiſcua doctrina refertum, ſed nondum ad vmbilicum perductum Ioannes de Magduno ad Ligerim, dictus Clopinellus, quod ſcazontem notat, Mathematicus inſignis, quadraginta poſt annis abſolvit. Verſus in laudem vtriuſque non auſim apponere.

Cùm verò Abaelardus juvenis plurimos oratorio ſtylo rithmos vernaculos, quaſi hybridas pro Heloiſſa ſua fuderit; vellem licuiſſet mihi eadem vetuſta lingua, quæ nobis opica dici poteſt, his elogijs inſerere ſimiles rithmos, quibus verus Poeta conatur viros à vinculi vxorij deſiderio retrahere, eos dehortans ne maritali capiſtro colla ſubdant, niſi velint libertatis jacturam ſubire. Adfertque ad probationem huius dicti memorabilem Heloiſſæ ſententiam, quam laudat vt feminam doctam & ſapientem; quę quamvis ardenter virum ſuum dilexerit & deperierit ex quo mater filium ſuſceperat, qui patrem ore referret; tamen quantum in illa fuit, egit magnis precibus cum illo, quem poſt Deum ſuſpiciebat, ne, vt honori puerperę conſuleret, eam ex amica redderet vxorem ſolemni ritu & benedictione nuptiali: ſatis eſſe dictitans, ſi illa intimo pectoris amorem mutuum ſervans, illum videret mitra & infulis Pontificalibus, quibus dignus erat, ornatum. Sed Poëta in alium ſenſum hoc detorquet, quaſi illa innuere voluerit ſuaviores eſſe amantium, quàm legibus connubialibus nexorum, amplexus: quod non eò trahendū eſt, vt inde credatur ea animum à thalami juribus alienum & abhorrentem habuiſſe, aut præferre voluiſſe concubinatus libertatem conditionibus quamtumvis amplis & magnificis nuptiarum regiarum; ſed quod tanto amore, tanáque reverentiâ ſit proſecuta Dominum ſuum, vt non dubitarit pro eo Monaſticam aſperitatem, perpetuamque continentiam & obedientiam eligere & vovere, potiùs quàm obice & interventu ſuarum nuptiarum, impedimento eſſe, ne Abaelardus factus vxorius fruſtraretur præmio excellentis ingenij, admirabiliſque doctrinæ, puta purpurâ & galero, quibus tunc temporis ſoli viri eruditione præſtanteis ornabantur, & his ſolis gradibus ad ſolſticia honorum Eccleſiaſticorum evehebantur. Sed parum proficiebat eruditio ſine cœlibatu. Et hac cauſa Iaſon Mainus IC cùm Papię Gallus ille legem *Gallus, D. de lib. & poſt.* publicè in ſuggeſtu magna audientium caterva interpretaretur in aurata toga, coram Rege Gallo Ludovico XII. quinque Cardinalibus, & centum Proceribus ſubſellia implentib. dixit ſe, quod beatum iſti putant, numquam vxorem duxiſſe, vt Rege commendante, qui Genua ſubacta de Liguribus triumfabat, Iulius II. Pontifex ad galerum purpureum illum habilem eſſe ſciret. Hæc Iovius.

Hinc eſt, quòd ſecunda Epiſtolâ Heloiſſa fatetur ſe juvenculam ad Monaſtica

naſticæ converſationis auſteritatem non tantùm religionis devotione, ſed Abaelardi cauſſâ primò pertractam. Itaque non nimis contra eam premenda ſunt hæc ejus verba, *Si me Auguſt. orbis Imperator Vxorem expeteret, mallem*, inquit, *tua eſſe meretrix, quàm orbis Imperatrix*: figurate id quidem dictum, & poëticè, vt apud Catullum,

Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi, non ſi ſe Iupiter ipſe velit.

Nam in hæc verba erupit ex contemptu divitiarum, honorum, & rerum fortuitarũ, & exuberãtiâ cõjugalis amoris ac pudicitiæ matronalis. Deinde etiam ex reverẽtia & obſervãtiâ, quam in animo fœminæ pepererat admiratio ejus divini ingenij, doctrinæ incomparabilis, fidei, probitatis, cõſtantiæ; vt ſi pro marito fuerit mors præſentanea oppetenda, facilè Evadnem, Penelopem, Alceſtim, Porciam Bruti, aut Arriam Pæti pietate fuerit ſuperatura, aut illas omneis de quibus ſunt hi Elegi Propertiani.

Felix Eoïs lex funeris vna maritis,
Quos Aurora ſuis rubra colorat equis.
Namque vbi mortifero juncta eſt fax vltima lecto,
Vxorum fuſis ſtat pia turba comis.
Et certamen habent lecti, quæ viva ſequatur
Conjugium, pudor eſt non licuiſſe mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent.
Imponuntque ſuis ora peruſta viris.

Pene omiſeram Elogium de vtróque optimi ſenis & V. Cl. ac vndecumque doctiſſ. mei præceptoris Stef. Paſcaſij, qui dum hæc ſcriberem ferè nonagenarius magno omnium mœrore placidè in Deo expirauit, ille alter Varro & diligens Antiquitatum inveſtigator quinti Diſquiſitionum Francicarum Libri Caput decimumnonum dedicavit, & totum impendit deſcribendis Abaelardi & Heloiſſæ amoribus, langoribus, & ærumnis, necnon in pangendis eorum laudibus, conſtantiæ & aliarum virtutum, & doctrinę ſuper omnia admirandæ, quibus ſibi magnam celebritatem quæſierunt & gloriam, & ex ea ille invidiæ flammas acerrimas, ex quib. ope divina ereptus eſt: in quarum rerum promiſcua & perpetua narratione nervos omneis ſuæ facundiæ mirus ille encomiaſtes explicuit. Multam enim in caſuum Abaelardi enumeratione, temporum varietate, fortunæque viciſſitudine lectori delectationem, ſi non cum dolore, at ſaltem cum miſeratione conjunctam, res tanquam oculis ſubjecta foret, atque admirationem, ſtuporem, lætitiam, ſpem ingerit; præſertim cum notabili exitu materies tota concludatur. Piæ nempe Abaëlardi, poſt acerbam pœnitudinem, in Chriſto obdormitionis, & ſepulturæ, quam conſecutus eſt in gremio dilectæ, ſicut ipſe præoptaverat, ſupremiſque tabulis mandaverat. De Heloiſſa verò ita dicit, vt neque veram ei laudem detrahat, neque falſam affingat: ei denique tantum impartitur gloriæ, quãtum nobili & primarię feminę, omni ſcientiarum genere exculiſſimæ, viri ſui amantiſſimæ, in ejus adverſis conſtantiſſimæ, votorum ſuorum ac præcipuè caſtitatis tenaciſſimæ, Diaconiſſæque vigilãtiſſimæ debeatur. Qua de re qui plura deſiderabit, potit decerpere, non ex his noſtris Adoneis hortulis, ſed ex amœniſſim & ſuave-

Digitized by Google

olentibus areolis, pergulis, roſetis, plantaribus, & pomarijs variarum Diſquiſitionum Paſcaſij: quem ego teſtem fortiſſimum hoc loco extremum poſui, quòd eius virtutes ſemper habuerim imo corde reconditas, hincque factũ eſt vt recẽs in cælo receptus, extremus pectoris mei ſcrinio exierit.

His tantis teſtimoniis & claris elogiis, quis eſt qui tam excellentis Doctoris, tam ſanctæ & doctæ mulieris poſt ſecula victuras chartas ab incendiis noſtro labore ereptas & conſervatas, ab omnique interitu vindicatas non gratuletur?

At enim ſi objiciet aliquis, illum erraſſe in quibuſdam articulis, & in Synodo Prouinciæ Senon. fuiſſe damnatum, atque adeo rem judicatam pro veritate accipiendam: is ſibi reſpõſum hoc habeat: receptum quidem reum fuiſſe, ſed non peractum; deinde cùm pro innocentiæ ſuæ præſidio appellarit ſummum Pontificem, provocatio illa judicialis ſuſpendit judicatum, ſi quod fuit.

Sed vt melius omneis intelligant quid rei geſtum ſit in illo Conventu Senon. legatur Apologeticus, qui huic Operi inſertus reperitur ex Bibl. Regia ſub nomine Epiſtolæ XVII. & XVIII. lib. 2. auctore Petro Berengario, Scholaſtico Pictavienſi, qui diſcipulus Abaelardi variis coloribus depinxit quoſdam ex illis, qui ante tempus judicantes pra figere non erubuerant nigrum θ contra inauditum ſuum Magiſtrum. Fit enim ferè, inquit ille, vt libenter condemnet, qui citò. Totum legat qui volet Apologeticum, ego ex eo hæc tantum excerpam.

In via Chriſti ambulans, in occulto prodiens, tunica inconſutili ſpoliatus eſt. Poſt prandium allatus eſt liber, & cuidam juveni præceptum eſt, vt voce clamoſa Petri Opuſcula perſonaret. At ille juvenis Petri odio animatus, ſonoriùs quàm poſtulatus fuerat exclamavit. Poſt aliqua, emulos de turba inſultare, pedem pedi adplaudere, ridere, nugari, conſpiceres. Diſſipabãtur cordibus ſuis, ſtridebant dentib. in Petrum, oculos talpæ habentes: *Philoſophum hunc*, inquiunt, *ſineremus vivere?* Et paulò poſt: *In ſomni lethargiam oculi multorum ſolvebantur. Inter hæc ſonat lector, ſtertit auditor. Alius cubito innititur, vt det oculis ſuis ſomnum, alius ſuper molle ceruical dormitionem palpebris ſuis molitur, alius ſuper genua caput inclinans dormitat. Cum itaque Lector in Petri ſatis aliquod reperiret ſpinetum, ſurdis exclamabat auribus, Damnatis? Tum quidam de vulgo ad extremam ſyllabam expergefacti, ſomnolenta voce, capite pendulo, Damnamus, aiebant: alij verò damnantium tumultu excitati, decapitata prima ſyllaba, Namus, inquiunt. Inter hæc Petrus orabat, Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.*

Inter tot & tantas anguſtias, Abaelardus ad Romani examinis confugit aſylum: *Filius ſum*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ: volo cauſa mea quaſi impij judicetur, Cæſarem Eccleſiæ appello.* Sed nonobſtante appellatione, relata ſunt quæ geſta fuerant Apoſtolico, & ſtatim à Romana Sede literæ damnationis in Petrum per Gallicanam Eccleſiam volarunt. Damnatur taliter os illud, promptuarium rationis, tuba fidei, hoſpitium Trinitatis. Damnatur, proh dolor! abſens, inauditus, & inconvictus. Cujus, inquam, Ieſu bone, culpa tã cæca habuit iudices, vt non vtrinque cauſæ latera ventilarent. Sed corrigere, inquunt, Petrum volebant. Cur ergo ei coram populo alternæ blaſphemiæ characterem impingebant? rurſuſque ſi Petro amorem populi

Digitized by Google

tollebant,quomodo corrigere diſponebant?Præclarè dictum eſt à Profeta, *Coripietur iuſtus in miſericordia*. Parce inclyte bellator, non impugnat fidem Petri, qui affirmat fidem Petri. Patere tecum eſſe Chriſtianum & Catholicum:

Contemplemur Abaelardi fidem in parte Epiſtolę ad Heloiſſam: *Soror mea Heloiſſa, quondam mihi in ſeculo cara, nunc in Chriſto cariſſima, odioſum me reddidit mundo Logica, in qua aiunt perverſi, me præſtãtiſſimuũ eſſe, ſed in Paulo claudicare. Nolo ſic eſſe Filoſofus, vt recalcitrem Paulo; non ſic eſſe Ariſtoteles, vt ſecludar à Chriſto.* Et paulo poſt: *Credo in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, vnum naturaliter & verum Deum. In perſonis ſic approbo Trinitatem, vt ſemper in ſubſtantia cuſtodiam vnitatem. Credo Filium per omnia Patri eſſe æqualem, æternitate, poteſtate, voluntate, opere, nec audio Arium, qui prius & poſterius in Trinitate ponit. Spiritum etiam ſanctum Patri & Filio conſubſtantialem & coæqualem per omnia teſtor. Credo etiam Filium Dei factum filium hominis vnamque perſonam ex duabus, & in duabus naturis conſiſtere, qui paſſus eſt, mortuus reſurrexit, aſcendit ad cœlum venturuſque eſt judicare vivos & mortuos. Aſſero etiam in baptiſmo remitti delicta, gratiaque nos egere, quâ & incipiamus bonum & perficiamus, lapſoſque per pœnitentiam reformari. De carnis autem reſurrectione qnid opus eſt dicere, cum fruſtra glorier me Chriſtianum, ſi non credidero me reſurrecturum?* Hæc de Epiſtola Petri excerpta, cujus maiorem partem infra inſeruimus, vt clarum & perſpicuum faciant omnibus eum fidem Petri non impugnaſſe:

Adjicit deinde Berengarius, ſe vidiſſe Indiculum ab inimicis ejus compactum, in quo non Abaelardi dogmata, vt illi falſo iactitabant, ſed nefandi commenti Capitula legebantur, quorum quædam prorſus negat, quædam etiam diluenda putat, quamvis agnoſcat Petrum errare potuiſſe. Ipſe etiam audet ex Clætævall. familia vt putabat ſcriptum erroris arguere, de origine animarum. Quæ opinio Origenis, neſcio quid Pythagoreum & Platonicum redolens, orthodoxæ veritatis gladio amputanda eſt: cùm ſancta Eccleſia Catholica teneat noviter creatis corporibus noviter creatas animas qnotidie infundi, iuxta illud ex ore Chriſti: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.*

De hoc Berengario Doctoris ſui famam & nomen tuentc Petrarcha in Apologia ait, ipſum fuiſſe facundum, non magni corporis, ſed ingentis acrimoniæ, qui poſt modum ſe excuſavit quod tanti viri ſanctitas nondum totum orbem repleverat. Abaelardo inquit in ſomnum vel in errorem prolabenti viam comiter monſtrare debebat: ſi ſauciatus eſſet, eum jumento par erat imponere, vinum & oleum eius vulneribus infundere, & ad ſtabularium vniuerſalis Eccleſiæ reducere, ſummum puta Pontificẽ, quem qui Chriſti Vicarium, Petri ſucceſſorem, Epiſcoporum Primatem agnoſcit, & ad eius nutum ſe componere paratus eſt, reprobus dici non poteſt. Has & plures alias tricas ad Lectoris faſtidium verrit Berengarius, nimia in præceptorem veneratione, ſi nimia eſſe potuit in eo, qui callebat illud Iuvenalis,

Dij majorum vmbris tenuem & ſine pulvere terram,
Spirante ſque crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſanctis voluere parentis
Eſſe loco

Quid ergo? Audaciſſimuſne Berengarius ex omnibus? minimè. At multo officioſior erga præceptorem, quàm cæteri condiſcipuli. Quanquam nec iſtius quidem laudis ita cupidus, vt eam aliis, qui pro Magiſtro calamum ſtrinxiſſe dicuntur, præreptam voluerit. Nam ipſe electus vnus videtur à ſociis, qui maximo ingenio, minimóque famæ periculo poſſet dicere; vt pote qui vix ex efebis exceſſerat. Itaque ipſe cùm ad opulentam reſponſionis meſſem invitatus eſſet, culmos tantum legit, ſtatimque ab incœpto deſtitit, in hac prima lucta quodammodo excuſari poſtulans, quòd nimio Præceptoris zelo ardens librum adverſus ſanctiſſimum adverſarium evomuit, quem vt lapidis iactum retinere non potuit poſtea, quia ejus exemplaria ſtatim per Franciam Italiamque volaverant: de quo ſe excuſat alterâ Epiſtolâ ad Epiſcopum Mimatenſem his verbis: *Nónne homo eſt? nónne nobiſcum navigat per hoc mare magnum & ſpatioſum, inter reptilia quorum nõ eſt numerus? Cujus navis etſi proſperiori feratur navigio, tamen ſecuritas pelagi in dubio eſt. Nam nec Auſter adhuc ei fidem dedit, iuxta illud Auguſtini: Homo quamdiu vivit neſcit ira an odio dignus habeatur.* Et paulò poſt: *Nondum in firmamẽto fixus, qui meo judicio temporum noſtrorum eſt Martinus. Ego ita ſentio de Abbate, quòd ſit lucerna ardens & lucens: ſed tamen in teſta eſt. Damnaverat inquit Abaelardum præceptorem meum, fidei buccinam, legis armarium, in morum via pede recto gradientem. Damnaverat, inquam, & vocem eius ſine audientia ſtrangulaverat. Eram ea tempeſtate adoleſcens. Pectus appuli vt purgarem Abaelardum. Sed non, inquiunt, à te talem Theologum argui oportebat. In quo audet Abbas? audet in litteris, audeo & ego. Audet in Theologicis, audeo & ego. Audet in ſanctitate, hic non audeo.* Hæc eſt Berengarij excuſatio ſui Apologetici, quo concludit, In campo Filoſofiæ ſemper licuiſſe, vt alter alterum, dum magis amica eſt veritas, iuſtis de cauſis reprehendat. Nam illa quæ decem annis poſt tranſitum S. Bernardi ſecuta eſt in Canonem Sanctorum ejus nominis translatio: teſtis quidem eſt ſanctitatis, ſed non omnium ejus ante-dictorum, actorum, aut ſcriptorum comprobatrix. Verè enim vir probus & ſanctus fuit D. Bernardus, verè ſui temporis velut quoddam Orionis aſtrum reſplenduit: cujus puriſſimis radiis non potuerunt officere, aut tenebras offundere, ne quidem illi, qui ab Eccleſia Catholica deſciverunt, quorum nonnulli Bernardum habent præ manibus & in deliciis: inter quos nominari poteſt vir excellentis ingenij Franc. Hotomanus I.C. qui quamvis alieno à Monachis animo, hunc Auctorem gravem, Doctorem præcipuum habebat in ſenectute, & ejus lectione aſſidua ſe proficere, & puros in ſacris Scripturis ſenſus haurire fatebatur.

Supereſt igitur, quoniam alios pro Abaelardo dicentes placidè audiſtis, ei pro ſe pauca dicenti aurem non denegetis. Nam adverſus varia probra, quæ illi objecta ſunt, contentus fuit brevicula Apologia, ſeu Confeſſione, quæ vix treis paginas excedit: in qua Indiculi ſuperioris articulos vt diabolicos deteſtatur, cum ſuis auctorib. & architectis, negatque in ſuis voluminib. tale quid reperiri. Tam Filium, quã Spiritum ſanctum ex Patre profitetur eſſe, vt ejuſdem ſint cum Patre ſubſtantiæ, ejuſdem penitus voluntatis atque potentiæ. Solum incarnatum IESVM Chriſtum, vnicum & verum Dei Patris filium, ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitum: ita Spiri-

Digitized by Google

tum quoque ſanctum tertiam in Trinitate perſonam, tam ab ipſo Filio quàm à Patre procedentem credens aſſerit,& aſſerens credit.Gratiam Dei ita omnibus neceſſariam, vt nec naturæ facultas, nec arbitrij libertas ſine illa ſufficere poſſit ad ſalutem.Crucifixores Chriſti in ipſa crucifixione graviſſimum peccatum commiſiſſe fatetur.Poteſtatem ligandi atque ſolvendi agnoſcit datam ſucceſſoribus Apoſtolorum omnibus, vt ipſis æquè Apoſtolis,tam dignis quàm indignis Epiſcopis. Quid plura?cùm ad ſingula objecta modeſtè pauciſque reſpondeat,negetque ſe Librum Sententiarum, è quibus Capitula excerpta ſunt contra ſe per ignorantiam,vel per malitiam prolata, ſcripſiſſe;atque ita innocentiam ſuam tueatur, vt ſi qua dubia videbuntur, in meliorem partem omnia fraternè adſumi per viſcera miſericordiæ IESV CHRISTI poſtuler:quis ampliùs dubitet hanc veram fuiſſe Petri fidem,ex qua ſpei contraxit firmitatem: in qua locutus ſalubriter, vt ipſe dixit, latratus Scyllæ non timuit,vortices Charibdis irriſit,mortiferos modulos ſurda aure contempſit,ſcopulos non horruit,irruentibus turbinibus non eſt concuſſus, necdum loco dimotus. Fundatus enim erat ſuprà firmam petram, ob idque meritò refugium invenit apud Sedem S. Petri, cui conciliante Mauriaceno eſt reconciliatus. Sed reprimam me: Non enim, vt inquit Tullius,dicenda eſt gratia reconciliata, quæ numquam deſijt.

Quamobrem bono animo eſſe, & benè ſperare debemus, nullos eſſe incaſſum ſuſceptos labores pro decore & fama pietatis & ſanctitatis in noſtro Doctore.De cujus doctrina,quæ ſupereſt,ſana & eximia,in omni literarum genere,nihil eſt quod plura adjiciamus, niſi hoc vnum, nempe eo ſeculo, quod fuit præſtantium ingeniorum feraciſſimum, nullum extitiſſe ei vlla ex parte conferendum. Quod vt faciliùs innoteſcat, aliquot raptim nominabo ex inſignioribus,qui circa illud ævum floruerunt. Nam D. Bernardum,P.Mauriacenum,Othonem Friſing.Gulielmum Cathalau. Anſelmum Laudun. Io.Rozelinum,Albertum Rhemum,Gratianum Bononienſem ſatis ſuprà memoratos arbitror.Petrum verò Lombardum Epiſcopum Pariſ.ſolem Theologorum inter ſtellas recenſere vereor,qui quantus fuit, ex Schola & vmbraculis noſtri Abaelardi cum multis aliis, tanquam ex equo Trojano prodiit. Veniant ordine Robertus Epiſc. Salisberienſ. Ivo Epiſc.Carnotenſis, Robertus alter Abbas Majoris Monaſterii, Baldericus Archiep. Dolenſis, Marbodus Epiſc. Rhedon. Ioannes Atrebas, Morin. Epiſc Guillelmus Armoricanus & Radulfus Nigellus Poetæ Epici,Guilielmi duo,ille Abbas S.Theodorici Rhem.alter Neubrig.Lotulfus Novarienſis,Gaufridus Antiſſiod.Sugerius Abb. S. Dionyſii, Hildebertus Ep.Cenoman.Honorius E. Eduen. Petrus Cantor Lutetianus, & alter Petrus de Roeſſiaco:Hugo,Richardus,Adamus,Andreas, Monachi Victoriani: Ruperti duo,Tuitienſis,& Bononienſis, Aubertus & Petrus Rhem. Goffridus Archid.Burdeg.Boſo Anglus,Bruno Colonienſis,Vicerius Truſtinus Eborac.Petrus Bleſenſis Ep.Bathon. Gualterus de Conſtantiis ex regia Britonum ſtirpe, Alfredus ſacerdos Hiſtoricus, Hugo Carthuſianus Hiſtoricus, Ioannes Oxonienſis Hiſt. Heribertus Lozingua, Bartolomeus Iſacanus, Turgotus Dunelm.Abbas,Oderiſius &Petrus Caſinenſes,Ioachimus Abb.

Digitized by Google

Floren.Gilbertus,Laurentius,& Radulfus Vveſtmonaſterienſes, Nicolaus Vvactinctonenſis,Guillelmus Sommerſetus,Vvalterus, Daniel & Robertus Budlontonienſeis,Vvillelmus & Robertus Fiſcanenſeis, Sterlo & Oſbertus Gloceſtrienſes, Gilbertus Hollandus, Vignomus Homeliarius,Petrus Piſanus I.C.Rogerius Mathematicus, Thebites & Alfraganus Aſtrologi,Guillelmus Sturdus & Guido Poëtę, Karadocus hiſtoricus,Odo Kentianus, Guillelmus Archiep. Tyri, Rudolfus,Lucas, & Francus Abbates Teuthones,Robertus Polonus,Adalbertus Spaldingen. Richardus de Pratellis,& alij,quos referre longa mora eſſet. Quibus addendus meritò magnus ille Gilbertus Porretanus Epiſcop.Pictavienſis,ſuæ Academiæ ſi non Romulus, at ſaltem Camillus, accuſantibus Adamo de Parvo-ponte, & Hugone de Campo-florido Regis Ludovici VII.Cancellario, ad tribunal ſummi Pontificis tunc per Gallias peregrinantis, pertractus, paremque cum Abaelardo aleam ſortitus.Tantum potuit inveterata,& a rudibus ſeculis priſcis deducta opinio, vt quiſquis ingenio & doctrina conſummata cæteros de vulgo anteiret, ſtatim à fide alienus crederetur. Parum vtilem eſſe fateor eruditionem ſine timore Dei & pietate:ſed vbi hæ concurrunt in vno ſubjecto, plus commodi ad Eccleſiam dimanat ex his duabus ſororiantibus, quàm ex altera. Quid noſter? nónne eruditione & pietate omneis ex ſuprà nominatis poſt ſe reliquit?ad extremum etiam plures ſanctitate,ſi D. Bernardum excipias,Thomam Cantuar. & Malachiam Hibern. Archiepiſcopos,quos endo cęlo merita locarunt.

Quid, quod & illud duodecimum ſeculum illuſtribus feminis & doctis claruit?inter quas Heloiſſa noſtra fulget, velut inter ignеis luna minores. In quibus placet Hildegardim,Matildem, Sofiam cum eius filia, & Eliſabetham connumerare,quæ dubium reliquerunt plúſne eruditione,an vitæ auſteritate fuerint commendabileis. Veriſſimum omnes agnoſcunt quod ad Heloiſſam noſtram Mauriacenus Lib. V. ſcripſit: Eam non tantum religionis,ſed honeſtorum ſtudiorum, & laudabilium,ac ſecularis ſapientiæ famâ toti orbi innotuiſſe,mulieres omnes eviciſſe,& penè viros vniverſos ſuperaſſe. *Mox verò*,inquit, *vt complacuit ei,qui te ſegregavit ab vtero matris tuæ, per gratiam ſuam longè in melius diſciplinarum ſtudia commutaſti, & pro Logica Euangelium,pro Fyſica Apoſtolum, pro Platone Chriſtum, pro academia clauſtrum, tota jam & verè filoſofica mulier elegiſti.*

Quid mirum?cum hoc Ludovico Iuniore regnante, quem G. Tyrius lib. XXII. Regem pijſſimum & Chriſtianiſſimum vocat, Lutetiæ omnium liberalium & Mathematicarum artium ſtudia floruerint, necnon Filoſofiæ,Medicinæ,& Theologię: quarum profeſſores honoribus, honorarijs, & præmijs,&(quod in deſuetudinem abijt)beneficiorum Eccleſiaſticorum proventibus,teſte Rigordo, digniſque remunerationibns Rex proſequebatur:itavt Petrum illum nomine & origine Longobardum, Auctorem libri Sententiarum, in Epiſcopatus Pariſienſis electione proprio fratri Ludovici Craſſi F.prætulerit,qui tum Archidiaconus Pariſienſis erat, neque ægrè moleſtève tulerit, Doctorem advenam & alibi natum ſibi præferri. De Academia enim Lutetiana idem dicendum quod de Roma, eſſe eam communem orbis incolarum patriam.

Digitized by Google

Nec tantum inter Chriſtianos Lutetiæ, ſed etiam inter Iudæos floruerunt linguarum & divinæ ſcientię ſtudia. Quod & teſtatur Benjaminus Hebræus in Hiſpania natus, qui ſcribit in Itinerario ſuo ſe ſub illo Rege Lutetiam veniſſe: quam vocat regni caput. *Sunt*, inquit, *in ea diſcipuli Sapientum omnium, qui hodie in quacumque regione viuunt, doctiſſimi, & qui nocte dieq; legis ſtudio incumbunt.* Hæc ex ſupra nominatis Doctorib. ſatis manifeſta, quibus adjungam Petrum Alfonſum, qui ex Iudæo Chriſtianus factus, habuit ſuſceptorem in baptiſmo Alfonſum Caſtulonis ſeu Caſtillię Regem optimum, Mathematicum doctiſſimum. Alios verò perperam doctos ſilentio puto involvendos, ſicut & Petrum Bruis, & Petrobruſianos, Henricianos, Adamitas, Marlenſes, Catharos, Iacobitas, omnes relatu indignos, Marrucinos & Fatuos, quòd litteris abutentes, hæreſibus peruerſis varias Orbis parteis infecerunt: à quibus tamen immunis permanſit. Gallia ope Doctoris Abaelardi, qui contra illos ſinceræ fidei ſuæ ſymbolum ſolvit Libro ſingulari adverſus Hæreſes edito. Quo indignius videtur ejus Libros non benè agnitos, in prohibitis ad hunc vſque diem repoſitos, Auctoriſq; nomen veru transfixum, qui ſe acerrimum hæreticorum hoſtem ſit profeſſus. Vnica certè eius Epiſtola octaua, quàm piè & Catholicè de Euchariſtia, cęteriſque fidei articulis ſenſerit, ſatis oſtendit. Quòd ſi aliquid ejus Operum in manus veniſſet eorum, qui Indicem Librorum ſuſpectæ fidei ſarcinatunt, certè aut in eo nomen Abaelardi deleviſſent, de quo nihil mali viderant, nihil comperti habuerant, aut permiſiſſent ejus Opera per doctores expurgata in lucem prodire: ſicut nunc ea damus Reip. Chriſtianę & Catholicę, terſa ſane & lævigata pumice Theologorum Pariſienſium, qui vt ſunt acris iudicij Senatores, nulla ex iis expungenda, ſed ſi quæ duriuſcula videbantur, aut molliori interpretatione temperanda iudicarunt, aut ſapienter cavenda monuerunt.

Acta cauſa eſt. Vides, ſapientiſſime Nomofylax, lectionem Abaelardi Eccleſiæ vtilem eſſe & conducibilem, eum Monachum probum & doctũ, ab errorum ſuſpicione repurgatum, adverſis ſuis clariorem, majori poſt obitum honore ornandum, & inter Orthodoxos collocandum, omni laude, prædicatione, literis, monimentiſque eſſe decorandum.

Et quoniam in illis tot tantisque negotijs Regni, quæ tanquam Atlas cœlum, tu ſuſtines, animadvertimus te ſemper ex ſucciſivis aliquot horas impendere meditationi & veterum Auctorum lectioni: Habe quęſo hunc inter eos, quos tibi in pretio habendos, legendos, & eximiè diligẽdos propoſuiſti. Mea hæc ſtudia & officia, quæ tibi honori & ornamẽto, vt debeo, eſſe concupivi, boni conſule; tibique perſuade, me eorum qui tuas virtutes mirantur, te amant & colunt, quorum pro tua amplitudine magnus eſt numerus, nemini conceſſurum.

Colofonẽ imponent huic Apologetico pro Abaelardo eiuſdem, parentalia & exequiæ, nec non vxoris. Præclarè enim apud Euripidem Vlixes, dum vult ſuadere mactãdam Manibus Achilleis Polyxenam, dicit ſe quãdiu fruatur hac luce, modicis contentum honoribus; at ſepulturam ſuam optat inſpici ornatiſſimam, δὰ μακρῆ γὰρ ἡ χάρις. Hic ſupremus cumulus felicitatis, ſicut Virginio apud Plinium Cornelius Tacitus, ita Abaelardo

contigit laudator eloquentiſſimus, Petrus nempe Venerabilis, & optatiſſima præfica, ſeu funera, quæ lacrymis ejus tumulum decoravit, fletumque fecit Heloiſſa præſtantiſſima, quæ plùsne dilexerit an ſuſpexerit maritum, in dubio reliquit. Prius Epitafium parum perſpecta Græcanica profodia, tale eſt,

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, Logicis, quicumque fuerunt,
Aut par, aut melior: ſtudiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, ſubtilis, & acer:
Omnia vi ſuperans rationis, & arte loquendi.
Abaelardus erat; ſed tunc magis omnia vicit,
Cùm Cluniacenſem Monachum moremque profeſſus,
Ad Chriſti veram tranſivit Filoſofiam.
In qua longæva bene complens vltima vitæ,
Filoſofis quandoque bonis ſe connumerandum
Spem dedit, vndenas Maio revocante Kalendas.

Poſterius eſt eiuſdem Auctoris, ſed Elegiaco carmine.

Petrus in hac petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, ſed iam ſidera ſidus habent.
Sol erat hic Gallis, ſed eum iam fata tulerunt,
Ergo caret regio Gallica ſole ſuo.
Ille ſciens quicquid fuit vlli ſcibile, vicit
Artifices, artes abſque docente docens.
Vndecima Maij Petrum rapuêre Calendæ,
Privantes Logices atria Rege ſuo.
Eſt ſatis in tumulo, Petrus hîc jacet Abailardus,
Cui ſoli patuit ſcibile quicquid erat.

Obijt magnus ille Doctor XI. Kal. Maij, MCXLII. anno ſuo climacterico: Heloiſſa verò XVI. Kal. Iunij an. MCLXIII. creditur enim XX. annis & amplius marito ſupervixiſſe. Ejus Epitafium IV. Verſibus comprehenſum non eſt ejuſdem Auctoris, cujus ſunt præcedentia. Sed tamen libuit aſcribere, quamvis majoribus præconiis fuerit digniſſima, vtpote ſupra ſexus modum eloquens.

Hoc tumulo Abatiſſa jacet prudens Heloyſſa.
Paraclitum ſtatuit, cum Paraclito requieſcit.
Gaudia Sanctorum ſua ſunt ſuper alta polorum.
Nos meritis precibuſque ſuis exaltet ab imis.

Have & vale, mi Abaelarde redivive, tibi ipſi tuiſque cineribus Fœnix, & à veritate temporis filia in lucem erute. Hoc tibi dictum tolle memor.

At mihi quod vivo detraxerat invida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honor.

FINIS APOLOGIÆ.

Sine Tempore Tempus.

Digitized by Google

ELENCHVS OPERVM
HOC VOLVMINE
CONTENTORVM.

EPISTOLAE Petri Abaelardi & Heloiſæ, quarum.

I. Hiſtoriam Calamitatum Abaelardi complectitur. pag. 3

VII. Originē Religionis Sanctimonialiū. pag. 94

VIII. Inſtitutionem ſeu Regulam earumdem. pag. 130

Epiſtola Fulconis Prioris de Diogillo, ad Petrum Abaelardum. pag. 217

Epiſtola Petri Abaelardi aduerſus eos, qui ex auctoritate Bedæ Presbyteri arguere conantur Dionyſium Areopagitam fuiſſe Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, & non magis fuiſſe Atheniēſium Epiſcopum. pag. 224

Epiſtola eiuſdem Abaelardi, contra quendam Canonicum Regularem, qui Monaſticum Ordinem deprimebat, & ſuum illi anteferebat. pag. 228

Inuectiua in quendam ignarum Dialectices, qui tamen eius ſtudium reprehendebat, & omnia eius dogmata putabat ſophiſmata & deceptiones. pag 238

Elegia Hilarij Petri Abaelardi diſcipuli, qua plangit receſſum eius ex Paraclito. pag. 243

Epiſtola Petri Abaelardi ad Bernardum Clarauallenſem Abbatē. pag. 244

Exhortatio ad ſtudium litterarum. pag. 251

De laude S. Stephani Protomartyris. pag. 263

Epiſtolæ aliquot Bernardi Claraual. Abb. ad Cardinales & Innocē-

tium II. Papam contra Petrum Abaelardum. pag. 270. & seq.
Rescripta Innocentij Papæ contra eumdem. pag. 299. & 301
Berengarij Pictauiensis Abaelardi discipuli Apologeticus contra beatum Bernardum Clarauall. Abbatem, & alios qui condemnauerunt Præceptorem suum. pag. 302
Epistola eiusdem Berengarij ad Episcopum Mimatensem. pag. 320
Inuectiua contra Carthusienses. pag. 325
Petri Abaelardi Apologia seu Confessio fidei. pag. 330
Epistola eiusdem Abaelardi ad G. Parisiensem Episcopũ. pag. 334
Epistola Petri Venerabilis Abbatis Clun. ad Innocentium II. Papam, pro Petro Abaelardo. pag. 335
Epistola eiusdem Abbatis Clun. ad Heloisam Paracliti Abbatissam. pag. 337
Epitaphium Petri Abaelardi à Petro Venerabili scriptũ. pag. 342
Epistola Heloisæ ad Petrum Abbatem Cluniacensem, pag. 343
Epistola alia Petri Clun. ad Heloisam, pag. 344
Absolutio Petri Abaelardi. pag. 345
Rescripta quædam summorum Pontificum ad Heloisam. pag. 346
Petri Abaelardi expositio in Orationem Dominicam. pag. 359
Expositio Symboli Apostolorum. pag. 368
Expositio fidei in Symbolum Athanasij. pag. 381
Heloisæ Paraclitensis Abbatissæ Problemata, cum Abaelardi Solutionibus. pag. 384
Petri Abaelardi aduersus hæreses Liber. pag. 452
Commentarius super Epistolam S. Pauli ad Romanos, in quinque Libros diuisus. pag. 491

Sermones per annum legendi, pag. 729. *quorum.*

I *De Incarnatione Domini.* pag. 730
II *In Natali eiusdem.* pag. 736
III *In Circuncisione.* pag. 751
IV *In Epiphania* pag. 764
V *In Purificatione sanctæ Mariæ.* pag. 774
VI *In Septuagesima.* pag. 783
VII *In Ramis palmarum.* pag. 790
VIII *In eadem die* pag. 797
IX *In eadem adhuc die.* pag. 808
X *Item in eadem die.* pag. 812
XI *De rebus gestis in diebus Passionis.* pag. 818
XII *In die Paschæ.* pag. 847

Digitized by

XIII. *Expoſitio Dominicæ Orationis, in diebus Rogationum.* pag. 852
XIV. *Sermo de Cruce.* pag. 860
XV. *In die Aſcenſionis.* pag. 865
XVI. *In octaua Aſcenſionis.* pag. 868
XVII. *In die Pentecoſtes.* pag. 870
XVIII *Feria* II. *Pentecoſtes.* pag. 878
XIX *Feria* III. *Pentecoſtes.* pag. 883
XX *Feria* IIII. *Pentecoſtes.* pag. 885
XXI *Feria* V. *Pentecoſtes.* pag. 889
XXII *De ſancto Petro.* pag. 892
XXIII *In conuerſione ſancti Pauli.* pag. 897
XXIV *De ſancto Ioanne Euangeliſta.* pag. 905
XXV *In Aſſumptione beatæ Mariæ.* pag. 908
XXVI *In die ſancti* Marcellini *Papæ & Martyris, ad Monachos Rothomagenſes reliquias habentes.* pag. 917
XXVII *In dedicatione Eccleſiæ.* pag. 921
XXVIII *De ſancta Suſanna ad hortationem Virginum.* pag. 925
XXIX *De Eleemoſyna.* pag. 935
XXX *In natali ſancti* Stephani *vel cæterorum Diaconorũ.* pag. 941
XXXI *De ſancto Ioanne Baptiſta.* pag. 946
XXXIII *In* VI. *Feria poſt Octauas Aſcenſionis.* pag. 968
Introductio ad Theologiam, diuiſa in tres libros. pag. 973
Proſa de beata Virgine. pag. 1136
Notæ ad Hiſtoriam Calamitatum Abaelardi. pag. 1141

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

REx sanxit ne quis intra decennium typis mandet aut vendat, simul, aut separatim Petri Abaelardi S. Gildasii Ruyensis Abbatis, & Heloisæ coniugis eius, Epistolas, & Opera alia quæ reperiri potuerunt: Nunc primum ex manuscriptis Codicibus eruta, & in lucem edita, præter Nicolaum Buon Bibliopolam in alma Parisiorum vrbe commorantem. Qui secus faxit, præter librorum amissionem, graui pœna mulctabitur, vti latius patet in Regio diplomate. Dato Parisiis 26. die Iunij, anni 1615. Subsignat.

Ad mandatum Regia maiestatis.

RENOVARD.

Digitized by Go

ADMONITIO AD LECTOREM.

ETSI, Lector, Apologetica Epistola, quam Abaelardus ipse pro defensione sua scripsit, iam inter alias eius Epistolas semel inserta fuerit; tamen quia fidei Catholicæ puram ac sinceram professionem continet, & subsequens Doctorum Censura seu Præcautio, lectioni Scriptorum eius adhibenda, sæpius ad illam remittit, iterum hîc eam tibi subjicere nec iniucundum, nec forsan etiam inutile futurum credidimus.

PETRI ABAELARDI APOLOGIA, SEV CONFESSIO FIDEI.

VNIVERSIS ECCLESIÆ SANCTÆ FILIIS Petrus Abaelardus ex eis vnus, sed in eis minimus.

NOTVM prouerbium est: Nil tam bene dictũ, quod non possit deprauari: &, vt beatus meminit Hieronymus, *Qui multos scribit libros, multos sumit iudices.* Ego quoq;, cùm pauca scripserim, parua, vel, ad cõparationem aliorum, nulla, reprehensionis notam effugere non potui: cùm tamẽ in his, de quibus grauiter accusor, nullã (sciat Deus) meam cognoscam culpam, nec, si qua fuerit, procaciter defendam. Scripsi fortè * aliqua per errorem, quæ nõ oportuit: sed Deum testem & iudicem in animam meam inuoco, quia in his, de quibus accusor, nil per malitiam, aut per superbiam præsumpsi. Multa in scholis multis loquutus sum, nec vnquam aquas furtiuas, vel panem absconditum habuit mea doctrina. Palàm loquutus sum ad ædificationem fidei siue morum, quod mihi salubre visum fuit: & quæcunque scripsi, libenter omnibus exposui, vt eos iudices, non discipulos haberem. Quod si vspiam per multiloquium excessi, vt scriptum est, *In multiloquio non effugies peccatum*: nunquã importuna defensio me effecit hæreticum, paratus semper ad satisfactionem de malè dictis meis corrigendis, siue delendis: in quo certè proposito vsque in finem perseuerabo. Sed sicut meum est malè dicta mea, si qua sint, velle corrigere: sic cri-

* al. fortassis

Prouerb. cap. 10.

mina mihi non rectè iniecta me propulsare conuenit. Cùm enim dicat beatus Augustinus, *Crudelis est qui famam suam negligit*, ac, iuxta Tullium, *Taciturnitas imitatur confessionem*; quæ scripta sunt* contra me capitulis æquum duxi respondere, videlicet ratione seruata, qua contra derogantium linguas beatus Gregorius fideles his instruit verbis. Sciendum est quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant; ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat: aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpãt. Agnoscat ergo fraterna charitas me qualemcunque filium Ecclesię, cum ipsa integrè cuncta, quæ recipit, recipere, cuncta, quæ respuit, respuere: nec me vnquam vnionem fidei scidisse, quamuis impar cæteris morum qualitate.

*Aug. serm. 52. ad fratres in eremo.
*al. conscriptis
Greg. hom. 9. lib. 1. super Ezechiel.

Qvòd igitur mihi vel per malitiam impositum est quòd scripserim, Quia Pater plena potentia, Filius quædam potentia, Spiritus sanctus nulla potentia; hæc ego verba non tam hæretica, quàm Diabolica, sicut iustissimum est, abhorreo, detestor, & ea cum suo authore pariter damno. Quæ si quis in meis reperiat scriptis, non solùm me hæreticum, verumetiam hæresiarcham profiteor.

Tam Filium quàm Spiritum sanctum ex Patre profiteor esse, vt eiusdem sint cum Patre substantiæ, eiusdem penitus voluntatis atque potentiæ: quæ quorum omnino eadẽ substantia vel essentia, nulla potest esse vel voluntatis diuersitas, vel potentiæ inęqualitas. Quisquis etiam me scripsisse asserit, quòd de substantia Patris Spiritus sanctus etiam non sit, malitiæ id vel ignorantiæ maximæ fuit.

Solvm Filium Dei incarnatum profiteor, vt nos à seruitute peccati & à iugo Diaboli liberaret, & supernæ aditum vitæ, morte sua, nobis referaret.

Iesvm Christum sicut verum & vnicum Dei Filium ex substantia Patris ante sæcula genitum, ita tertiam in Trinitate personam, Spiritum quoque sanctum tã ab ipso Filio, quã à Patre procedentem & credens assero, & asserens credo.

Gratiam Dei ita omnibus necessariam, vt nec naturæ facultas, nec arbitrij libertas sine illa sufficere possit ad salutem.

Digitized by Google

Ipſa quippé gratia nos præuenit vt velimus, ipſa ſubſequitur vt poſſimus, ipſa nos conſociat, vt perſeueremus.

DEVM ea ſolummodo poſſe facere credo, quæ ipſum facere conuenit: & quòd multa facere poteſt, quæ nunquam faciet.

MALA * per ignorantiã facta culpæ ſunt abſcribẽda: maximè cum per negligentiam noſtram contingat nos ignorare, quæ nobis neceſſarium erat prænoſſe. Qualis ille fuit, de quo Pſalmiſta dicit, *Noluit intelligere vt benè ageret.* Pſal. 35. * al. Multa quoque

MALA Deum impedire frequenter, fateor: quia non ſolũ effectum malignantium præuenit, ne, quod volunt, poſſint: verumetiam voluntates eorum mutat, vt à malo, quod cogitauerunt, penitus diuertant.

Ex Adam, in quo omnes peccauimus, tam culpam quàm pœnam nos contraxiſſe aſſero: quia illius peccatum noſtrorum quoque peccatorum omnium origo extitit atque cauſa.

CRVCIFIXORES Chriſti in ipſa crucifixione grauiſſimũ peccatum fateor commiſiſſe.

MVLTA de Chriſto dicuntur, quę non tam ſecundum caput, quàm ſecundum corpus ipſius, quod eſt Eccleſia, ſunt accipienda: vt ille Spiritus timoris, quod eſt initium ſapientiæ, quem videlicet timorem perfecta charitas foras mittit. Huius ergo timoris ſpiritum in anima Chriſti, qui perfectiſſimã habuit charitatem, nunquam fuiſſe credendum eſt, qui tamẽ in inferioribus membris non deeſt. Tantę quippe perfectionis, & tantæ ſecuritatis anima illa extitit per ipſam Verbi vnionem, vt ſciret nil omnino ſe committere poſſe, vndè pœnas incurreret, vel Deum offenderet. Caſtum quippe * timorem in ſæculum ſæculi permanentem, qui proprié reuerentia charitatis dicitur, tam ipſi animę Chriſti quàm electis Angelis & hominibus ineſſe ſemper recognoſco. Vndè & de ipſis ſupernis ſpiritibus ſcriptum eſt, *Adorant dominationes, tremunt poteſtates.* 1. Ioan. c. 4. * al. verè Pſal. 18.

POTESTATEM ligandi atque ſoluendi ſucceſſoribus Apoſtolorum omnibus, vt ipſis æquè Apoſtolis conceſſam eſſe profiteor, & tam indignis quàm dignis Epiſcopis, quandiu eos Eccleſia ſuſceperit.

OMNES in dilectione Dei & proximi æquales, æqualiter bonos eſſe confiteor & meritis pares: nec quicquam meriti a-

Digitized by Google

pud Deum deperire, si bonæ voluntatis affectus à suo præpediatur effectu. Non enim Angelus, cùm à Deo missus id quod facere vult impleuerit, aut anima Christi suæ voluntati effectum addiderit, melior indè reputari debuit: sed çquè quilibet bonus permanet, siue tempus operandi habeat, siue non, dummodo æqualem bene operandi voluntatem teneat, nec in eo, quod non operatur, remaneat.

DEVM Patrem æquè sapientem, & Filium æquè benignum vt Spiritum sanctum profiteor: quia in nulla boni plenitudine, in nulla dignitatis gloria, vna personarum differre potest ab alia.

ADVENTVM Filij in fine sæculi posse atrribui Patri, nunquam (sciat Deus) in mentem meam venit, nec se verbis meis inseruit.

SIC & animam Christi non per se ad inferos descendisse, sed per potentiam, omnino à meis verbis & sensu remotũ est.

NOVISSIMVM quoque Capitulum, quod scripsisse criminor, quod neq; opus, neque voluntas, neque concupiscentia, neque delectatio, quæ mouet eam*, peccatum sit, neque debemus ea velle extingui, nec minùs à meis tam dictis, quàm scriptis alienum est.

* al. quæ moueant

QVOD autem Capitula contra me scripta tali fine amicus noster concluserit, vt diceret, *Hæc autem capitula partim in libro Theologiæ magistri Petri, partim in libro Sententiarum eiusdem, partim in libro, cuius titulus est, Scito te ipsum, reperta sunt*, non sine admiratione maxima suscepi: cum nunquam liber aliquis, qui Sententiarum dicatur, à me scriptus reperiatur. Sed sicut cætera contra me Capitula, ita & hoc quoque per malitiam vel ignorantiam prolatum est.

SI qua igitur consolatio in Christo Iesu, si qua sunt viscera pietatis, fraternam pietatem vestram exoro, ne innocentiam meam, quam à culpa veritas liberat, nemo* respergendo delinquat. Charitatis quippe est, opprobrium non accipere aduersus proximum, &, que dubia sunt, in meliorem partem interpretari, & illam semper Dominicæ pietatis sententiam attendere, *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.*

* al. veneno

Psal. 14.

Matt. 7.

EIVSDEM

EIVSDEM

PETRI ABAELARDI EPISTOLA, ET FIDEI CONFESSIO AD HELOISSAM.

SOror mea Heloiſa quondam mihi in ſeculo cara, nunc in Chriſto cariſſima, odioſum me mundo reddidit Logica. Aiunt enim peruerſi peruertentes, quorum ſapientia eſt in perditione, me in Logica præſtantiſſimum eſſe, ſed in Paulo non mediocriter claudicare. Cúmque ingenij prædicent aciē, Chriſtianæ fidei ſubtrahunt puritatem. Quia, vt mihi videtur, opinione potiùs traducuntur ad iudicium, quàm experientiæ magiſtratu. Nolo ſic eſſe Philoſophus, vt recalcitrem Paulo. Non ſic eſſe Ariſtoteles, vt ſecludar à Chriſto. Non enim aliud nomen eſt ſub cœlo, in quo oporteat me ſaluum fieri. Adoro Chriſtum in dextera Patris regnantem. Amplector eum vlnis fidei in carne virginali de Paracleto ſumpta glorioſa diuinitus operantem. Et vt trepida ſollicitudo, cunctęque ambages à corde tui pectoris explodantur, hoc de me teneto, quòd ſuper illam petram fundaui conſciētiam meam, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam. Cuius petræ titulum tibi breuiter aſſignabo. Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; vnum naturaliter & verum Deum: qui ſic in perſonis approbat Trinitatem, vt ſemper in ſubſtantia cuſtodiat vnitatem. Credo Filium per omnia Patri eſſe coæqualem, ſcilicet æternitate, poteſtate, voluntate & opere. Nec audio Arrium, qui peruerſo ingenio actus, imo dæmoniaco ſeductus ſpiritu, gradus facit in Trinitate; Patrē maiorem, Filium dogmatizans minorem: oblitus legalis præcepti: Non aſcendes, inquit Lex, per gradus ad meum altare. Ad altare quippe Dei per gradus aſcendit, qui prius & poſterius in Trinitate ponit. Spiritum etiam ſanctum Patri & Filio conſubſtantialem & coæqualem per omnia teſtor, vt pote quem bonitatis nomine deſignari volumina mea ſæpe declarant. Damno Sabellium, qui eandem perſonam aſſerens Patris & Filij, Patrem paſſum autumauit; vnde & Patri-

passiani dicti sunt. Credo etiam Filium Dei factum esse Filium hominis, vnamque personam ex duabus & in naturis duabus consistere. Qui post completam susceptæ humanitatis dispensationem passus est & mortuus, & resurrexit, & ascendit in cœlum, venturusque est iudicare viuos & mortuos. Assero etiam in baptismo vniuersa remitti delicta; gratiáque nos egere, quâ & incipiamus bonum, & perficiamus: lapsósque per pœnitentiam reformari. De carnis autem resurrectione quid opus est dicere, cùm frustrà glorier me Christianum, si non credidero resurrecturum? Hæc itaque est fides in qua sedeo, ex qua spei contraho firmitatem. In hac locatus salubriter, latratus Scyllæ non timeo, vertiginem Carybdis rideo, mortiferos Syrenarum modulos non horresco. Si irruat turbo, non quatior. Si venti perflent, non moueor. Fundatus enim sum supra firmam petram.

Digitized by Google

CENSVRA DOCTORVM PARISIENSIVM.

PEtri Abaelardi Opera, pia admodum & erudita, ſuis cum nouis (quemadmodum fieri aſſolet in veterum ſcriptis) prælo commiſſa fuêre. Quæ quidem vt inoffenſo quilibet decurrat pede, præter animum, quem præſe fert Auctor ſua in Apologia, Eccleſiæ in omnibus adſentientem; quid in quóque Operum eius loco ſalebroſum foret, à quibuſdam Theologis Pariſienſibus diligenter adnotatum, & indigitatum eſt: ſinguliſque periculoſioribus dictis præſens eſt adhibitum amuletum. Si quis tamen oculatior plura poſthac animaduertat, rem omnibus verè Catholicis fecerit gratiſſimam.

QVÆ NON SATIS ÆQVA VERITATIS lance librata ſunt, in Abaelardi, Heloiſſæ, & aliorum quorumdam Epiſtolis.

PAg. 31. l. 36. & ſequenti p. 32. initio. Paulò acerbiùs cõqueritur Abaelardus (etſi tacito nomine) de DD. Bernardo & Norbertho, qui eius erroribus magis quàm ipſi fuere infenſi.

Pag. 42. Heloiſſa eoſdem ſanctos viros, pſeudo-Apoſtolorum nomine laceſſit, & cum ipſis alios quoſdã acriùs ſugillat.

Pag. 45, l. 16. & 17. Quæ extorſerit à ſe noxius amor, non ſatis prudenter Heloiſſa commemorat.

Pag. 129. l. 9. & 10. Sentit Abaelardus à Catholica veritate abſonum, mortuum aliquem Cathecumenum gloriam poſſe conſequi. Verùm id eſt fidei conſentaneum, ſi modò exceſſit contritus, & baptizari non abnuit, ſi quis hanc ei gratiam impertiri voluiſſet.

Pag. 168. l. 8. & p. 179. l. 9. Coniugalis debiti ſolutionẽ haud

Digitized by Google

penitus facit immunem à peccato. Hoc verò in ijs, qui rectitudinem & honestatem obseruant, minimè concedendum.

Pag. 222. Fulco in Epistola ad Abaelardum, sanctam Sedem Apostolicam temerè & virulenter proscindit.

Pag. 246. Dum Abaelardus arguit præsumptionis eum, qui in Oratione Dominica pro voco, *supersubstantialem*, substituit *quotidianum*, receptã in Ecclesia sic recitandi consuetudinem minimi pendit.

Pag. 302. Apologeticus Berengarij Scholastici pro Abaelardo præceptore suo, cùm sit contumeliosus in D. Bernardum, & Concilium Senonense, lucem non commeruit; sicut nec duæ sequentes eiusdem Epistolæ: quarum priore Apologetici sui maculas eluit, sed alias inurit sibi; posteriore Carthusianis scurriliter insultat.

In expositione Symboli.

PAg. 372. l. 26. Omnipotentiam Dei ieiunè explicat Abaelardus; sui forsan erroris memor, quo Deum ea solum posse facere, quæ quandóque facit, asseruerat. Sed hunc in Apologia errorem absterfit.

Pag. 378. l. 9. Animam Christi Domini ad inferos secundum propriam substantiam descendisse, videtur inficiari. At in Apologia secus censet.

Pag. 379. l. 28. Quia nullam ex ascensu ad cælos corpori Christi factam astruit beatitudinis accessionem, aduentitiam saltem cælestis habitaculi felicitatem, quam suspiciunt omnes, nimium extenuat.

In Heloissæ Problematibus.

PAg. 391. l. 14. in respõsione ad 1111. Problema. Abaelardus dubitationem in fide affingit D. Virgini Mariæ, in morte filij sui, auctoritate D. Augustini in libro Quæstionum veteris & noui Testamenti: sed hic Liber totus est supposititicius.

Pag. 406. l. 22. & 23. in solutione XIII. Problematis. Quod fit ex ignorantia inuincibili, id peccati damnat. In Apologia autem contrariam tuetur opinionem.

Pag. 407. l. 31. & 32. Inuincibilem eam ignorantiam falsò

tribuit iis, pro quibus Dominus in passione sua, & D. Stephanus orauêre, vel ei qui iuxta Euangelium dixerit verbum contra filium hominis.

Pag. 417. l. 2. in solutione xv. Problematis. Legem Mosis nec docere, peccatum mente compleri, nec ex concupiscentia rei alienæ quempiam reum statuere, nec alium quàm Iudæum velut proximum diligendum definire, dum sentit Abaelardus, à veritate dissentit.

Pag. 419. l. 5. in solutione xvi. Problematis. Præceptum de diligendo proximo, à Christo Domino commemoratum, solos Iudæos deuincire autumat; nec videt Decalogi præcepta, quia iuris Naturæ sunt, singulos homines obstringere.

Pag. 426. l. 1. & 2. in solutione xxiv. Problematis. Quòd putat Iudæos mala vel bona ex ipsa intentione non dijudicare; de quibusdam solummodo admittendum.

Ibidem, l. vlt. Contendit Abaelardus, nihil quicquam ad peccatum spectare, quòd cibum vetitum ore sumamus. Verùm hoc pacto, maiorem peccati grauitatem, ex adiuncto opere externo, prorsus tollit.

Pag. 428. l. 12. in solutione xxv. problematis. Esau subtractam gratiam; abundantiorem intellige, non omnem.

In Libro aduersus Hæreses.

LIber hic, vt in Codice MS. nomen Abaelardi haud præ se gerit, ita neque eius loquendi morem, stilum, aut mentis acumen sapit.

Pag. 485. l. 24. & 25. Authorait, Apostolos tantùm manus imposuisse ijs, quos Prædicatores, Presbyteros, vel Diaconos instituebant; de aliis nequicquam ex S. Scriptura constare. Verum idem vsurpatũ in consecratione Episcoporũ, & Cõfirmationis sacramento, satis luculenter diuina prodũt eloquia.

In Commentarijs Epistolæ D. Pauli ad Romanos.

PAg. 549. l. 22. Verba hæc D. Pauli, *ostensionem suæ iustitiæ*, de charitate & iustitia nobis infusa intelligit Abaelardus, cũ de charitate Christi, & iustitiâ, qua satisfecit pro nobis, capi præcipuè debeant.

Pag. 550. l. 26. Iis Abaelardi verbis, *cùm solos electos liberauerit*, hanc adhibe cautionem. Electos liberat Christus, quia soli reipsa gloriam consequuntur, quam & ceteri, ni per ipsos staret, possent etiam per Christum promereri.

Pag. 551. l. 10. Censet dæmonem nullum ius in hominem quem seduxit, acquisiisse: cùm tamen æquissimo iure, homo per peccatum, pœnæ æternæ, & torquẽti dæmoni obnoxius fiat. Quare Abaelardus rem acriùs perscrutatus, Christũ morte sua hominẽ à iugo diaboli liberasse, in Apologia profitetur.

Pag. eadem, l. 28. Beatæ Mariæ Virgini dimissum peccatum, ita accipe, quo videlicet peccauerat in Adam, non quod aliquando contraxerit.

Pag. 552. l. 2. Verbum diuinum hominem suscepisse cautè legito, quia videlicet naturam humanam adsciuerit sibi.

Pag. 553. Iustificationem & redemptionem nostram in sãguine & morte Christi, sic quidem benè explicat Abaelardus, vt per ipsam, quam patiendo & moriendo exhibuit, charitatis immẽsitatem, nos à seruitute peccati redemerit, & in libertatem filiorum Dei asseruerit. Sed quia passionem ipsam & mortem à charitate profectam, velut infinitę iustitiæ & satisfactionis opus, omnibus exoluendis sceleribus & pœnis idoneum, aut non agnouit, aut subticuit; genuinũ de redemptione nostra Ecclesiæ Catholicæ sensum, vel non est secutus, vel non assecutus. Quæ cùm iustissimè D. Bernardus Epist. cx c. coarguerit, hoc ab Abaelardo elicuit Christianæ mentis testimonium in sua Apologia, *Solum filium Dei incarnatũ profiteor, vt nos à seruitute peccati, & à iugo diaboli liberaret, & supernæ aditum vitæ morte sua nobis referaret.*

Pag. 555. l. 30. & 31. In duobus aberrat, primò quòd censeat ei, qui antequam baptizetur iustus est, nondum in baptismate dimissa esse peccata: ille etenim per votum baptismi iam veniã delictorum est consecutus. Secundò, quia peccata nondum dimissa, pœnam non adhuc exolutam interpretetur.

Pag. ead. l. 35. Paruulos baptizatos nondum charitatis aut iustitiæ capaces, intellige per actiones elicitas.

Pag. 582. l. vlt. Per peccata, quæ moriẽdo Christus sustulit, perperam Abaelardus pœnam solùm ipsorum ablatam exposuit. Sic & pag 630. l. 12. & 14. ad eundem scopulum allidit.

Pag 586. l. 7. Verba hæc D. Pauli, *in quo omnes peccauerunt*,

Digitized by

ad pœnam tantummodo reuocat,& reatum ipſum peccati originalis,in quem incurrerunt omnes, omittit. Pag. 588.l.15. in eodē lubrico nutat, ſimiliter & p.590.l.6.itidem & p.592. l.9.& 10.p.597.l.29. & 30. & l.33. Sed eos omnes locos in Apologia hoc vno profligat firmamento. *Ex Adam,in quo omnes peccauimus,tam culpam quàm pœnam,nos contraxiſſe aſſero.*

Pag. 590.l. 29. Aſſeuerat Chriſtum præcepto diuino fuiſſe coactum orare pro nobis. Verùm, huic ſententiæ erroneus ſubeſt loquendi modus.

Pag.591.l. penult.& pag.600. quæ falſò numerum præfert 592.l.36. Abaelardus peccata dimitti, perinde exiſtimat, ac pœnam ipſorum condonari.& p.592.l.3.aliquem habere peccatum, præterita peccati actione, aliud nihil quàm remanere obnoxium pœnæ. Sed hanc illius opinionem Catholica explodit doctrina.

Pag. 596.l. 23 Eos ſolùm paruulos perhibet cum originis labe mortuos,qui ſi vixiſſent,peſſimi erant futuri. At id prorſus videtur temerarium.

Pag. ead.l.30.& 31.Damnari aſſerit infantes ob aliena peccata,verùm non aduertit,quam habent originis maculam, iis propriè vitæ aditum præcludere.

Pag.697.l.20.& 21.Minus aptè elicit,nō ſic inſtitutam vel confirmatam tempore Apoſtolorum,Quadrageſimę,vel ſextæ feriæ abſtinentiā,qualem nūc ſeruamus,eo quòd neophyti quidam apud D. Paulum nullum in comedendo diem ab alio ſecernerent.

In Concionibus.

PAg.782.l.9.In Sermone de Purif.B.Mariæ,ſibiipſi perſuadet Iudæos nullam de obedientia ſua in cæleſtib. promiſſionis remunerationem accepiſſe: quod equidem tantumverum eſt ex ſolis operibus legis, ſepoſita fide & charitate.

Pag.918.l.25.D. Petrum non tātum ſatisfeciſſe ob trinam negationem,quantum Marcellinum pro incenſo idolis oblato.Periculoſa comparatio.

Pag. eadem l. 29. Culpam deputat, quod D. Paulus more Nazaræorum Deo ſe conſecrarit,& Timotheum circuncidegit,cùm tamen in his minimè deliquerit.

Fol.963.verſo l.27. Scribit neminem præſumere ita precari,

Omnes ſancti Clerici, vel Epiſcopi, vel Canonici, orate pro nobis. At debuit meminiſſe hos Litaniarum Verſiculos, *Omnes ſancti Pontifices, omnes ſancti Sacerdotes & Leuitæ*, eundem fermè ſenſum obtinere.

Fol. 967. l. 18. D. Norbertum inſimulat fruſtra tentatę ſuſcitationis mortui cuiuſdam, fortè quia eum ſenſerat ſuis dogmatibus aduerſum.

In Introductione ad Theologiam.

PAg. 980. l. 4. Opinio Abaelardi, quod ſola charitas remuneratione ſit digna, abſcedit à veritate. Etenim Fides, Spes, & ceteræ virtutes, Charitate comite, æterna etiam reportant præmia. p. 636. l. 37. in idem impegit offendiculum.

Cætera, quæ in hoc Introductionis Opuſculo animaduerſione digna videntur, ea ſunt quæ carpit D. Bernardus Epiſt. cxc. quibus & ſatisfacit Abaelardus publica fidei Catholicæ profeſſione, & aduerſi erroris anathemate, Epiſtolâ vniuerſis Eccleſiæ filiis inſcripta. Vtramque conſulat Lector in hoc Volumine, hanc fol. præced. & pag. 330. illam pag. 276.

FINIS.

Digitized by Google

MAGISTRI

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS, THEOLOGI

ACVTISSIMI,

ET HELOISSÆ EIVS CONIVGIS, PRIMÆ

PARACLETI ABBATISSAE,

EPISTOLÆ.

Recens editæ ex MSS. Codd. illustrissimi viri FRANCISCI AMBOSII, *Regii in sanctiore Consistorio Consiliarij, Equitis, Baronis Chartræ supra Ledum, Domini in Hemerio, Mala-Noa, Neullio & Boretta.*

Cum Argumentis Fr. S. H. Guil.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGISTRI PETRI ABAELARDI ET HELOISSÆ EPISTOLÆ.

Ex MS. V. Ill. Franciſci Amboſij Equ. &c.

EPISTOLA I.

Quæ eſt HISTORIA CALAMITATVM ABAELARDI, Ad Amicum ſcripta.

ARGVMENTVM.

Hanc Epiſtolam ex Monaſterio Diui Gildaſij, in minore Britannia ſito, quod tunc ipſe Petrus Abaelardus Abbas regebat, ſcribit ad Amicum, cuius nomen tota Epiſtola, licet prolixa, nec ipſe edit; nec etiam Heloyſſa, cùm huius epiſtolæ meminit in ſecunda. Eſt autem narratoria. Toto enim Epiſtolæ textu ſuam vitam antè actam ab infantia ad illud vſque tẽpus, quo hanc ſcripſit, diligenter enarrat: nullã tamen Ioannis Rozolini mentionem facit, quo Philoſopho doctiſſimo præceptore vſum Otho Friſingenſis Epiſcopus, grauis Scriptor, qui eodem viuebat tempore, affirmat. Cæterùm quid, quo animo egerit vel ſcripſerit, quid paſſus ſit, quanta inuidia æmuli in eum exarſerint, graphicè deſcribit: atque obtrectatoribus ſuis curſim ex occaſione breuiter & argutè reſpondet. Denique hanc Epiſtolam potiùs ad propriam, quàm ad amici conſolationem ſcripſiſſe videtur, ſcilicet vt & præſentes calamitates ex recordatione præteritarum lenius ferret, & imminentium periculorũ timorem facilius detergeret. Nullas enim amici moleſtias cum ſuis confert, vt ex cõparatione graniores appareãt.

SÆPE humanos affectus aut prouocant, aut mitigant ampliùs exempla quàm verba. Vnde poſt nonnullam ſermonis ad præſentem habiti conſolationem, de ipſis Calamitatum mearum experimentis conſolatoriam ad abſentem ſcribere decreui: vt in comparatione mearum, tuas aut nullas, aut modicas tentationes recognoſcas, & tolerabiliùs feras.

Digitized by Google

CAP. I. De loco natiuitatis PETRI ABAELARDI.

EGO igitur oppido quodam oriundus, quod in ingreſſu minoris Britanniæ conſtructum, ab vrbe Nannetica verſus Orientem octo credo miliarijs remotum, proprio vocabulo Palatium appellatur. Sicut natura terræ meæ vel generis animo leuis, ita & ingenio extiti ad literatoriam diſciplinam facilis. Patrem autem habebam litteris aliquantulum imbutum antequam militari cingulo inſigniretur. Vnde poſtmodum tanto literas amore complexus eſt, vt quoſcumque filios haberet, litteris antequàm armis inſtrui diſponeret. Sicque profectò actum eſt. Sic itaque primogenitum ſuum quantò chariorem habebat, tantò diligentiùs erudiri curauit. Ego verò quantò ampliùs & faciliùs in ſtudio literarum profeci, tantò ardentiùs in eis inhæſi, & in tanto earum amore illectus ſum, vt militaris gloriæ pompam cum hæreditate & prærogatiua primogenitorum meorum fratribus derelinquens, Martis Curiæ penitus abdicarem vt Mineruæ gremio educarer. Et quoniam Dialecticarum rationum armaturam omnibus Philoſophiæ documentis prætuli, his armis alia commutaui, & trophæis bellorum conflictus prætuli diſputationum. Proinde diuerſas diſputando perambulans Prouincias, vbícumque huius artis vigere ſtudium audieram, Peripateticorum æmulator* factus ſum.

De parentibus eius.

*al ambulator.

CAP. II. De perſecutione Magiſtri ſui GVILLELMI.

PERVENI tandem Pariſios, vbi iam maximè diſciplina hæc florere conſueuerat, ad Guillelmum ſcilicet Campellenſem Præceptorem meum in hoc tunc magiſterio re & famâ præcipuum: cum quo aliquantulum moratus primò ei acceptus, poſtmodum grauiſſimus extiti, cùm nonnullas ſcilicet eius ſententias refellere conarer, & ratiocinari contra eum ſæpiùs aggrederer, & nonnumquã ſuperior in diſputando viderer. Quod quidẽ & ipſi, qui inter conſcholares noſtros præcipui habebantur, tantò maiori ſuſtinebant indignatione, quanto poſterior habebar ætatis & ſtudij tempore. Hinc calamitatum mearum, quæ nunc vſque perſeuerant, cœperunt exordia, & quò amplius fama extendebatur noſtra, aliena in me ſuccenſa eſt inuidia. Factum tandem eſt vt ſupra vires ætatis meæ de ingenio meo præſumẽs, ad Scholarum regimen adoleſcentulus aſpirarem, & locum, in quo id agerem, prouiderem; inſigne videlicet tunc temporis Meldunũ* caſtrum, & Sedem Regiam. Præſenſit hoc prædictus Magiſter

*al. Meliduni caſtrum.

Digitized by Google

meus,& quo longiùs poſſet Scholas noſtras à ſe remouere conatus,quibus potuit modis latenter machinatus eſt ; vt priuſquàm à ſuis recederem,Scholas noſtras,& prouiſum mihi locum auferret. Sed quoniam de potentibus terræ nonnullos ibidem habebat æmulos,fretus eorum auxilio voti mei compos extiti, & plurimorum mihi aſſenſum ipſius inuidia manifeſta conquiſiuit. Ab hoc autem Scholarum noſtrarum exordio * ita in arte Dialectica nomen meum dilatari cœpit, vt non ſolùm condiſcipulorum meorum, verumetiam ipſius Magiſtri fama contracta paulatim extingueretur. Hinc factum eſt, vt de me ampliùs ipſe præſumens, ad caſtrum Corbolij, quod Pariſiacæ vrbi vicinius eſt, quantocyus Scholas noſtras transferrem : vt indè videlicet crebriores diſputationis aſſultus noſtra daret importunitas *. Non multo autem interiecto tempore ex immoderata ſtudij afflictione correptus infirmitate coactus ſum repatriare, & per annos aliquot à Francia quaſi remotus, quærebar ardentiùs ab ijs, quos Dialectica ſollicitabat doctrina. Elapſis autem paucis annis, cùm ex infirmitate iamdudum conualuiſſem, Præceptor meus ille Guillelmus Pariſienſis Archidiaconus, habitu priſtino commutato ad Regularium Clericorum ordinem ſe conuertit ; ea, vt referebant, intentione,vt quò religioſior crederetur, ad maiorem Prælationis gradum promoueretur, ſicut in proximo contigit, eo Catalaunenſi Epiſcopo facto. Nec tamen hic ſuæ conuerſionis habitus aut ab vrbe Pariſiaca,aut à conſueto Philoſophiæ ſtudio eum reuocauit : ſed in ipſo quoque Monaſterio, ad quod ſe cauſa religionis contulerat,ſtatim more ſolito publicas exercuit Scholas. Tum ego ad eum reuerſus vt ab ipſo Rhetoricam audirem, inter cætera diſputationum noſtrarum conamina, antiquam eius de Vniuerſalibus ſententiam patentiſſimis argumentorum diſputationibus ipſum commutare, imò deſtruere compuli. Erat autem in ea ſententia de communitate Vniuerſalium, vt eandem eſſentialiter rem totam ſimul ſingulis ſuis ineſſe aſtrueret indiuiduis ; quorum quidem nulla eſſet in eſſentia diuerſitas, ſed ſola multitudine accidentium varietas.Sic autem iſtam ſuam correxit ſententiam, vt deinceps rem eandem non eſſentialiter,ſed indiuidualiter * diceret. Et quoniam de Vniuerſali-

De rectione ipſius apud Melidunum.

* al. tyrocinio.

De rectione apud Corboliũ.

* opportunitas.

De impugnatione Magiſtri ſui, & rectione apud Pariſium.

* al. indifferenter.

Digitized by Google

bus in hoc ipſo præcipua ſemper eſt apud Dialecticos quæſtio, ac tanta vt eam Porphyrius quoque in Iſagogis ſuis, cùm de Vniuerſalibus ſcriberet, diffinire non præſumeret, dicens: Altiſſimum enim eſt huiuſmodi negocium. Cùm hanc ille correxiſſet, * imò coactus dimiſiſſet * ſententiam, in tantam lectio eius deuoluta eſt negligentiam, vt jam ad Dialecticæ lectionem * vix admitteretur: quaſi in hac ſcilicet de Vniuerſalibus ſententia tota huius artis cõſiſteret ſumma. Hinc tantum roboris & auctoritatis noſtra ſuſcepit diſcipina, vt ij, qui antea vehementiùs Magiſtro illo noſtro adhærebant, & maximè noſtram infeſtabant doctrinam, ad noſtras conuolarent Scholas; & ipſe, qui in Scholis Pariſiacæ Sedis Magiſtro noſtro ſucceſſerat, locum mihi ſuum offerret, vt ibidem cum cæteris noſtro ſe traderet magiſterio, vbi antea ſuus ille & noſter Magiſter floruerat. Paucis itaque diebus ibi me Studium Dialecticæ regente, quanta inuidia tabeſcere, quanto dolore æſtuare cœperit Magiſter noſter, non eſt facile exprimere. Nec conceptæ miſeriæ æſtum diu ſuſtinens, callidè aggreſſus eſt me etiam tunc remouere. Et quia in me quod apertè ageret nõ habebat, ei Scholas auferre molitus eſt, turpiſſimis obiectis criminibus, qui mihi ſuum conceſſerat Magiſterium, alio quodã æmulo meo in locum * eius ſubſtituto. Tunc ego Meledunum * reuerſus, Scholas ibi noſtras, ſicut antea, conſtitui: & quantò manifeſtiùs eius me perſequebatur inuidia, tantò mihi auctoritatis ampliùs conferebat, iuxta illud Poëticum,

Summa petit liuor, perflant altiſſima venti.

Non multo autem poſt, cùm ille intelligeret ferè omnes diſcipulos * de religione eius plurimum hæſitare, & de conuerſione ipſius vehementer ſuſurrare, quòd videlicet à ciuitate minimè receſſiſſet, tranſtulit ſe & Conuenticulum fratrum cum Scholis ſuis ad villam quandam ab vrbe remotam. Statímque ego Meleduno Pariſius redij, pacem ab illo vlteriùs ſperans. Sed quia, vt diximus, locum noſtrum ab æmulo noſtro fecerat occupari, extra ciuitatem in monte S. Genouefæ, Scholarum noſtrarum caſtra poſui; quaſi eum obſeſſurus, qui locum occupauerat noſtrum. Quo audito, Magiſter noſter ſtatim ad vrbem impudenter rediens, Scholas quas tunc habere poterat, & Conuenticulum fratrum ad pri-

* *al.* correxerit, * *al.* dimiſerit

* *al.* ad cætera Dialecticæ

* *al.* ad officium.

* *al.* Melidunum. De receſſu à Pariſienſi ciuitate ad Melidunũ. *Ouid. lib. 1. de remed. amor.*

* *al.* diſcretos.

De eius regreſſu ad montem S. Genouefæ, extra ciuitatem, & conflictu contra Magiſtrũ ſuũ.

Digitized by

ſtinum reduxit Monaſterium, quaſi militem ſuum, quem deſeruerat*, ab obſidione noſtra liberaturus. Verùm, cùm illi prodeſſe intenderet, maximè nocuit. Ille quippe antea aliquos habebat qualeſcumque diſcipulos, maximè propter lectionem * in qua plurimum valere credebatur. Poſtquam autẽ Magiſter aduenit, omnes penitus amiſit, & ſic à regimine Scholarũ ceſſare cõpulſus eſt. Nec poſt multũ tempus, quaſi iam vlteriùs de mundana deſperans gloria, ipſe quoque ad Monaſticam conuerſus * eſt vitam. Poſt reditum verò Magiſtri noſtri ad vrbem, quos conflictus diſputationum Scholares noſtri, tam cum ipſo, quàm cum diſcipulis eius habuerint, & quos fortuna euentus in his bellis dederit noſtris, imò mihi ipſi in eis, te quoque res ipſa iamdudum edocuit. Illud verò Aiacis & temperantiùs loquar, & audacter proferam,

*al. dimiſerat.

* propter lectiones Priſciani, in quibus.

*al. compulſus.

Ouid lib. XIII. Metamorph.

——— *ſi quæritis huius*
Fortunam pugnæ, non ſum ſuperatus ab illo.

Quòd ſi ego tacerẽ, res ipſa clamat, & ipſius rei finis indicat. Dum verò hæc agerentur, chariſſima mihi mater mea Lucia repatriare me compulit. Quæ videlicet poſt conuerſionẽ Berengarij patris mei ad profeſſionẽ Monaſticam, idem facere diſponebat. Quo completo, reuerſus ſum in Franciam, maximè vt de Diuinitate addiſcerem, quando * iam ſæpefatus Magiſter noſter Guillelmus in Epiſcopatu Catalaunenſi pollebat. In hac autẽ lectione Magiſter eius Anſelmus Laudunenſis maximam ex antiquitate auctoritatem tũc tenebat.

De repatriatione eius. Lucia mater. Berengarius pater.

*quoniam.

CAP. III. Quomodo Laudunum venit ad Magiſtrum ANSELMVM

Accessi igitur ad hunc ſenem, cui magis longæuus vſus, quàm ingenium vel memoria nomen comparauerat. Ad quem ſi quis de aliqua quæſtione pulſandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auſcultantium, ſed nullus in conſpectu quæſtionantium. Verborum vſum habebat mirabilem, ſed ſenſu contemptibilem, & ratione vacuum. Cùm ignem accenderet, domum ſuam fumo implebat, non luce illuſtrabat. Arbor eius tota in foliis aſpicientibus à longe conſpicua videbatur, ſed propinquantibus, & diligentiùs intuentibus infructuoſa reperiebatur. Ad hanc itaque cùm acceſſiſſem vt fructum indè colligerem, deprehendi illam eſſe ficulneam cui maledixit Dominus, ſeu illam veterem quercum, cui Pompeium Lucanus comparat, dicens,

Matth. 21. Marc. 11. Lucan. lib. 1. Pharſal.

Digitized by

——— ſtat magni nominis vmbra,
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro.

Hoc igitur comperto, non multis diebus in vmbra eius ocioſus iacui. Paulatim verò me iam rariùs ad lectiones eius accedente, quidam tunc inter diſcipulos eius eminentes grauiter id ferebant, quaſi tanti Magiſtri contemptor fierem. Proinde illum quoque aduerſum me latenter commouentes, prauis ſuggeſtionibus ei me inuidioſum fecerunt. Accidit autem quadam die, vt poſt aliquas ſententiarum collationes, nos Scholares inuicem iocaremur. Vbi cùm me quidã animo intentantis interrogauiſſet, quid mihi de diuinorum lectione Librorum videretur, qui nondum niſi in Phyſicis ſtudueram: reſpondi ſaluberrimum quidem huius lectionis eſſe ſtudium vbi ſalus animæ cognoſcitur, ſed me vehementer mirari, quòd his qui literati ſunt, ad expoſitiones Sanctorum intelligendas, ipſa eorum ſcripta vel gloſſæ non ſufficiant, vt alio ſcilicet non egeant magiſterio*. Irridentes plurimi qui aderant, an hoc ego poſſem & aggredi præſumerem, requiſierunt. Reſpondi me id ſi vellẽt experiri paratum eſſe. Tunc conclamantes* & ampliùs irridentes, Certè, inquiunt, & nos aſſentimus. Quæratur, inquam*, & tradatur nobis* expoſitor alicuius inuſitatæ Scripturæ, & probemus quod vos promittitis. Et conſenſerunt omnes in obſcuriſſima Ezechielis Prophetia. Aſſumpto itaque expoſitore ſtatim in craſtino eos ad lectionem inuitaui. Qui inuito mihi conſilium dantes, dicebant ad rem tantam non eſſe properandum, ſed diutiùs in expoſitione rimãda & firmanda mihi hãc inexperto vigilandũ. Indignatus autem reſpondi non eſſe meæ conſuetudinis per vſum proficere, ſed per ingenium: atque adieci vel me penitus deſiturum eſſe, vel eos pro arbitrio meo ad lectionem accedere non differre. Et primæ quidem lectioni noſtræ pauci tunc interfuere, quòd ridiculum omnibus videretur me adhuc quaſi penitus ſacræ lectionis expertem* id tam properè aggredi. Omnibus tamen qui affuerunt intantùm lectio illa grata extitit, vt eam ſingulari præconio extollerent, & me ſecundum hunc noſtræ lectionis tenorẽ ad gloſandum compellerent. Quo quidem audito, ij qui non interfuerant cœperunt ad ſecundam & tertiam lectionem certatim accedere*, & omnes pariter de tranſcribendis gloſis, quas prima die incœperam,

*al. magiſtro.

*al. inclamantes.

*al itaque.

*al. vobis.

Quomodo ſacros cœperit legere libros Scolaſticis, & nouas cudere gloſas.

*al. inexpertum.

*al. contẽdere, & cõcurrere,

Digitized by Google

incœperam, in ipso eorum initio plurimum solliciti esse.

CAP. IV. De persecutione Magistri ANSELMI in eum.

HINC itaque prædictus senex vehementi commotus inuidia,& quorundam persuasionibus iam aduersum me,vt suprà memini, extunc stimulatus; non minus in sacra lectione me persequi cœpit, quàm antea Guillelmus noster in Philosophia. Erant autem tunc in Scholis huius senis duo, qui cæteris præeminere videbantur, Albericus scilicet Remensis,& Loculphus* Lombardus; qui quanto de se maiora præsumebant,ampliùs aduersum me accendebantur. Horum itaque maximè suggestionibus, sicut postmodum deprehensum est, senex ille perturbatus impudenter mihi interdixit incœptum glosandi opus in loco Magisterij sui ampliùs exercere. Hanc videlicet causam prætendens,ne si forte in illo opere aliquid per errorem scriberem, vtpote rudis adhuc in hoc studio, ei deputaretur. Quod cùm ad aures Scholarium peruenisset, maxima commoti sunt indignatione super tam manifesta liuoris calumnia,quæ nemini vnquam vlteriùs acciderat. Quæ quantò manifestior, tantò mihi honorabilior extitit, & persequendo gloriosiorem effecit.

* *al.* Lotulfus : *sed Othoni Frisinghensi* Leutaldus Nouariensis.

* *al.* persecutum.

CAP. V. Quomodo reuersus Parisius glosas suas, quas Lauduni legere cœperat, consummauit.

POST paucos itaque dies Parisius reuersus, Scholas mihi iamdudum destinatas atque oblatas, vnde primò fueram expulsus,annis aliquibus quietè possedi, atque ibi in ipso statim Scholarum initio glosas illas Ezechielis,quas Lauduni incœperam, consummare studui. Quæ quidem adeò legentibus acceptabiles fuerunt, vt me non minorem gratiam* in sacra lectione adeptum iam crederent, quàm in Philosophica viderant. Vnde vtriusque lectionis studio Scholæ nostræ vehementer multiplicatæ quãta mihi de pecunia lucra, quantam gloriam compararent, ex fama te quoque latere non potuit. Sed quoniam prosperitas stultos semper inflat, & mundana tranquillitas vigorem eneruat animi, & per carnales illecebras facilè resoluit: cùm iam me solum in mundo superesse* Philosophum æstimarem, nec vllam vlteriùs inquietationem formidarem, frena libidini cœpi laxare, qui antea vixeram continentissimè. Et quò ampliùs in Philosophia vel sacra lectione profecerã,ampliùs à Philosophis & Diuinis immunditia vitæ recedebam. Constat quippe Philosophos, nedum Diuinos, idest sacræ lectionis exhortationibus intentos,continentiæ decore maximè polluisse. Cùm igitur totus in super-

* *al.* gloriã

* *al.* superiorem.

Digitized by Google

bia atque luxuria laborarem, vtriuſque morbi remedium diuina mihi gratia, licèt nolenti, contulit; ac primo luxuriæ, deinde ſuperbiæ. Luxuriæ quidem, his me priuando quibus exercebam. Superbiæ verò, quæ mihi ex literarum maximè
1. Cor. 8. ſcientia naſcebatur, iuxta illud Apoſtoli, *Scientia inflat*: illius libri, quo maximè gloriabar, combuſtione me humiliando. Cuius nunc rei vtramque hiſtoriam verius ex ipſa re, quàm ex auditu cognoſcere te volo, ordine quidem quo proceſſerunt. Quia igitur ſcortorum immunditiam ſemper abhorrebam, & ab exceſſu & frequentatione nobilium feminarum ſtudij ſcholaris aſſiduitate reuocabar, nec laicarum conuerſationē multum noueram; praua mihi, vt dicitur, fortuna blandiens commodiorem nacta eſt occaſionem, qua me faciliùs de ſublimitatis huius faſtigio proſterneret: imò ſuperbiſſimum, nec acceptæ gratiæ memorem diuina pietas humiliatum ſibi vendicaret.

CAP. VI. Quomodo in amorem Heloiſſæ lapſus vulnus inde tā mentis quā corporis traxit.

ERAT quippe in ipſa ciuitate Pariſius adoleſcentula quædam nomine Heloiſſa, neptis Canonici cuiuſdam, qui Fulbertus vocabatur, qui eam quantò ampliùs diligebat, tantò diligentiùs in omnem quam poterat ſcientiam literarū promoueri ſtuduerat. Quæ cum per faciem non eſſet infima, per abundātiam literarum erat ſuprema. Nam quò bonum hoc, literatoriæ ſcilicet ſcientiæ, in mulieribus eſt rarius: eò ampliùs puellam commendabat, & in toto regno nominatiſſimam fecerat. Hanc igitur, omnibus circumſpectis, quæ amātes allicere ſolent, commodiorem cenſui in amorem mihi
* al. facere copulare, & me id facillimè * credidi poſſe. Tāti quippe tunc nominis eram, & iuuentutis & formæ gratia præeminebam, vt quamcumque feminarum noſtro dignarer amore, nullam vererer repulſam. Tantò autem faciliùs hanc mihi puellam conſenſuram credidi, quantò ampliùs eam literarum ſcientiam & habere & diligere noueram, noſque etiam abſentes ſcriptis internuntijs inuicem liceret præſentare, & pleraque audaciùs ſcribere quàm colloqui; & ſic ſemper iocundis intereſſe colloquiis. In huius itaque adoleſcētulæ amorem totus inflammatus, occaſionem quæſiui qua eam mihi domeſtica & quotidiana conuerſatione familiarem efficerem, & faciliùs ad conſenſum traherem. Quod quidem vt fieret, egi cum prædicto puellæ auunculo quibuſdam ipſius amicis in-

Digitized by Google

ceruenientibus, quatenus me in domum ſuam, quæ Scholis noſtris proxima erat, ſub quocumque procurationis pretio ſuſciperet. Hanc videlicet occaſionem prætendens, quòd ſtudium noſtrum domeſtica noſtræ familiæ cura plurimum præpediret, & impenſa nimia nimium me grauaret. Erat autem cupidus ille valde, atque erga neptim ſuam, vt ampliùs ſemper in doctrinam proficeret literatoriam, plurimùm ſtudioſus. Quibus duobus facilè aſſenſum aſſecutus ſum, & quod optabam obtimui; cùm ille videlicet & ad pecuniam totus inhiaret, & neptim ſuam ex doctrina noſtra aliquid percepturam crederet. Super quo vehementer me deprecatus, ſupra quàm ſperare præſumerem votis meis acceſſit, & amori conſuluit: eam videlicet totã noſtro Magiſterio committens, vt quoties mihi à Scholis reuerſo vacaret, tam in die quàm in nocte, ei docendæ operam darem, & eam ſi negligentem ſentirem vehementer conſtringerem. In qua re quidem quanta eius ſimplicitas eſſet vehementer admiratus, non minus apud me obſtupui quàm ſi agnam teneram famelico lupo committeret. Qui cùm eam mihi non ſolum docendam, verumetiam vehementer conſtringendam traderet; quid aliud agebat, quàm vt votis meis licentiam penitus daret, & occaſionem, etiam ſi nollemus, offerret; vt quam videlicet blanditiis non poſſem, minis & verberibus faciliùs flecterem? Sed duo erant, quæ eum maximè à turpi ſuſpicione reuocabant, amor videlicet neptis, & continentiæ meæ fama præterita. Quid plura? Primùm domo vna coniungimur, poſtmodum animo. Sub occaſione itaque diſciplinæ amori penitus vacabamus, & ſecretos regreſſus*, quos amor optabat, ſtudiũ lectionis offerebat. Apertis itaque libris plura de amore quàm de lectione verba ſe ingerebant, plura erant oſcula quàm ſententiæ. Sæpiùs ad ſinus quàm ad libros reducebãtur manus: crebriùs oculos amor in ſe reflectebat quàm lectio in ſcripturã dirigebat. Quóq; minus ſuſpicionis haberemus, verbera quandoq; dabat amor, non furor; gratia, non ira, quæ omnium vnguentorum ſuauitatem tranſcenderent. Quid denique? nullus à cupidis intermiſſus eſt gradus amoris, & ſi quid inſolitum amor excogitare potuit, eſt additum. Et quò minùs iſta fueramus experti gaudia, ardentiùs illis inſiſtebamus, & minus in faſtidium vertebantur. Et quò me

* al. receſſus

ampliùs hæc voluptas occupauerat, minus Philoſophiæ vacare poteram, & Scholis operam dare. Tædioſum mihi vehementer erat ad Scholas procedere, vel in eis morari; pariter & laborioſum, cùm nocturnas amori vigilias, & diurnas ſtudio conſeruarem. Quem etiam ita negligentem & tepidum lectio tunc habebat, vt iam nihil ex ingenio, ſed ex vſu cuncta proferrem: nec iam niſi recitator priſtinorum eſſem inuentorum, & ſi qua inuenire liceret carmina, eſſent amatoria, non Philoſophiæ ſecreta. Quorum etiam carminum plæraque adhuc in multis, ſicut & ipſe noſti, frequentãtur & decantantur regionibus, ab his maximè quos vita ſimul * oblectabat. Quantam autem mœſtitiam, quos gemitus, quæ lamenta noſtri ſuper hoc Scholares aſſumerent, vbi videlicet hanc animi mei occupationem, imò perturbationem præſenſerunt, non eſt facile vel cogitare. Paucos enim iam res tam manifeſta decipere poterat, ac neminem (credo) præter eum, ad cuius ignominiam maximè id ſpectabat; ipſum videlicet puellæ auunculum. Cui quidem hoc cùm à nonnullis nonnunquam ſuggeſtum fuiſſet, credere non poterat; tum, vt ſuprà memini, propter immoderatam ſuæ neptis amicitiam: tum etiam propter anteactæ vitæ meæ continentiam cognitam. Non enim facile de his, quos plurimùm diligimus, turpitudinem ſuſpicamur. Nec in vehementi dilectione turpis ſuſpicionis labes poteſt ineſſe. Vnde & illud eſt beati Hieronymi in Epiſtola ad Sabinianum: *Solemus mala domus noſtræ ſcire nouiſſimi, ac liberorum ac coniugum vitia vicinis canentibus ignorare. Sed quod nouiſſimè ſcitur, vtique ſciri quandoque contingit, & quod omnes deprehendunt, non eſt facile vnum latere.* Sic itaque pluribus euolutis menſibus & de nobis accidit. O quantus in hoc cognoſcendo dolor auunculi! quantus in ſeparatione amantium dolor ipſorum! quanta ſum erubeſcentia confuſus! quanta contritione ſuper afflictione puellæ ſum afflictus! quantos mœroris ipſa de verecundia mea ſubſtinuit æſtus! Neuter quod ſibi, ſed quod alteri contigerat querebatur. Neuter ſua, ſed alterius plangebat incommoda. Separatio autem hæc corporum maxima erat copulatio animorum, & negata ſui copia amplius amorem accendebat, & verecundiæ tranſacta iam paſſio inuerecundiores reddebat: tãtóque verecundiæ minor extiterat paſſio,

* al. ſimilis oblectat.

Tom. 1. Epiſt. 48.

Digitized by

quantò conuenientior videbatur actio. Actum itaque in nobis est quod in Marte & Venere deprehensis Poëtica narrat fabula. Non multò autem post puellæ se concepisse comperit, & cum summa exultatione mihi super hoc illicò scripsit, consulens quid de hoc ipse faciendum deliberarem. Quadam itaque nocte auunculo eius absente, sicut nos condixeramus, eam de domo auunculi furtim substuli, & in patriam meam sine mora transmisi. Vbi apud sororem meam tamdiu conuersata est, donec pareret masculum quem Astrolabium nominauit. Auunculus autẽ eius post ipsius recessum quasi in insaniam conuersus, quanto æstuaret dolore, quanto afficeretur pudore nemo nisi experiendo cognosceret. Quid autem in me ageret, quas mihi tenderet insidias ignorabat. Si me interficeret, seu in aliquo corpus meum debilitaret, id potissimum metuebat ne dilectissima neptis hoc in patria mea plecteretur. Capere me & inuitum alicubi coercere nullatenus valebat, maximè cùm ego mihi super hoc plurimùm prouiderem, quòd eum si valeret, vel auderet, citiùs aggredi non dubitarem. Tandem ego eius immoderatæ anxietati admodum compatiens, & de dolo quem fecerat amor, tanquam de summa proditione, meipsum vehementer accusans; conueni hominem supplicando & promittendo quamcumque super hoc emendationem, ipse constitueret. Nec vlli mirabile id videri asserens, quicumque vim amoris expertus fuisset, & qui quanta ruina summos quoque viros ab ipso statim humani generis exordio mulieres deiecerint, memoria retineret. Atque vt ampliùs eum mitigarem supra quàm sperare poterat, obtuli me ei satisfacere, eam scilicet quam corruperam mihi matrimonio copulando; dummodo id secretò fieret, ne famæ detrimentum incurrerem. Assensit ille, & tam sua quàm suorum fide & osculis eam quam requisiui concordiam mecum inijt, quò me faciliùs proderet.

Ouid. lib. XIV. Metam. & Homer. Odyss. lib. VIII.

ILLICO ego ad patriam meam reuersus Amicam reduxi, vt vxorem facerem. Illa tamen hoc minimè approbante, imò penitus duabus de causis dissuadente; tam scilicet pro periculo, quàm pro dedecore meo. Iurabat illum nulla vnquam satisfactione super hoc placari posse, sicut postmodum cognitum est. Quærebat etiam quam de me gloriam habitura esset, cùm me inglorioſum efficeret, & se & me pariter

CAP. VII. Dehortatio supradictæ puellæ à nuptijs.

humiliaret. Quantas ab ea mundus pœnas exigere deberet, ſi tantam ei lucernam auferret: quantæ maledictiones, quanta damna Eccleſiæ, quantæ Philoſophorum lachrimæ hoc matrimonium eſſent ſecuturæ. Quàm indecens, quàm lamentabile eſſet, vt quem omnibus natura creauerat, vni me feminæ dicarem, & turpitudini tantæ ſubiacerem. Deteſtabatur vehementer hoc matrimonium, quod mihi per omnia probroſum eſſet, atque oneroſum *. Prætendebat infamiam mei pariter & difficultates matrimonij, ad quas quidem vitandas nos exhortans Apoſtolus ait; *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccabit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem parco vobis.* Et iterum. *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe.* Quod ſi nec Apoſtoli conſilium, nec Sanctorum exhortationes de tanto matrimonij iugo ſuſciperem: ſaltem, inquit, Philoſophos conſulerem, & quæ ſuper hoc ab eis vel de eis ſcripta ſunt attenderem. Quod plerũque etiam Sancti ad increpationem noſtram diligenter faciunt. Quale illud eſt beati Hieronymi in primo contra Iouinianum, vbi ſcilicet commemorat Theophraſtum intolerabilibus nuptiarum moleſtijs, aſſiduiſque inquietudinibus ex magna parte diligenter expoſitis, vxorem ſapienti non eſſe ducendam euidentiſſimis rationibus adſtrinxiſſe, vbi & ipſe illas exhortationis Philoſophicæ rationes tali fine concludens: *Hoc*, inquit, *& huiuſmodi Theophraſtus diſſerens, quem non ſuffundat Chriſtianorum?* Idem in eodem. *Cicero*, inquit, *rogatus ab Hircio vt poſt repudium Terentiæ, ſororem eius duceret; omnino facere ſuperſedit, dicens non poſſe ſe & vxori & Philoſophiæ operam pariter dare. Non ait operam dare, ſed adiunxit pariter, nolens quicquam agere quod ſtudio æquaretur Philoſophiæ.* Vt autem hoc Philoſophici ſtudij nunc omittam impedimentum, ipſum conſule honeſtæ conuerſationis ſtatum. Quæ enim conuentio Scholarium ad pediſſequas, ſcriptoriorum ad cunabula, librorum ſiue tabularum ad colos, ſtilorum ſiue calamorum ad fuſos? Quis denique ſacris vel Philoſophicis meditationibus intentus pueriles vagitus, nutricum, quæ hos mitigant, nænias, tumultuoſam familiæ tã in viris quàm in feminis turbam ſubſtinere poterit? Quis etiam inhoneſtas illas paruulorum ſordes aſſiduas tolerare valebit? Id (inquies) di-

uites poſſunt, quorum palatia vel domus amplæ diuerſoria habent, quorum opulentia non ſentit expenſas, nec quotidianis ſollicitudinibus cruciatur. Sed non eſt (inquam) hæc conditio Philoſophorum quæ diuitum, nec qui opibus ſtudent vel ſecularibus implicantur curis, diuinis ſeu Philoſophicis vacabunt officiis. Vnde & inſignes olim Philoſophi mundum maximè contemnentes, nec tam relinquentes ſeculum quàm fugientes, omnes ſibi voluptates interdixerunt, vt in vnius Philoſophiæ requieſcerent amplexibus. Quorum vnus & maximus Seneca Lucilium inſtruens ait: *Non cum vacaueris philoſophandum eſt: omnia negligenda ſunt, vt huic aſſideamus, cui nullum tempus ſatis magnum eſt.* Epiſt. 73. Non multum refert vtrum omittas Philoſophiam an intermittas. Non enim vbi interrupta eſt manet. Reſiſtendum eſt occupationibus, nec explicandæ ſunt, ſed ſubmouendæ. Quod nunc igitur apud nos amore Dei ſuſtinent qui verè Monachi dicuntur; hoc deſiderio Philoſophiæ, qui nobiles in gentibus extiterunt, Philoſophi. In omni namque populo tam Gentili ſcilicet quàm Iudaïco, ſiue Chriſtiano, aliqui ſemper extiterunt fide ſeu morum honeſtate cæteris præeminentes, & ſe à populo aliqua continentiæ vel abſtinentiæ ſingularitate ſegregantes. Apud Iudæos quidem antiquitus Nazaræi, qui ſe domino ſecundum legem conſecrabant, ſiue filij Prophetarum Heliæ vel Heliſæi ſectatores, quos beato atteſtante Hieronymo Monachos legimus in veteri Teſtamento. Tom. 1. Epiſt. 4. fol 13. Nouiſſimè autem tres illæ Philoſophiæ ſectæ, quas Ioſephus in libro Antiquitatum XVIII. diſtinguens, alios Phariſæos, alios Sadducæos, Cap. 2. alios nominat Eſſæos. Apud nos verò Monachi, qui videlicet aut communem Apoſtolorum vitam, aut priorem illam & ſolitariam Ioannis imitantur. Apud Gentiles autem, vt dictum eſt, Philoſophi. Non enim ſapientiæ vel Philoſophiæ nomen tam ad ſcientiæ perceptionem, quàm ad vitæ religionem referebant, ſicut ab ipſo etiam huius nominis ortu didicimus, ipſorum quoque teſtimonio Sanctorum. Vnde & illud eſt beati Auguſtini VIII. de Ciuitate Dei libro, genera quidem Philoſophorum diſtinguentis: *Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium, à quo & fertur ipſum Philoſophiæ nomen exortum. Nam cùm antea ſapientes appellaretur qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præſtare videbantur, iſte interrogatus quid*

Digitized by Google

profiteretur, Philoſophum ſe eſſe reſpondit, id eſt ſtudioſum vel amatorem ſapientiæ: quoniam ſapientem profiteri arrogantiſſimum videbatur. Hoc itaque loco cum dicitur, *qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præſtare videbantur*, aperte monſtratur Sapientes gentium, id eſt, Philoſophos ex laude vitæ potiùs quàm ſcientiæ ſic eſſe nominatos. Quàm ſobriè autem atque continenter ipſi vixerint, non eſt noſtrum modo exemplis colligere, ne Mineruam ipſam videar docere. Si autem ſic Laici Gentiléſque vixerunt, nulla ſcilicet profeſſione religionis adſtricti, quid te Clericum atque Canonicum facere oportet, ne diuinis officiis turpes præferas voluptates, ne te præcipitem hæc Charibdis abſorbeat, ne obſcœnitatibus iſtis te impudenter atque irreuocabiliter immergas? Qui ſi Clerici prærogatiuã non curas, Philoſophi ſaltem defende dignitatem. Si reuerentia Dei contemnitur, amor ſaltem honeſtatis impudentiam temperet. Memento Socratem vxoratum fuiſſe, & quàm fœdo caſu hanc Philoſophiæ labem ipſe primò luerit, vt deinceps cæteri exemplo eius cautiores efficerentur. Quod nec ipſe prætcrit Hieronymus ita in primo contra Iouinianum de ipſo ſcribens Socrate. *Quodam autem tempore cùm infinita conuitia ex ſuperiore loco ingerenti Xantippæ reſtitiſſet: aqua profuſus immunda nihil reſpondit ampliùs, quàm capite deterſo, Sciebam (inquit) futurum vt iſta tonitrua imber ſequeretur.* Addebat denique ipſa & quàm periculoſum mihi eſſet eam reducere, & quàm ſibi charius exiſteret, mihíque honeſtius amicam dici quàm vxorem: vt me ei ſola gratia conſeruaret, non vis aliqua vinculi nuptialis conſtringeret. Tantóque nos ipſos ad tempus ſeparatos gratiora de cõuentu noſtro percipere gaudia, quantò rariora. Hæc & ſimilia perſuadens ſeu diſſuadens, cùm meam deflectere non poſſet ſtultitiam, nec me ſubſtineret offendere, ſuſpirans vehementer & lachrymãs perorationem ſuam tali fine terminauit. Vnum, inquit, ad vltimum reſtat, vt in perditione duorum minor non ſuccedat dolor quàm præceſſit amor. Nec in hoc ei, ſicut vniuerſus agnouit mundus, prophetiæ defuit ſpiritus. Nato itaque paruulo noſtro ſorori meæ commẽdato Pariſius occultè reuertimur, & poſt paucos dies nocte ſecretis orationum vigilijs in quadam Eccleſia celebratis, ibidem ſummo mane, iuuenculo eius atque quibuſdam noſtris vel ipſius amicis aſſiſtentibus,

ſtentibus, nuptiali benedictione confœderamur. Móxque occultè diuiſim abſceſſimus, nec nos vlteriùs niſi rarò latentérque vidimus, diſſimulantes plurimùm quod egeramus. Auunculus autem ipſius, atque domeſtici eius, ignominiæ ſuæ ſolatium quærentes, initum matrimonium diuulgare, & fidē mihi ſuper hoc datam violare cœperunt. Illa autem econtra anathematizare & iurare, quia falſiſſimum eſſet. Vnde vehementer ille commotus, crebris eam contumelijs afficiebat. Quod cùm ego cognouiſſem, tranſmiſi eam ad Abbatiam quandam Sanctimonialium prope Pariſius, quæ Argenteolum appellatur: vbi ipſa olim puellula educata fuerat, atque erudita. Veſtes quoque ei religionis, quæ conuerſioni* Monaſticæ conuenirent, excepto velo, aptari feci, & his eam indui. Quo audito, auunculus & cōſanguinei ſeu affines eius opinati ſunt me nunc ſibi plurimum illuxiſſe*, & ab ea Moniali facta me ſic facilè expedire. Vnde vehementer indignati, & aduerſum me coniurati, nocte quadam quieſcentem me atque dormientem in ſecreta hoſpitij mei camera, quodam mihi ſeruiente per pecuniam corrupto, crudeliſſima & pudentiſſima vltione punierunt, & quam ſumma admiratione mundus excepit: eis videlicet corporis mei partibus amputatis, quibus id quod plangebant commiſeram. Quibus mox in fugam conuerſis, duo qui comprehendi potuerunt oculis & genitalibus priuati ſunt. Quorum alter ille fuit ſupradictus ſeruiens, qui cùm in obſequio meo mecum maneret, cupiditate ad proditionem ductus eſt.

*al conuerſationi.

*al. illuſiſſe.

Quomodo caſtrat' eſt.

CAP. VIII. De plaga illa corporis eius.

MANE autem facto, tota ad me ciuitas congregata quanta ſtuperet admiratione, quanta ſe affligeret lamentatione, quanto me clamore vexarent, quanto planctu perturbarent: difficile, imò impoſſibile eſt exprimi. Maximè verò Clerici, ac præcipuè Scholares noſtri intolerabilibus me lamentis & eiulatibus cruciabant, vt multò ampliùs ex eorum compaſſione quàm ex vulneris læderer paſſione, & plus erubeſcentiam quàm plagam ſentirem, & pudore magis quàm dolore affligerer. Occurrebat animo quanta modo gloria pollebam, quàm facili & temporali caſu hæc humiliata, imò penitus eſſet extincta: Quàm iuſto Dei iudicio in illa corporis mei portione plecterer, in qua deliqueram. Quàm iuſta proditione is, quem antea prodideram, vicem mihi retuliſſet. Quanta

Digitized by

laude mei æmuli tam manifeſtam æquitatẽ efferrent. Quantam perpetui doloris contritionem plaga hæc parentibus meis & amicis eſſet collatura. Quanta dilatatione hæc ſingularis infamia vniuerſum mundum eſſet occupatura. Qua mihi vlteriùs via pateret, qua fronte in publicum prodirem omnium digitis demonſtrandus*, omnium linguis corrodendus, omnibus monſtruoſum ſpectaculum futurus. Nec me etiam parum confundebat, quòd ſecundum occidentem legis literam tanta ſit apud Deum Eunuchorum abominatio, vt homines amputatis vel attritis teſtibus eunuchizati intrare Eccleſiam tanquã olentes & immundi prohibeantur, & in ſacrificio quoque talia penitus animalia reſpuãtur. Lib. Num. cap LXXIIII. *Omne animal, quod eſt contritis, vel tonſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis, non offeretis Domino.* Deuter. cap. XXI. *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Dei.* In tam miſera me contritione poſitum confuſio, fateor, pudoris potiùs quàm deuotio conuerſionis ad Monaſtichorum latibula clauſtrorum compulit. Illa tamen priùs ad imperium noſtrum ſpontè velata, & Monaſterium ingreſſa. Ambo itaque ſimul ſacrum habitum ſuſcepimus, ego quidem in Abbatia ſancti Dionyſij, illa in Monaſterio Argenteoli ſupradicto. Quæ quidem, memini, cùm eius adoleſcentiam à iugo Monaſticæ regulæ tanquam intolerabili pœna plurimi fruſtra deterrerent ei compatientes, in illam Corneliæ querimoniam inter lachrymas & ſingultus prout poterat prorumpens, ait:

* *al.* denotandus.

Deuteron. cap. 23.

Abaelardus fit Monach⁹ in Monaſterio S. Dionyſij: Heloiſſa Sanctimonialis apud Argenteolum.

Lucanus lib. 8. Phaſal.

——— ô maxime coniux!
O thalamis indigne meis! hoc iuris habebat
In tantum fortuna caput? cur impia nupſi,
Si miſerum factura fui? nunc accipe pœnas,
Sed quas ſponte luam. ———

Atque in his verbis ad altare mox properat, & confeſtim ab Epiſcopo benedictum velum ab altare tulit, & ſe monaſticæ profeſſioni coram omnibus alligauit. Vix autem de vulnere adhuc conualueram, cùm ad me confluentes Clerici tam ab Abbate noſtro, quàm à meipſo continuis ſupplicationibus efflagitabant, quatenus quod hucuſque pecuniæ vel laudis cupiditate egeram, nunc amore Dei operam ſtudio darem attendens quod mihi fuerat à Domino talentum commiſ-

Matth. 25.

Digitized by Google

ſum, ab ipſo eſſe cum vſuris exigendum: & qui diuitibus maximè hucuſque intenderam, pauperibus erudiendis amodò ſtuderem. Et ob hoc maximè Dominica manu me nunc tactum eſſe cognoſcerem, quò liberiùs à carnalibus illecebris, & tumultuoſa vita ſeculi abſtractus, ſtudio literarum vacarem. Nec tam mundi quàm Dei verè Philoſophus fierem. Erat autem Abbatia illa noſtra, ad quam me contuleram, ſecularis admodum vitæ atque turpiſſimæ. Cuius Abbas ipſe, quò cæteris prælatione maior, tantò vita deterior atque infamia notior erat. Quorum quidem intolerabiles ſpurcitias ego frequenter atque vehementer modò priuatim, modò publicè redarguens, omnibus me ſupra modum oneroſum atque odioſum effeci. Qui ad quotidianam diſcipulorum noſtrorum inſtantiam maximè gauiſi, occaſionem nacti ſunt, qua me à ſe remouerent. Diu itaque illis inſtantibus atque importunè pulſantibus, Abbate quoque noſtro & fratribus interuenientibus, ad Cellam quandam receſſi, Scholis more ſolito vacaturus. Ad quas quidem tanta Scholarium multitudo confluxit, vt nec locus hoſpitiis, nec terra ſufficeret alimentis. Vbi, quod profeſſioni meæ conuenientius erat, ſacræ plurimum lectioni ſtudium intendens, ſecularium artium diſciplinam, quibus ampliùs aſſuetus fueram, & quas à me plurimum requirebant, non penitus abieci: ſed de his quaſi hamum quendam fabricaui, quo illos Philoſophico ſapore ineſcatos ad veræ Philoſophiæ lectionem attraherem, ſicut & ſummum Chriſtianorum Philoſophorum Origenem conſueuiſſe Hiſtoria meminit Eccleſiaſtica. Cùm autem in diuina Scriptura non minorem mihi gratiam, quàm in ſeculari Dominus contuliſſe videretur, cœperunt admodum ex vtraque lectione Scholæ noſtræ multiplicari, & cæterę omnes vehementer attenuari. Vnde maximè Magiſtrorum inuidiam atque odium aduerſum me concitaui. Qui in omnibus quę poterant mihi derogantes, duo pręcipuè abſenti mihi ſemper obijciebant: quòd ſcilicet propoſito Monachi valde ſit contrarium ſecularium Librorum ſtudio detineri, & quòd ſine Magiſtro ad Magiſterium diuinæ lectionis accedere præſumpſiſſem: vt ſic videlicet omne mihi doctrinæ Scholaris exercitium interdiceretur, ad quod inceſſanter Epiſcopos, Archiepiſcopos, Abbates, & quaſcumque

Euſeb. Eccleſ. Hiſtor. lib. 6 cap. 13

Digitized by Google

poterant religioſi nominis perſonas incitabant.

CAP. IX. De libro Theologiæ ſuæ,& perſecutione quam ſuſtinuit à condiſcipulis.

ACCIDIT autem mihi vt ad ipſum fidei noſtræ fundamentum humanæ rationis ſimilitudinibus diſſerendum primò me applicarem,& quẽdam Theologiæ Tractatum de Vnitate & Trinitate diuina Scholaribus noſtris componerem, qui humanas & Philoſophicas rationes requirebant , & plus quæ intelligi quàm quæ dici poſſent efflagitabant : dicentes quidem verborum ſuperfluam eſſe prolationem,quam intelligentia non ſequeretur, nec credi poſſe aliquid niſi primitus intellectum,& ridiculoſum eſſe aliquem alijs prædicare quod nec ipſe nec illi quos doceret intellectu capere poſſent. Domino ipſo arguente quòd *cæci* eſſent *duces cæcorum*. Quem quidem Tractatum cùm vidiſſent & legiſſent plurimi, cœpit in commune omnibus plurimum placere, quòd in eo pariter omnibus ſatisfieri ſuper hoc quęſtionibus videbatur. Et quoniam quæſtiones iſtæ præ omnibus difficiles videbantur, quantò earum maior extiterat grauitas, tantò ſolutionis earum cenſebatur maior ſubtilitas. Vnde æmuli mei vehementer accenſi Concilium contra me congregauerunt, maximè duo illi antiqui inſidiatores, Albericus ſcilicet & Lotulfus, qui iam defunctis Magiſtris eorum & noſtris, Guillelmo ſcilicet atque Anſelmo , poſt eos quaſi regnare ſe ſolos appetebant , atque etiam ipſis tanquam hæredes ſuccedere. Cùm autem vtrique Remis Scholas regerent , crebris ſuggeſtionibus Archiepiſcopum ſuum Rodulphum aduerſum me commouerunt, vt aſcito Conano Prænestino Epiſcopo, qui tunc legatione fungebatur in Gallia , Cõuenticulum quemdam ſub nomine Concilij in Sueſſionenſi ciuitate celebrarent ; méque inuitarent quatenus illud opus clarum , quod de Trinitate compoſueram , mecum afferrem. Et factum eſt ita. Antequam autem illuc peruenirem , duo illi prædicti æmuli noſtri ita me in Clero & populo diffamauerunt, vt penè me populus paucóſque qui aduenerant ex diſcipulis noſtris prima die noſtri aduentus lapidarent, dicentes me tres Deos prædicare & ſcripſiſſe , ſicut ipſis perſuaſum fuerat. Acceſſi autem, mox vt ad ciuitatem veni, ad Legatum; eique Libellum noſtrum inſpiciendum & dijudicandum tradidi ; & me , ſi aliquid ſcripſiſſem quod à Catholica fide diſſentiret, paratum eſſe ad correctionem* vel ſatisfactio-

Matth. 15.

Remenſis Archiepiſcopus in Abaelardũ.

Concilium cõtra eum.

**al.* correptionem.

Digitized by Google

nem obtuli. Ille autem ſtatim mihi præcepit Libellum ipſum Archiepiſcopo, illiſque æmulis meis deferre, quatenus ipſi me iudicarent, qui me ſuper hoc accuſabant: vt illud in me etiam compleretur, *& inimici noſtri ſunt iudices.* Sæpiùs autem illi inſpicientes atque reuoluentes Libellum, nec quid in audientia proferre aduerſum me auderent inuenientes, diſtulerunt vſque in finem Concilij Libri, ad quam anhelabant, damnationem. Ego autem ſingulis diebus antequam ſederet* Concilium, in publico omnibus ſecundum quàm ſcripſeram fidem Catholicam diſſerebam, & cùm magna admiratione omnes qui audiebant tam verborum apertionem quàm ſenſum noſtrum commendabant. Quod cùm populus & Clerus inſpiceret, cœperunt adinuicem dicere: Ecce nunc palam loquitur, & nemo in eum aliquid dicit. Et concilium ad finem feſtinat, maximè in eum vt audiuimus congregatum. Nunquid iudices cognouerunt, quia ipſi potius, quàm ille, errant? Ex quo æmuli noſtri quotidie magis ac magis inflammabantur. Quadam autem die Albericus ad me animo intentatis* cum quibuſdam diſcipulis ſuis accedens, poſt quædam blanda colloquia dixit ſe mirari quoddam, quod in Libro illo notauerat: quòd ſcilicet cùm Deus Deum genuerit, nec niſi vnus Deus ſit, negarem tamen Deum ſeipſum genuiſſe. Cui ſtatim reſpondi. Super hoc, ſi vultis, rationem proferam. Non curamus, inquit ille, rationem humanam, aut ſenſum noſtrum in talibus, ſed authoritatis verba ſolummodò. Cui ego. Vertite, inquam, folium Libri, & inuenietis authoritatem. Et erat præſto Liber quem ſecum ipſe detulerat. Reuolui ad locum, quem noueram, quem ipſe minimè compererat, aut qui non niſi mihi nocitura quærebat. Et voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam. Erat autem ſententia intitulata. Auguſtinus de Trinitate lib. 1. *Qui putat eius potentiæ Deum, vt ſeipſum ipſe genuerit, eò plus errat quòd non ſolum Deus ita non eſt; ſed nec ſpiritalis creatura, nec corporalis. Nulla enim omninò res eſt, quæ ſeipſam gignat.* Quod cùm diſcipuli eius, qui aderant, audiſſent, obſtupefacti erubeſcebant. Ipſe autem, vt ſe quoquomodo protegeret: Bene, inquit, eſt intelligendum. Ego autem ſubieci*, hoc non eſſe nouellum: ſed ad præſens nihil

Deuter. 32.

* al. cederet

* al. intentandum.

Cap. 1.

* al. ſubiunxi.

Digitized by Google

attinere, cùm ipſe verba tantùm, non ſenſum requiſiſſet. Si autem ſenſum & rationem attendere vellet, paratum me dixi ei oſtendere ſecundum eius ſententiam, quòd in eam lapſus eſſet hæreſim, ſecũdum quam is qui pater eſt ſui ipſius filius ſit. Quo ille audito, ſtatim quaſi furibundus effectus, ad minas conuerſus eſt, aſſerens nec rationes meas, nec authoritates mihi in hac cauſa ſuffragaturas eſſe. Atque ita receſſit. Extrema verò die Concilij, priuſquàm reſiderent, diu Legatus ille atque Archiepiſcopus cum æmulis meis & quibuſdam perſonis deliberare cœperunt, quid de meipſo & Libro meo ſtatueretur, pro quo maximè vocati fuerant. Et quoniam ex verbis meis, aut ſcripto quod erat in præſenti, non habebant quod in me prætenderent, omnibus aliquantulum conticentibus, aut iam mihi minùs apertè detrahentibus, Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus, qui cæteris Epiſcopis & religionis nomine & ſedis dignitate præcellebat, ita exorſus eſt. NOSTIS Domini omnes qui adeſtis, hominis huius doctrinam, qualiſcumque ſit, eiúſque ingenium, in quibuſcumque ſtuduerit multos aſſectatores * & ſequaces habuiſſe, & Magiſtrorum tam ſuorum quàm noſtrorum famam maximè compreſſiſſe, & quaſi eius vineam à mari vſque ad mare palmites ſuos extendiſſe. Si hunc præiudicio, quod non arbitror, grauaueritis, etiamſi rectè multos vos offenſuros ſciatis, & non deeſſe plurimos qui eum defendere velint; præſertim cùm in præſenti ſcripto nulla videamus, quæ aliquid obtineant apertæ calumniæ; & quia iuxta illud Hieronymi, *ſemper in propatulo fortitudo æmulos habet, feriũtque ſummos fulgura montes:* Videte ne plus ei nominis conferatis violenter agendo, & plus nobis criminis ex inuidia, quàm ei ex iuſtitia conquiramus. Falſus enim rumor, vt prædictus Doctor meminit, citò opprimitur, & vita poſterior iudicat de priore. Si autem Canonicè agere in eum diſponitis, dogma eius vel ſcriptum in medium proferatur, & interrogato liberè reſpondere liceat, vt conuictus vel confeſſus * penitus obmuteſcat. Iuxta illam ſaltem beati Nicodemi ſententiam, qua Dominum ipſum liberare cupiens aiebat: *Nunquid lex noſtra iudicat hominem, vbi audierit ab ipſo prius, & cognouerit quid faciat?* Quo audito ſtatim æmuli mei obſtrepentes exclamauerunt: O ſapiens * conſilium, vt contra eius verboſitatem

* *al.* aſſentatores.

Tom. 3. Procem. in quæſt. Hebr. in Geneſ. Horat. lib. 2. Carm. Od. 10.

Tom. 1. Ep. 10.

* *al.* cõfuſus.

Ioan. 7.

* *al.* ſapiẽtis.

contendamus, cuius argumentis vel ſophiſmatibus vniuerſus obſiſtere mundus non poſſet! Sed certè multò difficilius erat cum ipſo contendere Chriſto, ad quem tamen audiendum Nicodemus iuxta Legis ſanctionem inuitabat. Cùm autem Epiſcopus ad id quod propoſuerat eorum animos iuducere non poſſet, alia via eorum inuidiam refrenare attemptat, dicens ad diſcuſſionem tantæ rei, paucos qui aderant non poſſe ſufficere, maioríſque examinis cauſam hanc indigere. In hocque vlteriùs tantum ſuum eſſe conſilium, vt ad Abbatiam meam, hoc eſt Monaſterium ſancti Dionyſij, Abbas meus, qui aderat, me reduceret: ibíque pluribus ac doctioribus perſonis conuocatis diligentiori examine quid ſuper hoc faciendum eſſet ſtatueretur. Aſſenſit Legatus huic nouiſſimo conſilio, & cæteri omnes. Indè mox Legatus aſſurrexit, vt Miſſam celebraret, antequam Concilium intraret, & mihi per Epiſcopum illum licentiam conſtitutam mandauit, reuertendi ſcilicet ad Monaſterium noſtrum, ibi expectaturo quod condictum fuerat. Tunc æmuli mei nihil ſe egiſſe cogitantes, ſi extra dioceſim ſuam hoc negotium ageretur, vbi videlicet iudicium minimè exercere valerent, qui ſcilicet de iuſtitia minus confidebant, Archiepiſcopo perſuaſerunt hoc ſibi valdè ignominioſum eſſe, ſi ad aliam audientiam cauſa hæc transferretur, & periculoſum fieri ſi ſic euaderem. Et ſtatim ad Legatum concurrentes, eius immutauerunt ſententiam, & ad hoc inuitum pertraxerunt, vt Librum ſine vlla inquiſitione damnaret, atque in conſpectu omnium ſtatim cõbureret, & me in alieno Monaſterio perenni clauſura cohiberet. Dicebant enim ad damnationem Libelli ſatis hoc eſſe debere, quòd nec Romani Pontificis, nec Eccleſiæ authoritate commendatum legere publicè præſumpſeram, atque ad tranſcribendum iam pluribus eum ipſe præſtitiſſem. Et hoc perutile futurum fidei Chriſtianæ, ſi exemplo mei multorum ſimilis præſumptio præueniretur. Quia autem Legatus ille minus quàm neceſſe eſſet literatus fuerat, plurimum Archiepiſcopi conſilio nitebatur *, ſicut & Archiepiſcopus illorum. Quod cùm Carnotenſis præſenſiſſet Epiſcopus, ſtatim machinamenta hæc ad me retulit, & me vehementer hortatus eſt, vt hoc tantò leniùs tolerarem, quantò violentiùs agere eos omnibus patebat. Atque hanc

* al. vtebatur.

Digitized by Google

tam manifeſtæ inuidię violentiam eis plurimum obfuturam, & mihi profuturam non dubitarem. Nec de clauſura Monaſterij vllatenus perturbarer, ſciens profectò Legatum ipſum, qui coactus hoc faciebat, poſt paucos dies, cùm hinc receſſerit, me penitus liberaturum. Et ſic me vt potuit flentem flens & ipſe conſolatus eſt.

CAP. X. De combuſtione ipſius Libri.

VOCATVS itaque ſtatim ad Concilium adfui, & ſine vllo diſcuſſionis examine meipſum compulerunt propria manu Librum memoratum meum in ignem proijcere. Et ſic combuſtus eſt, vt tamen cùm nihil dicere viderentur, quidam de aduerſarijs meis id ſubmurmurauit, quòd in Libro ſcriptum deprehenderat, ſolum Deum Patrem omnipotentem eſſe. Quod cùm Legatus ſubintellexiſſet, valde admirans ei reſpondit, hoc nec de puerulo* aliquo credi debere, quòd adeò erraret: Cum communis, inquit, fides & teneat & profiteatur tres omnipotentes eſſe. Quo audito Terricus quidam Scholarum Magiſter irridendo ſubintulit illud Athanaſij, *& tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.* Quem cùm Epiſcopus ſuus increpare cœpiſſet, & reprimere quaſi reum, qui in Majeſtatem loqueretur; audacter ille reſtitit, & quaſi Danielis verba commemorans ait: *Sic fatui filij Iſrael, non iudicantes neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filium Iſrael. Reuertimini ad iudicium, & de ipſo iudice iudicate*, qui talem iudicem quaſi ad inſtructionem fidei & correctionem erroris* inſtituiſtis: qui cùm iudicare deberet, ore ſe proprio condemnauit. Diuina hodie miſericordia innocentem patẽter, ſicut olim Suſannã à falſis accuſatoribus, liberate. Tunc Archiepiſcopus aſſurgens verbis, prout oportebat, commutatis ſententiam Legati confirmauit, dicens: Re vera Domine, inquit, omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus-ſanctus. Et qui ab hoc diſſentit, apertè deuius eſt, nec eſt audiendus. Et modo ſi placet, bonum eſt vt frater ille fidem ſuam coram omnibus exponat, vt ipſa prout oportet vel approbetur, vel improbetur, atque corrigatur. Cùm autem ego ad profitendam & exponendam fidem meã aſſurgerem, vt quod ſentiebam verbis proprijs exprimerem; aduerſarij dixerunt non aliud mihi neceſſarium* eſſe, niſi vt Symbolum Athanaſij recitarem, quod quiuis puer æquè facere poſſet. Ac ne ex ignorantia prætenderem excuſationẽ, quaſi

*al. paruulo

In Symbolo.

Cap. 13.

*al. errorũ.

Ibidem.

* al. neceſſum.

Digitized by Google

quasi qui verba illa in vsu non haberem, scripturam ad legendum afferri fecerunt. Legi inter suspiria, singultus & lacrimas, prout potui. Indè quasi reus & conuictus Abbati sancti Medardi, qui aderat, traditus; ad claustrum eius tanquam ad carcerem trahor. Statimque Concilium soluitur. Abbas autem & Monachi illius Monasterij me sibi remansurum vlteriùs arbitrantes, summa exultatione susceperunt, & cum omni diligentia tractantes consolari frustra nitebãtur. Deus qui iudicas æquitatem, quanto tunc animi felle, quanta mentis amaritudine teipsum infamis arguebam, te furibundus accusabam, sæpiùs repetens illam beati Anthonij conquestionem, *Iesu bone vbi eras?* Quanto autem dolore æstuarem, quanta erubescentia confunderer, quanta desperatione perturbarer; sentire tunc potui, proferre non possum. Conferebam cum his quæ in corpore passus olim fueram, quanta nunc sustinerem; & omnium hominum me æstimabam miserrimum. Paruam illam ducebam proditionem in comparatione huius iniuriæ, & longè ampliùs famæ quàm corporis detrimentum plangebam: cùm ad illam ex aliqua * culpa deuenerim, ad hanc me tã patentem violentiam sincera intentio amórque fidei nostræ induxissent, quæ me ad scribendum compulerant. Cùm autem hoc tam crudeliter & inconsideratè factum omnes, ad quos famâ delatum est, vehementer arguerent, singuli qui interfuerant à se cúlpã repellentes in alios transfundebant: adeò vt ipsi quoque æmuli nostri idcõsilio suo factum esse denegarent, & Legatus coram omnibus inuidiam Francorum super hoc maximè detestaretur. Qui statim pœnitentia ductus post aliquos dies, cùm ad tempus coactus satisfeciſſet illorum inuidiæ, me de alieno eductum Monasterio ad proprium remisit; vbi ferè quotquot erãt olim iam, vt suprà memini, infestos habebam; cùm eorum vitæ turpitudo & impudens conuersatio me suspectum penitus haberent, quem * arguentem grauiter sustinerent. Paucis autem elapsis mensibus, occasionem eis fortuna obtulit, qua me perdere molirentur. Fortuitu namque mihi quadam die legenti occurrit quædam Bedæ sententia, qua in expositione Actuum Apostolorum asserit Dionysium Areopagitam Corinthiorum potius quàm Athenienſium fuisse Episcopum. Quod valdè eis contrarium videbatur, qui suum Dionysium

Apud Hieronym. in eius vita.

* *al.* antiqua

* *al.* quòd

Digitized by

esse illum Areopagitam iactitant, quem ipsum Atheniensem Episcopum gesta eius fuisse profitentur. Quod cum reperissem, quibusdam circumstantium fratrum quasi iocando monstraui, testimonium scilicet illud Bedæ, quod nobis obijciebatur. Illi verò valde indignati dixerunt Bedam mendacissimum Scriptorem, & se Huldonium* Abbatem suum veriorem habere testem, qui pro hoc inuestigando Græciam diu perlustrauit, & rei veritate agnita in gestis illius, quæ cõscripsit, hanc veraciter dubitationem remouit. Vnde cùm vnus eorum importuna interrogatione pulsaret, Quid mihi super hac controuersia, Bedæ videlicet atque Huldonij, videretur; Respondi, Bedæ authoritatem, cuius scripta vniuersæ Latinorum frequentant Ecclesiæ, gratiorem mihi videri. Ex quo illi vehementer accensi clamare cœperunt, nũc me patenter ostendisse, quòd semper Monasterium illud nostrum infestauerim, & quòd nunc maximè toti regno derogauerim, ei videlicet honorem illum auferens, quo singulariter gloriaretur; cùm eorum Patronum Areopagitam fuisse denegarem. Ego autem respondi, nec me hoc denegasse, nec multum curandum esse, vtrum ipse Areopagita an aliunde fuerit, dummodo tantam apud Deum adeptus sit coronam. Illi verò ad Abbatem statim concurrentes, quod mihi imposuerant* nunciauerunt. Qui libenter hoc audiuit, gaudens se occasionem aliquam adipisci qúa me opprimeret, vtpote qui quantò cæteris turpiùs viuebat, magis me verebatur. Tunc Concilio suo congregato, & fratribus congregatis, grauiter mihi comminatus est, & se ad Regem cum festinatione missurum dixit, vt de me vindictam sumeret, tanquam regni sui gloriam & coronam ei auferente. Et me interim bene obseruare præcepit, donec me Regi traderet. Ego autem ad regularem disciplinam, si quid deliquissem, frustra me offerebam. Tunc ego nequitiam eorum vehementer exhorrens, vtpote qui tamdiu tam aduersam habuissem fortunam, penitus desperatus quasi aduersum me vniuersus coniurasset mundus, quorumdam consensu fratrum mei miserantium, & quorumdam discipulorum nostrorum suffragio, nocte latenter aufugi, atque ad terram Comitis Theobaldi proximam, vbi antea in Cella moratus fueram, abscessi. Ipse quippe & mihi aliquantulum notus erat, & oppressionibus meis quas audierat

Digitized by Google

admodum compatiebatur. Ibi autem in caſtro Priuigni* morari cœpi, in Cella videlicet quadam Trecenſium Monachorum, quorum Prior antea mihi familiaris extiterat, & valde dilexerat. Qui valde in aduentu meo gauiſus, cum omni diligentia me procurabat. Accidit autem quadã die, vt ad ipſum caſtrum Abbas noſter ad prædictum Comitem pro quibuſdam ſuis negotiis veniret. Quo cognito acceſſi ad Comitem cum Priore illo, rogans eum quatenus pro me ipſe intercederet ad Abbatem noſtrum, vt me abſolueret & licentiam daret viuendi monaſticè vbicumque mihi competens locus occurreret. Ipſe autem, & qui cum eo erant, in conſilio rem poſuerunt, reſpõſuri Comiti ſuper hoc in ipſa die antequam recederent. Inito autem conſilio, viſum eſt eis me ad aliam Abbatiam velle tranſire, & hoc ſuę dedecus immenſum fore. Maximæ namque gloriæ ſibi imputabant, quòd ad eos in cõuerſione mea diuertiſſem, quaſi cæteris omnibus Abbatijs contemptis; & nunc maximum ſibi imminere dicebant opprobrium, ſi eis abiectis ad alios tranſmearem. Vnde nullatenus vel me, vel Comitem ſuper hoc audierunt. Imò mihi ſtatim comminati ſunt, quòd niſi feſtinus redirem, me excõmunicarẽt. Et Priori illi, ad quẽ refugerã, modis omnibus interdixerunt, ne me deinceps retineret, niſi excõmunicationis particeps eſſe ſuſtineret. Quo audito, tã Prior ipſe quàm ego valde anxiati fuimus. Abbas autem in hac obſtinatione recedens, poſt paucos dies defunctus eſt. Cui cùm alius ſucceſſiſſet, conueni eum cum Epiſcopo Meldenſi, vt mihi hoc, quod à prædeceſſore eius petieram, indulgeret. Cui rei cùm nec ille primò acquieſceret, poſtea interuenientibus amicis quibuſdam noſtris, Regem & Conſilium eius ſuper hoc compellaui; & ſic quod volebam impetraui. Stephanus quippe Regis tunc Dapifer, vocato in partem Abbate & familiaribus eius, quæſiuit ab eis cur me inuitum retinere vellent, ex quo incurrere facilè ſcandalum poſſent, & nullam vtilitatem habere; cùm nullatenus vita mea & ipſorum conuenire* poſſent. Sciebam autem in hoc Regij Conſilij ſententiam eſſe, vt quò minùs regularis Abbatia illa eſſet, magis Regi eſſet ſubiecta atque vtilis, quantum videlicet ad lucra temporalia. Vnde me facile Regis & ſuorum aſſenſum conſequi credideram. Sícque actum eſt. Sed ne gloriationem ſuam,

*al. Pruuini

* al. congruere.

Digitized by Google

quam de me habebat, Monaſterium noſtrum amitteret; conceſſerunt mihi ad quam vellem ſolitudinem tranſire, dummodo nulli me Abbatiæ ſubiugarem. Hócque in præſentia Regis & ſuorum vtrinque aſſenſum eſt & confirmatum. Ego itaque ad ſolitudinem quandam in Trecenſi pago mihi antea cognitam me contuli, ibíque à quibuſdam terra mihi donata, aſſenſu Epiſcopi terræ Oratorium quoddam in nomine ſanctæ Trinitatis ex calamis & culmo primùm conſtruxi. Vbi cum quodam clerico noſtro latitans, illud verè Domino poteram decantare, *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.*

Pſalm. 54.

CAP. XI.

QVOD cùm cognouiſſent Scholares, cœperunt vndique concurrere, & relictis ciuitatibus & caſtellis ſolitudinem inhabitare, & pro amplis domibus parua tabernacula ſibi cõſtruere, & pro delicatis cibis herbis aggreſtibus & pane cibario victitare, & pro mollibus ſtratis culmum ſibi & ſtramen comparare, & pro menſis glebas erigere. Et verè eos priores Philoſophos imitari crederes, de quibus & Hieronymus in Libro ſecundo contra Iouinianum his commemorat verbis, *Per ſenſus quaſi per quaſdam feneſtras vitiorũ ad animã introitus eſt. Non poteſt metropolis & arx mentis capi, niſi per portas irruerit hoſtilis exercitus. Si Circẽſibus quiſpiam delectatur, ſi Athletarum certamine, ſi mobilitate hiſtrionum, ſi formis mulierũ, ſi ſplendore gemmarum, veſtium, & cæteris huiuſmodi, per oculorum feneſtras animæ capta libertas eſt, & impletur illud propheticum, Mors intrauit per feneſtras noſtras. Igitur cùm per has portas quaſi quidam perturbationum cunei ad arcem noſtræ mentis intrauerint, vbi erit libertas? vbi fortitudo eius? vbi de Deo cogitatio? Maximè cùm tactus depingat ſibi etiam præteritas voluptates, & recordationem vitiorũ cogat animam compati, & quodam modo exercere quod non agit. His igitur rationibus inuitati multi Philoſophorum reliquerunt frequentias vrbium & hortulos ſuburbanos, vbi ager irriguus, & arborum comæ, & ſuſurrus auium, fontis ſpeculum, riuus murmurans, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum animæ fortitudo molleſceret, & eius pudicitia ſtupraretur. Inutile quippe eſt crebro videre per quæ aliquando captus ſis, & eorũ te experimento committere quibus difficulter careas. Nam & Pythagorei huiuſmodi frequentiam declinantes, in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueuerant.* Sed & ipſe Plato cùm diues eſſet &

Hierem. 9.

Digitized by Google

thorum eius Diogenes lutatis pedibus conculcaret, vt posset vacare Philosophiæ elegit Academiam villã ab vrbe procul non solum desertam, sed & pestilentem: vt cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangerentur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem nisi earum rerum quas discerent. Talem & filij Prophetarum Helisæo adhærentes vitam referuntur duxisse. De quibus ipse quoque Hieronymus, quasi de Monachis illius tẽporis, ad Rusticum Monachũ inter cætera ita scribit: *Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri legimus Testamento, ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis & vrbibus derelictis, polenta & herbis aggrestibus victitabant.* Tales discipuli nostri ibi super Arduzonem fluuium casulas suas ædificantes, Heremitæ magis quàm Scholares videbantur. Quantò autem illuc maior Scholarium erat confluentia, & quantò duriorem in doctrina nostra vitam substinebant, tantò amplius mihi æmuli æstimabant glorioſum, & sibi ignominioſum. Qui cùm cuncta quæ poterant * in me egissent, omnia cooperari mihi in bonum dolebant: atque ita iuxta illud Hieronymi, me procul ab vrbibus, foro, litibus, turbis remotum, sic quoque (vt Quintilianus, ait) latentem inuenit inuidia. Quia * apud semetipsos tacitè conquerentes, & ingemiscentes, dicebant: Ecce mundus totus post eum abijt, nihil persequendo profecimus: sed magis eum glorioſum effecimus. Extinguere nomen eius studuimus, sed magis accendimus. Ecce in ciuitatibus omnia necessaria Scholares ad manum habent, & ciuiles delitias contemnentes, ad solitudinis inopiam confluunt, & sponte miseri fiunt. Tunc autem præcipuè ad Scholarum regimen intolerabilis me compulit paupertas, cùm fodere non valerem, & mendicare erubescerem. Ad artem itaque, quam noueram, recurrens *, pro labore manuum ad officium linguæ compulsus sum. Scholares autem vltrò mihi quælibet necessaria præparabant, tam in victu scilicet quàm in vestitu vel cultura agrorum, seu in expensis ædificiorum, vt nulla me scilicet à studio cura domestica retardaret. Cùm autem Oratorium nostrum modicam eorum portionem capere non posset, necessariò ipsum dilatauerunt, & de lapidibus & lignis constructes

4. Reg. 6.

Tom. 1. Epist. 4.

* al potuerant.

* al. Qui

* al. reuertens

* al. incolauerunt. *al. honore.

meliorauerunt*. Quod cùm in nomine* ſanctæ Trinitatis eſſet fundatum, ac poſtea dedicatum; quia tamen ibi profugus ac tam deſperatus diuinæ gratia conſolationis aliquantulum reſpiraſſem, in memoriam huius beneficij ipſum Paracletum* nominaui. Quod multi audientes, non ſine magna admiratione ſuſceperunt, & nonnulli hoc vehementer calumniati ſunt; dicentes non licere Spiritui ſancto ſpecialiter magis quàm Deo Patri Eccleſiam aliquam aſſignari; ſed vel ſoli Filio, vel toti ſimul Trinitati ſecundum antiquam conſuetudinem. Ad quam nimirum calumniam hic eos error plurimum induxit, quòd inter Paracletum & Spiritum paracletum nihil referre crederent. Cùm ipſa quoque Trinitas & quælibet in Trinitate perſona ſicut Deus vel adiutor dicitur, ita & paracletus, id eſt conſolator rectè nuncupetur, iuxta illud Apoſtoli, *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Et ſecundum quod Veritas ait: *& alium Paracletum dabit vobis.* Quid etiam impedit, cùm omnis Eccleſia in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti pariter conſecretur, nec ſit eorum in aliquo poſſeſſio diuerſa*, quòd domus Domini non ita Patri, vel Spiritui ſancto adſcribatur, ſicut Filio? Quis titulum eius, cuius eſt ipſa domus, de fronte veſtibuli radere præſumat? aut cùm ſe Filius in ſacrificium Patri obtulerit, & ſecundum hoc in celebrationibus Miſſarum ſpecialiter ad Patrem orationes dirigantur, & hoſtiæ fiat immolatio; cur eius præcipuè altare eſſe non videatur, cui maximè ſupplicatio & ſacrificium agitur? Nunquid rectiùs eius cui immolatur, quàm illius qui immolatur, altare dicendum eſt? an melius Dominicæ Crucis, aut Sepulchri, vel beati Michaelis, ſeu Ioannis, aut Petri, aut alicuius Sancti, qui nec ibi immolantur, nec eis immolatur, aut obſecrationes eis fiunt, altare quis eſſe confitebitur? Nimirum nec inter Idololatras altaria vel templa aliquorum dicebantur, niſi quibus ipſi ſacrificium atque obſequium impendere intendebant. Sed fortaſſe dicat aliquis, ideò Patri non eſſe vel Eccleſias, vel altaria dedicanda, quòd eius aliquod factum* non exiſtit, quod ſpecialem ei ſolemnitatem tribuat. Sed hæc profectò ratio ipſi hoc Trinitati aufert, & Spiritui ſancto non aufert. Cùm ipſe quoque Spiritus ex ad-

* al. Paraclitum, & ſic vbique. De Paracleti appellatione.

2. Cor. 1.

Ioan. 14.

* al. diuiſa.

* al. feſtum.

Digitized by Google

uentu ſuo propriam habeat Pentecoſtes ſolemnitatem: ſicut Filius ex ſuo, natalis ſui feſtiuitatẽ. Sicut enim Filius miſſus eſt in mundũ, ita & Spiritus S. in Diſcipulos propriã ſibi vendicat ſolemnitatẽ. Cui etiam probabiliùs quàm alicui aliarum perſonarum templum adſcribendum videtur, ſi diligẽtiùs Apoſtolicam attendamus authoritatem, atque ipſius Spiritus operationem. Nulli enim trium perſonarum ſpeciale * templum ſpecialiter adſcribit Apoſtolus, niſi Spiritui ſancto. Non enim ita templum Patris, vel templum Filij dicit, ſicut templum Spiritus ſancti, in prima ad Corinthios ita ſcribens: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Item, *An neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſt veſtri?* Quis etiam diuinorum ſacramenta beneficiorum, quæ in Eccleſia fiunt, operationi diuinæ gratiæ, qua Spiritus ſanctus intelligitur, neſciat ſpecialiter adſcribi? Ex aqua quippe & Spiritu ſancto in baptiſmo renaſcimur, & tũc primò quaſi ſpeciale templum Deo conſtituimur. In conſummatione quoque ſeptiformis ſpiritus gratia traditur, quibus ipſum Dei templum adornatur atque dedicatur. Quid ergo mirum, ſi ei perſonæ, cui ſpecialiter ſpirituale templum Apoſtol⁹ tribuit, nos corporale aſſignemus? Aut cuius perſonæ rectiùs Eccleſia eſſe dicitur, quàm eius, cuius operationi cuncta, quæ in Eccleſia miniſtrantur, beneficia ſpecialiter aſſignantur? Non tamen hoc ita cogitamus *, vt cùm Paracletum primò noſtrum vocauerimus Oratorium, vni ipſum perſonæ nos dicaſſe fateamur; ſed propter eam quam ſupra reddidimus cauſam, in memoriam ſcilicet noſtræ conſolationis. Quanquam ſi illo quoque, quo creditur, modo id feciſſemus, non eſſet * rationi aduerſum, licèt conſuetudini incognitum.

* *al.* ſpirituale,

1. Cor. 6. *Ibidem.*

* *al* agitamus,

* *al.* eſt

Hoc autem loco me corpore latitante, ſed fama tunc vniuerſum mundum perambulante, & illius poëtici figmenti, quod Echo dicitur, inſtar penitus recinente *, quod videlicet plurimum vocis habeat, ſed nihil ſubeſt: priores æmuli cùm per ſe iam minus valerent, quoſdam aduerſum me nouos Apoſtolos, quibus mundus plurimum credebat, excitauerunt. Quorum alter regularium Canonicorum vitam, alter Monachorum ſe reſuſcitaſſe gloriabatur. Hi prædicando per mundum diſcurrentes, & me impudenter quantum pote-

CAP. XII. De perſecutione quorũdam quaſi nouorum Apoſtolorum in eum. *Ouid lib. 3. Metam.*

* *al.* reſonante.

Digitized by Google

* al. modicum.

rant corrodentes,non modicè tam Eccleſiaſticis quibuſdam quàm ſecularibus Poteſtatibus contemptibilem ad tempus effecerunt, & de mea tam fide quàm vita adeo ſiniſtra diſſeminauerunt, vt ipſos quoque amicorum noſtrorum præcipuos à me auerterent, & qui adhuc priſtini amoris erga me aliquid retinerent,hoc ipſi modis omnibus metu illorum diſſimularent. Deus ipſe mihi teſtis eſt, quotiens aliquem Eccleſiaſticarum perſonarum Conuentum adunari noueram, hoc in damnationem meam agi credebam. Stupefactus illicò quaſi ſuperuenientis ictum fulguris, expectabam vt quaſi hæreticus aut prophanus in Concilijs traherer, aut Synagogis. Atque vt de pulice ad leonem, de formica ad elephãtem comparatio ducatur, non me mitiori animo perſequebantur æmuli mei, quàm beatum olim Athanaſium hæretici. Sæpè autem (Deus ſcit) in tantam lapſus ſum deſperationem, vt Chriſtianorum finibus exceſſis, ad Gentes tranſire diſponerem,atque ibi quietè ſub quacumque tributi pactione inter inimicos Chriſti Chriſtianè viuere. Quos tantò integrè propitios me habiturum credebam, quantò me minus Chriſtianum ex impoſito mihi crimine ſuſpicarentur, & ob hoc faciliùs ad ſectam ſuam inclinari poſſe crederent.

CAP. XIII. De Abbatia ad quam aſſumptus eſt, & perſecutione tam filiorũ, id eſt Monachorum, quàm tyrãni in eum.

CVM autem tantis perturbationibus inceſſanter affligerer, atque hoc extremum mihi ſupereſſet conſilium,vt apud inimicos Chriſti ad Chriſtum confugerem: occaſionem quandam adeptus qua inſidias iſtas paululum declinare me credidi, incidi in Chriſtianos atque Monachos Gẽtibus longò ſæuiores,atque peiores. Erat quippe in Britannia minore in Epiſcopatu Venetenſi Abbatia quædam ſancti Gildaſij Riuenſis * Paſtore defuncto deſolata. Ad quam me concors fratrum electio cum aſſenſu Principis terræ vocauit, atque hoc ab Abbate noſtro & fratribus facilè impetrauit. Sícque me Francorum inuidia ad Occidentem, ſicut Hieronymum Romanorum expulit ad Orientem. Nunquam enim huic rei (ſciat Deus) acquieuiſſem,niſi vt quocumque modo has,quas inceſſanter ſubſtinebam, oppreſſiones, vt dixi, declinarem. Terra quippe barbara, & terræ lingua mihi incognita erat,& turpis atque indomabilis illorum Monachorum vita omnibus ferè notiſſima, & gens terræ illius inhumana atque incompoſita. Sicut ergo ille,qui imminente ſibi gladio perter-

* al Ruienſis, vel melius: vulgò de Ruys.

ritus

ritus in præcipitiũ ſe collidit, & vt puncto temporis mortem vnam differat aliam incurrit: ſic ego ab vno periculo in aliud ſcienter me contuli, ibíque ad horriſoni vndas Oceani cùm fugam mihi vlteriùs terræ poſtremitas non præberet, ſæpe in orationibus meis illud reuoluebam: *A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum.* Quanta enim anxietate illa etiam, quam regendam ſuſceperam, indiſciplinata fratrum congregatio cor meum die ac nocte cruciaret, cùm tam animæ meæ quàm corporis pericula penſarem, neminem iam latere arbitror. Certũ quippe habebã, quod ſi eos ad regulare vitam, quam profeſſe fuerant, cõpellere tentarem, me viuere non poſſe. Quod ſi hoc inquantum poſſem non agerem, me dãnandum* eſſe. Ipſam etiam Abbatiam tyrannus quidam in terra illa potentiſſimus ita iam diu ſibi ſubiugauerat, ex inordinatione ſcilicet ipſius Monaſterij nactus occaſionem, vt omnia loca Monaſterio adiacentia in vſus proprios redegiſſet, ac grauioribus exactionibus Monachos ipſos, quàm tributarios Iudæos, exagitaret. Vrgebant me Monachi pro neceſſitudinibus quotidianis, cùm nihil in commune haberent quod eis miniſtrarem, ſed vnuſquiſque de proprijs olim marſupijs ſe & concubinas ſuas cum filijs & filiabus ſubſtentaret. Gaudebant me ſuper hoc anxiari, & ipſi quoq; furabantur & aſportabant quæ poterant, vt cùm in adminiſtratione ipſa deficerem, compellerer* aut à diſciplina ceſſare, aut omninò recedere. Cùm autem tota terræ illius barbaries pariter exlex & indiſciplinata eſſet, nulli erant hominum ad quorum confugere poſſem adiutoriuin, cùm à moribus omnium pariter diſſiderem. Foris me tyrannus ille & ſatellites ſui aſſiduè opprimebant, intus mihi fratres inceſſanter inſidiabantur: vt illud Apoſtoli in me ſpecialiter dictum res ipſa indicaret, *foris pugnæ, intus timores.* Conſiderabam, & plangebam quàm inutilem & miſeram vitam ducerem, & quàm infructuosè tam mihi quàm alijs viuerem, & quantum antea Clericis profeciſſem, & quòd nunc eis propter Monachos dimiſſis, nec in ipſis, nec in Monachis aliquem fructum haberem, & quàm inefficax in omnibus incœptis atque conatibus meis redderer, vt iam mihi de omnibus illud improperari rectiſſimè deberet: *Hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare.* Deſperabam penitus, cùm recordarer quæ fugeram, & conſiderarem quæ incurrerem; & priores moleſtias quaſi iam nullas

Pſal. 60.

* al. damnificandum

* al. cõpellerent.

1. Cor. 7.

Digitized by

reputans, crebrò apud me ingemiſcens dicebam. Meritò hæc patior, qui Paracletum, id eſt conſolatorem, deſerens in deſolationem certam me intruſi, & minas euitare cupiens ad certa confugi pericula. Illud autem plurimum me cruciabat, quòd Oratorio noſtro dimiſſo, de diuini celebratione officij ita vt oporteret prouidere non poteram; quoniam loci nimia paupertas vix vnius hominis neceſſitudini ſufficeret. Sed ipſe quoque verus Paracletus mihi maximè ſuper hoc deſolato veram attulit cõſolationem, & proprio prout debebat prouidit Oratorio. Accidit namque vt Abbas noſter ſancti Dionyſij prædictam illam Argenteoli * Abbatiam, in qua religionis habitum noſtra illa iam in Chriſto ſoror potius quàm vxor Heloiſſa ſuſceperat, tanquam ad ius Monaſterij ſui antiquitus pertinentem, quocumque modo acquireret, & Conuentum inde Sanctimonialium, vbi illa comes noſtra Prioratum habebat, violenter expelleret. Quæ cùm diuerſis locis exules diſpergerentur, oblatam mihi à Domino intellexi occaſionem, qua noſtro conſulerem Oratorio. Illuc namque reuerſus, eam cum quibuſdam aliis de eadem congregatione ipſi adhærentibus ad prædictum Oratorium inuitaui. Eóque illis adductis, ipſum Oratorium cum omnibus ei pertinentibus conceſſi & donaui; ipſamque poſtmodum donationem noſtram aſſenſu atque interuentu Epiſcopi terræ Papa Innocentius ſecundus ipſis & earum ſequacibus per priuilegium in perpetuum corroborauit. Quas ibi quidem primò inopem ſuſtinentes vitam, & ad tempus plurimùm deſolatas, diuinæ miſericordiæ reſpectus, cui deuotè ſeruiebant, in breui conſolatus eſt, & ſe eis quoque verum exhibuit Paracletum, & circumadiacentes populos miſericordes eis atque propitios effecit. Et plus (ſciat Deus) vt arbitror vno anno in terrenis commodis * ſunt multiplicatæ, quàm ego per centum ſi ibi permanſiſſem. Quippe quò * feminarum ſexus eſt infirmior, tantò earum inopia miſerabilior facile humanos commouet * affectus, & earum virtus tam Deo quàm hominibus eſt gratior. Tantam autem gratiam in oculis omnium illi ſorori noſtræ, quæ cæteris præerat, Dominus annuit; vt eam Epiſcopi quaſi filiam, Abbates quaſi ſororem, Laici quaſi matrem diligerent: & omnes pariter eius religionem, prudentiam, & in omnibus incomparabilem patientiæ manſue-

Digitized by Google

tudinem admirabantur. Quæ quantò rariùs ſe videri permittebat, vt ſcilicet clauſo cubiculo ſacris meditationibus atque orationibus puriùs vacaret: tantò ardentiùs eius præſentiam atque ſpiritualis colloquij monita hi qui foris ſunt efflagitabant.

CAP. XIV. De infamatione turpitudinis.

CVM autem omnes earum vicini vehementer me culparent, quod earum inopiæ minus quàm poſſem & deberem conſulerem, & facile id noſtra ſaltem prædicatione valerem: cœpi ſæpiùs ad eas reuerti, vt eis quoquomodo ſubuenirem. In quo nec inuidiæ mihi murmur defuit, & quod me facere ſincera charitas compellebat, ſolita derogantium prauitas impudentiſſimè accuſabat; dicens me adhuc quadam carnalis concupiſcentiæ oblectatione teneri, qui priſtinæ dilectæ ſubſtinere abſentiam vix aut nunquam pateret. Qui frequenter illam beati Hieronymi querimoniam mecum voluens, qui ad Aſellam de fictis amicis ſcribens, ait: *Nihil mihi obijcitur niſi ſexus meus, & hoc nunquam obijceretur niſi cum Hieroſolimã Paula proficiſcitur.* Et iterum: *Antequam*, inquit, *domum ſanctæ Paulæ noſſem, totius in me vrbis ſtudia conſonabant, omnium penè iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Sed ſcio per bonam & malam famam perueniri ad regna cælorum*: Cùm hanc (inquam) in tantum virum detractionis *iniuriam ad mentem reducerem, non modicam hinc conſolationem carpebam, inquiens; O ſi tantam ſuſpicionis cauſam æmuli mei in me reperirent, quanta me detrectatione opprimerent! Nunc verò mihi diuina miſericordia ab hac ſuſpicione liberato, quomodo huius perpetrandæ turpitudinis facultate ablata ſuſpitio remanet? Quæ etiam tam impudens hæc criminatio nouiſſima? Adeò namque res iſta omnem huius turpitudinis ſuſpicionẽ apud omnes remouet, vt quicumque mulieres obſeruare diligentiùs ſtudent, eis Eunuchos adhibeant: ſicut de Heſter & cæteris Regis Aſſueri puellis ſacra narrat Hiſtoria. Legim⁹ & potentem illum reginę Cãdacis Eunúchum vniuerſis eius gazis præeſſe. Ad quem conuertendum & baptiſandũ Philippus Apoſtolus ab Angelo directus eſt. Tales quippe ſemper apud verecundas & honeſtas feminas tantò ampliùs dignitatis & familiaritatis adepti ſunt, quantò longiùs ab hac abſiſtebant ſuſpicione. Ad quam quoque penitus remouendam maximum illum Chriſtianorum Philoſophum Orige-

Tom. 2. Epiſt. 99.

* al. detractionis.

Heſt. 2.

Act. 8.

Digitized by

nem, cùm mulierum quoque ſanctæ doctrinæ intenderet, ſibi ipſi manus intuliſſe Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Liber VI. continet. Putabam tamen in hoc mihi magis quàm illi diuinam miſericordiam propitiam fuiſſe, vt quod ille minus prouidè creditur egiſſe, atque indè non modicum crimen incurriſſe: id aliena culpa in me ageret, vt ad ſimile opus me liberum præpararet, ac tantò minore pœna, quantò breuiore ac ſubita; vt oppreſſus ſomno cùm mihi manus inijcerent nihil pœnæ ferè ſentirem. Sed quod tunc fortè minus pertuli ex vulnere, nunc ex detractione diuitius* plector, & plus ex detrimento famæ quàm ex corporis crucior diminutione. Sicut enim ſcriptum eſt, *Melius eſt nomen bonũ quàm diuitiæ multæ.* Et vt beatus meminit Auguſtinus in Sermone quodam de vita & moribus Clericorum; *Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam, crudelis eſt.* Idem ſuprà, *Prouidemus*, inquit, *bona, vt ait Apoſtolus, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Propter nos conſcientia noſtra ſufficit in nobis. Propter nos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in nobis. Duæ res ſunt conſcientia & fama. Conſcientia tibi: fama proximo.* Quid autem horum inuidia ipſi Chriſto vel eius membris, tam Prophetis ſcilicet quàm Apoſtolis, ſeu alijs Patribus ſanctis obijceret, ſi in eorum temporibus exiſteret, cùm eos videlicet corpore integros tam familiari conuerſatione feminis præcipuè videret* ſociatos. Vnde & beatus Auguſtinus in Libro de Opere Monachorum, ipſas etiam mulieres Domino Ieſu Chriſto atque Apoſtolis ita inſeparabiles comites adhæſiſſe demonſtrat, vt & cum eis etiam ad prædicationem procederent. *Ad hoc enim*, inquit, *& fideles mulieres habentes terrenam ſubſtantiam ibant cum eis, & miniſtrabant eis de ſua ſubſtantia, vt nullius indigerent horum quæ ad ſubſtantiam vitæ huius pertinerent.* Et quiſquis non putat ab Apoſtolis fieri, vt cum eis ſanctæ conuerſationis mulieres curſitarent quocúmque Euangelium prædicabant, Euangelium audiat & cognoſcat quemadmodum hoc ipſius Domini exemplo faciebant. In Euangelio enim ſcriptum eſt, *Deinceps & ipſe iter faciebat per ciuitates, & caſtella, Euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à ſpiritibus immundis*, & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalenæ, & Ioanna vxor Cuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ mi-*

niſtrabant ei de facultatibus ſuis. Et Leo nonus * contra Epiſtolam Parmeniani* de Studij Monaſterio, *Omnino*, inquit, *profitemur non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam vxorem cauſa religionis abijcere cura ſua, vt non ei victum & veſtitum largiatur, ſod non vt cum illa carnaliter iaceat. Sic & ſanctos Apoſtolos legimus egiſſe beato Paulo dicente: Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut fratres Domini & Cephas? Vide inſipiens quia non dixit, Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem amplectendi, ſed circumducendi; ſcilicet vt mercede prædicationis ſubſtentarentur ab eis, nec tamen deinceps foret inter eos carnale coniugium.* Ipſe certè Phariſæus, qui intra ſe de Domino ait, *Hic, ſi eſſet propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſſet mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt*: multo commodiorem, quantum ad humanum iudicium ſpectat, turpitudinis coniecturam de Domino concipere poterat, quàm de nobis iſti: aut qui Matrem eius Iuueni commendatam, vel Prophetas cum viduis maximè hoſpitari atque conuerſari videbat, multo probabiliorem inde ſuſpitionem contrahere. Quid etiam dixiſſent iſti detractores noſtri, ſi Malchum illum captiuum Monachum, de quo beatus ſcribit Hieronymus, eodem contubernio cum vxore victitantem conſpicerent? Quanto id crimini adſcriberent, quod egregius ille Doctor cùm vidiſſet, maximè commendans ait; *Erat illic ſenex quidam nomine Malchus eiuſdem loci indigena* *, *anus quoque in eius contubernio. Studioſi ambo religionis, & ſic Eccleſiæ limen terentes, vt Zachariam & Eliſabeth de Euangelio crederes, niſi quòd Ioannes in medio non erat.* Cur denique à detractione ſanctorum Patrum ſe continent, quos frequenter legimus, vel etiam vidimus, Monaſteria quoque feminarum conſtituere, atque eis miniſtrare; exemplo quidem ſeptem Diaconorum, quos pro ſe Apoſtoli menſis & procurationi mulierum præfecerunt? Adeò námque ſexus infirmior fortioris indiget auxilio, vt ſemper virum mulieri quaſi caput præeſſe Apoſtolus ſtatuat. In cuius etiam rei ſigno ipſam ſemper velatum habere caput præcipit. Vnde non mediocriter miror conſuetudines has in Monaſterijs dudum inoleuiſſe,

* *al.* Magnus.
* *al.* Parmenij

1. Cor. 9.

Luc. 7.

Ioan. 19.
3. Reg. 17.

Tom. 1. in vita Malchi.

* *Tria verba præcedentia non habẽtur apud D. Hieronymũ; ſed eorum loco* ἀυτόχθιον, *vox eiuſdem ſenſus.*

Luc. 1.

Act. 6.

Epheſ. 5.
1. Cor. 11.

Digitized by Google

quòd quemadmodum viris Abbates, ita & feminis Abbatiſſæ præponantur,& eiuſdem Regulæ profeſſione tam feminæ quàm viri ſe adſtringant. In qua tamen pleraque continentur quę à feminis tam prælatis quàm ſubiectis nullatenus poſſunt adimpleri. In pleriſque etiam locis ordine perturbato naturali ipſas Abbatiſſas atque Moniales Clericis quoque ipſis, quibus ſubeſt populus, dominari conſpicimus, & tantò faciliùs eos ad praua deſideria inducere poſſe , quantò eis ampliùs habent præeſſe,& iugum illud in eos grauiſſimum exercere. Quod Satyricus ille conſiderans ait,

Intolerabilius nihil eſt quàm femina diues.

Hoc ego ſæpè apud me pertractando, quantùm mihi liceret, ſororibus illis prouidere,& earum curam agere diſpoſueram:& quò me ampliùs reuererentur, corporali quoque præſentia eis inuigilare. Et cùm me nunc frequentior ac maior perſecutio filiorum quàm olim fratrum affligeret, ad eas de æſtu huius tempeſtatis quaſi ad quendam tranquillitatis portum recurrerem, atque ibi aliquantulum reſpirarem, & qui in Monachis nullum,aliquem ſaltē in illis aſſequerer fructum. Ac tantò id mihi fieret magis ſaluberrimum, quantò id earum infirmitati magis eſſet neceſſarium. Nunc autem ita me Sathanas impediuit,vt vbi quieſcere poſſim,aut etiam viuere,non inueniam: ſed vagus & profugus ad inſtar maledicti Cain vbique circumferar: quem, vt ſupra memini, *foris pugnæ, intus timores* inceſſanter cruciant, imò tam foris quàm intus timores inceſſanter,pugnæ pariter & timores.Et multò periculoſior & crebior perſecutio filiorum aduerſum me ſæuit quàm hoſtium. Iſtos quippe ſemper præſentes habeo, & eorum inſidias iugiter ſubſtineo.Hoſtium violentiam in corporis mei periculum video, ſi à clauſtro procedam. In clauſtro autem filiorum, id eſt Monachorum mihi tanquam Abbati, hoc eſt Patri, commiſſorum tam violenta quàm doloſa inceſſanter ſubſtineo machinamenta. O quotiens veneno me perdere tentauerunt! ſicut & in beato factum eſt Benedicto. Ac ſi hęc ipſa cauſa,qua ille peruerſos deſeruit filios,ad hoc ipſum me patenter tanti Patris adhortaretur exēplo:ne me certo videlicet opponens periculo temerarius Dei tēptator potiuſquā amator: imò meipſius perēptor inuenirer. A talibus autem eorum quotidianis inſidijs cùm mihi in admi-

Digitized by Google

niſtratione cibi vel potus quantũ poſſem prouiderem, in ipſo altaris ſacrificio in toxicare me moliti ſunt, veneno ſcilicet calici immiſſo. Qui etiam quadam die cùm Namneti ad Comitem in ægritudine ſua viſitandum veniſſem, hoſpitatum me ibi in domo cuiuſdam fratris mei carnalis, per ipſum qui in Comitatu noſtro erat famulum veneno interficere machinati ſunt, vbi videlicet me minus à tali machinatione prouidere crediderunt. Diuina autem diſpoſitione tunc actum eſt, vt dum cibum mihi apparatum non curarem, frater quidam ex Monachis quem mecum adduxeram, hoc cibo per ignorantiam vſus ibidem mortuus occumberet, & famulus ille, qui hoc præſumpſerat, tam conſcientiæ ſuæ, quàm teſtimonio ipſius rei perterritus aufugeret. Ex tunc itaque manifeſta omnibus eorum nequitia, patenter iam cœpi eorum prout poteram inſidias declinare, etiam à Conuentu Abbatiæ me ſubtrahere, & in Cellulis cum paucis habitare. Qui ſi me tranſiturum aliquò præſenſiſſent, corruptos per pecuniam latrones in vijs aut ſemitis, vt me interficerent, opponebant. Dum autem in iſtis laborarem periculis, fortè me die quadam de noſtra lapſum equitatura manus Domini vehementer colliſit, colli videlicet mei canalem confringẽs. Et multò me ampliùs hæc fractura afflixit & debilitauit, quàm prior plaga. Quandoque horum indomitam rebellionem per excommunicationem coercens, quoſdam eorum, quos magis formidabam, ad hoc compuli, vt fide ſua ſeu ſacramento publicè mihi promitterent, ſe vlteriùs ab Abbatia penitus receſſuros, nec me amplius in aliquo inquietaturos. Qui publicè & impudentiſſimè tam fidem datam quàm ſacramenta facta violantes, tandem per authoritatem Romani Pontificis Innocentij, Legato proprio ad hoc deſtinato, in præſentia Comitis & Epiſcoporum, hoc ipſum iurare compulſi ſunt, & pleraque alia. Nec ſic adhuc quieuerunt. Nuper autem cùm illis, quos prædixi, eiectis ad Conuentum Abbatiæ redijſſem; & reliquis fratribus, quos minus ſuſpicabar, me committerem, multo hos peiores quàm illos reperi. Quos iam quidem non de veneno, ſed de gladio in iugulum meum tractantes cuiuſdam Proceris terræ conductu vix euaſi. In quo etiam adhuc laboro periculo, & quotidie quaſi ceruici meæ gladium imminentem ſuſpicio, vt inter epulas

vix reſpirem: ſicut de illo legitur, qui cùm Dioniſij tyranni potentiam * atque opes conquiſitas maximæ imputaret beatitudini, filo latenter appenſum ſuper ſe gladium aſpiciens, quæ terrenam potentiam felicitas conſequatur edoctus eſt. Quod nunc quoque ipſe de paupere Monacho in Abbatem promotus inceſſanter experior, tãtò ſcilicet miſerior quantò ditior effectus; vt noſtro etiã exemplo eorum, qui id ſponte appetunt, ambitio refrenetur. Hæc, dilectiſſime frater in Chriſto, & ex diutina conuerſatione familiariſſime comes, de calamitatum mearum Hiſtoria, in quibus quaſi à cunabulis iugiter laboro, tuæ me deſolationi atque iniuriæ illatæ ſcripſiſſe ſufficiat; vt, ſicut in exordio præfatus ſum Epiſtolæ, oppreſſionem tuam in comparatione mearum, aut nullam, aut modicam eſſe iudices; & tantò eam patientiùs feras, quãtò minorem conſideras. Illud ſemper in conſolationem aſſumens, quod mẽbris ſuis de mẽbris diaboli Dominus prædixit, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si mũdus vos odit, ſcitote quoniã me priorẽ vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuũ erat diligeret.* Et: *Omnes*, inquit Apoſtolus, *qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionẽ patientur.* Et alibi. *Haud quæro hominibus placere. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Et Pſalmiſta, *Cõfuſi ſunt*, inquit, *qui hominibus placẽt, quoniã Deus ſpreuit eos.* Quod diligenter beatus attendens Hieronymus, cuius me præcipuè in contumelijs detractionum hæredem conſpicio, ad Nepotianum ſcribens ait: *Si adhuc, inquit Apoſtolus, hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Deſinit placere hominibus, & ſeruus factus eſt Chriſti.* Idem ad Aſellam de fictis amicis, *Gratias ago Deo meo, quòd dignus ſim quem mundus oderit.* Et ad Heliodorum Monachum, *Erras frater, erras ſi putas vnquam Chriſtianum perſecutionem non pati. Aduerſarius noſter tanquam leo rugiens deuorare quærens circuit, & tu pacem putas? Sedet in inſidijs cum diuitibus.* His itaque documentis atque exemplis animati, tantò ſecuriùs iſta toleremus, quantò iniurioſiùs accidunt. Quæ ſi non ad meritum nobis, ſaltem ad purgationem aliquam proficere non dubitemus. Et quoniam omnia diuina diſpoſitione * geruntur, in hoc ſe ſaltem quiſque fidelium in omni preſſura conſoletur, quòd nihil inordinatè fieri vnquam ſumma Dei bonitas permittit, & quòd quæcumque peruersè fiunt optimo fine ipſe terminat.

Cicer. 5. Tuſc. — * *al.* poteſtatem.

Ioan. 15. Ibidem. Ibidem. — *2. Tim. 3. Galat. 1.* — *Pſal. 82.*

Tom. 2. Epiſt. 2.

Tom. 2. Ep. 99. — *To. 1. Ep. 1.* — *1. Petr. 5. Pſal. 9.*

* *al.* diſpenſatione

minat. Vnde & ei de omnibus rectè dicitur; *Fiat voluntas tua.* Matt. 6. 26. Quanta denique diligentium Deum illa est ex authoritate Apostolica consolatio, quæ dicit: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. Quod diligenter ille sapientissimus attendebat, cùm in Prouerbijs diceret: *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit.* Prouerb. 12. Ex quo manifestè à iustitia eos recedere demonstrat, quicunque pro aliquo suo grauamine his irascuntur, quæ erga se diuina dispensatione geri non dubitant; & se propriæ voluntati magis quàm diuinæ subijciunt, & ei quod in verbis sonat, *fiat voluntas tua*, desiderijs occultis repugnant, diuinæ voluntati propriam anteponentes. VALE. Matt. 6. 26.

EPISTOLA II.

Quæ est HELOISSAE ad PETRVM Deprecatoria.

ARGVMENTVM.

Cùm Heloyssa quondam Abaelardi amica, posteà vxor, ac tandem Monasterio Paracletensi, quod ipse sibi discipulorum fortunis à fundamentis eduxerat, ab eo præfecta, Epistolam eius ad Amicum legisset: hanc ad eum scribit, orans vt de suis periculis vel liberatione ad se rescribat, quò vel luctus, vel gaudij eius particeps efficiatur. Expostulat etiam quòd ad se post Monasticam professionem non scripserit, cùm anteà plures amatorias mitteret literas. Suum denique erga illum tum præteriti temporis turpem & carnalem amorem, tum præsentis castum & spiritalem exponit: ac acerbè queritur se ab illo æquè non redamari. Est autem Epistola multis affectibus & querulis planctibus more femineo affatim plena: vbi pectus femineum multa eruditione exhuberans intueri liceat.

Domino suo, imò patri; coniugi suo, imò fratri; ancilla sua, imò filia; ipsius vxor, imò soror; Abaelardo Heloissa.

MIssam ad Amicum pro consolatione Epistolam, dilectissime, vestram ad me fortè quidam nuper attulit. Quam ex ipsa statim tituli fronte vestram esse considerans, tantò ardentiùs eam cœpi legere, quantò Scriptorem ipsum chariùs amplector: vt cuius rem perdidi, verbis saltem tanquam eius quadam imagine recreer. Erant, memini, huius Epistolæ ferè omnia felle & absinthio plena,

Digitized by Google

quæ ſcilicet noſtræ conuerſionis miſerabilem hiſtoriam, & tuas, vnice, cruces aſſiduas referebant. Compleſti re vera in Epiſtola illa quod in oxordio eius Amico promiſiſti, vt videlicet in comparatione tuarum ſuas moleſtias nullas vel paruas reputaret. Vbi quidem expoſitis priùs Magiſtrorum tuorum in te perſecutionibus, deindè in corpus tuum ſummæ proditionis iniuria, ad condiſcipulorum quoque tuorum, Alberici videlicet Remenſis, & Lotulfi Lombardi execrabilem inuidiam, & infeſtationem nimiam ſtilum contuliſti. Quorum quidem ſuggeſtionibus quid de glorioſo illo Theologiæ tuæ opere, quid de te ipſo quaſi in carcere damnato actum ſit non prætermiſiſti. Indè ad Abbatis tui fratrumque falſorum machinationem acceſſiſti, & detractiones illas tibi grauiſſimas duorum illorum pſeudoapoſtolorum à prædictis æmulis in te commotas, atque ad ſcandalum pleriſque ſubortum de nomine Paracleti Oratorio præter conſuetudinem impoſito: denique ad intolerabiles illas & adhuc continuas vitæ perſecutiones, crudeliſſimi ſcilicet illius exactoris, & peſſimorum, quos filios nominas, Monachorum profectus miſerabilem Hiſtoriam conſummaſti. Quæ cũ ſiccis oculis neminem vel legere vel audire poſſe æſtimem: tantò dolores meos ampliùs renouarunt, quantò diligentiùs ſingula expreſſerunt & eo magis auxerunt, quò in te adhuc pericula creſcere retuliſti; vt omnes pariter de vita tua deſperare cogamur, & quotidie vltimos illos de nece tua rumores trepidantia noſtra corda & palpitantia pectora expectent. Per ipſum itaque, qui te ſibi adhuc quoquomodo protegit, Chriſtum obſecramus; quatenus ancillulas ipſius & tuas crebris literis de his, in quibus adhuc fluctuas, naufragijs certificare digneris; vt nos ſaltem quæ tibi ſolæ remanſimus, doloris vel gaudij participes habeas. Solent etenim dolenti nonnullam afferre conſolationem qui condolent, & quodlibet onus pluribus impoſitum leuius ſubſtinetur, ſiue defertur. Quòd ſi paululùm hæc tempeſtas quieuerit, tantò ampliùs maturandæ ſunt literæ, quanto ſunt iocundiores futuræ. De quibuſcumque autem nobis ſcribas, non paruum nobis remedium conferes; hoc ſaltem vno quod te noſtri memorem eſſe monſtrabis. Quam iocundæ verò ſint abſentium literæ amicorum, ipſe nos exemplo proprio Seneca docet, ad amicum Lucilium

Digitized by Google

quodam loco ſic ſcribens: *Quod frequenter mihi ſcribis, gratias ago. Nam quo vno modo potes te mihi oſtendis. Nunquam Epiſtolam tuam accipio, quin protinus vnà ſimus.* Si imagines nobis amicorum abſentium iocundæ ſunt, quæ memoriam renouant,& deſiderium abſentiæ falſo atque inani ſolatio leuant: quantò iocundiores ſunt literæ,quæ amici abſentis veras notas afferunt? Deo autem gratias, quòd hoc ſaltem modo præſentiam tuam nobis reddere nulla inuidia prohiberis, nulla difficultate præpediris: nulla (obſecro) negligentia retarderis. Scripſiſti ad Amicum prolixæ cõſolationem Epiſtolæ, & pro aduerſitatibus quidem ſuis, ſed de tuis. Quas videlicet tuas diligenter commemorans, cùm eius intenderes* conſolationi, noſtræ plurimùm addidiſti deſolationi, & dum eius mederi vulneribus cuperes, noua quædam nobis vulnera doloris inflixiſti,& priora auxiſti. Sana,obſecro,ipſe quæ feciſti,qui quæ alij fecerunt curare ſatagis. Morem quidem amico & ſocio geſſiſti, & tam amicitiæ quàm ſocietatis debitum perſoluiſti: ſed maiore te debito nobis adſtrinxiſti, quas non tã amicas quàm amiciſſimas, non tam ſocias quàm filias conuenit nominari: vel ſi quod dulcius & ſanctius vocabulum poteſt excogitari. Quanto autem debito te erga eas obligaueris,non argumentis, non teſtimonijs indiget, vt quaſi dubium comprobetur:& ſi omnes taceant,res ipſa clamat. Huius quippè loci tu poſt Deum ſolus es fundator, ſolus huius Oratorij conſtructor, ſolus huius Congregationis ædificator. Nihil hîc ſuper alienum ædificaſti fundamentum. Totum quod hîc eſt, tua creatio eſt. Solitudo hæc feris tantùm,ſiue latronibus vacans,nullam hominum habitationem nouerat, nullam domum habuerat. In ipſis cubilibus ferarum, in ipſis latibulis latronum, vbi nec nominari Deus ſolet, diuinum erexiſti tabernaculũ, & Spiritus ſancti proprium dedicaſti templum. Nihil ad hoc ædificandum ex Regum vel Principum opibus intuliſti, cùm plurima poſſes & maxima, vt quicquid fieret, tibi ſoli poſſet adſcribi. Clerici ſiue Scholares huc certatim ad diſciplinam tuam confluentes omnia miniſtrabant neceſſaria; & qui de beneficijs viuebant Eccleſiaſticis, nec oblationes facere nouerãt, ſed ſuſcipere,& qui manus ad ſuſcipiendum non ad dandum habuerant,hîc in oblationibus faciendis prodigi atque im-

Epiſt. 48.

* al. ſtuderes.

Digitized by Google

portuni fiebant. Tua itaque, verè tua hæc eſt propriè in ſancto propoſito nouella plantatio, cuius adhuc teneris maximè plantis frequens, vt proficiant, neceſſaria eſt irrigatio. Satis ex ipſa feminei ſexus natura debilis eſt hæc plantatio: eſt infirma, etſi non eſſet noua. Vnde diligentiorem culturam exigit & frequentiorem, iuxta illud Apoſtoli: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*. Plantauerat Apoſtolus atque fundauerat in fide per prædicationis ſuæ doctrinam Corinthios, quibus ſcribebat. Rigauerat poſtmodũ eos ipſius Apoſtoli diſcipulus Apollo ſacris exhortationibus, & ſic eis incrementum virtutum diuina largita eſt gratia. Vitis alienæ vineam, quam non plantaſti, in amaritudinem tibi conuerſam, admonitionibus ſæpè caſſis, & ſacris fruſtra ſermonibus excolis. Quid tuæ debeas attende, qui ſic curam impendis alienæ. Doces & admones rebelles, nec proficis. Fruſtra ante porcos diuini eloquij margaritas ſpargis. Qui obſtinatis tanta impendis, quid obedientibus debeas conſidera. Qui tanta hoſtibus largiris, quid filiabus debeas meditare. Atque vt cæteras omittam, quanto erga me te obligaueris debito, penſa: vt quod deuotis communiter debes feminis, vnicæ tuæ deuotiùs ſoluas. Quot autem & quantos Tractatus in doctrina, vel exhortatione, ſeu etiam conſolatione ſanctarum feminarum ſancti Patres, & quanta eos diligentia compoſuerint, tua melius excellentia quàm noſtra paruitas nouit. Vnde non mediocri admiratione noſtræ tenera conuerſionis initia tua iamdudum obliuio mouit, quòd nec reuerentia Dei, nec amore noſtri, nec ſanctorum Patrum exemplis admonitus fluctuantem me & iam diutiuo mœrore confectam, vel ſermone præſentem, vel Epiſtola abſentem conſolari tentaueris. Cui quidem tantò te maiore debito noueris obligatum, quantò te ampliùs nuptialis fœdere ſacramenti conſtat eſſe adſtrictum: & eò te magis mihi obnoxium, quò te ſemper, vt omnibus patet, immoderato amore complexa ſum. Noſtri, chariſſime, nouerunt omnes, quanta in te amiſerim, & quàm miſerabili caſu ſumma & vbique nota proditio me ipſam quoque mihi tecum abſtulerit, & incomparabiliter maior ſit dolor ex amiſſionis modo quàm ex damno. Quò verò maior eſt dolendi cauſa, maiora ſunt conſolationis adhibenda remedia. Non vtique ab alio,

Digitized by Google

ſed à teipſo, vt qui ſolus es in cauſa dolendi, ſolus ſis in gratia conſolandi. Solus quippe es qui me contriſtare, qui me lætificare, ſeu conſolari valeas. Et ſolus es qui plurimum id mihi debeas, & tunc maximè cùm vniuerſa quæ iuſſeris intantùm impleuerim, vt cùm te in aliquo offendere non poſſem, meipſam pro iuſſu tuo perdere ſubſtinerem. Et quod maius eſt, dictúque mirabile, in tantam verſus eſt amor inſaniam, vt quod ſolum appetebat, hoc ipſe ſibi ſine ſpe recuperationis auferret. Cùm ad tuam ſtatim iuſſionem tam habitum ipſa quàm animum immutarem : vt te tam corporis mei quàm animi vnicum poſſeſſorem oſtenderem. Nihil vnquam (Deus ſcit) in te niſi te requiſiui; te purè, non tua cõcupiſcens. Non matrimonij fœdera, non dotes aliquas expectaui, non denique meas voluptates aut voluntates, ſed tuas (ſicut ipſe noſti) adimplere ſtudui. Et ſi vxoris nomen ſanctius ac validius videtur, dulcius mihi ſemper extitit amicæ vocabulum; aut, ſi non indigneris, concubinæ vel ſcorti. Vt quò me videlicet pro te ampliùs humiliarem, ampliorem apud te conſequerer gratiam, & ſic etiam excellentiæ tuæ gloriam minus læderem. Quod & tu ipſe tui gratia oblitus penitus non fuiſti, in ea, quam ſuprà memini, ad Amicum Epiſtola pro conſolatione directa. Vbi & rationes nonnullas, quibus te à coniugio noſtro infauſtis thalamis reuocare conabar, exponere non es dedignatus : ſed pleriſque tacitis, quibus amorem coniugio, libertatem vinculo præferebam. Deum teſtem inuoco, ſi me Auguſtus vniuerſo præſidens mundo matrimonij honore dignaretur, totúmque mihi orbem confirmaret in perpetuo præſidendum, charius mihi & dignius videretur tua dici meretrix, quàm illius Imperatrix. Non enim quò quiſque ditior ſiue potentior, ideò & melior: fortunæ illud eſt, hoc virtutis. Nec ſe minimè venalem æſtimet eſſe quę libentiùs ditiori quàm pauperi nubit, & plus in marito ſua quàm ipſum concupiſcit. Certè quamcumque ad nuptias hæc concupiſcentia ducit, merces ei potiùs quàm gratia debetur. Certum quippe eſt eam res ipſas, non hominem ſequi, & ſe, ſi poſſet, velle proſtituere ditiori. Sicut inductio illa Aſpaſiæ Philoſophæ apud Socraticum Æſchinem cum Xenofonte & vxore eius habita manifeſtè conuincit. Quam quidem inductionem cùm prædicta

Digitized by Google

Philoſophà ad reconciliandos inuicem illos propoſuiſſet, tali fine concluſit: *Quia vbi hoc peregeritis, vt neque vir melior, neque femina in terris Letior ſit: profectò ſemper id quod optimum putabis eſſe multò maximè requiretis: vt & tu maritus ſis quàm optime, & hæc quàm optimo viro nupta ſit.* Sancta profecto hæc & pluſquam Philoſophica eſt ſententia ipſius potiùs Sophiæ quàm Philoſophiæ dicenda. Sanctus hic error, & beata fallacia in coniugatis, vt perfecta dilectio illæſa cuſtodiat matrimonij fœdera non tam corporum continentiâ, quàm animorum pudicitia. At quod error cæteris, veritas mihi manifeſta contulerat. Cùm quod illæ videlicet de ſuis æſtimarent maritis, hoc ego de te, hoc mundus vniuerſus non tam crederet quàm ſciret. Vt tantò verior in te meus amor exiſteret, quantò ab errore longiùs abſiſteret. Quis etenim Regum aut Philoſophorum tuam exæquare famam poterat? Quæ te regio, aut ciuitas, ſeu villa videre non æſtuabat? Quis te, rogo, in publicum procedentem conſpicere non feſtinabat, ac diſcedentem collo erecto, oculis directis non inſectabatur? Quæ coniugata, quæ virgo non concupiſcebat abſentem, & non exardebat in præſentem? Quæ Regina vel præpotens femina gaudijs meis non inuidebat vel thalamis? Duo autem, fateor, tibi ſpecialiter inerant, quibus feminarum quarumlibet animos ſtatim allicere poteras; dictandi videlicet, & cantandi gratia. Quæ cæteros minimè Philoſophos aſſecutos eſſe nouimus. Quibus quidem quaſi ludo quodam laborem exercitij recreans Philoſophici, plæraque amatorio metro vel rithmo compoſita reliquiſti carmina, quæ præ nimia ſuauitate tam dictaminis quàm cantus ſæpius frequentata, tuum in ore omnium nomen inceſſanter tenebant: vt etiam illiteratos melodiæ dulcedo tui non ſineret immemores eſſe. Atque hinc maximè in amorem tui feminæ ſuſpirabant. Et cùm horum pars maxima carminum noſtros decãtaret amores, multis me regionibus breui tempore nunciauit, & multarum in me feminarum accendit inuidiam. Quod enim bonum animi vel corporis tuam non exornabat adoleſcentiam? Quam tunc mihi inuidentem, nunc tantis priuatæ delitiis compati calamitas mea non cõpellat? Quem vel quam, licet hoſtem, primitus, debita compaſſio mihi nunc non emolliat? Et plurimùm nocens, pluri-

mum(vt noſti)ſum innocens. Non enim rei effectus,ſed efficientis affectus in crimine eſt. Nec quæ fiunt,ſed quo animo fiunt,equitas penſat. Quem autem animum in te ſemper habuerim,ſolus qui expertus es iudicare potes. Tuo examini cũcta committo,tuo per omnia cedo teſtimonio. Dic vnum ſi vales, cùm poſt conuerſionem noſtram, quam tu ſolus facere decreuiſti, in tantam tibi negligentiam atque obliuionem venerim,vt nec colloquio præſentis recreer,nec abſentis Epiſtola cõſoler: Dic(inquam) ſi vales, aut ego quod ſentio,imò quod omnes ſuſpicantur dicam. Concupiſcentia te mihi potiùs quàm amicitia ſociauit, libidinis ardor potiùs quàm amor. Vbi igitur quod deſiderabas ceſſauit, quicquid propter hoc exhibebas pariter euanuit. Hæc, dilectiſſime, non tam mea eſt quàm omnium coniectura, non tam ſpecialis quàm communis,non tam priuata quàm publica. Vtinam mihi ſoli ſic videretur, atque aliquos in excuſationem ſui amor tuus inueniret, per quos dolor meus paululum reſideret. Vtinam occaſiones fingere poſſem,quibus te excuſando mei quoquomodo tegerem vilitatem. Attende, obſecro, quæ requiro; & parua hæc videris & tibi facillima. Dum tui præſentia fraudor, verborum ſaltem votis*, quorum tibi copia eſt, tuæ mihi imaginis præſenta dulcedinem. Fruſtra te in rebus dapſilem expecto, ſi in verbis auarum ſubſtineo. Nunc verò plurimum à te me promereri credideram, cùm omnia propter te compleuerim, nunc in tuo maximè perſeuerans* obſequio. Quam quidem inuenculam ad Monaſticæ conuerſationis aſperitatem non religionis deuotio, ſed tua tantum pertraxit iuſſio. Vbi ſi nihil à te promerear,quàm fruſtra laborem dijudica. Nulla mihi ſuper hoc merces expectanda eſt à Deo,cuius adhuc amore nihil me conſtat egiſſe. Properantem te ad Deum ſecuta ſum habitu, imò præceſſi. Quaſi enim memor vxoris Loth retro conuerſæ, priùs me ſacris veſtibus & profeſſione Monaſtica quàm teipſum Deo mancipaſti. In quo (fateor) vno minus te de me confidere vehementer dolui atque erubui. Ego autem (Deus ſcit) ad Vulcania loca te properantem præcedere vel ſequi pro iuſſu tuo minimè dubitarem. Non enim mecum animus meus,ſed tecum erat. Sed & nunc maximè ſi tecum non eſt, nuſquam eſt. Eſſe verò ſine te nequaquam poteſt. Sed vt

* al. notis

* al. compleam.

Geneſ. 9.

Digitized by Google

tecum bene ſit age obſecro. Bene autem tecum fuerit, ſi te propitium inuenerit, ſi gratiam referas pro gratia, modica pro magnis, verba pro rebus. Vtinam, dilecte, tua de me dilectio minus confideret, vt ſollicitior eſſet! Sed quò te ampliùs nunc ſecurum reddidi, negligentiorem ſubſtineo. Memento obſecro quæ fecerim: & quanta debeas attende. Dum tecum carnali fruerer voluptate, vtrum id amore, vel libidine agerem, incertum pluribus habebatur. Nunc autem finis indicat quo id inchoauerim principio. Omnes denique mihi voluptates interdixi, vt tuæ parerem voluntati. Nihil mihi reſeruaui, niſi ſic tuam nunc præcipuè fieri. Quæ verò tua ſit iniquitas perpende, ſi merenti amplius perſoluis minus, imò nihil penitus: præſertim cùm paruum ſit quod exigeris, & tibi facillimum. Per ipſum itaque, cui te obtuliſti, Deum te obſecro, vt quoquo modo potes tuam mihi præſentiam reddas, conſolationem videlicet mihi aliquam reſcribẽdo. Hoc ſaltem pacto, vt ſic recreata diuino alacrior vacem obſequio. Cùm me ad temporales olim voluptates expeteres, crebris me Epiſtolis viſitabas, frequenti carmine tuam in ore omnium Heloiſſam ponebas. Me plateæ omnes, me domus ſingulæ reſonabant. Quantò autem rectiùs me nunc in Deũ, quàm tunc in libidinem excitares? Perpende obſecro quæ debes, attende quæ poſtulo; & longam Epiſtolam breui fine concludo. Vale vnice.

EPISTOLA III.

Quæ eſt Reſcriptum PETRI ad HELOISSAM.

ARGVMENTVM.

Superiori Epiſtolæ Heloyſſæ reſpondet Abaelardus, ac ſe candidè excuſat, quòd tanto tempore ad illam non ſcripſerit, minimè de incuria in eam veniſſe: ſed quòd de prudentia, doctrina, pietate, & religione eius tantùm confideret, vt eam vel exhortatione, vel conſolatione non indigere crederet. Monet autem vt ad ſe reſcribat, quid ſibi exhortationis vel conſolationis diuinæ ab eo reſcribi velit: & ipſe eius deſiderio faciet ſatis. Rogat eam, vt tam ipſa quàm ſacer eius virginum ac viduarum chorus ſe apud Deum precibus iuuet, quantas apud ipſum vires oratio maximè vxorum pro viris habeat, luculenter ex ſcripturarum authoritate diſſerens: & commemoratis precibus, quæ hactenus in ipſo Monaſterio pro ſe à ſacris feminis fierent

ad Deum

Digitized by Google

ad Deum ſingulis horis Canonicis, alias item quæ pro ſalute abſentis fiant inſtituit. Præterea rogat vt quocunque modo vel loco eum ex hac vita migrare contingeret, defuncti corpus ad Paracletenſe Cœnobium deferri, ibique ſepelri curaret.

Heloiſſæ dilectiſſimæ ſorori ſuæ in Chriſto Abaelardus frater eius in ipſo.

QVOD poſt noſtram à ſeculo ad Deum conuerſionem nondum tibi aliquid conſolationis vel exhortationis ſcripſerim, non negligentiæ meæ, ſed tuæ, de qua ſemper plurimum confido, prudentiæ imputandum eſt. Non enim eam his indigere credidi, cui abũdanter quæ neceſſaria ſunt diuina gratia impertiuit; vt tam verbis quàm exemplis errantes valeas docere, puſillanimes conſolari, tepidos exhortari: ſicut & facere iamdudum conſueuiſti cùm ſub Abbatiſſa Prioratum obtineres. Quòd ſi nunc tanta diligentia tuis prouideas filiabus, quanta tunc ſororibus; ſatis eſſe credimus, vt iam omninò ſuperfluam doctrinam vel exhortationem noſtram arbitremur. Sin autem humilitati tuæ aliter videtur, & in ijs etiam quæ ad Deum pertinent magiſterio noſtro atque ſcriptis indiges, ſuper his quæ velis ſcribe mihi, vt ad ipſam reſcribam prout Dominus mihi annuerit. Deo autem gratias, qui grauiſſimorum & aſſiduorum periculorum meorum ſollicitudinem veſtris cordibus inſpirans, afflictionis meæ participes vos fecit; vt orationum ſuffragio veſtrarum diuina miſeratio me protegat, & velociter Sathanam ſub pedibus noſtris conterat. Ad hoc autem præcipuè Pſalterium, quod à me ſollicitè requiſiſti, ſoror in ſeculo quondam chara, nunc in Chriſto chariſſima, mittere maturaui. In quo videlicet pro noſtris magnis & multis exceſſibus, & quotidiana periculorum meorum inſtantia iuge Domino ſacrificium immoles orationũ. Quãtum autem locum apud Deum & Sanctos eius fidelium orationes obtineant, & maximè mulierum pro charis ſuis, & vxorum pro viris, multa nobis occurrunt teſtimonia & exempla. Quod diligenter attendens Apoſtolus, ſine intermiſſione orare nos admonet. Legimus Dominum Moyſi dixiſſe, *Dimitte me vt iraſcatur furor meus.* Et Hieremiæ: *Tu vero*, inquit, *noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi.* Ex quibus videlicet verbis manifeſtè Dominus ipſe profitetur orationes

2. *Theſſ.* 5.

Exod. 32. *Hierem.* 7.

Digitized by Google

Sanctorum quasi quoddam frenum iræ ipsius immittere, quo scilicet ipsa coerceatur, ne quantum merita peccãtium exigunt ipsa in eos sęuiat. Vt quem ad vindictã iustitia quasi spontaneum ducit, amicorum supplicatio flectat, & tanquam inuitum quasi vi quadam retineat. Sic quippè oranti vel oraturo dicitur, *Dimitte me, & ne obsistas mihi.* Præcipit Dominus ne oretur pro impijs. Orat iustus Domino prohibente, & ab ipso impetrat quod postulat, & irati iudicis sententiam immutat. Sic quippè de Moyse subiunctum est: *Et placatus factus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo.* Scriptum est alibi de vniuersis operibus Dei: *Dixit, & facta sunt.* Hoc autẽ loco & dixisse memoratur quod de afflictione populus meruerat, & virtute orationis pręuentus non implesse quod dixerat. Attende itaque quanta sit orationis virtus, si quod iubemur oremus: quando id quod orare Prophetam Deus prohibuit, orando tamen obtinuit, & ab eo quod dixerat eum auertit. Cui & alius Propheta dicit: *Et cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Audiant id atque aduertant Principes terreni, qui occasione præpositæ & edictæ iustitiæ suæ obstinati magis quàm iusti reperiuntur, & se remissos videri erubescunt si misericordes fiant, & mendaces si edictum suum mutent, vel quod minus prouidè statuerunt non impleant, etsi verba rebus emendent. Quos quidem rectè dixerim Iephtæ comparandos, qui quod stultè vouerat stultiùs adimplens vnicam interfecit. Qui verò eius membrum fieri cupit, tũc cum Psalmista dicit, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Misericordia*, sicut scriptum est, *iudicium exaltat*, attendens quod alibi Scriptura comminatur, *iudicium sine misericordia in eum qui misericordiam non facit.* Quod diligenter ipse Psalmista considerans, ad supplicationem vxoris Nabal Carmeli iuramentum, quod ex iustitia fecerat, de viro eius scilicet & ipsius domo delenda, per misericordiam cassauit. Orationem itaque iustitiæ prætulit, & quod vir deliquerat supplicatio vxoris deleuit. In quo quidem tibi, soror, exemplum proponitur, & securitas datur, vt si huius oratio apud hominem tantum obtinuit, quid apud Deum tua pro me audeat instruaris. Plus quippe Deus, qui pater est noster, filios diligit; quàm Dauid feminam supplicantem. Et ille quidem pius & misericors habebatur, sed

ipſa pietas & miſericordia Deus eſt. Et quæ tunc ſupplicabat mulier ſecularis erat & laica, nec ex ſanctæ deuotionis profeſſione Domino copulata. Quòd ſi ex te minus ad impetrandum ſufficias, ſanctus qui tecum eſt tam virginum quàm viduarum Conuentus, quod per te non potes, obtinebit. Cùm enim diſcipulis Veritas dicat, *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et rurſum, *Si duo ex vobis conſenſerint de omni re quam petierint, fiet illud à Patre meo*: quis non videat quantum apud Deum valeat ſanctæ congregationis frequens oratio? Si, vt Apoſtolus aſſerit, *multum valet oratio iuſti aſſidua*, quid de multitudine ſanctæ congregationis ſperandum eſt? Noſti, chariſſima ſoror, ex Homelia beati Gregorij XXXVIII. quantum ſuffragiũ inuito ſeu contradicenti fratri oratio fratrum naturæ *attulerit. De quo iam ad extremum ducto quanta periculi anxietate miſerrima eius anima laboraret, & quanta deſperatione & tædio vitæ fratres ab oratione reuocaret, quid ibi diligenter ſcriptum ſit tuam minimè latet prudentiam. Atque vtinam confidentiùs te & ſanctarum Conuentum ſororum ad orationem inuitet, vt me ſcilicet vobis ipſe viuum cuſtodiat, per quem Paulo atteſtante, mortuos etiam ſuos de reſurrectione mulieres acceperunt. Si enim veteris & Euangelici Teſtamenti paginas reuoluas, inuenies maxima reſuſcitationis miracula ſolis vel maximè feminis exhibita fuiſſe, pro ipſis vel de ipſis facta. Duos quippe mortuos ſuſcitatos ad ſupplicationes maternas vetus commemorat Teſtamentum, per Heliam ſcilicet, & ipſius diſcipulum Heliſæum. Euangelium vero trium tantùm mortuorum ſuſcitationem à Domino factam continet, quæ mulieribus exhibita, maximè illud quod ſupra commemorauimus Apoſtolicum dictũ rebus ſuis confirmant. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* Filium quippe viduæ ad portam ciuitatis Naym ſuſcitatum matri reddidit, eius compaſſione compunctus. Lazarum quoq; amicum ſuum ad obſecrationem ſororum eius, Mariæ videlicet ac Marthæ, ſuſcitauit. Quo etiam Archiſynagogi filiæ hanc ipſam gratiam ad petitionem patris impendente, *mulieres de reſurrectione mortuos ſuos acceperunt.* Cùm hæc videlicet ſuſcitata proprium de morte receperit corpus, ſicut illæ corpora ſuorum. Et paucis quidem inter-*

Matth. 18.
Ibidem.
Iacob. 5.
al. maturè
Hebr. 11.
2. Reg. 17.
4. Reg 4.
Heb. 11.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Matth. 9.
Marc. 5.

Digitized by Google

uenientibus hæ factæ ſunt reſuſcitationes. Vitæ verò noſtræ cõſeruationẽ multiplex veſtræ deuotionis oratio facilè obtinebit. Quatũ tam abſtinentia quàm continentia Deo ſacrata quãtò ipſi gratior habetur, tantò ipſum propitiorẽ inueniet. Et plæriq; fortaſſis horũ qui ſuſcitati ſunt nec fideles extiterũt, ſicut nec vidua prædicta, cui non roganti filiũ Dominus ſuſcitauit, fidelis extitiſſe legitur. Nos autem inuicem non ſolum fidei colligat integritas, verumetiam eiuſdem religionis profeſſio ſociat. Vt autem ſacroſanctum Collegij veſtri nunc omittam Conuentum, in quo plurimarum virginum ac viduarum deuotio Domino iugiter deſeruit; ad te vnam veniam, cuius apud Deum ſanctitatem plurimùm non ambigo poſſe, & quæ potes mihi præcipuè debere, maximè in tantæ aduerſitatis laboranti diſcrimine. Memento itaque ſemper in orationibus tuis eius, qui ſpecialiter eſt tuus, & tantò confidentiùs in oratione vigila, quantò id eſſe tibi recognoſcis iuſtius, & ob hoc ipſi qui orandus eſt acceptabilius. Exaudi, obſecro, aure cordis, quod ſæpiùs audiſti aure corporis. Scriptum eſt in Prouerbijs, *Mulier diligens corona eſt viro ſuo.* Et rurſum, *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonũ: & hauriet iocunditatem à Domino.* Et iterum, *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie vxor prudens.* Et in Eccleſiaſtico, *Mulieris bonæ beatus vir.* Et poſt pauca, *Pars bona, mulier bona.* Et iuxta authoritatem Apoſtolicam, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem.* Cuius quidem rei experimentum in regno præcipuè noſtro, id eſt Francorum, diuina ſpecialiter exhibuit gratia, cùm ad orationem videlicet vxoris magis quàm ad ſanctorum prædicationem, Clodoueo rege ad fidem Chriſti conuerſo regnum ſic vniuerſum diuinis legibus mancipauerunt, vt exemplo maximè ſuperiorum ad orationis inſtantiam inferiores prouocarentur. Ad quam quidem inſtantiam Dominica nos vehementer inuitans parabola, *Ille*, inquit, *ſi perſeuerauerit pulſans, dico vobis quia ſi non dabit ei eò quòd amicus illius ſit, propter improbitatem eius ſurgens dabit ei quotquot habet neceſſarios.* Ex hac profectò, vt ita dicam, orationis improbitate, ſicut ſupra memini, Moyſes diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem eneruauit, & ſententiam immutauit. Noſti, dilectiſſima, quantum charitatis affectum præſentiæ meæ Conuentus olim veſter in oratione ſolitus ſit exhibere. Ad expletionem namque quotidie ſingularum Horarũ ſpe-

Luc. 7.

Prouer. 12.
Prouer. 18.

Eccleſ. 26.

Ibidem.
1. Cor. 7.

Luc. 11.

Exod. 32.

Digitized by Google

cialem pro me Domino ſupplicationem hanc offerre conſueuit, vt Reſponſo proprio cum Verſu eius præmiſſis & decantatis, Preces his & Collectam in hunc modum ſubiungeret. Reſponſum. *Non me derelinquas, nec diſcedas à me Domine.* Verſ. *In adiutorium meum ſemper intende Domine.* Preces. *Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Oratio*. *Deus qui per ſeruulum tuum ancillulas tuas in nomine tuo dignatus es aggregare, te quæſumus; vt tam ipſi quàm nobis in tua tribuas perſeuerare voluntate. Per Dominũ, &c.* Nunc autem abſenti mihi tantò ampliùs orationum veſtrarum opus eſt ſuffragio, quãtò maioris anxietate periculi conſtringor. Supplicando itaque poſtulo, & poſtulãdo ſupplico, quatenus præcipuè nunc abſens experiar quàm vera charitas veſtra erga abſentem extiterit, ſingulis videlicet Horis expletis hunc Orationis propriæ modum adnectens. Reſponſ. *Ne derelinquas me Domine pater & dominator vitæ meæ, vt non corruam in conſpectu aduerſariorum meorum: ne gaudeat de me inimicus meus.* Verſ. *Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Ne gaudeat.* Preces. *Saluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Mitte ei Domine auxilium de ſancto: & de Syon tuere eum. Eſto ei Domine turris fortitudinis: à facie inimici. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.* Oratio. * *Deus qui per ſeruum tuum ancillulas tuas in nomine tuo dignatus es aggregare, te quæſumus, vt eum ab omni aduerſitate protegas, & ancillis tuis incolumem reddas. Per Dominum, &c.* Quòd ſi me Dominus in manibus inimicorum tradiderit, ſcilicet vt ipſi prævalentes me interficiant, aut quocũq; caſu viam vniuerſę carnis abſens à vobis ingrediar: cadauer obſecro noſtrum vbicumque vel ſepultum vel expoſitum iacuerit, ad Cimiterium veſtrum deferri faciatis, vbi filiæ noſtræ*, imò in Chriſto ſorores, ſepulchrum noſtrum ſæpiùs videntes, ad preces pro me Domino fundendas ampliùs inuitentur. Nullum quippè locum animæ dolenti de peccatorum ſuorum errore deſolatę tutiorem ac ſalubriorem arbitror, quàm eum qui vero Paracleto, id eſt cõſolatori propriè conſecratus eſt, & de eius nomine ſpecialiter inſignitus. Nec Chriſtianæ ſepulturæ locum rectiùs apud aliquos fideles, quàm apud feminas Chriſto deuotas conſiſtere cenſeo. Quæ de Domini Ieſu Chriſti ſepultura ſollicitæ,

Pſal. 37.
Pſal. 85.
Pſal. 101.
* al. Oremus.
Eccleſ. 23.
Pſal. 34.
Pſal. 85.
* al. Oremus.
* al. veſtræ
Marc. 16.

eam vnguentis pretioſis,& præuenerunt & ſubſecutæ ſunt,& circa eius ſepulchrum ſtudiosè vigilantes, & ſponſi mortem lachrymabiliter plangentes, ſicut ſcriptum eſt, *Mulieres ſedentes ad monumentum lamentabantur flentes* D*ominum*. Primò ibidem de reſurrectione eius Angelica apparitione& allocutione ſunt conſolatæ, & ſtatim ipſius reſurrectionis gaudia, eo bis eis apparente, percipere meruerunt,& manibus cõtrectare. Illud autem demùm ſuper omnia poſtulo, vt quę nunc de corporis mei periculo nimia ſollicitudine laboratis, tunc præcipuè de ſalute animæ ſollicitæ, quantùm dilexeritis viuum exhibeatis defuncto, orationum videlicet veſtrarum ſpeciali quodam & proprio ſuffragio.

Viue, vale, viuantque tuæ, valeantque ſorores
Viuite, ſed Chriſto quæſo mei memores.*

EPISTOLA IIII.

Quæ eſt Reſcriptum HELOISSAE ad PETRVM.

ARGVMENTVM.

Plena planctibus & doloribus eſt Epiſtola. Plangit enim Heloiſſa & ſuam, & Monacharum ſuarum, atque ipſius Abaelardi miſeram conditionem, accepta planctus occaſione ex poſtrema præcedentis Epiſtolæ parte, vbi de ſua ex hac vita migratione meminit Abaelardus. Multis vtitur affectibus, quibus lectorem ad compaßionem ſuarum & Abaelardi mouet, vt fortè etiam lachrymas excutiat. Plangit & ipſius Abaelardi plagam. Multa etiam de ipſis in corpore carnalibus deſideriis inardeſcentibus, quæ aliquando cum ipſo experta fuerat Abaelardo, conqueritur. Proinde exteriorem & apertam religionem ſuam non incongruè extenuat, ac illam ſimulationi potiùs quàm pietati aſcribit; ſe Abaelardi ſui orationibus iuuari poſtulat, atque ſuas laudes humiliter rejicit.

Vnico ſuo poſt Chriſtum vnica ſua in Chriſto.

MIROR (vnice meus) quòd præter conſuetudinem Epiſtolarum, imò contra ipſum ordinem naturalem rerum, in ipſa fronte ſalutationis Epiſtolaris me tibi præponere præſumpſiſti: feminam videlicet viro, vxorem marito, ancillã Domino, Monialem Monacho & Sacerdoti, Diaconiſſam Abbati. Rectus quippe ordo eſt & honeſtus, vt qui ad ſuperiores vel ad pares ſcribũt, eorũ

quibus ſcribũt nomina ſuis anteponant. Sin autẽ ad inferiores, prẽcedũt ſcriptionis ordine qui præcedunt rerũ dignitate. Illud etiã non parua admiratione ſuſcepim°, quòd quibus conſolationis remedium afferre debuiſti, deſolationem auxiſti; & quas mitigare debueras, excitaſti lachrymas. Quæ enim noſtrum ſiccis oculis audire poſſit, quod circa finem Epiſtolæ poſuiſti dicens, *Quòd ſi me Dominus in manus inimicorum tradiderit, vt me ſcilicet prævalentes interficiant, &c.* O chariſſime, quo id animo cogitaſti, quo id ore dicere ſubſtinuiſti? Nunquam ancillulas ſuas adeò Deus obliuiſcatur, vt eas tibi ſuperſtites reſeruet. Nunquam nobis vitam illam concedat, quæ omni genere mortis ſit grauior. Te noſtras exequias celebrare, te noſtras Deo animas conuenit commendare, & quas Deo aggregaſti ad ipſum præmittere; vt nulla ampliùs de ipſis perturberis ſollicitudine, & tantò lætior nos ſubſequaris, quantò ſecurior de noſtra ſalute iam fueris. Parce obſecro, domine, parce huiuſmodi dictis, quibus miſeras miſerrimas facias; & vt ipſum quodcumque viuimus ne nobis auferas ante mortem. Sufficit diei malicia ſua, & dies illa omnibus, quos inueniet, ſatis ſecum ſollicitudinis afferet omni amaritudine inuoluta. *Quid enim neceſſe eſt*, inquit Seneca, *mala arceſſere, & ante mortem vitam perdere?* Rogas vnice, vt quocumque caſu nobis abſens hanc vitam finieris, ad Cimiterium noſtrum corpus tuum adferri faciamus: vt orationum ſcilicet noſtrarum ex aſſidua tui memoria ampliorem aſſequaris fructum. At verò quomodo memoriam tui à nobis labi poſſe ſuſpicaris? aut quod orationi tempus tunc erit commodum, quando ſumma perturbatio nihil permittet quietum? cùm nec anima rationis ſenſum, nec lingua ſermonis retinebit vſum? Cùm mens inſana in ipſum, vt ita dicam, Deum magis irata quàm pacata, non tam orationibus ipſum placabit quàm querimonijs irritabit? Flere tunc miſeris tãtùm vacabit, non orare licebit, & te magis ſubſequi quàm ſepelire maturandum erit, vt potius & nos conſepeliendæ ſimus, quàm ſepelire poſſimus. Quæ cùm in te noſtram amiſerimus vitam, viuere te recedente nequaquã poterimus. Atque vtinam nec tunc vſque poſſimus! Mortis tuæ mentio mors quædam nobis eſt. Ipſa autem mortis huius veritas quid, ſi nos inuenerit, futura eſt? Nunquam Deus

Matth. 6.

Digitized by Google

annuat, vt hoc tibi debitum ſuperſtites perſoluamus, vt hoc tibi patrocinio ſubueniamus, quod à te penitus expectamus. In hoc vtinam te præceſſuræ, non ſecuturæ. Parce itaque obſecro nobis, parce itaque vnicæ ſaltem tuæ, huiuſmodi ſcilicet ſuperſedendo verbis, quibus tanquam gladijs mortis noſtras tranſuerberas animas: vt quod mortem præuenit ipſa morte grauius ſit. Confectus mœrore animus quietus non eſt, nec Deo ſincerè poteſt vacare mens perturbationibus occupata. Noli obſecro diuinum impedire ſeruitium, cui nos maximè mancipaſti. Omne ineuitabile, quod cùm acciderit, mœrorem maximum ſecum inferet, vt ſubitò veniat optandum eſt; ne timore inutili diu ante cruciet, cui nulla ſuccurri prouidentia poteſt. Quod & Poeta benè conſiderans Deum precatur dicens,

Lucanus lib. 2.

Sit ſubitum quodcumque paras, ſit cæca futuri
Mens hominum fati. Liceat ſperare timenti.

Quid autem te amiſſo ſperandum mihi ſupereſt? aut quæ in hac peregrinatione cauſa remanendi, vbi nullum niſi te remedium habeam, & nullum aliud in te niſi hoc ipſum quod viuis omnibus de te mihi alijs voluptatibus interdictis, cui nec præſentia tua conceſſum eſt frui, vt quãdoque mihi reddi valeam? O ſi fas ſit dici crudelem mihi per omnia Deum! ô inclementẽ clementiam! ô infortunatam fortunã! quæ iam in me vniuerſi conaminis ſui tela intantũ conſumpſit, vt quibus in alios ſæuiat iam non habeat! Plenam in me pharetram exhauſit, vt fruſtra iam alij bella eius formident. Nec ſi ei adhuc telum aliquod ſupereſſet, locum in me vulneris inueniret. Vnum inter tot vulnera metuit, ne morte ſupplicia finiam. Et cùm interimere non ceſſet, interitum tamen quem accelerat timet. O me miſeratum miſerrimam! infelicium infeliciſſimam, quæ quantò vniuerſis in te feminis prælata ſublimiorem obtinui gradum, tantò hinc proſtrata grauiorem in te & in me pariter perpeſſa ſum caſum! Quantò quippè altior aſcendentis gradus, tantò grauior corruentis caſus. Quam mihi nobiliũ ac potentium feminarũ fortuna vnquã præponere potuit aut æquare? Quam denique adeò deiecit & dolore conficere potuit? Quam in te* mihi gloriam contulit? quam in te mihi ruinam intulit? Quàm mihi vehemens in vtramque partem extitit, vt nec in bonis nec in malis modum

*al. vitæ

dum habuerit? Quę vt me miſerrimam omnium faceret, omnibus antè beatiorem effecerat. Vt cùm quanta perdidi penſarem, tantò me maiora conſumerent lamenta, quantò me maiora oppreſſerant damna: & tantò maior amiſſorum ſuccederet dolor, quantò maior poſſeſſorum præceſſerat amor, & ſummæ voluptatis gaudia ſumma mœroris terminaret triſtitia. Et vt ex iniuria maior indignatio ſurgeret, omnia in nobis æquitatis iura pariter ſunt peruerſa. Dum enim ſolliciti amoris gaudijs frueremur, & vt turpiore, ſed expreſſiore vocabulo vtar, fornicationi vacaremus, diuina nobis ſeuitas pepercit. Vt autem illicita licitis correximus, & honore coniugij turpitudinem fornicationis operuimus, ira Domini manum ſuam ſuper nos vehementer aggrauauit, & immaculatum non pertulit thorum qui diu ante ſubſtinuerat pollutum. Deprehenſis in quouis adulterio viris hæc ſatis eſſet ad vindictam pœna quam pertuliſti. Quod ex adulterio promerentur alij, id tu ex coniugio incurriſti; per quod iam te omnibus ſatisfeciſſe confidebas iniurijs. Quod fornicatoribus ſuis adulteræ, hoc propria vxor tibi cõtulit. Nec cùm priſtinis vacaremus voluptatibus, ſed cùm iam ad tempus ſegtegati caſtiùs viueremus, te quidem Pariſius Scholis præſidente, & me ad imperium tuum Argẽteoli cum Sanctimonialibus conuerſante. Diuiſis itaque ſic nobis adinuicem * vt tu ſtudioſiùs Scholis, ego liberiùs orationi ſiue ſacræ lectionis meditationi vacarem; & tantò nobis ſanctiùs quantò caſtiùs degentibus, ſolus in corpore luiſti quod duo pariter commiſeramus. Solus in pœna fuiſti, duo in culpa: & qui minus debueras, totum pertuliſti. Quantò enim ampliùs te pro me humiliando ſatisfeceras, & me pariter & totum genus meum ſublimaueras; tantò te minus tam apud Deum quàm apud illos proditores obnoxium pœnæ reddideras. O me miſeram in tanti ſceleris cauſa progenitam! O ſummam in viros ſummos & conſuetam feminarum perniciem! Hinc de muliere cauenda ſcriptum eſt in Prouerbijs: *Nunc ergo, fili, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abſtrahatur in vijs illius mens tua, neque decipiaris ſemitis eius. Multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea. Viæ inferi domus eius penetrantes in inferiora mortis.* Et in Eccleſiaſte. *Luſtraui vniuerſa animo meo, & inueni amariorem*

*al. abinuicem

Prouerb. 7.

Eccleſ. 7.

morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius. Vincula enim ſunt manus eius. Qui placet Deo, effugiet eam. Qui autem peccator eſt, capietur ab illa. Prima ſtatim mulier de Paradiſo virum captiuauit, & quæ ei à Domino creata fuerat in auxilium, in ſummum ei conuerſa eſt exitium. Fortiſſimum illum Nazaræum Domini & Angelo nunciante conceptum Dalila ſola ſuperauit, & eum inimicis proditum & oculis priuatum ad hoc tandem dolor compulit, vt ſe pariter cum ruina hoſtium opprimeret. Sapientiſſimum omnium Salomonem ſola quam ſibi copulauerat mulier infatuauit, & in tantam compulit inſaniam, vt eum quem ad ædificandum ſibi Dominus templum elegerat, patre eius Dauid, qui iuſtus fuerat, in hoc reprobato, ad idololatriam ipſa vſque in finem vitæ deijceret; ipſo, quem tam verbis quàm ſcriptis prædicabat atque docebat, diuino cultu derelicto. Iob ſanctiſſimus in vxore nouiſſimam atque grauiſſimam ſubſtinuit pugnam, quæ eum ad maledicendum Deo ſtimulabat. Et callidiſſimus temptator hoc optimè nouerat, quod ſæpius expertus fuerat; virorum videlicet ruinam in vxoribus eſſe facillimã. Qui denique etiam vſque ad nos conſuetam extendens malitiam, quem de fornicatione ſternere non potuit, de coniugio temptauit: & bono malè eſt vſus, qui malo malè vti non eſt permiſſus. Deo ſaltem ſuper hoc gratias, quòd me ille vt ſupra poſitas feminas in culpam ex conſenſu non traxit, quam tamen in cauſam commiſſæ malitiæ ex affectu conuertit. Sed & ſi purget animum meum innocentia, nec huius reatum ſceleris conſenſus incurrat: peccata tamen multa præceſſerunt, quæ me penitus immunem ab huius reatu ſceleris eſſe non ſinunt. Quòd videlicet diu ante carnalium illecebrarum voluptatibus ſeruiens, ipſa tunc merui quod nunc plector, & præcedentium in me peccatorum ſequentia meritò facta ſunt pœna. Etiam malis initijs peruerſus imputandus eſt exitus. Atque vtinam huius præcipuè commiſſi dignam agere valeam pœnitentiam, vt pœnæ illi tuæ vulneris illati ex longua ſaltem pœnitentiæ contritione vicem quoquo modo recompenſare queam: & quod tu ad horam in corpore pertuliſti, ego in omni vita, vt iuſtum eſt, in contritione mentis ſuſcipiam, & hoc tibi ſaltem modò, ſi non Deo, ſatisfaciam. Si enim verè miſerrimi mei animi profi-

tear infirmitatem, qua pœnitentia Deum placare valeam nō inuenio, quem ſuper hac ſemper iniuria ſummæ crudelitatis arguo ; & eius diſpenſationi contraria magis eum ex indignatione offendo, quàm ex pœnitentiæ ſatisfactione mitigo. Quomodo etiam pœnitentia peccatorum dicitur, quantacumque ſit corporis afflictio, ſi mens adhuc ipſam peccandi retinet voluntatem, & priſtinis æſtuat deſiderijs ? Facile quidem eſt quemlibet confitēdo' peccata ſeipſum accuſare, aut etiam in exteriori ſatisfactione corpus affligere. Difficillimum verò eſt à deſiderijs maximarum voluptatum auellere animum. Vnde & meritò ſanctus Iob cùm præmiſiſſet, *Iob. 10.* *Dimittam aduerſum me eloquium meum*, id eſt laxabo linguam, & aperiam os per confeſſionem in peccatorum meorum accuſationem : ſtatim adiunxit, *loquar in amaritudine animæ meæ.* Quod beatus exponens Gregorius, *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui apertis vocibus culpas fatentur, ſed tamen in confeſſione gemere neſciunt, & lugenda gaudentes dicūt.* Vnde qui culpas ſuas deteſtās loquitur, reſtat neceſſe eſt vt has in amaritudine animæ loquatur, vt hæc ipſa amaritudo puniat quicquid lingua per mentis iudicium accuſat. Sed hæc quidē amaritudo verę pœnitentiæ quàm rara ſit beatus diligenter attendens Ambroſius : *Facilius*, inquit, *inueni qui innocentiam ſeruauerunt, quàm qui pœnitentiam egerunt.* In tantum verò illæ, quas pariter exercuimus, amantium voluptates dulces mihi fuerunt, vt nec diſplicere mihi, nec vix à memoria labi poſſint. Quocumque loco me vertam, ſemper ſe oculis meis cum ſuis ingerunt deſiderijs. Nec etiam dormienti ſuis illuſionibus parcunt. Inter ipſa Miſſarum ſolemnia, vbi purior eſſe debet oratio, obſcœna earum voluptatum fantaſmata ita ſibi penitus miſerrimam captiuant animam, vt turpitudinibus illis magis quàm orationi vacem. Quæ cum ingemiſcere debeam de commiſſis, ſuſpiro potius de amiſſis. Nec ſolùm quæ egimus, ſed loca pariter & tempora, in quibus hæc egimus, ita tecum noſtro infixa ſunt animo, vt in ipſis omnia tecum agā, nec dormiens etiam ab his quieſcam. Nonnunquam & ipſo motu corporis animi mei cogitationes deprehenduntur, nec à verbis temperant improuiſis. O verè me miſeram, & illa conqueſtione ingemiſcentis animæ digniſſimam! *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Vtinā & quod ſe-

Lib. 9. Moral. c. 23.

Ibid. c. 24.

Lib. de pœnit. c. 10.

Rom. 7.

Digitized by Google

quitur veraciter addere queam! *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc te gratia, chariſſime, præuenit, & ab his tibi ſtimulis vna corporis plaga medendo multas in anima ſanauit,& in quo tibi ampliùs aduerſari Deus creditur, propitior inuenitur. More quidem fideliſſimi medici, qui non parcit dolori, vt conſulat ſaluti. Hos autem in me ſtimulos carnis, hæc incentiua libidinis ipſe iuuenilis feruor ætatis,& iocundiſſimarum experientia voluptatum, plurimùm accendunt,& tantò ampliùs ſua me impugnatione opprimunt, quantò infirmior eſt natura qnam oppugnant. Caſtam me prædicant, qui non deprehenderunt hypocritam. Munditiam carnis conferunt in virtutem, cùm non ſit corporis, ſed animi virtus. Aliquid laudis apud homines habens, nihil apud Deum mereor, qui cordis & renum probator eſt,& in abſcondito videt. Religioſa hoc tempore* iudicor,in quo iam parua pars religionis non eſt hypocriſis; vbi ille maximis extollitur laudibus,qui humanum non offendit iudicium. Et hoc fortaſſis aliquo modo laudabile, & Deo acceptabile quoquo modo videtur, ſi quis videlicet exterioris operis exemplo quacumque intentione non ſit Eccleſiæ ſcandalo, nec iam per ipſum apud infideles nomen Domini blaſphemetur, nec apud carnales profeſſionis ſuæ ordo infametur. Atque hoc quoque nonnullum eſt diuinæ gratiæ donum, ex cuius videlicet munere venit non ſolum bona facere,ſed etiam à malis abſtinere. Sed fruſtra iſtud præcedit, vbi illud non ſuccedit, ſicut ſcriptum eſt: *Declina à malo, & fac bonum.* Et fruſtrà vtrumque geritur quod amore Dei non agitur. In omni autem (Deus ſcit) vitæ meæ ſtatu, te magis adhuc offendere quàm Deum vereor: tibi placere ampliùs quàm ipſi appeto. Tua me ad religionis habitum iuſſio,non diuina traxit dilectio. Vide quàm infelicem,& omnibus miſerabiliorem ducam vitam, ſi tanta hîc fruſtra ſubſtineo: nihil habitura remunerationis in futuro. Diu te,ſicut multos, ſimulatio mea fefellit, vt religioni deputares hypochriſim:& ideò noſtris te maximè commendans orationibus, quod à te expecto à me poſtulas. Noli,obſecro,de me tanta præſumure, ne mihi ceſſes orando ſubuenire. Noli æſtimare ſanam, ne medicaminis ſubtrahas gratiam. Noli non egentem credere,ne differas in neceſſitate ſubuenire. Noli valitudinem*

Digitized by Google

putare, ne prius corruam quàm ſubſtentes labentem. Multis ficta ſui laus nocuit, & præſidium quo indigebant abſtulit. Per Eſaiam Dominus clamat, *Populе meus, qui te beatificant ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Et per Ezechielem, *Væ qui conſuitis*, inquit, *puluillos ſub omni cubitu manus, & ceruicalia ſub capite ætatis vniuerſæ ad decipiendas animas.* E contra autem per Salomonem dicitur, *verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, qui videlicet vulnera neſciũt palpare, ſed pungere.* Quieſce obſecro à laude mea, ne turpem adulationis notam & mendacij crimen incurras: aut ſi quod in me ſuſpicaris bonum, ipſum laudatum vanitatis aura ventilet. Nemo medicinæ peritus interiorem morbum ex exterioris habitus inſpectione dijudicat. Nulla, quicquid meriti apud Deum obtinent, quæ reprobis æquè vt electis communia ſunt. Hæc autem ea ſunt, quæ exteriùs aguntur, quæ nulli Sanctorum tam ſtudiosè peragunt, quantùm hypocritæ. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile etiam: quis cognoſcet illud? Et ſunt viæ hominis quæ videntur rectæ: nouiſſima autem illius deducunt ad mortem. Temerarium eſt in eo iudicium hominis, quod diuino tantùm reſeruatur examini. Vnde & ſcriptum eſt: *Ne laudaueris hominem in vita.* Ne tunc videlicet hominem laudes, dum laudando facere non laudabilem potes. Tantò autem mihi tua laus in me periculoſior eſt, quantò gratior: & tantò ampliùs ea capior & delector, quantò amplius tibi per omnia placere ſtudeo. Time obſecro ſemper de me potius quàm confidas, vt tua ſemper ſollicitudine adiuuer. Nunc verò præcipuè timendum eſt, vbi nullum incõtinentiæ meæ ſupereſt in te remedium. Nolo me ad virtutem exhortans, & ad pugnam prouocans, dicas: *Nam virtus in infirmitate perficitur*: &, *non coronabitur niſi qui legimè certauerit.* Non quæro coronam victoriæ. Satis eſt mihi periculum euitare. Tutiùs euitatur periculum, quàm committitur bellum. Quocumq; me angulo cœli Deus collocet, ſatis mihi faciet. Nullus ibi cuiquam inuidebit, cùm ſingulis quod habebunt ſuffecerit. Cui quidem conſilio noſtro vt ex authoritate quoque robur adiungam, beatum audiamus Hieronymum: *Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe victoriæ pugnare, ne perdam aliquando victoriam.* Quid neceſſe eſt certa dimittere, & incerta ſectari?

Eſai. 3. Ezech. 13. Eccleſ. 12. Hierem. 17. Prouerb. 14. Eccleſ. 11. 2. Cor. 12. 2. Tim. 2. Tom. 2. aduerſ. Vigilãtium.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

Quæ eſt Reſcriptum PETRI rurſus ad HELOISSAM.

ARGVMENTVM.

Quatuor capitibus, quibus totam nouiſſimam Heloiſſæ Epiſtolam conſtare dicit, argutè reſpondet Abaelardus: ſingulorumque rationes proſequitur, non tam vt ſeipſum excuſet, quàm vt ipſam doceat, hortetur, & conſoletur Heloiſſam. Primò quidem rationem ponit, qua in poſtremis literis ſuis nomen eius ſuo præpoſuerit. Secundò, quod ſuorum periculorum & mortis mentionem egerit, ſe ab ea adiuratum feciſſe exponit. Tertium de laudum ſuarum rejectione approbat: modò id ſincerè & ſine laudis fiat cupiditate. Quartò de ſua vtriuſque conuerſionis occaſione ad vitam Monaſticam fuſiùs proſequitur. Plagam in corporis ſui fœda parte, quam illa plangebat, ſic extenuat: vt eam vtrique ſaluberrimam, & multorum bonorum cauſam eſſe profiteatur, comparatione turpium eiuſdem pudendæ partis actorum: atque eam ob rem diuinam extollit ſapientiam & clementiam. Multa denique paſſim ponuntur ad doctrinam & exhortationem atque conſolationem Heloiſſæ. Ponitur & breuis oratio qua Monachæ Paracletenſes Abaelardo & Heloiſſæ Deum propitiarent.

Sponſæ Chriſti ſeruus eiuſdem.

IN quatuor, memini, circa quæ Epiſtolæ tuæ nouiſſimæ ſumma conſiſtit, offenſæ tuæ commotionẽ expreſſiſti. Primò quidem ſuper hoc conquereris, quòd præter conſuetudinem Epiſtolarum, imò etiam contra ipſum naturalem ordinem rerum, Epiſtola noſtra tibi directa te mihi in ſalutatione præpoſuit. Secundò, quòd cùm vobis conſolationis potiùs remedium afferre debuiſſem, deſolationem auxi, & quas mitigare debueram lachrimas excitaui. Illud videlicet ibidem adiungens, *Quòd ſi me Dominus in manus inimicorum tradiderit, vt me ſcilicet prævalentes interficiant, &c.* Tertiò verò veterem illam & aſſiduam querelam tuam in Deum adieciſti, de modo videlicet noſtræ conuerſionis ad Deum, & crudelitate proditionis illius in me commiſſæ. Denique accuſationẽ tui contra noſtram in te laudem oppoſuiſti, non cum ſupplicatione modica, ne id deinceps præſumerem. Quibus quidem ſingulis reſcribere decreui, non tam pro excuſatione mea, quàm pro doctrina vel exhortatione tua; vt eò ſcilicet libentiùs petitionibus aſſentias no-

Digitized by Google

ſtris, quò eas rationabiliùs factas intellexeris ; & tantò me ampliùs exaudias in tuis, quantò reprehenſibilem minus inuenies in meis; tantóque ampliùs verearis contemnere, quãtò minus videris dignum reprehenſione.

Ad primam querimoniam.

De ipſo autẽ noſtræ ſalutationis, vt dicis, ordine præpoſtero, iuxta tuam quoque, ſi diligenter attendas, actũ eſt ſententiam. Id enim quod omnibus patet, tu ipſa indicaſti, vt cùm videlicet ad ſuperiores ſcribitur, eorum nomina præponantur. Te verò ex tunc me ſuperiorem factam intelligas, quò domina mea eſſe cœpiſti, Domini mei ſponſa effecta, iuxta illud beati Hieronymi ad Euſtochium ita ſcribentis: *Hæc idcirco domina mea Euſtochium, ſcribo. Dominam quippe debeo vocare ſponſam Domini mei.* Tom. 1. Epiſt. 22. Felix talium commercium nuptiarum, vt homunculi miſeri priùs vxor, nunc in ſummi Regis thalamis ſublimeris. Nec ex huius honoris priuilegio priori tantummodo viro, ſed quibuſcumque ſeruis eiuſdem Regis prælata. Ne mireris igitur ſi tam viuus quàm mortuus me veſtris præcipuè commendem orationibus; cùm iure publico conſtet apud dominos plus eorum ſponſas intercedendo poſſe, quàm ipſorum familias, dominas ampliùs quàm ſeruos. In quarum quidem typo Regina illa & ſummi Regis ſponſa diligenter deſcribitur, cùm in Pſalmo dicitur, *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Pſal. 44. Ac ſi apertè dicatur, iſta iuncto latere ſponſo familiariſſimè adhæret, & pariter incedit, cæteris omnibus quaſi à longè abſiſtentibus * vel ſubſequentibus. De huius excellentia prærogatiuæ ſponſa in Canticis exultans, illa vt ita dicam quam Moyſes duxit, Æthiopiſſa dicit: *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem. Ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſum.* Cant. 1. Et rurſum, *Nolite conſiderare quòd fuſca ſuum, quia decoloranit me Sol.* Ibidem. In quibus quidem verbis cùm generaliter anima deſcribatur contemplatiua, quæ ſpecialiter Sponſa Chriſti dicitur, expreſſiùs tamen ad vos hoc pertinere ipſe etiam veſter exterior habitus loquitur. Ipſe quippè cultus exterior nigrorum aut vilium indumentorum, inſtar lugubris habitus bonarum viduarum mortuos quos dilexerant viros plangentium, vos in hoc mundo, iuxta Apoſtolum, verè viduas & deſolatas oſtendit, ſtipendijs Eccleſiæ ſubſtentandas. 1. Tim. 5. De quarum etiam viduarum luctu ſuper occiſum earum ſponſum Scriptura commemorat,

* al. adſiſtentibus. Num. 12.

Digitized by Google

dicens: *Mulieres ſedentes ad monumentum lamentabantur flentes Dominum.* Habet autem Æthiopiſſa exteriorem in carne nigredinem, & quantum ad exteriora pertinet, cæteris apparet feminis deformior: cùm non ſit tamen in interioribus diſpar, ſed in pleriſque etiam formoſior atque candidior, ſicut in oſſibus ſeu dentibus. Quorum videlicet dentium candor in ipſo etiam commendatur Sponſo, cùm dicitur: *Et dentes eius lacte candidiores.* Nigra itaque in exterioribus, ſed formoſa in interioribus eſt; quia in hac vita crebris aduerſitatũ tribulationibus corporaliter afflicta, quaſi in carne nigreſcit exteriùs, iuxta illud Apoſtoli: *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto tribulationem patientur.* Sicut enim candido proſperũ, ita non incongruè nigro deſignatur aduerſum. Intus autem quaſi in oſſibus candet, quia in virtutibus eius anima pollet, ſicut ſcriptum eſt: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Oſſa quippe, quæ interiora ſunt, exteriori carne circundata, & ipſius carnis, quam gerunt vel ſubſtentant, robur ac fortitudo ſunt, bene animam exprimunt, quæ carnem ipſam, cui ineſt, viuificat, ſubſtentat, mouet atque regit, atque ei omnem valitudinem miniſtrat. Cuius quidem eſt candor ſiue decor, ipſæ quibus adornatur virtutes. Nigra quoque eſt in exterioribus, quia dum in hac peregrinatione adhuc exulat, vilem & abiectam ſe tenet in hac vita; vt in illa ſublimetur, quæ eſt abſcondita cum Chriſto in Deo, patriam iam adepta. Sic verò eam ſol verus decolorat, quia cœleſtis amor Sponſi eam ſic humiliat, vel tribulationibus cruciat; ne eam ſcilicet proſperitas extollat. Decolorat eam ſic, id eſt, diſſimilem eam à cæteris facit, quæ terrenis inhiant, & ſeculi quærunt gloriam; vt ſic ipſa verè lilium conuallium per humilitatem efficiatur: non lilium quidem montium, ſicut illæ videlicet fatuæ virgines, quæ de munditia carnis, vel abſtinentia exteriore apud ſe intumeſcẽtes, æſtu temptationum aruerunt. Benè autem filias Hieruſalem, id eſt, imperfectiores alloquens fideles, qui filiarum potius quàm filiorum nomine digni ſunt, dicit. *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decoloranit me ſol.* Ac ſi apertiùs dicat. Quòd ſic me humilio, vel tam viriliter aduerſitates ſubſtineo, non eſt meæ virtutis; ſed eius gratiæ, cui deſeruio. Aliter ſolent hæretici vel hypocritæ, quantum ad faciem hominum ſpectat, ſpe terrenæ

gloriæ

Digitized by Google

gloriæ ſeſe vehementer humiliare, vel multa inutiliter tolerare. De quorum quidem huiuſmodi abiectione vel tribulatione, quam ſuſtinent, vehementer mirandum eſt; cùm ſint omnibus miſerabiliores hominibus, qui nec præſentis vitæ bonis, nec futuræ fruuntur. Hoc itaque Sponſa diligenter conſiderans, dicit: *Nolite mirari cur id faciã.* Sed de illis mirandum eſt, qui inutiliter terrenæ laudis deſiderio æſtuantes terrenis ſe priuant commodis, tam hîc quàm in futuro miſeri. Qualis quidem fatuarum virginum continentia eſt, quæ *Matth. 25.* à ianua ſunt excluſæ. Benè etiam, quia nigra eſt, vt diximus, & formoſa, dilectam & introductam ſe dicit in cubiculum Regis, id eſt in ſecretum vel quietem contemplationis, & lectulum illum de quo eadem alibi dicit: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Ipſa quippe nigredinis deformitas occultum potius quàm manifeſtum, & ſecretum magis quàm publicum amat. Et quæ talis eſt vxor, ſecreta potiùs viri gaudia quàm manifeſta deſiderat, & in lecto magis vult ſentiri quàm in menſa videri. Et frequenter accidit, vt nigrarum caro feminarum quantò eſt in aſpectu deformior, tantò ſit in tactu ſuauior: atque ideo earum voluptas ſecretis gaudijs quàm publicis gratior ſit & conuenientior, & earum viri vt illis oblectentur magis eas in cubiculum introducunt, quàm ad publicum educunt. Secundum quam quidem metaphoram bene ſpiritalis Spõſa cùm præmiſiſſet, *Nigra ſum, ſed formoſa*, ſtatim adiunxit: *Ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum*, ſingula videlicet ſingulis reddens. Hoc eſt, quia formoſa, dilexit: quia nigra, introduxit. Formoſa, vt dixi, intus virtutibus, quas diligit Sponſus: nigra exteriùs corporalium tribulationũ aduerſitatibus. Quæ quidem nigredo, corporalium ſcilicet tribulationum, facilè fidelium mentes ab amore terrenorum auellit, & ad æternæ vitæ deſideria ſuſpendit, & ſæpe à tumultuoſa ſeculi vita trahit ad ſecretum contemplationis. Sicut in Paulo illo videlicet noſtræ, id eſt, Monachalis vitæ primordio actum eſſe beatus ſcribit Hieronymus. Hæc quoque abiectio indumentorum vilium ſecretum magis quàm publicum appetit, & maxima vilitatis * ac ſecretioris loci, qui noſtræ præcipuè conuenit profeſſioni, cuſtodienda eſt. Maximè namque ad publicum procedere precioſus prouocat cultus, quem à nullo

Cant. 3.

Cant. 1.

Tom. 1. in eius vita.

* *al* humilitatis

Digitized by Google

appeti niſi ad inanem gloriam & ſeculi pompam beatus Gregorius indè conuincit: Quod nemo his in occulto ſe ornat, ſed vbi conſpici queat. Hoc autem prædictum Sponſæ cubiculum illud eſt, ad quod ipſe Sponſus in Euangelio inuitat orantem, dicens: *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum.* Ac ſi diceret. Non in plateis vel publicis locis, ſicut hypocritæ. Cubiculum itaque dicit ſecretum à tumultibus & aſpectu ſeculi locum, vbi quietiùs & puriùs orari poſſit: qualia ſunt ſcilicet Monaſticharum ſolitudinum ſecreta, vbi claudere oſtium iubemur, id eſt, aditus omnes obſtruere ne puritas orationis caſu aliquo præpediatur, & oculus noſter infelicem animam deprædetur. Cuius quidem cõſilij, imò præcepti diuini multos huius habitus noſtri contemptores adhuc grauiter ſubſtinemus, qui cùm diuina celebrant officia clauſtris vel choris eorum reſeratis, publicis tam feminarum quàm virorum aſpectibus impudenter ſe ingerunt, & tunc præcipuè cùm in ſolemnitatibus precioſis polluerint ornamentis, ſicut & ipſi quibus oſtẽtant, ſeculares homines. Quorum quidem iudicio tantò feſtiuitas habetur celebrior, quantò in exteriori ornatu eſt ditior, & in epulis copioſior. De quorum quidem cæcitate miſerrima & pauperum Chriſti religioni penitus contraria tantò eſt ſilere honeſtius quantò loqui turpius. Qui penitus Iudaizantes conſuetudinem ſuam ſequuntur pro regula, & irritum fecerunt mandatum Dei per traditiones ſuas: non quod debeat, ſed quod ſoleat attendentes. Cùm, vt beatus etiã meminit Auguſtinus, Dominus dixerit, *Ego ſum veritas*, non ego ſum conſuetudo. Horum orationibus, quæ aperto ſcilicet fiunt oſtio, qui voluerit ſe commendet. Vos autem quæ in cubiculum cæleſtis Regis ab ipſo introductæ, atq; in eius amplexibus quieſcentes, clauſo ſemper oſtio ei totæ vacatis, quantò familiariùs ei adhæretis, iuxta illud Apoſtoli, *Qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt*, tantò puriorem & efficaciorem habere confidimus orationem, & ob hoc vehementiùs earum efflagitamus opem. Quas etiam tantò deuotiùs pro me faciendas eſſe credimus, quantò maiore nos inuicem charitate colligati ſumus.

QVOD verò mentione periculi in quo laboro, vel mortis quam timeo, vos commoui: iuxta ipſam quoque tuam fact ũ

Digitized by Google

eſt exhortationem, imò etiã adiurationem. Sic enim prima, quam ad me direxiſti, quodam loco continet Epiſtola: *Per ipſum itaque qui te ſibi adhuc quoquo modo protegit Chriſtum obſecramus, quatenus ancillulas ipſius & tuas crebris literis de his, in quibus adhuc fluctuas, naufragiis certificare digneris: vt nos ſaltem quæ tibi ſolæ remanſimus, doloris vel gaudij participes habeas. Solent enim dolenti nonnullam adferre conſolationem qui cõdolent. Et quodlibet onus pluribus impoſitum leuius ſubſtinetur ſiue defertur.* Quid igitur arguis, quòd vos anxietatis meæ participes feci, ad quod me adiurando compuliſti? Nunquid in tanta vitæ, qua crucior, deſperatione gaudere vos conuenit? Nec doloris ſociæ, ſed gaudij tantum vultis eſſe: nec flere cum flẽtibus, ſed gaudere cum gaudentibus? Nulla maior verorum & falſorũ differẽtia eſt amicorum, quàm quòd illi aduerſitati, iſti proſperitati ſe ſociãt. Quieſce obſecro ab his dictis, & huiuſmodi querimonias compeſce, quæ à viſceribus charitatis abſiſtunt longiſſimè. Aut ſi adhuc in his offenderis, me tamen in tanto periculi poſitum articulo, & quotidiana deſperatione vitæ, de ſalute animæ ſollicitum eſſe conuenit eſſe, & de ipſa dum licet prouidere. Nec tu, ſi me verè diligis, hanc exoſam prouidentiam habebis. Quinetiam ſi quam de diuina erga me miſericordia ſpem haberes, tantò amplius ab huius vitę ærũnis liberari me cuperes, quantò eas conſpicis intolerabiliores. Certum quippè tibi eſt, quòd quiſquis ab hac vita me liberet, à maximis pœnis eruet. Quas poſtea incurram incertũ eſt, ſed à quantis abſoluar dubium non eſt. Omnis vita miſera iocundum exitum habet, & quicumque aliorum anxietatibus verè compatiuntur & condolent, eas finiri deſiderant: & cum damnis etiam ſuis, ſi quos anxios vident verè diligũt, nec tam commoda propria quàm illorum in ipſis attendunt. Sic diu lãguentem filium mater etiam morte languorem finire deſiderat, quem tolerare ipſa non poteſt, & eo potius orbari ſubſtinet quàm in miſeria conſortem habere. Et quicũque amici præſentia plurimum oblectatur, magis tamẽ beatam eſſe vult eius abſentiam quàm præſentiam miſeram. Quia quibus ſubuenire non valet ærumnis, tolerare non poteſt. Tibi verò nec noſtra vel etiam miſera cõceſſum eſt frui præſentia. Nec vbi tuis in me commodis aliquid prouideas, cur me miſerrimè viuere malis quàm feliciùs mori nõ video.

Quod ſi noſtras protendi miſerias in commoda tua deſideras, hoſtis potiùs quàm amica conuinceris. Quod ſi videri refugis, ab his obſecro, ſicut dixi, quieſce querimonijs.

l tertiam

APPROBO autem, quod reprobas, laudem; quia in hoc ipſo te laudabiliorem oſtendis. Scriptum eſt enim: *Iuſtus in primordio accuſator eſt ſui: & qui ſe humiliat ſe exaltat.* Atque vtinam ſic ſit in animo tuo ſicut in ſcripto! Quod ſi fuerit, vera eſt humilitas tua, ne pro noſtris euanuerit verbis. Sed vide obſecro ne hoc ipſo laudem quæras quo laudem fugere videris, & reprobes illud ore quod appetas corde. De quo ad Euſtochium virginem ſic inter cætera beatus ſcribit Hieronymus, *Naturali ducimur malo. Adulatoribus noſtris libenter fauemus, & quanquam nos reſpondeamus indignos, & callidior rubor ora ſuffundat, attamen ad laudem ſuam intrinſecus anima letatur.* Talem & laſciuæ calliditatem Galatheæ Virgilius deſcribit, quæ quod volebat fugiendo appetebat, & ſimulatione repulſæ ampliùs in ſe amantem incitabat

ouer. 18.

ic. 18.

om. 1. iſt. 22.

Et fugit ad ſalices, inquit, *& ſe cupit ante videri.*

rgil. Eclog.

Antequam lateat cupit ſe fugientem videri, vt ipſa fuga, qua reprobare conſortium iuuenis videtur, ampliùs acquirat. Sic & laudes hominum dum fugere videmur, ampliùs erga nos excitamus, & cùm latere nos velle ſimulamus, ne quis ſcilicet in nobis quid laudet agnoſcat, ampliùs attendimus * in laudem noſtram imprudẽtes, *quia eo laude videmur digniores. Et hæc quidem quia ſæpè accidunt dicimus, non quia de te talia ſuſpicemur, qui de tua non hæſitamus humilitate. Sed ab his etiam verbis te temperare volumus, ne his qui te minus nouerint videaris, vt ait Hieronymus, fugiendo gloriam quærere. Nunquam te mea laus inflabit, ſed ad meliora prouocabit, & tantò ſtudioſiùs quæ laudauero amplecteris, quãtò mihi ampliùs placere ſatagis. Non eſt laus noſtra teſtimonium tibi religionis, vt hinc aliquid extollentiæ ſumas. Nec de commendatione cuiuſquam amicis credendum eſt, ſicut nec inimicis de vituperatione.

l. accen-mus

al. impu-tutes

om. 1. piſt. 22.

d quartã.

SVPEREST tandem vt ad antiquam illam, vt diximus, & aſſiduam querimoniam tuam veniamus, quia videlicet de noſtræ conuerſionis modo Deum potiùs accuſare præſumis, quàm glorificare, vt iuſtum eſt, velis. Hanc iamdudum amaritudinem animi tui tam manifeſto diuinæ miſericordiæ

Digitized by Google

consilio euanuisse credideram. Quæ quantò tibi periculosior est, corpus tuum pariter & animam conterens; tantò miserabilior est, & mihi molestior. Quæ cùm mihi per omnia placere, sicut profiteris, studeas, hoc saltem vno vt me non crucies, imò vt mihi summopere placeas, hanc depone. Cum qua mihi non potes placere, neque mecum ad beatitudinem peruenire. Substinebis illuc me sine te pergere, quem etiam ad Vulcania profiteris te sequi velle? Hoc saltem vno religionem appete, ne à me ad Deum, vt credis, properantem diuidaris; & tantò libentiùs quantò quò veniendum nobis est beatius est; vt tantò scilicet societas nostra sit gratior, quantò felicior. Memento quæ dixeris. Recordare quæ scripseris, in hoc videlicet nostræ conuersionis modo, quo mihi Deus ampliùs aduersari creditur, propitiorem mihi sicut manifestum est extitisse. Hoc vno saltem hæc eius dispositio tibi placeat, quòd mihi sit saluberrima, imò mihi pariter & tibi, si rationem vis doloris admittat. Nec te tanti boni causam esse doleas, ad quod te à Deo maximè creatam esse non dubites. Nec quia id tulerim plãgas, nisi cum Martyrum passionum, ipsiusque Dominicæ mortis commoda te contristabunt. Nunquid si id mihi iustè accidisset, tolerabiliùs ferres, & minus te offenderet? Profecto si sic fieret, eo modo contingeret quo mihi esset ignominiosius, & inimicis laudabilius; cùm illis laudem iustitia, & mihi contemptum acquireret culpa. Nec iam quisquam quod actum est accusaret, vt compassione mei moueretur. Vt tamen & hoc modo huius amaritudinem doloris leniamus, tam iustè quàm vtiliter id monstrabimus nobis accidisse, & rectiùs in coniugatos quàm in fornicantes vltum Deum fuisse. Nosti post nostri confœderationem coniugij, cùm Argenteoli cum Sanctimonialibus in claustro conuersabaris, me die quadam priuatim ad te visitandam venisse, & quid ibi tecum meæ libidinis egerit intemperantia in quadam etiam parte ipsius refectorij, cùm quò alias diuerteremus, non haberemus. Nosti, inquam, id impudentissimè tunc actum esse in tam reuerendo loco & summæ Virgini consecrato. Quod, etsi alia cessent flagitia, multò grauiore dignum sit vltione. Quid pristinas fornicationes & impudentissimas referam pollutiones, quæ coniugium præcesserunt? Quid summam denique proditionem

meam, qua de te ipſa tuum, cum quo aſſiduè in eius domo conuiuebam, auunculum tam turpiter ſeduxi? Quis me ab eo iuſtè prodi non cenſeat, quem tam impudenter ante ipſe prodideram? Putas ad tantorum criminum vltionem momentaneum illius plagæ dolorem ſufficere? Imò tantis malis tantum debitum eſſe commodum? Quam plagam diuinæ ſufficere iuſtitiæ credis ad tantam contaminationem, vt diximus, ſacerrimi loci ſuæ matris? Certè niſi vehementer erro, non tam illa ſaluberrima plaga in vltionem horum conuerſa eſt, quàm quæ quotidie indeſinenter ſubſtineo. Noſti etiam quando te grauidam in meam tranſmiſi patriam, ſacro te habitu indutam Monialem te finxiſſe, & tali ſimulatione tuæ, quam nunc habes, religioni inreuerenter illuſiſſe. Vnde etiam penſa quàm conuenienter ad hanc te religionem diuina iuſtitia, imò gratia traxerit nolentem, cui verita non es illudere, volens vt in ipſo luas habitu quod in ipſum deliquiſti, & ſimulationis mendacio ipſa rei veritas remedium præſtet, & falſitatem emendet. Quod ſi diuinæ in nobis iuſtitiæ noſtram velis vtilitatem adiungere, non tam iuſtitiam quàm gratiam Dei quod tunc egit in nobis poteris appellare. Attende itaque, attende, chariſſima, quibus miſericordiæ ſuæ retibus à profundo huius tam periculoſi maris nos Dominus piſcauerit, & à quantæ Charibdis voragine naufragos licet inuitos extraxerit, vt meritò vterque noſtrum in illam perrumpere * poſſe videatur vocem: *Dominus ſollicitus eſt mei.* Cogita & recogita, in quantis ipſi nos periculis cõſtituti eramus, & à quantis nos eruerit Dominus: & narra ſemper cum ſumma gratiarum actione quanta fecit Dominus animæ noſtræ: & quoſlibet iniquos de bonitate Domini deſperãtes noſtro conſolare exemplo, vt aduertant omnes quid ſupplicãtibus atque petentibus fiat, cùm tam * peccatoribus & inuitis tanta præſtentur beneficia. Perpendè altiſſimum in nobis diuinæ conſilium pietatis, & quàm miſericorditer iudicium ſuum Dominus in correptionem verterit, & quàm prudẽter malis quoque ipſis vſus ſit, & impietatem piè depoſuerit, vt vnius partis corporis mei iuſtiſſima plaga duabus mederetur animabus. Confer periculum & liberationis modum. Confer languorem & medicinam. Meritorum cauſas inſpice, & miſerationis affectus admirare. Noſti quantis turpitudinibus

immoderata mea libido corpora noſtra addixerat, vt nulla honeſtatis vel Dei reuerentia in ipſis etiam diebus Dominicæ paſſionis, vel quantarumcumque ſolemnitatum ab huius luti volutabro me reuocaret. Sed & te nolẽtem, & prout poteras reluctantem & diſſuadentem, quæ natura infirmior eras, ſæpiùs minis ac flagellis ad conſenſum trahebam. Tãtò enim tibi concupiſcentiæ ardore copulatus eram, vt miſeras illas & obſcœniſſimas voluptates, quas etiam nominare confundimur, tam Deo quàm mihi ipſi præponerem: nec tam aliter conſulere poſſe diuina videretur clementia, niſi has mihi voluptates ſine ſpe vlla omnino interdiceret *. Vnde iuſtiſſimè & clementiſſimè licet cum ſumma tui auunculi proditione, vt in multis creſcerem, parte illa corporis ſum minutus, in qua libidinis regnum erat, & tota huius concupiſcentiæ cauſa conſiſtebat; vt iuſtè illud plecteretur membrum, quod in nobis commiſerat totum, & expiaret patiendo quod deliquerat oblectando: & ab his me ſpurcitijs, quibus me totum quaſi luto immerſeram, tam mente quàm corpore circumcideret|: & tantò ſacris etiam altaribus idoniorem efficeret, quantò me nulla hinc ampliùs carnalium contagia pollutionum reuocarent. Quàm clementer etiam in eo tantùm me pati voluit membro, cuius priuatio & animæ ſaluti conſuleret, & corpus non deturparet, nec vllam officiorum miniſtrationem præpediret *. Imò ad omnia, quæ honeſtè geruntur, tantò me promptiorem efficeret, quantò ab hoc concupiſcentiæ iugo maximo ampliùs liberaret. Cùm itaque membris his viliſſimis, quæ pro ſummæ turpitudinis exercitio pudenda vocantur, nec proprium ſubſtinent nomen, me diuina gratia mũdauit potiùs quàm priuauit, quid aliud egit quàm ad puritatem mundiciæ conſeruandam ſordida remouit & vitia? Hanc quidem mundiciæ puritatem nonnullos ſapientium vehementiſſimè appetẽtes inferre etiam ſibi manum audiuimus, vt hoc à ſe penitus remouerent concupiſcentiæ flagitium. Pro quo etiã ſtimulo carnis auferẽdo & Apoſtolus perhibetur Dominum rogaſſe, nec exauditum eſſe. In exemplo eſt ille magnus Chriſtianorũ Philoſophus Origenes, qui vt hoc in ſe penitus incendium extingueret, manus ſibi inferre veritus non eſt: ac ſi illos ad literam verè beatos intelligeret,

* al. intercideret

* al. impediret

1. Cor. 12.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. c. 7.

Digitized by Google

qui ſeipſos propter regnum cœlorum caſtrauerunt, & tales illud veraciter implere crederet, quod de membris ſcandalizãtibus nobis præcipit Dominus, vt ea ſcilicet à nobis abſcindamus & proijciamus, & quaſi illam Iſaiæ Prophetiam ad hiſtoriam magis quàm ad myſterium duceret, per quam cæteris fidelibus Eunuchos Dominus præfert, dicẽs: *Eunuchi ſi cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Culpam tamen non modicam Origenes incurrit, dum per pœnam corporis remediũ culpæ quærit. Zelum quippe Dei habens, ſed non ſecundum ſcientiam, homicidij incurrit reatum, inferẽdo ſibi manum. Suggeſtione diabolica vel errore maximo id ab ipſo conſtat eſſe factum, quod miſeratione Dei in me eſt ab alio perpetratum. Culpam euito, non incurro. Mortem mereor, & vitam aſſequor. Vocor, & reluctor. Inſto criminibus, & ad veniam trahor inuitus. Orat Apoſtolus, nec exauditur. Precibus inſtat, nec impetrat. Verè Dominus ſollicitus eſt mei. Vadam igitur & narrabo quanta fecit Dominus animæ meæ. Accede & tu inſeparabilis comes in vna gratiarum actione, quæ & culpæ particeps facta es & gratiæ. Nam & tuæ Dominus non immemor ſalutis, imò plurimùm tui memor, qui etiam ſancto quodam nominis præſagio te præcipue ſuam fore præſignauit, cùm te videlicet Heloyſam ex proprio nomine ſuo, quod eſt Heloym inſigniuit: ipſe, inquam, clementer diſpoſuit in vno duobus conſulere, quos diabolus in vno nitebatur extinguere. Paululum enim antequam hoc accideret, nos indiſſolubili lege ſacramenti nuptialis inuicem adſtrinxerat, cùm cuperem te mihi ſupra modum dilectam in perpetuum retinere, imò cùm ipſe iam tractaret ad ſe nos ambos hac occaſione conuertere. Si enim mihi antea matrimonio non eſſes copulata, facilè in diſceſſu meo à ſeculo, vel ſuggeſtione parentum, vel carnalium oblectatione voluptatum, ſeculo inhæſiſſes. Vide ergo quantum ſollicitus noſtri fuerit Dominus, quaſi ad magnos aliquos nos reſeruaret vſus, & quaſi indignaretur aut doleret illa literalis ſcientiæ talenta, quæ vtrique noſtrum commiſerat, ad ſui nominis honorem non diſpenſari: aut quaſi etiam de incontinentiſſimo ſeruulo vereretur, quod ſcriptum eſt, *Quia mulieres faciunt*

Matth. 19.
Matth. 18.
Eſai. 56.
1. Cor. 12.
Pſal. 39.
Pſal. 65.
Eccleſ. 19.

Digitized by Google

faciunt etiam apoſtatare ſapientes. Sicut de ſapientiſſimo certum eſt Salomone. Tuæ vero prudentiæ talentum quantas quotidie Domino referat vſuras, quæ multas domino iam ſpirituales filias peperiſti, me penitus ſterili permanente, & in filijs perditionis inaniter laborante. O quàm deteſtabile damnum! quàm lamentabile incommodum, ſi carnalium voluptatum ſordibus vacans paucos cum dolore pareres mũdo, quæ nunc multiplicem prolem cum exultatione parturis cælo! Nec eſſes plus quàm femina, quæ nunc etiam viros tranſcendis, & quæ maledictionem Euæ in benedictionem vertiſti Mariæ. O quàm indecenter manus illæ ſacræ, quæ nunc etiam diuina reuoluunt volumina, curæ muliebris obſcœnitatibus deſeruirent! Ipſe nos à contagijs huius cœni, à voluptatibus huius luti dignatus eſt erigere*, & ad ſeipſum vi quadam attrahere, qua percuſſum voluit Paulum conuertere, & hoc ipſo fortaſſis exemplo noſtro alios quoque literarum peritos ab hac deterrere præſumptione. Ne te id igitur, ſoror, obſecro moueat, nec patri paternè nos corrigenti ſis moleſta; ſed attende quod ſcriptum eſt: *Quos diligit Deus, hos corripit. Caſtigat* autem omnem filium quem recipit.* Et alibi, *Qui parcit virgæ, odit filium.* Pœna eſt hæc momentanea, non æterna; purgationis, non damnationis. Audi Prophetam, & confortare: *Non iudicabit Dominus bis in idipſum, & non conſurget duplex tribulatio.* Attende ſummam illam & maximam Veritatis adhortationem: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Vnde & Salomon: *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Non * te ad lachrymas aut ad compunctionem mouet vnigenitus Dei innocẽs pro te & omnibus ab impijſſimis comprehenſus, diſtractus, flagellatus, & velata facie illuſus, & colaphizatus, ſputis cõſperſus, ſpinis coronatus, & tandem in illo crucis tunc tam ignominioſo patibulo inter latrones ſuſpenſus, atque illo tũc horrẽdo, & execrabili genere mortis interfectus? Hunc ſemper, ſoror, verum tuum & totius Eccleſiæ Sponſum præoculis habe, mente gere. Intuere hunc exeuntem ad crucifigendum pro te & baiulantem ſibi crucem. Eſto de populo & mulieribus, quæ plangebant & lamentabantur eum, ſicut Lucas his verbis narrat: *Sequebatur autem multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.* Ad quas qui-

3. Reg. 11.

* al. eruere

Act. 9.

Prouerb. 3.

* al. Flagellat

Hebr. 12.

Apoc. 3.

Naum. 1.

Luc. 12.

Prouerb. 16.

* al. Num

Luc. 23.

Digitized by Google

lem benignè conuerſus, clementer eis prædixit futurum in ltionem ſuæ mortis exitium, à quo quidem ſi ſaperent caue- e ſibi per hoc poſſent. *Filiæ*, inquit, *Hieruſalem, nolite flere ſu- er me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ec- e venient dies, in quibus dicent: Beata ſteriles, & ventres qui non renuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere nontibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Quia ſi in vi- idi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Patienti ſpontè pro re- lemptione tua compatere, & ſuper crucifixo pro te compũ- gere. Sepulchro eius mente ſemper aſſiſte, & cum fidelibus eminis lamentare & luge. De quibus etiam vt iam ſupra me- mini ſcriptum eſt, *Mulieres ſedentes ad monumentum lamenta- bantur flentes Dominum.* Para cum illis ſepulturæ eius vnguẽ- ta, ſed meliora ſpiritualia quidem, non corporalia: hæc enim requirit aromata qui non ſuſcepit illa. Super his toto deuo- tionis affectu compungere. Ad quam quidem compaſſionis compunctionem ipſe etiam per Hieremiam fideles adhorta- tur dicens, *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Id eſt, ſi ſuper aliquo patien- te ita eſt per compaſſionem dolendum, cùm ego ſcilicet ſo- lus ſine culpa quod alij deliquerint luam. Ipſe autem eſt via per quam fideles de exilio tranſeunt ad patriam. Qui etiam crucem, de qua ſic clamat, ad hoc nobis erexit ſcalam. Hic pro te occiſus eſt vnigenitus Dei, oblatus eſt, quia voluit. Su- per hoc vno compatiendo dole, dolendo compatere. Et quod per Zachariam Prophetam de animabus deuotis præ- dictum eſt comple: *Plangent*, inquit, *planctum quaſi ſuper vni- genitum, & dolebunt ſuper eum vt doleri ſolet in morte primogeni- ti.* Vide, ſoror, quantus ſit planctus his qui Regem diligunt ſuper morte primogeniti eius & vnigeniti. Intuere quo plã- ctu familia, quo mœrore tota conſummatur curia: &, cùm ad Sponſam vnigeniti mortui perueneris, intolerabiles vlu- latus eius non ſubſtinebis. Hic tuus, ſoror, planctus, hic tuus ſit vlulatus, quæ te huic Sponſo felici copulaſti matri- monio. Emit te iſte non ſuis, ſed ſeipſo. Proprio ſanguine emit te, & redemit. Quantum ius in te habeat vide, & quàm precioſa ſis intuere. Hoc quidem pretium ſuum Apoſtolus attendens, & in hoc pretio quanti ſit ipſe, pro quo ipſum da- tur, perpendens, & quam tantæ gratiæ vicem referat adue-

Digitized by Google

dens: *Absit mihi*, inquit, *gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Maior es cœlo, maior es mundo; cuius pretium ipse conditor mundi factus est. Quid in te, rogo, viderit, qui nullius eget; vt pro te acquirenda vsque ad agonias tam horrendæ atque ignominiosæ mortis certauerit? Quid in te, inquam, quærit nisi teipsam? Verus est amicus, qui te ipsam, non tua, desiderat. Verus est amicus, qui pro te moriturus dicebat: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Amabat te ille veraciter, non ego. Amor meus, qui vtrumque nostrum peccatis inuoluebat, concupiscentia, non amor dicendus est. Miseras in te meas voluptates implebam, & hoc erat totum quod amabam. Pro te, inquis, passus sum, & fortassis verum est: sed magis per te, & hoc ipsum inuitus. Non amore tui, sed coactione mei. Nec ad tuam salutem, sed ad dolorem. Ille verò salubriter, ille pro te spontè passus est, qui passione sua omnem curat languorem, omnem remouet passionem. In hoc, obsecro, non in me tua tota sit deuotio, tota compassio, tota compunctio. Dole in tam innocentem tantæ crudelitatis perpetratã iniquitatem: non iustam in me æquitatis vindictam, imò gratiam, vt dictum est, in vtrosque summam. Iniqua enim es, si æquitatem non amas; & iniquissima, si voluntati, imò tantæ gratiæ Dei scienter es aduersa. Plange tuum reparatorem, non corruptorem; redemptorem, non scortarem; pro te mortuum Dominum, non viuentem seruum, imò nunc primum de morte vere liberatum. Caue obsecro ne, quod dixit Pompeius mœrenti Corneliæ, tibi impropetetur turpissimè,

Viuit post prælia Mannus:
Sed fortuna perit, quod defles illud amasti. Lucanus lib. 8.

Attende, precor, id, & erubesce, nisi admissas turpitudines impudentissimas commendes. Accipe itaque soror, accipe quæso patienter quæ nobis acciderunt misericorditer. Virga hæc est patris, nõ gladius persecutoris. Percutit pater vt corrigat, ne feriat * hostis vt occidat. Vulnere mortem prœuenit, non ingerit: immittit ferrum vt amputet morbum. Corpus vulnerat, & animam sanat. Occidere debuerat, & viuificat. Immunditiam resecat, vt mundum relinquat. Punit semel ne puniat semper, patitur vnus ex vulnere vt duobus parca-

* al. ferit hostis

Digitized by Google

tur à morte. Duo in culpã, vnus in pœna. Id quoque tuæ infirmitati naturæ diuina indulgetur miſeratione, & quodam modo iuſtè. Quò enim naturaliter ſexu infirmior eras, & fortior continentia, pœnæ minus eras obnoxia. Refero Domino in hoc gratias, qui te tunc & à pœna liberauit, & ad coronam reſeruauit; & cùm me vna corporis mei paſſione ſemel ab omni æſtu huius concupiſcentiæ, in qua vna totus per immoderatam incontinẽtiam occupatus eram, refrigerauit ne corruam; multas adoleſcentiæ tuæ maiores animi paſſiones ex aſſidua carnis ſuggeſtione reſeruauit ad martyrij coronam. Quod licet te audire tædeat, & dici prohibeas, veritas tamen id loquitur manifeſta. Cui enim ſemper eſt pugna, ſupereſt & corona, quia non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Mihi verò nulla ſupereſt corona, quia núlla ſubeſt certaminis cauſa. Deeſt materia pugnæ, cui ablatus eſt ſtimulus concupiſcentiæ. Aliquid tamen eſſe æſtimo ſi cùm hinc nullam percipiam coronam, nonnullam tamen euitem pœnam, & dolore vnius momentaneæ pœnæ multis fortaſſis indulgeatur æternis. Scriptum eſt quippe de huius miſerrimæ vitæ hominibus, imò iumentis: *Computruerunt iumenta in ſtercoribus ſuis.* Minus quoque meritum meum minui conqueror, dum tuum creſcere non diffido. Vnum quippè ſumus in Chriſto, vna per legem matrimonij caro. Quicquid eſt tuum, mihi non arbitror alienum. Tuus autem eſt Chriſtus, quia facta es ſponſa eius. Et nunc, vt ſupra memini, me habes ſeruum, quem olim agnoſcebas dominum: magis tibi tamen amore nunc ſpirituali coniunctum, quàm timore ſubiectum. Vnde & de tuo nobis apud ipſum patrocinio ampliùs confidimus, vt id obtineam ex tua quod non poſſum ex oratione propria. Et nunc maximè cùm quotidiana periculorũ aut perturbationum inſtantia nec viuere me, nec orationi ſinat vacare. Nec illum beatiſſimum imitari potentem Candacis reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas eius, & de tam lõginquo venerat adorare in Hieruſalem. Ad quem reuertentem miſſus eſt ab Angelo Philippus Apoſtolus, vt eum conuerteret ad fidem; quod iam ille meruerat per orationem vel ſacræ lectionis aſſiduitatem. A qua quidẽ vt nec in via tunc vacaret licet ditiſſimus & gentilis, magno diuinæ diſpenſationis actum eſt beneficio vt locus ei Scripturæ oc-

curreret, qui opportuniſſimã conuerſionis eius occaſionem Apoſtolo præberet. Ne quid verò hanc petitionem noſtram impediat, vel impleri differat, orationem quoque ipſam, quã pro nobis domino ſupplices dicatis, componere, & mittere tibi maturaui.

ORATIO. DEVS qui ab ipſo humanæ creationis exordio femina de coſta viri formata nuptialis copulæ ſacramentum maximum ſanxiſti, quique immenſis honoribus vel de deſponſata naſcendo, vel miracula inchoando nuptias ſublimaſti, meæque etiam fragilitatis incontinentiæ vtcumque tibi placuit olim hoc remedium indulſiſti: Ne deſpicias ancillulæ tuæ preces, quas pro meis ipſis charique mei *exceſſibus in cõſpectu maieſtatis tuæ ſupplex effundo. Ignoſce, ô benigniſſime, imò benignitas ipſa; ignoſce & tantis criminibus noſtris, & ineffabilis miſericordiæ tuę multitudinem culparum noſtrarum immenſitas experiatur. Puni obſecro in præſenti reos, vt parcas in futuro. Puni ad horam, ne punias in æternum. Accipe in ſeruos virgam correctionis, non gladium furoris. Afflige carnem vt conſerues animas. Adſis purgator, non vltor; benignus magis quàm iuſtus. Pater miſericors, non auſterus Dominus. Proba nos Domine & tenta, ſicut de ſemetipſo rogat Propheta. Ac ſi apertè diceret. Priùs vires inſpice, ac ſecundum eas tentationum onera moderare. Quod & beatus Paulus fidelibus tuis promittens ait: *Potens eſt enim Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam prouentum vt poßitis ſubſtinere.* Coniunxiſti nos Domine, & diuiſiſti quando placuit tibi, & quo modo placuit. Nunc *quod, Domine, miſericorditer cœpiſti, miſericordiſſimè comple. Et quos à ſe ſemel diuiſiſti in mundo, perenniter tibi coniungas in cœlo. Spes noſtra, pars noſtra, expectatio noſtra, conſolatio noſtra, Domine qui es benedictus in ſecula. Amen.

*al tãquam meis

*al. Hoc

Vale in Chriſto ſponſa Chriſti, in Chriſto valle, & Chriſto viue, Amen.

Digitized by Google

EPISTOLA VI.

Quæ eſt eiuſdem HELOISSAE ad eundem PETRVM.

ARGVMENTVM.

Duo potiſſimùm in hac Epiſtola ſibi & ſuis Monachabus Heloiſſa reſcribi ab Abaelardo exorat: quorum alterum eſt, vt eas doceat vndè Monacharum ordo originem duxit. Alterum eſt, vt eis aliquam ſcribat regulam, & certam viuendi formulam præſcribat, quæ ſolis conueniat feminis, quod à nullo ſanctorum Patrum antè à tentatum fuerat. Hoc vt peteret, adducta videtur quibuſdam Benedictinæ Regulæ Capitibus, quæ à feminis vix aut nullo omnino modo ſine maximo periculo impleri poſſunt: de quibus tam doctè diſſerit, vt ipſam regulam ſolis viris, non autem feminis à ſancto inſtitutore ſcriptam conuincere videatur. Vnde indignum iudicat tam grauia femineo ſexui infirmiori onera imponi, quàm virili fortiori. Suam autem & ipſa opinionem apponit, quare ſancti patres Monachabus Regulas non præſcripſerint, aſſerens feminis ſufficere, ſi clericis & viris Eccleſiaſticis ſecularibus, vel Monachis, qui Canonici regulares dicuntur, in continentia & abſtinentia non ſint inferiores. Prolixè etiam de moderata diſpenſatione & diſcreta conſideratione beati Benedicti, qua ſuam temperauit Regulam, atque de ipſa Regulæ obſeruãtia diſputat: nimirum de interdicto eſu carnium, & conceſſo vini vſu. Fuſius quoque de operibus exterioribus agit cum ipſorum extenuatione, quibus interiora præfert. Poſtremò monet Abaelardum, vt tanta diſcretione cuncta ſiue de ieiuniorum vel diuinorum ratione temperet, vt feminei ſexus conſultum velit infirmitati. Et hic feminæ eruditionem, & pectus omni doctrina refertum animaduertere poteris. Quid enim pretioſæ mercis in tam diuite apotheca non inuenias, ſiue philoſophiam, ſiue Theologiam, vel etiam eloquentiam requiras? O ſæculum illud felix, talem inueri feminam, in qua quid primum, quid poſtremum admireris addubites!

Domino ſpecialiter, ſua ſingulariter.

NE me fortè in aliquo de inobediẽtia cauſari queas, verbis etiam immoderati doloris tuæ frenum impoſitum eſt iuſſionis, vt ab his mihi ſaltem in ſcribendo temperem, à quibus in ſermone non tã difficile quàm impoſſibile eſt prouidere. Nihil enim minus in noſtra eſt poteſtate quàm animus, eſque magis obedire cogimur quàm imperare poſſimus. Vnde & cùm nos eius affectiones ſtimulant, nemo earum ſubitos impulſus ita repulerit, vt non in effecta facile prorumpant, & ſe per verba faciùs effluant quæ promptiores animi paſſionum ſunt notæ. ecundum quod ſcriptum eſt, *Ex abundantia cordis os loqui-*

ſur. Reuocabo itaque manum à ſcripto, in quibus linguam à verbis temperare non valeo. Vtinam ſic animus dolentis parere promptus ſit, quemadmodum dextera ſcribentis. Aliquod tamen dolori remedium vales conferre, ſi non hunc omninò poſſis auferre. Vt enim inſertum clauum aliùs expellit, ſic cogitatio noua priorem excludit. Cùm aliàs intentus animus priorum memoriam dimittere cogitur aut intermittere. Tantò verò amplius cogitatio quęlibet animum occupat, & ab alijs deducit; quantò quod cogitatur honeſtius æſtimatur, & quò intendimus animum magis videtur neceſſarium. Omnes itaque nos Chriſti ancillæ, & in Chriſto filiæ tuæ, duo nunc à tua paternitate ſupplices poſtulamus, quæ nobis admodum neceſſaria prouidemus. Quorum quidem alterum eſt, vt nos inſtruere velis vnde Sãctimonialium Ordo cœperit, & quæ noſtræ ſit profeſſionis authoritas. Alterum verò eſt, vt aliquam nobis Regulam inſtituas, & ſcriptã dirigas, quæ feminarum ſit propria, & ex integro noſtræ cõuerſationis * ſtatum habitumque deſcribat: quod nondum à Patribus ſanctis actum eſſe conſpeximus. Cuius quidem rei defectu & indigentia nunc agitur, vt ad eiuſdem Regulæ profeſſionem tam mares quàm feminæ in Monaſterijs ſuſcipiantur, & idem inſtitutionis monaſticæ iugum imponitur infirmo ſexui æquè vt forti. Vnam quippe nunc Regulam beati Benedicti apud Latinos feminæ profitentur æquè vt viri. Quam ſicut viris ſolummodo conſtat ſcriptam eſſe, ita & ab ipſis tantùm impleri poſſe tam ſubiectis pariter quàm prælatis. Vt enim cætera nunc omittam Regulæ capitula, quid ad feminas quod de cucullis, femoralibus, & ſcapularibus ibi ſcriptum eſt? Quid denique ad ipſas de tunicis aut de laneis ad carnem indumentis, cùm earum humoris ſuperflui menſtruæ purgationes hæc omninò refugiant? Quid ad ipſas etiã quod de Abbate ſtatuitur, vt ipſe lectionem dicat Euangelicam, & poſt ipſam Hymnum incipiat? Quid de menſa Abbatis ſeorſim cum peregrinis & hoſpitibus conſtituenda? Nũquid noſtræ conuenit religioni, vt vel nunquam hoſpitium viris præbeat, aut cum his quos ſuſceperit viris Abbatiſſa comedat? O quàm facilis ad ruinam animarum virorum ac mulierum in vnum cohabitatio! Maximè verò in menſa, vbi crapula dominatur & ebrietas, & vinũ in dulcedine bibitur,

* al. cõuerſionis, & profeſſionis.

S. Benet. in Regula c. 55.

Regul. c. 11.
Regul. c. 56.

Digitized by Google

in quo eſt luxuria. Quod & beatus præcauens Hieronymus, ad matrem & filiam ſcribens meminit dicens, *Difficile inter epulas ſeruatur pudicitia.* Ipſe quoque Poeta luxuriæ turpitudiniſque doctor libro amatoriæ artis intitulato quãtam fornicationis occaſionem conuiuia maximè præbeant ſtudiosè exequitur, dicens:

Vinaque cum bibulas ſparſere Cupidinis alas,
Permanet, & cœpto ſtat grauis ille loco,
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit:
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.
Illic ſæpè animos iuuenum rapuere puellæ,
Et Venus in venis, ignis in igne furit.

Nunquid & ſi feminas ſolas hoſpitio ſuſceptas ad menſam admiſerint, nullum ibi latet periculum? Certè in ſeducenda muliere nullum eſt æquè facile vt lenocinium muliebre. Nec corruptæ mentis turpitudinem ita promptè cuiquam mulier committit ſicut mulieri. Vnde & prædictus Hieronymus maximè ſecularium acceſſus feminarum vitare propoſiti ſancti feminas adhortatur. Denique ſi viris ab hoſpitalitate noſtra excluſis ſolas admittamus feminas, quis non videat quanta exaſperatione viros offendamus, quorum beneficijs Monaſteria ſexus infirmi egent, maximè ſi eis à quibus plus accipiunt minus aut omninò nihil largiri videãtur? Quòd ſi prædictæ Regulæ tenor à nobis impleri non poteſt, vereor ne illud Apoſtoli Iacobi in noſtram quoque damnationem dictum ſit, *Quicumque totam legem obſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Quod eſt dicere: De hoc ipſo reus ſtatuitur qui peragit multa, quòd non implet omnia. Et tranſgreſſor legis efficitur ex vno, cuius impletor non fuerit niſi omnibus conſummatis eius præceptis. Quod ipſe ſtatim diligenter exponens Apoſtolus adiecit; *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod ſi non mœchaberis, occidas autem, factus es trangreſſor legis.* Ac ſi apertè dicat: Ideò quilibet reus ſit de tranſgreſſione vniuſcuiuſlibet præcepti, quia ipſe Dominus, qui præcipit vnum, præcipit & aliud. Et quodcumque legis violetur præceptum, ipſe contemnitur qui legem non in vno, ſed in omnibus pariter mandatis conſtituit. Vt autem præteream illa Regulæ inſtituta, quæ penitus obſeruare non poſſumus, aut ſine periculo

culo non valemus: vbi vnquam ad colligendas meſſes Conuentus Monialium exire, vel labores agrorum habere conſueuit? aut ſuſcipiendarum feminarum conſtantiam vno anno probauerit, eaſque tertiò perlecta Regula, ſicut in ipſa iubetur, inſtruxerit? Quid rurſum ſtultius quàm viam ignotam, nec adhuc demonſtratam aggredi? Quid præſumptuoſius quàm eligere ac profiteri vitam quam neſcias, aut votum facere quod implere non queas? Sed & cùm omnium virtutum diſcretio ſit mater, & omnium bonorum mediatrix* ſit ratio; quis aut virtutem aut bonum cenſeat quod ab iſtis diſſentire videatur? Ipſas quippe virtutes excedentes modum atque menſuram, ſicut Hieronymus aſſerit, inter vitia reputari conuenit. Quis autem ab omni ratione ac diſcretione ſeiunctum non videat, ſi ad imponēda onera eorum, quibus imponuntur, valitudines priùs non diſcutiantur, vt naturæ conſtitutionem humana ſequatur induſtria? Quis aſinum ſarcina tanta*, qua dignū iudicat elephātē? Quis tāta pueris aut ſenibus quāta vitis iniūgat? Tāta debilibus ſcilicet quāta fortibus, tāta infirmis quāta ſanis, tanta feminis quāta maribus? Infirmiori videlicet ſexui quanta & forti? Quod diligēter beatus Papa Gregorius attēdēs, Paſtoralis ſui cap. XIIII. tam de admonendis quàm de præcipiendis ita diſtinxit: *Aliter igitur admonendi ſunt viri, atque aliter feminæ: quia illis grauia, iſtis verò ſunt iniungenda leuiora: & alios magna exerceant, iſtas vero leuia demulcendo conuertant.* Certè & qui Monachorum Regulas ſcripſerunt, nec ſolum de feminis omninò tacuerunt, verumetiam illa ſtatuerunt quæ eis nullatenus conuenire ſciebant: ſatis commodè innuerūt nequaquam eodem iugo Regulæ tauri & iuuencæ premendam eſſe ceruicem, quia quos diſpares natura creauit æquari labore non conuenit. Huius autem diſcretionis beatus non immemor Benedictus, tanquam omnium iuſtorum ſpiritu plenus, pro qualitate hominum aut temporum cuncta ſic moderatur in Regula, vt omnia, ſicut ipſemet vno concludit loco, menſuratè fiāt. Primò itaque ab ipſo incipiens Abbate præcipit eum ita ſubiectis præſidere, vt ſecundum vnius, inquit, cuiuſque qualitatem vel intelligentiam ita ſe omnibus conformet & apter, vt non ſolum detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat, ſuamque fra-

Regul. c. 48.

Regul. c. 48.

* al. moderatrix.

Tom. 1. ep. 8

* f. deeſt one rat, vel quid ſimile.

Part. 3. admonit. 1.

Regul. c. 48.

Regul. c. 2.

Regul. c 64.

Digitized by Google

gilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque calamũ quaſſatum non conterendum. Diſcernat & tempora, cogitans diſcretionem ſancti Iacob dicentis: *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die.* Hæc ergo aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omninò temperet, vt & fortes ſit quod cupiant, & infirmi non refugiant. Ad hanc quidem diſpenſationis moderationem indulgentia pertinet puerorum, ſenum & omninò debilium, Lectoris ſeu Septimanariorum, coquinæ ante alios refectio, & in ipſo etiam conuentu de ipſa cibi vel potus qualitate ſeu quantitate pro diuerſitate hominum prouidentia. De quibus quidem ſingulis ibi diligenter ſcriptum eſt. Ipſa quoque ſtatuta ieiunij tempora pro qualitate temporis vel quantitate laboris ita relaxat, prout naturæ poſtulat infirmitas. Quid obſecro? vbi iſte, qui ſic ad hominum & temporum qualitatẽ omnia moderatur, vt ab omnibus ſine murmuratione proferri * queant, quæ inſtituuntur: Quid, inquam, de feminis prouideret, ſi eis quoque pariter vt viris Regulam inſtitueret? Si enim in quibuſdam Regulæ rigorem pueris, ſenibus, & debilibus pro ipſa naturæ debilitate vel infirmitate temperare cogitur: quid de fragili ſexu prouideret, cuius maximè debilis & infirma natura cognoſcitur? Perpende itaq; quàm longe abſiſtat ab omni rationis diſcretione, eiuſdem Regulæ profeſſione tam feminas quàm viros obligari, eademque ſarcina tam debiles quàm fortes onerari. Satis eſſe noſtræ arbitror infirmitati, ſi nos ipſis Eccleſiæ Rectoribus, & qui in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt, Clericis tam continentiæ quàm abſtinentiæ virtus æquauerit. Maximè cùm Veritas dicat, *Perfectus omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Quibus etiam pro magno reputandum eſſet, ſi religioſos laicos æquiparare poſſemus. Quæ namque in fortibus parua cenſemus, in debilibus admiramur. Et iuxta illud Apoſtoli, *Virtus in infirmitate perficitur.* Ne verò laicorum religio pro paruo ducatur, qualis fuit Abrahæ, Dauid, Iob *, licet cõiugatorũ, Chryſoſtomus in Epiſtola ad Hebræos ſermone VII. nobis occurrit, dicens: *Sunt multa in quibus poterit laborare vt beſtiam illam incantet. Quæ ſunt iſta? labores, lectiones, vigiliæ. Sed quid ad nos hæc*, inquit, *qui non ſumus Monachi? Hæc mihi dicis? Dic Paulo, cùm dicit, Vigilantes in omni patientia & oratione:*

cùm dicit, Carnis curam ne feceritis in concupiſcentijs. Non enim hæc Monachis ſcribebat tantùm, ſed omnibus qui erant in ciuitatibus. Non enim ſecularis homo debet aliquid ampliùs habere Monacho quàm cum vxore concumbere tantùm. Hîc enim habet veniam, in alijs autem nequaquam: ſed omnia æqualiter ſicut Monachi agere debet. Nam & beatitudines, quæ à Chriſto dicuntur, non Monachis tantum dictæ ſunt. Alioquin vniuerſus mundus peribit, & in anguſtum incluſit ea quæ virtutis ſunt. Et quomodo honorabiles ſunt nuptiæ, quæ nobis tantùm impediunt? Ex quibus quidem verbis apertè colligitur, quòd quiſquis Euangelicis præceptis continentię virtutem addiderit, Monaſticam perfectionem implebit. Atque vtinam ad hoc noſtra religio conſcendere poſſet, vt Euangelium impleret, non tranſcenderet: ne pluſquam Chriſtianæ appeteremus eſſe. Hinc profectò, ni fallor, ſancti decreuerunt Patres, non ita nobis ſicut viris generalem aliquam Regulam quaſi nouam legem præfigere, nec magnitudine votorum noſtram infirmitatẽ onerare, attendentes illud Apoſtoli: *Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex, nec præuariatio.* Et iterum: *Lex autem ſubintrauit vt abundaret delictum.* Idem quoque maximus continentiæ prædicator de infirmitate noſtra plurimùm confidens, & quaſi ad ſecundas nuptias vrgens iuniores viduas: *Volo*, inquit, *iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario.* Quod & beatus Hieronymus ſaluberrimum eſſe conſiderans, Euſtachio de improuiſis feminarum votis conſulit, his verbis. *Si autem & illæ, quæ virgines ſunt, ob alias tamen culpas non ſoluantur: quid fiet illis, quæ proſtituerunt membra Chriſti, & mutauerunt templum Spiritus ſancti in lupanar? Rectius fuerat homini ſubiſſe coniugium, ambulaſſe per plana, quàm altiora intendentem in profundum inferni cadere.* Quarum etiam temerariæ profeſſioni ſanctus Auguſtinus conſulens, in libro de Continentia viduali ad Iulianũ ſcribit his verbis: *Quæ non cæpit deliberet, quæ aggreſſa eſt perſeueret. Nulla aduerſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio.* Hinc etiam Canones noſtræ infirmitati conſulentes decreuerũt, Diaconiſſas ante quadraginta annos ordinari non debere, & hoc cum diligenti probatione; cùm à viginti annis liceat Diaconos promoueri. Sunt & in Monaſterijs, qui regulares dicũtur Ca-

Matth. 5.

Rom. 4.

Rom. 5.

1. Tim. 5.

Tom. 1. Epiſt. 22.

Cap. 9.

Digitized by Google

nonici beati Auguſtini, quandam vt aiunt regulam profitentes, qui ſe inferiores Monachis nullatenus arbitrantur: licèt eos & veſci carnibus & lineis vti videamus. Quorum quidē virtutem ſi noſtra exæquare * infirmitas poſſet, nunquid pro minimo habendum eſſet? Vt autem de omnibus cibis tutiùs ac leniùs indulgeatur, ipſa quoque natura prouidit, quæ maiore ſcilicet ſobrietatis virtute ſexum noſtrum præmuniuit. Conſtat quippè multo parciore ſumptu & alimonia minore feminas quàm viros ſubſtētari poſſe, nec eas tam leuiter inebriari Phyſica proteſtatur. Vnde & Macrobius Theodoſius Saturnialiorum libro VII. meminit his verbis: *Ariſtoteles mulieres, inquit, raro inebriantur, crebrò ſenes. Mulier humectiſſimo eſt corpore. Docet hoc & leuitas cutis & ſplendor. Docent præcipuè aſſiduæ purgationes ſuperfluo exonerantes corpus humore. Cùm ergo epotum vinum in tam largum ceciderit humorem, vim ſuam perdit, nec facile cerebri ſedem ferit fortitudine eius extincta.* Item: *Muliebre corpus crebris purgationibus deputatum, pluribus conſertū foraminibus vt pateat in meatus, & vias præbeat humori in egeſtionis exitum confluenti. Per hæc foramina vapor vini celeriter euaneſcit. Contra ſenibus ſiccum eſt corpus, quod probat aſperitas & ſcallor cutis.* Ex his itaque perpende quantò tutiùs ac iuſtiùs naturæ & infirmitati noſtræ cibus quiſlibet * & potus indulgeri poſſit, quarum videlicet corda crapula & ebrietate grauari facilè non poſſunt: cùm ab illa nos cibi parcitas, ab iſta feminei corporis qualitas, vt dictum eſt, protegat. Satis noſtræ eſſe infirmitati & maximum imputari debet, ſi continenter ac ſine proprietate viuentes, & officijs occupatæ diuinis, ipſos Eccleſiæ duces vel religioſos laicos in victu adæquemus, vel eos denique qui regulares Canonici dicuntur, & ſe præcipuè vitam Apoſtolicam ſequi profitentur. Magnæ poſtremò prouidentiæ eſt, his qui Deo ſe per votum obligant, vt minus voueant, & plus exequantur, vt aliquid ſemper debitis gratia ſuperaddat. Hinc enim per ſemetipſam Veritas ait: *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt, dicite: Serui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus.* Ac ſi apertè diceret: Ideò inutiles & quaſi pro nihilo, ac ſine meritis reputandi, quia debitis tātum exſoluēdis contenti nihil ex gratia ſuperaddidimus. De quibus quidem gratis ſuperaddendis ipſe quoque Dominus alibi parabolicè loquens ait: *Sed & ſi quid ſupererogaueris, ego*

cùm rediero reddam tibi. Quod quidem hoc tempore multi Monaſticæ religionis temerarij profeſſores ſi diligentiùs attenderent, & in quam profeſſionem iurarent animaduerterent, atque ipſum Regulæ tenorem ſtudiosè perſcrutarentur: minus per ignorantiam offenderent, & per negligentiam peccarent. Nunc verò indiſcretè omnes ferè pariter ad Monaſticam conuerſationem* currentes inordinatè ſuſcepti inordinatiùs viuunt, & eadem facilitate qua ignotam Regulam profitentur, eam contemnentes, conſuetudines quas volunt pro lege ſtatuunt. Prouidendũ itaque nobis eſt, ne id oneris feminæ præſumamus, in quo viros ferè iam vniuerſos ſuccumbere videamus, imò & deficere. Senuiſſe iam mundum conſpicimus, hominéſque ipſos cum cæteris, quæ mundi ſunt, priſtinum naturæ vigorem amiſiſſe, & iuxta illud Veritatis, ipſam charitatem non tam multorum quàm ferè omnium refriguiſſe. Vt iam videlicet pro qualitate hominũ ipſas propter homines ſcriptas vel mutari, vel temperare neceſſe ſit Regulas. Cuius quidẽ diſcretionis ipſe quoq; beatus non immemor Benedictus ita ſe Monaſticæ diſcretionis rigorem temperaſſe fatetur, vt deſcriptam à ſe Regulam comparatione priorum inſtitutorum non niſi quandam honeſtatis inſtitutionem, & quandam conuerſationis inchoationem reputet, dicens: *Regulam autem hanc deſcripſimus, vt hanc obſeruantes aliquatenus vel honeſtatem morum aut initium conuerſationis nos demonſtremus habere. Cæterum ad perfectionem conuerſationis qui feſtinat, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſeruatio perducat hominem ad celſitudinem perfectionis.* Item, *Quiſquis ergo ad cæleſtem patriam feſtinas, hanc minimam inchoationis Regulam adiuuante Chriſto perfice, & tunc demum ad maiora doctrinæ virtutumque culmina Deo protegente peruenies.* Qui, (vt ipſe ait) cùm legamus olim ſanctos Patres vno die Pſalterium explere ſolere, ita pſalmodiam tepidis temperauit, vt in ipſa per Hebdomadam diſtributione Pſalmorum, minore ipſorũ numero Monachi quã Clerici contenti ſint*. Quid etiam tã religioni quietiq; Monaſticæ contrariũ eſt, quã quod luxuriæ fomentum maximè præſtat & tumultus excitat, atque ipſam Dei in nobis imaginem, qua præſtamus cæteris, id eſt rationẽ delet? Hoc autem vinũ eſt, quod ſupra omnia victui pertinẽtia plurimum Scriptura damnoſum aſſerit, & caueri admo-

* al. cõuer-ſionem

Matth. 24.

Regul. c. vlt.

Ibidem.

Regul. c. 18.

* al. eſſent

Digitized by Google

net. De quo & maximus ille ſapientum in Prouerbiis memi-
Prouer. 20. nit, dicens: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas. Quicumque his delectatur, non erit ſapiens: cui ve, cuius patri ve, cui rixæ,*
Prouer. 23. *cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa. Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo: & dices: Verberauerunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi. Quando euigilabo, & rurſus vina re-*
Prouerb. 31. *periam?* Item: *Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullũ ſecretum eſt vbi regnat ebrietas, ne forte bibant & obliniſcãtur*
Cap. 19. *iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Et in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt; *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos.* Ipſe quoque Hieronymus ad Ne-
Tom. 1. Epiſt. 2. potianum ſcribẽs de vita Clericorum, & quaſi grauiter indignãs quòd ſacerdotes legis ab omni, quod inebriare poteſt, abſtinentes, noſtros in hac abſtinentia ſuperent: *Nequaquam,* inquit, *vinum redoleas, ne audias illud Philoſophi: Hoc non eſt oſculum porrigere, ſed vinum propinare.* Vinolentos ſacerdotes &
1. Tim. 3. Leuit. 10. Apoſtolus damnat, & lex vetus prohibet. *Qui altario deſeruiunt, vinum & ſiceram non bibant.* Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare poteſt, ſiue illa quæ fermento conficitur, ſiue pomorum ſucco, aut faui decoquitur in dulcedinẽ, & herbarũ potionem, aut palmarũ fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus aqua pinguior colatur. Quicquid inebriat, & ſtatum mentis euertit, fuge ſimiliter vt vinum. Ecce quod Regum delitijs interdicitur, ſacerdotibus penitus denegatur, & cibis omnibus periculoſius eſſe conſtat. Ipſe tamen tam ſpiritalis vir beatus Benedictus diſpenſatione quadam præſentis ætatis indulge-
Regul. c. 40. re Monachis cogitur. *Licet*, inquit, *legamus vinum Monachorum omnino non eſſe: ſed quia noſtris temporibus hoc Monachis perſuaderi non poteſt, &c.* Legerat, ni fallor, quod in vitis Patrum
Part. 2. ſcriptum eſt his verbis: *Narrauerunt quidam Abbati paſtori de quodam Monacho, quia non bibebat vinum, & dixit eis quia vinum Monachorum omninò non eſt.* Item poſt aliqua; *facta eſt aliquando celebratio Miſſarum in monte Abbatis Anthonij, & inuentum eſt ibi*

Digitized by Google

cenidum vini. Et extollens vnus de ſenibus paruum vas calicem portauit ad Abbatem Siſoi; & dedit ei. Et bibit ſemel, & ſecundò, & accepit, & bibit. Obtulit ei & tertiò. Sed non accepit, dicens: Quieſce frater, an neſcis quia eſt Sathanas? Et iterum de Abbate Siſoi: *Dicit ergo Abraham diſcipulis eius: Si occurritur in Sabbatho & dominica ad Eccleſiam, & biberit tres calices, ne multũ eſt? Et dixit ſenex, Si non eſſet Sathanas, non eſſet multum.* Ibidem. Vbi vnquam quæſo carnes à Deo damnatæ ſunt vel monachis interdictæ? Vide obſecro & attende qua neceſſitate Regulam temperet in eo etiam quod periculoſius eſt Monachis, & quod eorum nõ eſſe nouerit. Quia videlicet huius abſtinentia tẽporibus ſuis Monachis iam perſuaderi non poterat. Vtinã eadẽ diſpenſatione & in hoc tẽpore ageretur, vt videlicet in his, quæ media boni & mali atque indifferentia dicuntur, tale temperamentum fieret; vt quod iam perſuaderi non valet profeſſio non exigeret, mediiſque omnibus ſine ſcandalo conceſſis, ſola interdici peccata ſufficeret; & ſic quoque in cibis ſicut in veſtimentis diſpenſaretur, vt quod vilius comparari poſſet miniſtraretur, & per omnia neceſſitati, non ſuperfluitati cõſuleretur. Non enim magnopere ſunt curanda quæ nos regno Dei non præparant, vel quæ nos minimè Deo commendant. Hæc verò ſunt omnia quæ exteriùs geruntur, & æquè reprobis vt deiectis, æquè hypocritis vt religioſis communia ſunt. Nihil quippe inter Iudæos & Chriſtianos ita ſeparat ſicut exteriorum operum & interiorum diſcretio, præſertim cùm inter filios Dei & Diaboli ſola charitas diſcernat, quam plenitudinem legis & finem præcepti Apoſtolus vocat. Vnde & ipſe hanc operum gloriam prorſus extenuans, vt fidei præferat iuſtitiam, Iudæam alloquens dicit, *Vbi eſt gloriatio tua? excluſa eſt. Per quam legem? factorum? Non, ſed per legem fidei. Arbitramur eum hominem iuſtificari per fidem ſine operibus Legis.* Item. *Si enim Abrahã ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Et rurſum, *Ei*, inquit, *qui non operatur, credenti autem in Deum qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* Idem etiam omnium ciborum eſum Chriſtianis indulgens, & ab his ea quæ iuſtificant diſtinguens: *Non eſt*, inquit, *regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.*

Rom. 15. 1. Tim. 1. Rom. 3. Rom. 4. Geneſ. 15. Rom. 4. Rom. 14.

Digitized by Google

Omnia quidē mūda ſunt, ſed malū eſt homini qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendatur, aut ſcandalizetur, aut infirmetur. Non enim hoc loco vlla cibi comeſtio interdicitur, ſed comeſtionis offēſio: qua videlicet quidā ex conuerſis Iudæis ſcandalizabantur, cùm viderēt ea quoq; comedi quæ lex interdixerat. Quod quidē ſcādalū Apoſtolus etiā Petrus cupiens euitare, graniter ab ipſo eſt obiurgatus, & ſalubriter correctus. Sicut ipſemet Paulus ad Galatas ſcribens commemorat. Qui rurſus Corinthijs ſcribens, *Eſca autem nos non commendat Deo.* Et rurſum, *Omne quod in macello venit manducate. Domini eſt terra & plenitudo eius.* Et ad Colloſsēſes: *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu.* Et poſt aliqua, *Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis neque guſtaueritis, neque contrectaueritis quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu ſecundum præceptum & doctrinas hominum.* Elementa huius mundi vocat prima legis rudimenta ſecundum carnales obſeruantias, in quarum videlicet doctrina quaſi in addiſcendis literalibus elementis primò ſe mundus, id eſt, carnalis adhuc populus exercebat. Ab his quidem elementis, id eſt, carnalibus obſeruantijs tam Chriſti quàm ſui, mortui ſunt; cùm nihil his debeant, iam non in hoc mundo viuentes, hoc eſt inter carnales figuris intendentes, & decernentes, id eſt diſtinguentes quoſdam cibos vel quaſlibet res ab alijs; atque ita dicentes: *Ne tetigeritis hæc vel illa.* Quæ ſcilicet tacta, vel guſtata, vel contrectata, inquit Apoſtolus, ſunt in interitu animæ ipſo ſuo vſu, quo videlicet ipſis ad aliquam etiam vtimur humilitatem *: ſecundum, inquam, præceptum & doctrinas hominum, id eſt carnalium & legem carnaliter intelligentium, potius quàm Chriſti vel ſuorum. Hic enim cùm ad prædicandum ipſos deſtinaret Apoſtolos, vbi magis ipſi ab omnibus ſcandalis prouidendum erat, omnium tamen ciborum eſum eis ita indulſit, vt apud quoſcunque ſuſcipiantur hoſpitio, ita ſicut illi victitent, edentes ſcilicet & bibentes quæ apud illos ſunt. Ab hac profectò Dominica ſuaque diſciplina illos receſſuros ipſe iam Paulus per ſpiritum prouidebat. De quibus ad Timotheum ſcribit dicens, *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam*

Galat. 14. 1. Cor. 10. Pſal. 23. Coloſ. 2.

Coloſ. 2.

* al. vtilitatem, & in al. Cod. vtilitatem

Luc. 10.

1. Tim. 4.

Digitized by Google

dam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis damoniorum in hypocriſi loquentium, mendacium, prohibentium nubere, abſtinere à cibis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem; quia omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Chriſti Ieſu, & enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es. Quis denique Ioannem eiuſque diſcipulos abſtinentia nimia ſe macerantes ipſi Chriſto eiuſque diſcipulis in religione non præferat, ſi corporalem oculum ad exterioris abſtinentiæ intendat exhibitionem? De quo etiam ipſi diſcipuli Ioannis aduerſus Chriſtum & ſuos murmurantes', tanquam adhuc in exterioribus Iudaizantes, ipſum interrogauerunt Dominum, dicentes: *Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Quod diligentor attendans beatus Auguſtinus, & quid inter virtutem & virtutis exhibitionem referat attendens, ita quæ fiunt exteriùs penſat, vt nihil meritis ſuperaddant opera. Ait quippè ſic in Libro de bono coniugali: *Continentia, non corporis, ſed animæ virtus eſt. Virtutes autem animi aliquando in corpore manifeſtantur, aliquando in habitu: ſicut Martyrum virtus apparuit in tolerando paſſiones.* Item: *Iam enim erat in Iob patientia, quam nouerat Dominus & cui teſtimonium perhibebat, ſed hominibus innotuit tentationis examine.* Item. *Verum vt apertiùs intelligatur quomodo ſit virtus in habitu, etiam ſi non ſit in opere, loquor de exemplo, de quo nullus dubitat Catholicorum. Dominus Ieſus quod in veritate carnis eſurierit, & ſitierit, & manducauerit, & biberit, nullus ambigit eorum qui ex eius Euangelio fideles ſunt. Num igitur non erat in illo continentiæ virtus à cibo & potu, quanta erat in Ioanne Baptiſta? Venit enim Ioannes non manducans & bibens, & dixerunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dixerunt: Ecce homo vorax & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum.* Item. *Deinde ibi ſubiecit cùm de Ioanne ac de ſe illa dixiſſet: Iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis, qui virtutem continentiæ vident in habitu animi ſemper eſſe debere: in opere autem pro rerum ac temporum oportunitate manifeſtari, ſicut virtus patientiæ ſanctorum Martyrum.* Quocirca ſicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Ioanne qui paſſus non eſt: ſic non eſt im-

Marc. 2.

Cap. 21.

Ibidem.

Iob. 1.

Auguſt. vbi ſuprà.

Matth. 4.

Matth. 11.

Auguſt. loc. cit.

Matth. 11.

4. Sent. diſt. 33. c. Quid vero.

Digitized by Google

ar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt iuptias; & in Abraham, qui filios generauit. Et illius enim ælibatus, & illius connubium pro diſtributione temporum Chriſto militauerunt. Sed continentiam Ioannes & in ope-e, Abraham vero in ſolo habitu habebat. Illo itaque tem-ore cùm & lex dies Patriarcharum ſubſequens maledictum dixit, qui non excitaret ſemen in Iſrael: & qui non poterat non promebat, ſed tamen habebat. Ex quo autem venit ple-nitudo temporis vt diceretur, *qui poteſt capere capiat; qui ha-bet, operetur; qui operari noluerit, non ſe habere mentiatur.* Ex his liquidè verbis colligitur ſolas apud Deum merita virtu-tes obtinere, & quicũq; virtutibus pares ſunt quãtumcum-que diſtent operibus, æqualiter ab ipſo promereri. Vndè quicumque ſunt verè Chriſtiani, ſic toti circa interiorem hominem ſunt occupati, vt eum ſcilicet virtutibus ornent, ac vitijs mundent: vt de exteriori nullam vel minimam aſ-ſumant curam. Vnde & ipſos legimus Apoſtolos ita ruſtica-nè & velut inhoneſtè in ipſo etiam Domini comitatu ſe ha-buiſſe, vt velut omnis reuerentiæ atque honeſtatis obliti, cùm per ſata tranſirent ſpicas vellere, fabricare, & come-dere more puerorum non erubeſcerent. Nec de ipſa etiam manuum ablutione, cùm cibos eſſent accepturi, ſollicitos eſſe. Qui cùm à nonnullis quaſi de immũditia arguerentur, eos Dominus excuſans: *Non lotis*, inquit, *manibus manducare non coinquinat hominum.* Vbi & ſtatim generaliter adiecit, ex nullis exterioribus animã inquinari: ſed ex his tantùm quæ de corde prodeunt, *quæ ſunt*, inquit, *cogitationes, adulteria, homicidia*, &c. Niſi enim priùs praua voluntate animus cor-rumpatur, peccatum eſſe non poterit quicquid exteriùs agatur in corpore. Vnde & benè ipſa quoque adulteria ſiue homicidia ex corde procedere dicit, quæ & ſine tactu * cor-porum perpetrantur, iuxta illud: *Qui viderit mulierem ad con-cupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* Et, *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Et tactis vel læſis corporibus mi-nimè peraguntur, quando videlicet per violentiam oppri-mitur aliqua, vel per iuſtitiã coactus iudex interficere reum. *Omnis* quippe *homicida* (ſicut ſcriptum eſt) *non habet partem in regno Dei.* Non itaque magnopere quæ fiunt, ſed quo animo fiant penſandum eſt, ſi illi placere ſtudemus, qui cordis &

renum probator eſt,& in abſcondito videt,qui iudicabit occulta hominum. *Paulus* inquit, *ſecundum Euangelium meum,* hoc eſt ſecundum meæ prædicationis doctrinam. Vnde & modica viduæ oblatio,quæ fuit duo minuta,id eſt quadrans, omnium diuitũ oblationibus copioſis prælata eſt ab illo cui dicitur:*Bonorũ meorũ nõ eges,*cui magis oblatio ex offerẽte quã offerẽs placet ex oblatione,ſicut ſcriptum eſt: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Vt videlicet priùs deuotionem offerentis inſpiceret, & ſic ex ipſo * donum oblatum gratum haberet. Quæ quidem animi deuotio tantò maior in Deo habetur, quantò in exterioribus quæ fiant minus confidimus. Vnde & Apoſtolus poſt communem ciborum indulgentiam,de qua, vt ſuprà meminimus, Timotheo ſcribit, de exercitio quoque corporalis laboris adiunxit, dicens: *Exerce autem teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio admodum vtilis eſt. Pietas autem ad omnia vtilis eſt,promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt,& futuræ: quoniam pia mentis in Deum deuotio,& hic ab ipſo meretur neceſſaria, & in futuro perpetua.* Quibus quidem documentis quid aliud docemur quàm Chriſtianè ſapere, & cum Iacob de domeſticis animalibus refectionem patri prouidere? Non cum Eſau de ſilueſtribus curam ſumere, & in exterioribus Iudaizare. Hinc & illud eſt Pſalmiſtæ: *In me ſunt Deus vota tua,quæ * reddam laudationes tibi.* Ad hoc quoque illud adiunge Poeticum,

Rom. 2.
Marc. 12.
Pſal. 15.
Geneſ. 4.
* al. ipſa
1. Tim. 4.
Geneſ. 27.
Pſal. 55.
* al. quas

Ne te quæſieris extra. Perſ. Satyr. 1

Multa ſunt & innumerabilia tam ſecularium quàm Eccleſiaſticorum Doctorum teſtimonia,quibus ea quæ ſunt exterius & * indifferentia vocantur,non magnoperè curanda eſſe docemur. Alioquin legis opera, & ſeruitutis eius, ſicut ait Petrus,importabile iugum Euangelicę libertati eſſet præferendum, & ſuaui iugo Chriſti, & eius oneri leui. Ad quod quidem ſuaue iugum & onus leue per ſemetipſum Chriſtus nos inuitans: *Venite*, inquit,*qui laboratis & onerati eſtis.* Vnde & prædictus Apoſtolus quoſdam iam ad Chriſtum conuerſos, ſed adhuc opera legis retinere cenſentes vehementer obiurgans, ſicut in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, ait: *Viri fratres, quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus: ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluari quemadmodũ & illi?*

* al. ex
Act. 15.
Matth. 11.
Act. 15.

Digitized by Google

Et tu ipſe obſecro non ſolum Chriſti, verum etiam huius imitator Apoſtoli, diſcretione ſicut & nomine ſic operum præcepta moderare, vt infirmæ conuenit naturæ, & vt diuinæ laudis plurimum vacare poſſimus officijs. Quam quidem hoſtiam exterioribus omnibus ſacrificijs reprobatis Dominus commendans ait: *Si eſurirem, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua, & inuoca me in die tribulationis, & eruã te, & honorificabis me.* Nec id quidem ita loquimur, vt laborem operum corporalium reſpuamus, cùm neceſſitas poſtulauerit. Sed ne iſta magna putemus quæ corpori ſeruiunt, & officij diuini celebrationem præpediunt*; præſertim cùm ex authoritate Apoſtolica id præcipuè deuotis indultum ſit feminis, vt alienæ procurationis ſubſtententur officijs magis, quàm de opere proprij laboris. Vnde ad Timotheum Paulus: *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non grauetur Eccleſia, vt his quæ veræ viduæ ſunt ſufficiat.* Veras quippè viduas dicit quaſcumque Chriſto deuotas, quibus non ſolum maritus mortuus eſt, verum & mundus crucifixus eſt, & ipſæ mundo. Quas rectè de diſpendijs Eccleſiæ tanquam de proprijs Spõſi ſui redditibus ſubſtentari conuenit. Vnde & Dominus ipſe matri ſuę procuratorem Apoſtolum potius quàm virum eius præuidit,* & Apoſtoli ſeptem Diaconos, id eſt Eccleſiæ miniſtros, qui deuotis miniſtrarent feminis, inſtituerunt. Scimus quidem & Apoſtolum Theſſalonicenſibus ſcribentem quoſdam otiosè vel curioſè viuentes adeò conſtrinxiſſe, vt præciperet quoniam ſi quis non vult operari non mãducet: & beatum Benedictum maximè pro otioſitate vitanda opera manuum iniunxiſſe. Sed nunquid Maria otiosè ſedebat, vt verba Chriſti audiret? Martha tam ei quàm Domino laborante, & de quiete ſororis tanquam inuida murmurante, quaſi quæ ſola pondus diei & æſtus portauerit? Vnde & hodie frequenter murmurare eos cernimus, qui in exterioribus laborant, cùm his qui diuinis occupati ſunt officijs terrena miniſtrant. Et ſæpe de his, quæ tyranni rapiunt, minus conqueruntur, quàm quæ deſidioſis (vt aiunt) iſtis & otioſis exſoluere coguntur. Quos tamen non ſolum verba Chriſti audire, verumetiam in his aſſiduè legendis & decantandis oc-

Pſal. 49.

* al. impediunt

1. Tim. 5.

Ioan. 19.

Act. 6.

* al. prouidit

2. Theſſ. 3.

Regul. c. 48.

Luc. 10.

Digitized by Google

cupatos conſiderant eſſe. Nec attendunt non eſſe magnum, vt ait Apoſtolus, ſi eis communicent corporalia, à quibus expectant ſpiritualia. Nec indignum eſſe, vt qui terrenis intendunt, his qui ſpiritualibus occupantur deſeruiant. Hinc etenim ex ipſa quoque legis ſanctione miniſtris Eccleſiæ hæc ſalubris otij libertas conceſſa, vt tribus Leui nihil hæreditatis terrenæ perciperet, quo expeditiùs Domino deſeruiret: ſed de labore aliorum decimas & oblationes ſuſciperet. De abſtinentia quoque ieiuniorum, quam magis vitiorum quàm ciborum Chriſtiani appetunt, ſi quid Eccleſiæ inſtitutioni ſuperaddi decreueris, deliberandum eſt, & quod nobis expedit inſtituendum. Maximè verò de officijs Eccleſiaſticis, & de ordinatione Pſalmorum prouidendum eſt: vt in hoc ſaltem, ſi placet, noſtram exoneres infirmitatem. Ne cum Pſalterium per hebdomadam expleamus, eoſdem neceſſe ſit Pſalmos repeti. Quam etiam beatus Benedictus, cùm eam pro viſu ſuo diſtribuiſſet, in aliorũ quoque actione ſua id reliquit admonitio: vt ſi cui melius videretur aliter ipſos ordinaret. Attendens videlicet, quòd per temporum ſucceſſionẽ Eccleſiæ decor creuerit, & quæ priùs rude ſuſceperat fundamentum, poſtmodùm ædificij nacta eſt ornamentum. Illud autem præ omnibus diffinire te volumus, quid de Euangelica lectione in vigilijs nocturnis nobis agendum ſit. Periculoſum quippè videtur eo tẽpore ad nos Sacerdotes aut Diaconos admitti, per quos hæc lectio recitetur, quas præcipuè ab omni hominum acceſſu atque aſpectu ſegregatas eſſe cõuenit: tum vt ſinceriùs Deo vacare poſſimus, tum etiam vt à tentatione tutiores ſimus. Tibi nunc domine, dum viuis, incũbit inſtituere de nobis quid in perpetuũ tenẽdum ſit nobis. Tu quippè poſt Deum huius loci fundator, tu per Deum noſtræ congregationis es plantator, tu cum Deo noſtræ ſis religionis inſtitutor. Præceptorem alium poſt te fortaſſis habituræ ſumus, & qui ſuper alienũ aliquid *ædificet fundamentum. Ideóque veremur de nobis minus futurus ſollicitus, vel à nobis minus audiendus, & qui denique ſi æquè velit non æquè poſſit. Loquere tu nobis, & audiemus. Vale.

1. Cor. 9.

Num. 18.

Regul. c. 18.

* al. aliud

Digitized by Google

EPISTOLA VII.

Quæ eſt rurſum PETRI ad HELOISSAM, De origine Sanctimonialium.

ARGVMENTVM.

Abaelardus ab Heloiſſa ſuperiore Epiſtola rogatus, vt ei & ſodalibus eius, de origine ordinis Monialium ſcriberet; hac epiſtola eius & illarum voluntati ampliſſimè reſpondet: ipſumque ordinem à primitiua Eccleſia, immo & ab ipſo Domini Seruatoris ſacro deducit Collegio, & quid Philo Iudæus, quid Tripartita Hiſtoria de primis aſcetis narrent recenſet. Sexum autem femineum in ſingulis eius gradibus miris effert laudibus, nec ſolùm in Chriſtianis vel Iudæis, ſed etiam in Gentilibus ſiue Paganis feminis laudes virginitatis latiſſimè percurrit. Nihil denique tota ferè continet Epiſtola, quàm feminei ſexus elegantiſſimum encomium: latius tamen virginitatis laudem proſequitur, cuius etiam apud Paganos miri actus legantur.

CHARITATI tuæ, chariſſima ſoror, de Ordine tuæ profeſſionis tàm tibi quàm ſpiritualibus filiabus tuis ſuſcitanti, vnde ſcilicet Monialiũ cœperit religio, paucis ſi potero ſuccinctéque reſcribam. Monachorum ſi quidem ſiue Monialium Ordo à domino noſtro Ieſu Chriſto religionis ſuæ formã pleniſſimè ſumpſit. Quãuis & ante ipſius incarnationem nonnulla huius propoſiti tam in viris quàm in feminis præceſſerit inchoatio. Vnde & Hieronymus ad Euſtochium ſcribẽs, *Filios*, inquit, *Prophetarum, quos Monachos legimus in veteri Teſtamento, &c.* Annam quoque viduam templo & diuino cultui aſſiduam Euangeliſta commemorat, quæ pariter cum Simeone Dominum in templo ſuſcipere, & Prophetia repleri meruerit. Finis itaque Chriſtus iuſtitiæ, & omnium bonorum conſummatio, in plenitudine temporis veniens, vt inchoata perficeret bona, vel exhiberet incognita; ſicut vtrumque ſexum vocare venerat atque redimere, ita vtrumque ſexum in vero monachatu ſuæ congregationis dignatus eſt adunare: vt indè tam viris quàm feminis huius profeſſionis daretur authoritas, & omnibus perfectio vitę proponeretur quam imitarentur. Ibi quippe cum Apoſtolis cæteríſque diſcipulis, cũ matre ipſius ſanctarum legimus conuẽtum mulierum; quæ ſcilicet ſeculo abrenunciantes, omnémque proprietatem abdicantes, vt

Tom. 1. Epiſt. 4.

4. Reg. 6. Luc. 2.

Luc. 8.

Digitized by Google

ſolum poſſiderent Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: *Dominus pars hæreditatis meæ*, deuotè illud compleuerunt, quo omnes ſecundum regulam à Domino traditam cõuerſi ſeculo ad huius vitæ communitatem initiantur, *Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quàm deuotè autem Chriſtum hæ beatiſſimæ mulieres ac verè moniales ſecutæ fuerint, quantamque gratiam & honorem deuotioni earum tam ipſe Chriſtus quàm poſtmodum Apoſtoli exhibuerint, ſacræ diligenter hiſtoriæ continent. Legimus in Euangelio murmurantem Phariſæum, qui hoſpitio Dominum ſuſceperat, ab ipſo eſſe correctum, & peccatricis mulieris obſequium hoſpitio eius longè eſſe prælatum. Legimus & Lazaro iam reſuſcitato cum cæteris diſcumbente, Martham ſororem eius ſolam menſis miniſtrare, & Mariam copioſi libram vnguenti pedibus Dominicis infundere, propriiſque capillis ipſos extergere, huiuſque copioſi vnguẽti odore domum ipſam impletam fuiſſe, ac de pretio ipſius, quia tam inaniter conſumi videretur, Iudam in concupiſcentiam ductũ, & diſcipulos indignatos eſſe. Satagente itaque Martha de cibis, Maria diſpoſuit de vnguentis: & quem illa reficit interiùs, hæc laſſatum refouet exteriùs. Nec niſi feminas Domino miniſtraſſe Scriptura commemorat Euangelica. Quæ proprias etiam facultates in quotidianam eius alimoniam dicarant, & ei præcipuè huius vitæ neceſſaria procurabant. Ipſe diſcipulis in menſa, ipſe in ablutione pedum humillimũ ſe miniſtrum exhibebat. A nullo verò diſcipulorum, vel etiã virorum, hoc eum ſuſcepiſſe nouimus obſequium: ſed ſolas, vt diximus, feminas in his vel cæteris humanitatis obſequijs miniſterium impendiſſe. Et ſicut in illo Marthæ, ita in iſto nouimus obſequium Mariæ. Quæ quidem in hoc exhibendo tanto fuit deuotior, quantò ante fuerat criminoſior. Dominus aqua in peluim miſſa illius ablutionis peregit officium. Hoc verò ipſa ei lachrymis intimę compunctionis, non exteriori aqua exhibuit. Ablutos diſcipulorum pedes linteo Dominus exterſit. Hæc pro linteo capillis vſa eſt. Fomenta vnguentorum inſuper addidit, quæ nequaquam Dominum adhibuiſſe legimus. Quis etiam ignoret mulierem intantum de ipſius gratia præſumpſiſſe, vt caput quoque eius ſuperfuſo delibuerit vnguento? Quod quidem vnguentum non de ala-

Pſal. 15. *Luc. 14.* *Luc. 7.* *Ioan. 12.* *Luc. 8.* *Ioan. 13.* *Matt. 14.*

Digitized by Google

baſtro extractum, ſed fracto alabaſtro memoratur effuſum, vt nimiæ deuotionis vehemens exprimeretur deſiderium, quæ ad multum vlteriùs vſum illud reſeruandum cenſebat, quo in tanto vſa ſit obſequio. In quo etiam ipſum iam vnctionis defectum factis ipſis exhibet, quẽ antea Daniel futurum prædixerat: poſtquam vidélicet vngeretur Sanctus Sanctorum. Ecce enim Sanctum Sanctorum mulier inungit, & eum pariter hunc eſſe quem credit, & quem verbis Propheta præſignauerat, factis ipſa proclamat. Quæ eſt iſta, quæſo, Domini benignitas; aut quæ mulierum dignitas, vt tam caput quàm pedes ſuos ipſe non niſi feminis præberet inungendos? Quæ eſt iſta, obſecro, infirmioris ſexus prærogatiua, vt ſummum Chriſtum omnibus Spiritus ſancti vnguentis ab ipſa eius conceptione delibutum mulier quoque inungeret, & quaſi corporalibus ſacramentis eum in Regem & Sacerdotem cõſecrans, Chriſtum, id eſt vnctum corporaliter ipſum efficeret? Scimus primùm à Patriarcha Iacob in typum Domini lapidem vnctum fuiſſe. Et poſtmodum regum ſiue ſacerdotum vnctiones, ſeu quælibet vnctionum ſacramenta non niſi viris celebrare permiſſum eſt. Licet baptizare nonnunquam mulieres præſumant. Lapidem olim Patriarcha templum, nunc & altare Pontifex oleo ſanctificat. Viri itaque ſacramenta figuris imprimunt. Mulier verò in ipſa operata eſt veritate, ſicut & ipſa proteſtatur Veritas dicens, *Bonum opus operata eſt in me.* Chriſtus ipſe à muliere, Chriſtiani à viris inunguntur. Caput ipſum ſcilicet à femina, membra à viris. Benè autem effudiſſe vnguentum, non ſtillaſſe ſuper caput eius mulier memoratur. Secundum quod de ipſo Sponſa in Canticis præcinit dicens, *Vnguentum effuſum nomen tuum.* Huius quoque vnguenti copiam per illud, quod à capite vſque ad oram veſtimenti defluxit*, Pſalmiſta myſticè præfigurat, dicens: *Sicut vnguentũ in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Trinam Dauid vnctionem, ſicut & Hieronymus in Pſalmo xxvi. meminit, accepiſſe legimus: trinam & Chriſtum ſiue Chriſtianos. Pedes quippe Domini, ſiue caput, muliebre ſuſceperunt vnguentum. Mortuum verò ipſum Ioſeph ab Arimathia & Nicodemus, ſicut refert Ioannes, cum aromatibus ſepelierunt. Chriſtiani quoque

Dan. 9.

Eſai. 11.

* al. defluit

trina

Digitized by Google

trina ſanctificantur vnctione: quarum vna fit in baptiſmo, altera in confirmatione, tertia verò infirmorum eſt. Perpende itaque mulieris dignitatem, à qua viuens Chriſtus bis inunctus, tam in pedibus ſcilicet quàm in capite, Regis & Sacerdotis ſuſcepit ſacramenta. Mirrhæ verò & aloes vnguẽtum, quod ad conſeruanda corpora mortuorum adhibetur, ipſius Dominici corporis incorruptionem futuram præſignabat, quam etiam quilibet electi in reſurrectione ſunt adepti *. Priora autem mulieres vnguenta ſingularem eius tam regni quàm ſacerdotij demonſtrant dignitatem. Vnctio quidem capitis ſuperiorem, pedum verò inferiorẽ. Ecce Regis * etiã ſacramentum à muliere ſuſcipit, qui tamen oblatum à viris ſibi regnum ſuſcipere reſpuit, & ipſis eum in Regem rapere volentibus aufugit. Cœleſtis, non terreni Regis mulier ſacramentum peragit; eius, inquam, qui de ſemetipſo poſtmodum ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Gloriantur Epiſcopi cum applaudentibus populis terrenos inungunt Reges, cùm mortales conſecrant ſacerdotes, ſplendidis & inauratis veſtibus adornati. Et ſæpe his benedicunt, quibus Dominus maledicit. Humilis mulier non mutato habitu, non præparato cultu, ipſis quoque indignantibus Apoſtolis hæc in Chriſto ſacramenta peragit; non prælationis officio, ſed delationis * merito. O magnam fidei conſtantiam! ô ineſtimabilem charitatis ardorem, quæ omnia credit, omnia ſperat, omnia ſubſtinet! Murmurat Phariſæus dum à peccatrice pedes Dominici inunguntur: indignantur patenter Apoſtoli, quòd de capite quoque mulier præſumpſerit. Perſeuerat vbique * mulieris fides immota, de benignitate Domini confiſa, nec ei in vtroque Dominicæ commendationis deſunt ſuffragia. Cuius quidem vnguenta quàm accepta, quàm grata Dominus habuerit, ipſemet profitetur cùm ſibi hæc reſeruari poſtulans indignanti Iudæ dixit: *Sine illam vt in die ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Ac ſi diceret: Ne repellas hoc eius obſequium à viuo, ne deuotionis eius exhibitionẽ in hac quoq; re auferas defuncto. Certum quippe eſt, ſepulturæ quoque Dominicæ ſanctas mulieres aromata paraſſe. Quod tunc iſta vtique minus ſatageret, ſi nunc repulſa verecundiam ſubſtinuiſſet. Qui etiam quaſi de tanta mulieris præſumptione diſcipulis indignantibus, & vt Marcus meminit, in eam fremen-

* al. adepturi.

* al. Rex

Ioan. 6.

Ioan. 8.

* al. dilectionis. Par Cod. deuotionis.

1. Cor. 13.

* al. vtique

Digitized by Google

:ibus, cùm eos mitiſſimis fregiſſet reſponſis, in tantum hoc :extulit beneficium, vt ipſum Euangelio inſerendum eſſe cẽ- ferret,& cum ipſo pariter vbique prædicandum eſſe prædice- ret;in memoriam ſcilicet & laudem mulieris, quæ id fecerit in quo non mediocris arguebatur præſumptionis. Quod ne- quaquam de aliis quarumcumque perſonarum obſequiis authoritate Dominica ſic commẽdatum eſſe legimus atque ſancitum. Qui etiam viduæ pauperis eleemoſynam omnibus templi præferens oblationibus, quàm accepta ſit ei femina- rum deuotio diligenter oſtendit. Auſus quidem eſt Petrus ſeipsũ & Coapoſtolos ſuos pro Chriſto omnia reliquiſſe pro- fiteri. Et Zachæus deſideratum Domini aduentum ſuſci- piens dimidium bonorum ſuorum pauperibus largitur, & in quadruplum ſi quid defraudauit reſtituit. Et multi alij ma- iores in Chriſto ſeu pro Chriſto fecerunt expenſas, & longè precioſiora in obſequium obtulerũt diuinum, vel pro Chri- ſto reliquerunt. Nec ita tamen Dominicæ commendationis laudem adepti ſunt,ſicut feminæ. Quarum quidem deuotio quanta ſemper erga eum extiterit, ipſe quoque Dominicæ vitæ exitus patenter inſinuat. Hæ quippe, ipſo Apoſtolorũ principe negante,& dilecto Domini fugiẽte, vel cæteris diſ- perſis Apoſtolis,intrepidæ perſtiterunt: nec eas à Chriſto vel in paſſione,vel in morte formido aliqua,vel deſperatio ſepa- rare potuit. Vt eis ſpecialiter illud Apoſtoli congruere vi- deatur: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei? Tribulatio an anguſtia?* Vnde Mathæus,cùm de ſe pariter & cæteris retuliſſet: *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt*,perſeuerantiam poſtmodum ſuppoſuit mulierum,quæ ipſi etiam crucifixo quantum per- mittebatur adſiſtebant. *Erant*,inquit, *ibi mulieres multæ à lõge, quæ ſecutæ fuerant Ieſum à Galilæa,miniſtrantes ei.* Quas denique ipſius quoque ſepulchro immobiliter adhærentes idem dili- genter Euangeliſta deſcribit, dicens: *Erãt autem Maria Mag- dalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.* De quibus etiam mulieribus Marcus commemorans ait: *Erant autem & mulieres de longe aſpicientes,inter quas erat Magdalene,& Maria Iacobi minoris,& Ioſeph mater,& Salome. Et cùm eſſet in Galilæa ſequebantur eum,& miniſtrabant ei,& aliæ multæ quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam.* Stetiſſe autem iuxta crucem, & crucifixo ſe etiam aſtitiſſe Ioannes, qui priùs aufugerat, nar- rat: ſed perſeuerantiam præmittit mulierum, quaſi earum

Digitized by Google

exemplo animatus eſſet ac reuocatus. *Stabant*, inquit, *iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, &c.* Hanc autem ſanctarum conſtantiam mulierum, & diſcipulorum defectum longè antè beatus Iob in perſona Domini prophetauit, dicens: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* In oſſe quippè, quod carnem & pellem ſubſtentat & geſtat, fortitudo eſt corporis. In corpore igitur Chriſti, quod eſt Eccleſia, os ipſius dixit Chriſtianæ fidei ſtabile fundamentum, ſiue feruor ille charitatis, de quo canitur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* De quo & Apoſtolus: *Omnia*, inquit, *ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſubſtinet.* Caro autem in corpore pars interior eſt, & pellis exterior. Apoſtoli ergo interiori animæ cibo prædicando intendentes, & mulieres corporis neceſſaria procurantes, carni comparantur & pelli. Cùm itaq; carnes cõſumerẽtur, os Chriſti adhæſit pelli: quia ſcandalizatis in paſſione Domini Apoſtolis, & de morte ipſius deſperatis, ſanctarum deuotio feminarum perſtitit immobilis, & ab oſſe Chriſti minimè receſſit: quia fidei, vel ſpei, vel charitatis conſtantiam intantum retinuit, vt nec à mortuo mente diſiungerentur aut corpore. Sunt & viri naturaliter tam mente quàm corpore feminis fortiores. Vnde & merito per carnem, quæ vicinior eſt oſſi, virilis natura; per pellem muliebris infirmitas deſignatur. Ipſi quoque Apoſtoli, quorum eſt reprehendendo lapſus aliorum mordere, dentes Domini dicuntur. Quibus tantummodò labia, id eſt verba potiùs quàm facta remanſerant: cùm iam deſperati de Chriſto magis loquerentur, quàm pro Chriſto quid operarentur. Tales profectò illi erant diſcipuli, quibus in caſtellum Emaus euntibus, & loquentibus adinuicem de his omnibus quæ acciderant, ipſi apparuit, & eorum deſperationem correxit. Quid denique Petrus vel cæteri diſcipulorũ præter verba tunc habuerunt, cùm ad Dominicam ventum eſſet paſſionem, & ipſe Dominus futurum eis de paſſione ſua ſcandalum prædixiſſet? *Et ſi omnes*, inquit Petrus, *ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Et iterum: *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.* Dixerunt, inquam, potiùs quàm fecerunt. Ille

Digitized by Google

enim primus & maximus Apoſtolorũ, qui tantã in verbis habuerat conſtantiam, vt Domino diceret: *Tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire:* Cui tunc & Dominus Eccleſiam ſuam ſpecialiter committens, dixerat: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, ad vnam ancillæ vocem ipſum negare non veretur. Nec ſemel id agit, ſed tertiò ipſum adhuc viuentem denegat, & à viuo pariter omnes diſcipuli vno temporis puncto fugiendo deuolant: à quo nec in morte vel mente vel corpore feminæ ſunt diſiunctæ. Quarum beata illa peccatrix mortuum etiam quærens, & Dominum ſuum confitens, ait: *Tulerunt Dominum de monumento.* Et iterum: *Si tu ſubſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti, & ego eum tollam.* Fugiunt arietes, imò & paſtores Dominici gregis: remanent oues intrepidæ. Arguit hos Dominus tanquam infirmam carnem, quod in articulo etiam paſſionis ſuæ nec vna hora cũ eo potuerunt vigilare. Inſomnem ad ſepulchrũ illius noctem in lachrymis feminæ ducentes, reſurgentis gloriam primæ videre meruerunt. Cui fideliter in mortem quantum dilexerint viuum, non tam verbis quàm rebus exhibuerunt. Et de ipſa etiam, quam * circa eius paſſionẽ & mortem habuerũt ſollicitudinem, reſurgentis vita primæ ſunt lætificatæ. Cùm enim, ſecundum Ioannem, Ioſeph ab Arimatia, & Nicodemus corpus Domini ligantes linteis cum aromatibus ſepelirent; refert Marcus de earum ſtudio, quòd Maria Magdalene & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur. De his quoque Lucas commemorat dicens: *Secutæ autem mulieres, quæ cum Ieſu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata.* Nec ſatis videlicet habentes aromata Nicodemi, niſi & adderent ſua. Et ſabbatho quidem ſiluerunt ſecundum mãdatum. Iuxta Marcum verò, cùm tranſiſſet ſabbatum, ſummo mane in ipſo die reſurrectionis venerunt ad monumentum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome. Nunc quoniam deuotionem earum oſtendimus, honorem quem meruerint proſequamur. Primò Angelica viſione ſunt conſolatæ de reſurrectione Domini iam cõpleta: demùm ipſum Dominum primæ viderunt & tenuerunt. Prior quidem Maria Magdalene, quæ cæteris feruentior erat. Poſtea ipſa ſimul, & aliæ, de quibus ſcriptum eſt, quod poſt Angelicam

* *f.* quia

Digitized by Google

visionem *exierunt de monumento, currentes nunciare Discipulis resurrectionem Domini. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait Iesus: Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam. Ibi me videbunt.* De quo & Lucas prosecutus ait: *Erat Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.* Quas etiam ab Angelo primum fuisse missas ad Apostolos nunciare hęc non reticet Marcus, vbi Angelo mulieribus loquente scriptum est: *Surrexit, non est hic. Sed ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Ipse etiam Dominus primò Mariæ Magdalenæ apparens, ait illi: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum.* Ex quibus colligimus has sanctas mulieres quasi Apostolas super Apostolos esse constitutas. Cum ipsæ ad eos vel à Domino vel ab Angelis missæ summum illud resurrectionis gaudium nunciauerunt, quod expectabatur ab omnibus, vt per eas Apostoli primum addiscerent quod toti mundo postmodum prædicarent. Quas etiam post resurrectionem Domino occurrente salutari ab ipso Euangelista suprà memorauit: vt tam occursu suo quàm salutatione quãtam erga eas sollicitudinem & gratiam haberet ostenderet. Non enim aliis proprium salutationis verbum, quod est, *Auete*, cum legimus protulisse: imò ista salutatione antea discipulos inhibuisse, cùm eis diceret: *Et neminem per viam salutaueritis.* Quasi hoc priuilegium nunc vsque deuotis feminis reseruaret, quod per semetipsum eis exhiberet immortalitatis gloria iam potitus. Actus quoque Apostolorum cùm referant statim post Ascẽsionem Domini Apostolos à monte Oliueti Hierusalem rediisse, & illius sacrosancti conuentus religionem diligenter describant, non est deuotionis sanctarum mulierum perseuerantia prætermissa, cùm dicitur: *Hi erant omnes perseuerantes vnanimiter in orationibus cum mulieribus, & Maria matre Iesu.* Vt autem de Hebræis prætermittamus feminis, quæ primò conuersæ ad fidem viuente adhuc Domino in carne, & prædicante, formam huius religionis inchoauerũt: de viduis quoque Græcorum, quę ab Apostolis postea susceptæ sunt consideremus; quanta scilicet diligentia, quanta cura ab Apostolis & ipsæ tractatę sint, cùm ad ministrandum eis glorioſissimus signifer

Digitized by Google

Act. 6. Christianæ militiæ Stephanus protomartyr cum quibusdam aliis spiritalibus viris ab ipsis Apostolis fuerit constitutus. Vnde in eisdem Actibus Apostolorum scriptum est; *Crescente numero discipulorum factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim Apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum derelinquere nos Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex omnibus vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram multitudine. Et elegerunt Stephanum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timotheum, & Parmenam, & Nicolaum Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorũ, & orantes imposuerunt eis manus.* Vnde & continentia Stephani admodum commendatur, quòd ministerio atque obsequio sanctarum feminarum fuerit deputatus. Cuius quidem obsequij ministratio, quàm excellens sit, & tam Deo quàm ipsis Apostolis accepta, ipsi tam propria oratione quàm manuum impositione protestati sunt: quasi hos, quos in hoc constituebant, adiurantes vt fideliter agerent, & tam benedictione sua quàm oratione eos adiuuantes vt possent. Quam etiam Paulus administrationem ad Apostolatus sui plenitudinem ipse sibi

1. Cor. 9. vendicans: *Nunquid non habemus*, inquit, *potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli?* Ac si apertè diceret: Nunquid & sanctarum mulierum conuentus nos habere ac nobiscum in prædicatione ducere permissum est, sicut cæteris Apostolis; vt ipsæ videlicet eis in prædicatione

Cap. 4. de sua substantia necessaria ministrarent? Vnde Augustinus in libro de opere Monachorum: *Ad hoc*, inquit, *& fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis, & ministrabãt eis de sua substantia, vt nullius indigerent horum quæ ad substantiã*

Ibidem. *huius vitæ pertinent.* Item: *Quod quisquis non putat ab Apostolis fieri, vt cum eis sanctæ conuersationis mulieres circumirent quocumque Euangelium prædicabant: Euangelium audiant, & cognoscant quemadmodam hoc ipsius Domini exemplo faciebant. In Euangelio*

Luc. 8. *enim scriptum est: Deinceps & ipse iter faciebat per ciuitates & castella euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus immundis, & infirmitati-*

Digitized by Google

bus, Maria quæ vocatur Magdalene, & Ioanna vxor Cuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Vt hinc quoque pateat Dominum etiam in prædicatione sua proficiscentem ministratione mulierum corporaliter substentari, & eas ipsi pariter cum Apostolis quasi inseparabiles comites adhærere. Demum * verò huius professionis religione in feminis pariter vt in viris multiplicata, in ipso statim Ecclesiæ nascentis exordio æquè sicut viri, ita & feminæ propriorum per se Monasteriorum habitacula possederunt. Vnde & Ecclesiastica Historia laudem Philonis disertissimi Iudæi, quam non solum dixit, verùm etiam magnificè scripsit de Alexandrina sub Marco Ecclesia, ita inter cætera libro secundo, capitulo XVI. commemorat: *In multis est*, inquit, *orbis terræ partibus hoc genus hominum.* Et post aliqua. *Est autem in singulis locis consecrata orationi domus, quæ appellatur Seniuor, vel Monasterium.* Item infrà: *Itaque non solum subtilium intelligunt hymnos veterum, sed ipsi faciunt nouos in Deum, omnibus eos & metris & sonis honesta satis & suaui compage modulantes.* Item plærisque de abstinentia præmissis, & diuini cultus officijs adiecit: *Cum viris autem, quos dicimus, sunt & feminæ, in quibus plures iam grandeuæ sunt virgines, integritatem ac castitatem corporis non necessitate aliqua, sed deuotione seruantes; dum sapientiæ studijs semet gestiunt non solum anima, sed etiam corpore consecrare, indignum ducentes libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum, & edere mortalem partum eas, à quibus diuini verbi concubitus sacrosanctus & immortalis expetitur: ex quo posteritas relinquatur nequaquam corruptelæ mortalitatis obnoxia.* Item ibidē de Philone: *Etiā de Conuentibus eorum scribit, vt seorsum quidem viri, seorsum etiam in eisdem locis feminæ congregentur, & vt vigilias, sicut apud nos fieri mos est, peragant.* Hinc illud est in laude Christianæ Philosophiæ, hoc est Monasticæ prærogatiuæ, quod Tripartita commemorat Historia, non minus à feminis quàm viris arreptæ. Ait quippè sic libro I. cap. XI. *Huius elegantissimæ Philosophiæ princeps fuit quidem, sicuti quidam dicunt, Helias Propheta, & Baptista Ioannes.* Philo autem Pythagoricus suis temporibus refert vndique egregios Hebræorum in quodam prædio circa stagnum Maria in colle positum philosophatos. Habitaculum verò eorum, & cibos, & conuersationem talem introducit, qualem

* al. deinde

Euseb. lib. 2. c. 16.

Ibidem.

Ibidem.

Digitized by Google

& nos nunc apud Ægyptiorum Monachos esse conspicimus. Scribit eos ante solis occasum non gustare cibum, vino semper, & sanguinem habẽtibus abstinere, cibum eis esse panis, & salis, & hysopi, & potum aquæ. Mulieres eis cohabitare seniores virgines propter amorem Philosophiæ spontanea voluntate nuptijs abstinentes. Hinc & illud est Hieronymi in libro de illustribus viris, capitulo VIII. de laude Marci, & Ecclesiæ sic scribentis: *Primus Alexandriæ Christum annuntians constituit Ecclesiam tantæ doctrinæ, & vitæ continentiæ, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret.* Denique Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, in laudem gentis suæ librum super eorum conuersione scripsit, & quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credẽtes omnia habuisse communia, sic & ille quod
Act. 2. Alexandriæ sub Marco doctore fieri cernebat memoriæ tradidit. Item cap. XI. *Philo Iudæus natione Alexandrinus de genere sacerdotum idcirco à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia in nostrorum laude versatus est, non solùm eos ibi, sed in multis quoque prouincijs esse commemorans, & habitacula eorum dicens Monasteria.* Ex quo apparet talem primùm Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse imitãtur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter
Act. 4. eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque & continentię. Quales & Lucas refert primum Hierosolimæ fuisse credentes. Quod si veteres reuoluamus Historias, reperiemus in ipsis feminas in his quæ ad Deum pertinent, vel ad quamcumque religionis singularitatem, à viris non fuisse disiunctas. Quas etiam pariter vt viros diuina Cantica non solum cecinisse, verumetiam composuisse sacræ tradunt Historiæ. Primùm quippe Canticum de liberatione Israelitici populi non solùm viri, sed etiam mulieres domino decantauerunt: hinc statim diuinorum officiorum in Ecclesia celebrandorum authoritatem ipsæ adeptæ. Sic quippè scriptum est:
Exod. 15. *Sumpsit ergo Maria prophetes soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus est.* Nec ibi quidem Moyses commemoratur propheta, nec præciniſſe

præciniſſe dicitur ſicut Maria, nec tympanum aut chorum viri habuiſſe referuntur ſicut mulieres. Cùm itaque Maria præcinens prophetes commemoratur, videtur ipſa nõ tam dictando vel recitando, quàm prophetando Canticum iſtud protuliſſe. Quæ etiam cùm cæteris præcinere deſcribitur, quàm ordinatè ſiuè cõcorditer pſallerent demonſtratur. Quod autem non ſolùm voce, verumetiam tympanis & choris cecinerint; non ſolum earum maximam deuotionem inſinuat, verumetiam myſticè ſpiritalis Cantici in congregationibus Monaſticis formam diligenter exprimit. Ad quod & Pſalmiſta nos exhortatur dicens: *Laudate eum in tympano & choro*, hoc eſt in mortificatione carnis, & concordia illa charitatis, de qua ſcriptum eſt: *Quia multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Nec vacat etiam à myſterio, quod egiſſe ad cantandum referuntur, in quo animæ contemplatiuæ iubili figurantur. Quæ dum ad cæleſtia ſe ſuſpendit, quaſi terrenæ habitationis caſtrum deſerit, & de ipſa cõtemplationis ſuæ intima dulcedine hymnum ſpiritalem ſumma exultatione Domino perſoluit. Habemus ibi quoque Delboræ*, & Annę, nec non Iudith viduæ Cantica, ſicut & in Euangelio Mariæ matris Domini. Quæ videlicet Anna Samuelem paruulum ſuum offerens tabernaculo Domini, authoritatem ſuſcipiendorum infantium monaſterijs dedit. Vnde Iſidorus fratribus in Cœnobio Honorianenſi* conſtitutis cap. v. *Quicumque*, inquit, *à parentibus propriis in Monaſterio fuit delegatus, nouerit ſe ibi perpetuò manſurum. Nam Anna Samuelem puerum Deo obtulit. Qui & in miniſterio templi, quo à matre fuerat functus, permanſit, & vbi conſtitutus eſt deſeruiuit.* Conſtat etiam filias Aaron pariter cum fratribus ſuis ad ſanctuarium & hæreditariam ſortem Leui adeo pertinere, vt hinc quoque eis Dominus alimoniam inſtituerit, ſicut ſcriptum eſt in libro Numeri, ipſo ad Aaron ſic dicente: *Omnes primitias ſanctuarij, quas offerunt filij Iſrael Domino, tibi dedi, & filijs ac filiabus tuis iure perpetuo.* Vnde nec à clericorum ordine mulierum religio diſiuncta videtur. Quas etiam ipſis nomine coniunctas eſſe conſtat, cùm videlicet tam Diaconiſſas quàm Diaconos appellemus. Ac ſi in vtriſque tribum Leui, & quaſi Leuitas agnoſcamus. Habemus etiam in eodem libro votum illud maximum, & conſecrationem Nazaræorum Domini æquè feminis ſicut &

Pſal. 150.

Act. 4.

* al. Deboræ.

Iudic. 5.

1. Reg. 2.

Iudith. 16.

Luc. 1.

* al. Honoriacenſi

1. Reg. 1.

Num. 18.

Digitized by Google

viris esse institutum, ipso ad Moysem Domino sic dicente:
Num. 6. *Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir siue mulier cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, vino & omni quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur non bibent. Vuas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur. Quicquid ex vinea est ab vua passa vsque ad acinum non comedent omni tempore separationis suæ.* Huius quidē religionis illas fuisse arbitror excubantes ad ostium tabernaculi, de quarum speculis Moyses vas composuit, in quo la-
Exod. 30. & 38. uarentur Aaron & filij eius, sicut scriptum est, *Apposuit Moyses labrū æneum in quo lauarentur Aaron & filij eius; quod fecit de speculis mulierum quæ excubabant ad ostiū tabernaculi.* Diligenter magnæ deuotionis earum feruor describitur quæ clauso etiā tabernaculo foribus eius adhærentes sanctarum vigiliarum excubias celebrabant, noctem etiam ipsam in orationibus ducentes, & ab obsequio diuino viris quiescentibus non vacantes. Quod vero clausum eis tabernaculum memoratur vita pœnitētium congrue designatur, qui vt se durius pœnitentiæ lamentis afficiant à cæteris segregantur. Quæ profecto vita specialiter monasticæ professionis esse perhibetur, cuius videlicet ordo nihil aliud esse dicitur quàm quædam parcioris pœnitentiæ forma. Tabernaculum vero ad cuius ostium excubabant illud est mysticè intelligendum, de quo
Heb. 13. ad Hebræos Apostolus scribit, *Habemus altare, de quo non habent edere hi qui tabernaculo deseruiunt*, id est quo participare digni non sunt qui corpori suo, in quo hîc quasi in castris ministrant, voluptuosum impendunt obsequium. Ostium vero tabernaculi finis est vitæ præsentis, quādo hinc anima exit de corpore & futuram ingreditur vitam. Ad hoc ostium excubant qui de exitu huius vitæ & introitu futuræ solliciti sunt, & sic pœnitēdo disponūt hunc exitum vt illum mereantur introitum. De hoc quidem quotidiano introitu
Psal. 120. & exitu sanctæ Ecclesiæ illa est oratio Psalmistæ: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Tunc enim simul introitum & exitum nostrum custodit, cùm nos hinc exeuntes & iam per pœnitētiam purgatos illuc statim introducit. Benè autem priùs introitum quàm exitum nominauit, nō tam videlicet ordinem quàm dignitatem attendens; cùm hic exi-

Digitized by Google

tus vitæ mortalis in dolore ſit, ille verò introitus æternæ ſumma ſit exultatio. Specula vero earum opera ſunt exteriora, ex quibus animæ turpitudo vel decor diiudicatur, ſicut ex ſpeculo corporali qualitas humanæ faciei. Ex iſtis earũ ſpeculis vas componitur in quo ſe abluãt Aaron & filij eius, quãdo ſanctarum feminarum opera & tãta infirmi ſexus in Deo conſtantia pontificum & preſbiterorum negligentiam vehementer increpant, & ad compunctionis lachrymas præcipuè mouẽt. Et ſi prout oportet ipſi earum ſollicitudinem gerant hæc ipſarum opera peccatis illorum veniam per quam abluantur præparant. Ex his profecto ſpeculis vas ſibi compunctionis beatus parabat Gregorius, cùm ſanctarum virtutem feminarum, & infirmi ſexus in martyrio victoriam admirans, & ingemiſcens quærebat: *Quid barbari dicturi ſunt viri, cùm tanta pro Chriſto delicatæ puellæ ſubſtineant, & tanto agone ſexus fragilis triumphet, vt frequentius ipſum gemina virginitatis & martyrij corona pollere nouerimus?* Ad has quidem, vt dictum eſt, ad oſtium tabernaculi excubantes, & quæ iam quaſi Nazareæ Domini ſuam ei viduitatem conſecrauerant, beatã illam Annam pertinere non ambigo, quæ ſingularem Domini Nazaræum Dominum Ieſum Chriſtum in templo cum ſancto Symeone pariter meruit ſuſcipere, & vt pluſquã Propheta fieret ipſum eadem hora qua Symeon per ſpiritum agnoſcere & præſentem demonſtrare ac publicè prædicare. Cuius quidem laudem Euangeliſta diligentiùs proſecutus ait: *Et erat Anna prophetiſſa filia Phanuel de tribu Aſer. Hæc proceceſſerat in diebus multis & vixerat cum viro ſuo annis* VII. *à virginitate ſua. Et hæc vidua erat vſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hac ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino, & loquebatur omnibus qui expectabant redemptionem Hieruſalem* *. Luc. 1. * al. Iſrael.

Nota ſingula quæ dicuntur, & perpende quàm ſtudioſus in huius viduæ laude fuerit Euangeliſta, & quantis præconijs excellentiam eius extulerit. Cuius quidem prophetiſſæ gratiam quam habere ſolita erat, & parentem eius, & tribum, & poſt ſeptem annos, quos cum viro ſubſtinuerat, longæuum ſanctæ viduitatis tempus quo ſe Domino mãcipauerat, & aſſiduitatem eius in templo, & ieiuniorum & orationum inſtãtiam, confeſſionem laudis, quas grates Domino referebat &

Digitized by Google

publicam eius prædicationem de promiſſo & nato ſaluatore diligẽter expreſſit: & Symeonem quidem iam ſuperius Euãgeliſta de iuſtitia, non de prophetia commendauerat, nec in eo tantæ continentiæ vel abſtinentiæ virtutem, nec diuini ſollicitudinẽ obſequij fuiſſe memorauit, nec de eius ad alios prædicatione quicquam adiecit. Huius quoque profeſſionis* atque propoſiti illæ ſunt veræ viduæ, de quibus ad Timotheum ſcribens Apoſtolus ait: *Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.* Item: *Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte ac die. Et hoc præcipuè vt irreprehẽſibiles ſint.* Et iterũ: *Si quis fideles habet viduas ſubminiſtret illis, & non grauetur Eccleſia, vt his quæ veræ viduæ ſunt ſufficiat.* Veras quippè viduas dicit quæ viduitatem ſuam ſecundis nuptijs non dehoneſtauerunt, vel quæ deuotione magis quàm neceſſitate ſic perſeuerantes Domino ſe dicarunt. Deſolatas dicit quæ ſic omnibus abrenunciãt, vt nullũ terreni ſolatij ſubſidium retineant, vel qui earum curam agant non habent. quas quidem & honorandas eſſe præcipit, & de ſtipendijs Eccleſiæ cenſet ſubſtentari tanquam de proprijs redditibus ſponſi earum Chriſti. Ex quibus etiam quales ad Diaconatus miniſterium ſint eligendæ diligenter deſcribit, dicens: *Vidua eligatur non minus ſaxaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit ſi hoſpitio ſuſcepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne bonum opus conſecuta eſt. Adoleſcentiores autem viduas deuita.* Quod quidẽ beatus exponens Hieronymus, *Deuita*, inquit, *in miniſterio Diaconatus, ne malum pro bono detur exemplum, ſi videlicet iuniores ad hoc eligantur quæ ad tentationem proniores & natura leuiores: nec per experientiam lõgæuæ ætatis prouidæ malũ exemplum his præbeant, quibus maximè bonum dare debuerant.* Quod quidem exemplum in iunioribus viduis, quia iam Apoſtolus certis didicerat experimentis, apertè profitetur, & cõſilium inſuper aduerſum hoc præbet. Cùm enim præmiſiſſet: *Adoleſcentiores autem viduas deuita*, cauſam huius rei & conſilij ſui medicamentum ſtatim appoſuit, dicens: *Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem & otioſæ diſcunt circumire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergo iuniores nubere,*

* al. perfectionis

1. Tim. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Digitized by Google

filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quadam conuersæ sunt retro Sathanam. Hanc quoque Apostoli prouidentiam, de Diaconissis scilicet eligēdis, beatus Gregorius secutus, Maximo Siracusano Episcopo scribit, his verbis: *Inuenculas Abbatissas vehementissimè prohibemus. Nullum igitur Episcopum fraternitas tua nisi sexagenariam virginem, cuius vitam atque mores exegerint, velare permittat.* Abbatissas quippe quas nunc dicimus antiquitus Diaconissas vocabant, quasi ministeriales potiùs quàm matres. Diaconus quippe minister interpretatur, & Diaconissas ab administratione potius quàm à prælatione nuncupandas esse censebant, secundum quod ipse Dominus tam exemplis quàm verbis instituit, dicens: *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* Et iterum: *Nunquid est maior qui recumbit an qui ministrat? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Et alibi: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Vnde & Hieronymus hoc ipsum nomē Abbatis, quo iam gloriari multos nouerat, ex ipsa Domini anthoritate non mediocriter ausus est arguere. Qui videlicet eum locum exponens quo scriptum* est in Epistola ad Galathas, *Clamantē abba pater: Abba*, inquit, *Hebraicum est, hoc ipsum significans quod pater. Cùm autem abba pater Hebræo Syroque sermone dicatur, & Dominus in Euangelio præcipit nullum Patrem vocandum esse nisi Deum: nescio qua licentia in Monasteriȳs vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certè ipse præcepit hoc, qui dixerat non esse iurandum. Si non iuramus: nec patrem quempiam nominemus. Si de patre interpretabimur aliter, & de iurando aliter sentire cogemur.* Ex his profectò Diaconissis Pheben illam fuisse constat, quam Apostolus Romanis diligenter commendans, & pro ea exorans, ait: *Commendo autem vobis Pheben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris. Vt eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei in quocumque negotio vestro indiguerit. Etenim ipsa quoque astitit multis, & mihi ipsi.* Quem quidem locum tam Cassiodorus quàm Claudius exponentes, ipsam illius Ecclesiæ Diaconissam fuisse profitentur. Cassiodorus: *Significat*, inquit, *Diaconissam fuisse matris Ecclesiæ. Quod in pactibus Græcorum hodie vsque quasi militiæ causa peragitur. Quibus & baptizandi vsus in Ecclesia non negatur.* Claudius: *Hic locus*, inquit, *Apostolica authoritate docet etiam fe-*

Lib. 3. ep. 11

Matth. 23. Luc. 22.

Matth. 20.

* *al.* qui scriptus

Hieron. l. 2. Com. in ep. ad Gal. in c. 4.

Matth. 23.

Matth. 5.

Rom. 16.

Digitized by Google

minas in miniſterio Eccleſiæ conſtitui, in quo officio poſitam Pheben apud Eccleſiam, quæ eſt Cenchris, Apoſtolus magna cum laude & commendatione proſequitur. Quales etiam ipſe ad Timotheum ſcribens inter ipſos colligens Diaconos ſimili morum inſtructione vitam earum inſtituit. Ibi quippe Eccleſiaſticorum miniſteriorum* ordinans gradus, cùm ab Epiſcopo ad Diaconos deſcendiſſet; *Diaconos*, inquit, *ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Et: *Hi autem probentur primum & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Mulieres ſimiliter pudicas eſſe, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus. Diacones ſint vnius vxoris viri, qui filijs ſuis bene præſint, & ſuis domibus. Qui enim bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Quod itaque ibi de Diaconibus dixit, *non bilingues*: hoc de Diaconiſſis dicit, *non detrahentes.* Quod ibi non multò vino deditos, hîc dicit ſobrias. Cætera verò, quæ ibi ſequuntur, hîc breuiter comprehendit, *fideles in omnibus.* Qui etiam ſicut Epiſcopos ſiue Diaconos eſſe prohibet digamos*, ita & Diaconiſſas vnius viri vxores inſtituit eſſe, vt iam ſuprà meminimus: *Vidua*, inquit, *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem parentibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonũ ſubſecuta eſt. Adoleſcentiores autẽ viduas deuita.* In qua quidẽ Diaconiſſarum deſcriptione vel inſtructione, quàm diligẽtior fuerit Apoſtolus quàm in præmiſſis tam Epiſcoporum quàm Diaconorum inſtitutionibus facile eſt aſſignare. Quippe quod ait, *in operibus bonis teſtimonium habens*, vel, *ſi hoſpitio recepit*, nequaquam in Diaconibus memorauit. Quod verò adiecit, *ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem*, &c. tam in Epiſcopis quàm in Diaconis tacitum eſt. Et Epiſcopos quidem & Diaconos dicit nullum crimen habentes. Iſtas verò non ſolum irreprehenſibiles eſſe præcipit, verumetiam omne opus bonum ſubſecutas dicit. Cautè etiam de maturitate ætatis earum prouidit, vt in omnibus authoritatem habeant, dicens: *non minus ſexaginta annorum*, & non ſolum vitæ earum, verumetiam ætati longæuæ in multis probatæ reuerentia deferatur. Vnde & Dominus licèt Ioannem plurimum diligeret, Petrum tamen

* *al.* miniſtrorum

1. *Tim.* 3.

* *al.* bigamos

1. *Tim.* 5.

Ibidem.

Digitized by Google

ſeniorem tam ipſi quam cæteris præfecit. Minus quippè omnes indignantur ſeniorem ſibi quàm iuniorem præponi; & libentiùs ſeniori paremus, quem non ſolum vita priorem, verumetiam & natura & ordo temporis fecit. Hinc & Hieronymus in primo contra Iouinianum, cùm de Prælatione Petri meminerit; *Vnus*, inquit, *eligitur vt capite cõſtituto ſciſmatis tollatur occaſio. Sed cur non Ioãnes electus eſt? Ætati delatũ eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, & penè puer progreſſ.e ætatis hominibus præferretur, & magiſter bonus, qui occaſionẽ iurgij debuerat auferre diſcipulis, in adoleſcentẽ, quem dilexerat, cauſam præbere videretur inuidiæ.* Hoc Abbas ille diligenter cõſiderabat, qui ſicut in vitis Patrũ ſcriptũ eſt, iuniori fratri, qui primus ad cõuerſionem venerat, primatũ abſtulit, & maiori eum tradidit; hoc vno tantùm, quia hic illũ ætate præcedebat. Verebatur quippe ne ipſe etiam frater carnalis indignè ferret iuniorem ſibi præponi. Meminerat ipſos quoque Apoſtolos de duobus ipſorum indignatos eſſe, cùm apud Chriſtum matre interueniente prærogatiuam quandam affectaſſe viderentur: maximè cùm vnus horum eſſet duorum, qui cæteris iunior erat Apoſtolis. Ipſe videlicet Ioannes, de quo modo diximus. Nec ſolum in Diaconiſſis inſtituendis Apoſtolica plurimum inuigilauit cura, verùm generaliter erga ſanctæ profeſſionis viduas quàm ſtudioſus extiterit liquet, vt omnem amputet tentationis occaſionem. Cùm enim præmiſiſſet, *Viduas honora, quæ verè vidue ſunt*: ſtatim adiecit, *ſi qua autẽ vidua filios aut nepotes habet, diſcat primùm domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus.* Et poſt aliqua. *Si quis*, inquit, *ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* In quibus quidem verbis ſimul & debitæ prouidet humanitati, & propoſitæ religioni. Ne videlicet ſub obtentu religionis paruuli deſerantur inopes, & carnalis compaſſio erga indigentes ſanctum viduæ perturbet propoſitum, & retrò reſpicere cogat, & nonnunquam etiam vſque ad ſacrilegia trahat, & aliquid ſuis porrigat, quod de communi defraudet. Vnde neceſſarium patet conſilium, vt quæ domeſticorum cura ſunt implicitæ, antequam ad veram viduitatem tranſeuntes diuinis ſe penitus obſequijs mancipent, hanc vicem ſuis parentibus reddant: vt ſicut eorum cura fuerunt educatæ, ipſæ quoque poſteris ſuis eadem lege proui-

Digitized by Google

deant. Qui etiam viduarum religionem exaggerãs, eas inſtare præcipit obſecrationibus & orationibus nocte & die. De quarum etiam neceſſitudinibus admodum ſollicitus; *Si quis fidelis*, inquit, *habet viduas, ſubminiſtret illis, & non grauetur Eccleſia, vt his quæ veræ viduæ ſunt ſufficiat.* Ac ſi apertè dicat: Si qua eſt vidua, quæ tales habeat domeſticos, qui ei neceſſaria de facultatibus ſuis valeant miniſtrare; ipſi ſuper hoc ei prouideant, vt cæteris ſubſtentandis publici ſumptus Eccleſiæ poſſint ſufficere. Quæ quidem ſententia patenter oſtendit, ſi qui erga huiuſmodi viduas ſuas obſtinati ſunt, eos ad hoc debitum ex Apoſtolica authoritate conſtringendos eſſe. Qui non ſolum earum neceſſitudini, verumetiam prouidens honori; *Viduas*, inquit, *honora, quæ veræ viduæ ſunt.* Tales illas fuiſſe credimus, quarum alteram ipſe matrem, alteram Ioannes Euangeliſta dominam, ex ſanctæ profeſſionis reuerentia vocat: *Salutate*, inquit Paulus ad Romanos ſcribens, *Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam.* Ioannes verò in ſecũda quam ſcribit Epiſtola: *Senior*, inquit, *electæ dominæ, & natis eius, &c.* Aqua etiam ſe diligi poſtulans inferiùs adiunxit: *Et nunc rogo te domina, vt diligamus alterutrum.* Cuius quoque fretus authoritate Hieronymus, ad veſtræ profeſſionis virginem Euſtochium ſcribẽs, eam appellare dominam non erubuit: imò cur etiam debuerit, ſtatim appoſuit dicens: *Hoc idcirco domina mea Euſtochium, dominam quippe debeo vocare ſpõſam domini noſtri, &c.* Qui etiam poſtmodum in eadem Epiſtola huius ſancti propoſiti prærogatiuam omni terrenæ felicitatis gloriæ ſuperponens, ait: *Nolo habeas conſortia* matronarum, nolo ad nobilium accedas domos, nolo frequenter videas, quod contemnẽs, virgo eſſe voluiſti. Si ad Imperatoris vxorem concurrerit ambitio ſalutantium, cur tu facis iniuriam viro tuo? ad hominis coniugem ſponſa Dei quid properas? Diſce in hac parte ſuperbiam ſanctam. Scito te eſſe illis meliorem.* Qui etiam ad virginem Deo dicatam ſcribens de conſecratis Deo virginibus, quantam in cœlo beatitudinem, & in terra poſſideant dignitatem ita, exorſus ait: *Quantam in cæleſtibus beatitudinem virginitas ſancta poſſideat, præter ſcripturarum teſtimonia Eccleſiæ etiam cõſuetudine edocemur, qua addiſcimus peculiare illis ſubſiſtere meritum, quarum ſpiritalis eſt conſecratio. Nam cum vnaquæque turba credentium paria gratiæ dona percipiant, & hiſdem omnes ſacramentorum benedictionibus*

Rom. 16.

To. 1. ep. 22

* al. cõſortium

To. 3. ep. 14.

bus

hac glorientur, istæ proprium aliquid præ cæteris habent, dum de illo sancto & immaculato Ecclesiæ grege quasi sanctiores purioresque hostiæ pro voluntatis suæ meritis à Spiritu sancto & eliguntur, & per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Item: *Possidet ergo virginitas & quod alij non habent, dum & peculiarem obtinet gratiam, & proprio vt ita dixerim consecrationis priuilegio gaudet. Virginum quippè consecrationem nisi periculo mortis vrgente celebrari alio tempore non licet quàm in Epiphania & albis Paschalibus, & in Apostolorum natalitijs. Nec nisi à summo sacerdote, id est Episcopo tam ipsas quàm ipsarum sacris capitibus imponenda velamina sanctificari.* Ibidem. Monachis autem, quamuis eiusdem sint professionis, vel Ordinis, & dignioris sexus, etiam si sint virgines, qualibet die benedictionem & ab Abbate suscipere tam ipsis quàm proprijs eorum indumentis, id est cucullis, permissum est. Presbiteros quoque & cæteros inferioris gradus Clericos semper in ieiunijs quatuor temporum, & Episcopos omni die Dominico constat ordinari posse. Virginum autem consecratio quantò ptetiosior, tantò rarior, præcipuarum exultationem solemnitatum sibi vendicauit. De quarum virtute mirabili vniuersa amplius congaudet Ecclesia, sicut & Psalmista prædixerat, his verbis: *Adducentur Regi virgines post eam.* Ioan. 44. Et rursum: *Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.* Quam* etiam consecrationem Matthæus Apostolus simul & Euangelista composuisse vel dictasse refertur, sicut in eius passione legitur, vbi & ipse pro earum cõsecratione vel virginalis propositi defensione martyr occubuisse memoratur. Nullam verò benedictionem vel Clericorum vel Monachorum Apostoli nobis scriptam reliquerunt. Quarum quoque religio sola ex nomine sanctitatis est insignita, cùm ipsæ à sanctimonia, id est sanctitate, Sanctimoniales sunt dictæ. Quippè quò infirmior est feminarum sexus, gratior est Deo atque perfectior earum virtus: iuxta ipsius quoque Domini testimonium, quo infirmitatem Apostoli ad certaminis coronam exhortans, ait: *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. Qui etiam de corporis sui, quod est Ecclesia, membris per eundem loquens Apostolum, ac si præcipuè tam infirmorum membrorum honorem commendaret, in eadem subiunxit Epistola, hoc est ad Corinthios prima: *Sed multo magis quæ* 1. Cor. 12.

* al. Quarũ

Lapsus memoriæ.

Digitized by Google

videntur membra corporis infirmiora esse necessariora sunt. Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his abundantiorem honorem circumdamus: & quæ inhonesta nostra sunt, abundantiorem honestatẽ habẽt. Honesta autẽ nostra nullius egent. Sed Deus tẽperauit corpus ei cui dederat abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit scisma in corpore, sed in idipsum proinuicem sollicita sint membra. Quis autem adeo integrè per diuinæ gratiæ dispensationem hæc in aliquo dixerit adimpleri, sicut in ipsa muliebris sexus infirmitate, quem tam culpa quàm natura contemptibilem fecerat? Circumspice singulos in hoc sexu gradus, non solũ virgines, ac viduas, seu coniugatas: verumetiam ipsas scortorum abominationes, & in eis Christi gratiam videbis amplioriorem: vt iuxta Dominicam & Apostolicam sententiã, *Sint nouissimi primi, & primi nouissimi:* &, *vbi abundauit delictum, superabundet & gratia.* Cuius quidem diuinæ gratiæ beneficia vel honorem fœminis exhibita si ab ipso exordio mundi repetamus, reperiemus statim mulieris creationem quadam præcellere dignitate: cùm ipsa scilicet in Paradiso, vir extrà creatus sit. Vt hinc præcipuè mulieres admoneantur attendere, quàm sit earum naturalis patria Paradisus, & quo ampliùs eas cœlibem Paradisi vitam sequi conueniat. Vnde Ambrosius in libro de Paradiso: *Et apprehendit*, inquit, *Deus hominem quem fecit, & posuit eum in Paradiso. Vides quoniam qui erat apprehenditur. In Paradiso eum collocauit. Aduerte quia extra Paradisum vir factus est, & mulier intra Paradisum. In inferiori loco vir melior inuenitur, & illa quæ in meliore loco facta est inferior reperitur.* Priùs quoque Dominus Euam totius originẽ mali restaurauit in Maria, quàm Adam in Christo reparauit. Et sicut à muliere culpa, sic à muliere cœpit gratia, & virginitatis refloruit prærogatiua. Ac priùs in Anna & Maria viduis & virginibus sanctæ professionis forma exhibita, quàm in Ioanne vel Apostolis Monasticæ religionis exempla viris proposita. Quod si post Euam, Delboræ, Iudith, Esther virtutem intueamur: profectò non mediocrem robori virilis sexus inferemus erubescentiam. Delbora quippè Dominici iudex populi, viris deficientibus dimicauit, & deuictis hostibus populoque Domini liberato potenter triumphauit. Iudith inermis cum Abra sua terribilem exercitum est aggressa, & vnius Holofernis proprio ipsius gladio caput am-

Digitized by Google

putáns, sola vniuersos strauit hostes, & desperatum populum suum liberauit. Hester spiritu latenter suggerente contra ipsum etiam legis decretum gentili copulata Regi, impijssimi Aman consilium, & crudele Regis præuenit edictum, constitutamque regię deliberationis sententiam quasi vno temporis momento in contrarium conuertit. Magnę adscribitur virtuti quòd Dauid in funda & lapide Goliā aggressus est & deuicit. Iudith vidua ad hostilem procedit exercitum sine funda & lapide, sine omni adminiculo armaturę dimicatura. Hester solo verbo populum suum liberat, & conuersa in hostes, sententia corruerunt ipsi in laqueum quem tetenderāt. Cuius quidem insignis facti memoria singulis annis apud Iudæos solemnem meruit habere lætitiam. Quod nequaquam aliqua virorum facta quantumcumque splendida obtinuerunt. Quis incomparabilem matris septem filiorum constantiam non miretur, quos vnà cum matre apprehensos, sicut Machabæorum Historia narrat, Rex impijssimus Antiochus ad carnes porcinas contra legem edendas nisus est frustrà compellere? Quæ mater suæ immemor naturæ, & humanæ affectionis ignara, nec nisi Dominum præ oculis habens, quot sacris exhortationibus suis ad coronam filios præmisit, tot ipsa martyrijs triumphauit, proprio ad extremum martyrio consummata. Si totam veteris Testamenti seriem reuoluamus, quid huius mulieris constantiæ comparare poterimus? Ille ad extremum vehemens tentator beati Iob, imbecillitatē humanæ naturæ contra mortē considerās: *Pellē*, inquit, *propelle, & vniuersa dabit homo pro anima sua.* Intātū enim omnes angustias mortis naturaliter horremus, vt sæpè ad defensionem vnius membri alterum opponamus, & pro vita hac conseruanda nulla vereamur incommoda. Hæc verò non solùm sua, sed propriam & filiorum animas perdere substinuit, ne vnam legis incurreret offensam. Quæ est ista, obsecro, ad quam compellebatur transgressio? Nunquid abrenuntiare Deo, vel thurificare idolis cogebatur? Nihil, inquam, ab eis exigebatur, nisi vt carnibus vescerentur, quas lex eis interdicebat. O fratres & commonachi, qui tam impudenter quotidie contra Regulæ institutionem ac nostram professionē ad carnes inhiatis, quid ad huius mulieris constantiam dicturi estis? Nunquid tam inuerecundi estis,

Hester. 8.
1. Reg. 17.
Iudith 9.
Hester, 8.
Hester. 9.
2. Macha. 7.
Leuit. 11.
Deuter. 14.
Iob. 2.
2. Macha. 7.
Leuit. 11.
Deuter. 14

Digitized by Google

vt cùm hæc auditis, erubescentiâ non confundamini? Sciatis, fratres, quod de Regina Austri Dominus incredulis exprobat, dicens: *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam*, multò amplius vobis de huius mulieris constantia improperandum esse, quæ & longè maiora fecerit, & vos vestræ professionis voto religioni arctius adstricti estis. Cuius quidem tanto agone virtus examinata, hoc in Ecclesia priuilegium obtinere meruit, vt eius martyrium solemnes lectiones atque Missam habeat, quod nulli antiquorum Sanctorum concessum est, quicumque scilicet aduentum Domini moriendo præuenerunt: quamuis in ipsa Machabæorũ Historia Eleazarus ille venerabilis senex vnus de primoribus scribarum eadem causa martyrio iam coronatus fuisse referatur. Sed quia, vt diximus, quo naturaliter femineus sexus est infirmior, eò virtus est Deo acceptabilior, & honore dignior: nequaquam martyrium illud in festiuitate memoriam meruit, cui femina non interfuit, quasi pro magno non habeatur si fortior sexus fortiora patiatur. Vnde & in laude prædictæ feminæ ampliùs scriptura prorumpens, ait: *Supra modum autem mater mirabilis & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens bono animo ferebat propter spem, quam in Domino habebat, singulos illorum hortabatur fortiter, repleta sapientia, & femineæ cogitationi masculinum animum inserens.* Quis in laudem virginum vineam illam Iephte filiam assumi non censeat? Quæ, ne voti licèt improuidi reus pater haberetur, & diuinæ gratiæ beneficium promissa fraudaretur hostia, victorem patrem in iugulum proprium animauit. Quid hæc, quæso, in agone martyrum factura esset, si fortè ab infidelibus negando Deũ apostatare cogeretur? Nũquid interrogata de Christo cum illo iam Apostolorũ principe diceret: *Non noui illum?* Dimissa per duos menses à patre libera, his completis redit ad patrem occidenda. Sponte morti se ingerit, & eã magis prouocat quàm veretur. Stultũ patris plectitur votum, & paternũ redimit mandatũ amatrix maxima veritatis. Quantum hunc in se lapsum abhorreret, quem in patre non substinet? Quantus hic est virginis feruor tam in carnalem quàm in cælestem patrem? Quæ simul morte sua & hunc à mendacio liberare, & illi promissum decreuit conseruare. Vnde merito tanta hæc puellaris animi

Matth. 12.

2. Macha. 6.

Iudic. 11.

Luc. 22.
Iudic. 11.

Digitized by Go

fortitudo prærogatiua quadam id meruit obtinere, vt per annos ſingulos filiæ Iſrael in vnum conuenientes quaſi quibuſdam ſolemnibus hymnis feſtiuas virginis agant exequias, & de paſſione virginis compunctæ pijs plāctibus compatiantur. Vt autem cætera omnia prætermittamus, quid tam neceſſarium noſtræ redemptioni, & totius mundi ſaluti fuerit, quàm ſexus femineus, qui nobis ipſum peperit Saluatorem? Cuius quidem honoris ſingularitatem mulier illa, quæ prima irrumpere auſa eſt ad beatum Hilarionem, illi admiranti opponebat, dicens: *Quid auertis oculos? Quid rogantem fugis? Noli me mulierem aſpicere, ſed miſeram. Hic ſexus genuit Saluatorem.* Quæ gloria huic poterit comparari, quam in Domini matre adeptus eſt ſexus iſte? Poſſet vtique ſi vellet Redemptor noſter de viro corpus aſſumere, ſicut primam feminam de corpore viri voluit formare. Sed hanc ſuæ humilitatis ſingularem gratiam ad infirmioris ſexus trāſtulit honorem. Poſſet & alia parte mulieris corporis digniore naſci quàm cæteri homines, eadem qua concipiuntur viliſſima portione naſcētes. Sed ad incōparabilē infirmioris corporis honorē lōgè ampliùs ortu ſuo conſecrauit eius genitale quàm viri fecerat ex circumciſione. Atque vt hunc ſingularem virginum nunc omittam honorem, libet ad cæteras feminas ſicut propoſuimus ſtilum conuertere. Attende itaque quantam ſtatim gratiam aduentus Chriſti Eliſabeth coniugatæ, quantam exhibuit Annæ viduæ. Virum Eliſabeth Zachariam magnum Domini ſacerdotem incredulitatis diffidentia mutum adhuc tenebat, dum in aduentu & ſalutatione Mariæ ipſa mox Eliſabeth Spiritu ſancto repleta & exultantem in vtero ſuo paruulum ſenſit, & prophetiam iam de ipſo completo Mariæ conceptu prima proferens, plus quàm Prophetа extitit. Præſentem quippè illico virginis conceptum nuntiauit, & ipſam Domini matrem ad magnificandum ſuper hoc ipſo Dominum concitauit. Excellentius autem prophetiæ donum in Eliſabeth videtur completum, conceptum ſtatim Dei filium agnoſcere, quàm in Ioanne ipſum iamdudum natum oſtendere. Sicut igitur Mariam Magdalenam Apoſtolorum dicimus Apoſtolam, ſic nec iſtam Prophetarum dicere dubitemus Prophetam, ſiue ipſam beatam viduam Annam, de qua ſupra latiùs actum eſt. Quod ſi hanc Pro-

Ibidem.

Tom. 1. in vita Hilarionis.

Geneſ. 2.

Luc. 1. & 2.

Digitized by Google

phetiæ gratiam vſque ad Gentiles etiam extendamus, Sibylla vates in medium procedat, & quæ ei de Chriſto reuelata ſunt proferat. Cum qua ſi vniuerſos conferamus Prophetas, ipſum etiam Eſaiam, qui vt Hieronymus aſſerit, non tam Propheta quàm Euangeliſta dicendus eſt; videbimus in hac quoque gratia feminam viris longè præſtare. De qua Auguſtinus contra hæreſes teſtimonium proferens, ait: *Audiamus quid etiam Sibylla vates eorum de eodem dicat: Alium, inquit, dedit Dominus hominibus fidelibus colendum. Item, Ipſe * tuum cognoſce Dominum Dei filium eſſe. Alio loco filium Dei ſymbolum appellat, id eſt conſiliarum. Et Propheta dicit, Vocabunt nomen eius mirabilis, conſiliarius.* De qua rurſus idem pater Auguſtinus in XVIII. de Ciuitate Dei. *Eo*, inquit, *tempore nonnulli Sibyllam Erictream vaticinatam ferunt, quam quidam magis credũt eſſe Cumanam. Et ſunt eius viginti & ſeptem verſus; qui, ſicut eos quidam Latinis verſibus eſt interpretatus, hoc continent,*

Iudicij ſignum tellus ſudore madeſcet,
E cælo Rex adueniet per ſecla futurus,
Scilicet in carne præſens vt iudicet orbem.

Quorum quidem verſuum primæ literæ in Græco cõiunctę, id ſonant, IESVS CHRISTVS FILIVS DEI SALVATOR. Infert etiam Lactantius quędam de Chriſto vaticinia Sibyllæ. *In manus*, inquit, *infidelium poſtea veniet. Dabunt Deo alapas manibus inceſtis, & impurato * ore expuent venenatos ſputos. Dabit vero ad verbera ſuppliciter ſanctum dorſum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum vel vnde venerit inferis loquatur, & ſpinea corona coronabitur. Ad cibum autem fel, & ad ſitim acetum dederunt. In hoſpitalitatem hanc monſtrabunt menſam. Ipſa enim inſipiens gens tuum Deum non intellexiſti laudandum mortalium mentibus, ſed ſpinis coronaſti, fel miſcuiſti. Templi velum ſcindetur, & in medio die nox erit tribus horis, & morietur, tribus diebus ſomno ſuſcepto, & tunc ab inferis regreſſus ad lucem veniet, primus reſurrectionis principio oſtenſus.* Hoc profecto Sibyllæ vaticinium, ni fallor, maximus ille Poetarũ noſtrorum Virgilius audierat atque attenderat cùm in IIII. Ecloga futurum in proximo ſub Auguſto Cæſare tempore conſulatus Pollionis mirabilem cuiuſdam pueri de cælo ad terras mittendi, qui etiam peccata mundi tolleret, & quaſi ſeculum nouum in mundo mirabiliter ordinaret, præcineret ortum: admonitus

In præf. in Eſai. & to. 3. ep. 117. Cap. 3.

Ibidem.
* *al.* ipſum

Eſai. 9.

Cap. 23.

Lib. 4 inſtit. cap. 18.
* *al.* impuro

vt ipſemet ait, Cumæi carminis vaticinio, hoc eſt Sibyllę, quæ Cumana* dicitur. Ait quippe ſic, quaſi adhortans quoſlibet ad congratulandum ſibi, & concinendum ſeu ſcribendum de hoc tanto puero naſcituro, in comparatione cuius omnes alias materias quaſi infimas* & viles reputat, dicens:

* al. Cumæa

* al. Infirmas

Sicelides Muſæ paulo maiora canamus.
Non omnes arbuſta iuuant, humileſque mirica.
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo demittitur alto, &c.

Virgil. Eclog. 4.

Inſpice ſingula Sibyllæ dicta, & quàm integrè & apertè Chriſtianæ fidei de Chriſto ſummam complectatur. Quæ nec diuinitatem eius, nec humanitatem, nec vtrumque ipſius aduentum, nec vtrumque iudicium prophetando vel ſcribẽdo prætermiſit. Primum quidem iudicium, quò iniuſtè iudicatus eſt in paſſione, & ſecundum quo iuſtè iudicaturus eſt mũdum in maieſtate. Quæ nec deſcenſum eius ad inferos, nec reſurrectionis gloriam prætermittens, non ſolum Prophetas, verumetiam ipſos ſupergreſſa videtur Euangeliſtas, qui de hoc eius deſcenſu minimè ſcripſerunt. Quis non etiam illud tam familiare prolixúmque colloquium miretur, quo ipſe ſolus ſolam illam gentilem & Samaritanam mulierem tam diligenter dignatus eſt inſtruere, de quo & ipſi vehementer obſtupuerunt Apoſtoli? Aqua etiam infideli & de virorum ſuorum multitudine reprehenſa potum ipſe voluit poſtulare, quem nihil vlteriùs alimenti ab aliquo nouimus requiſiſſe. Superueniunt Apoſtoli, & emptos ei cibos offerunt, dicẽtes: *Rabi, manduca*: nec oblatos ſuſcipi videmus, ſed hoc quaſi in excuſationem ipſum prætendiſſe: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis.* Potum ipſe à muliere poſtulat. A quo ſe illa excuſans beneficio, *Quomodo*, inquit, *tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Et iterum: *Neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* Potum itaque à muliere infideli, & id negante deſiderat, qui oblatos ab Apoſtolis cibos non curat. Quæ eſt iſta, quæſo, gratia, quam exhibet infirmo ſexui; vt videlicet à muliere hac poſtulet aquam, qui omnibus tribuit vitam? Quæ, inquam, niſi vt patenter inſinuet tantò ſibi mulierum virtu-

Ioan. 4.

Digitized by Google

tem esse gratiorem, quantò earum naturam esse constat infirmiorem; & se tantò amplius earum salutem desiderando sitire, quantò mirabiliorem earum virtutem constat esse? Vnde & cùm à femina potum postulat, huic præcipuè siti suæ per salutem feminarum satisfieri velle se insinuat. Quem potum etiam cibum vocans: *Ego*, inquit, *cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Quem postmodum exponens cibum, adiungit: *Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei.* Hanc videlicet quasi singularem sui Patris voluntatem esse innuēs, vbi de salute agitur infirmioris sexus. Legimus & familiare colloquium cum Nicodemo illo Iudæorum principe Dominum habuisse, quo illum quoque ad se occultè venientem de salute sua ipse instruxerit; sed illius colloquij nō tantū tunc* fructum esse consecutum. Hanc quippe Samaritanam, & spiritu prophetiæ repletam esse tūc constat, quo videlicet Christum & ad Iudæos iam venisse, & ad gentes venturum esse professa est: cùm dixerit, *Scio quia Messias venit qui dicitur Christus. Cùm ergo venerit ille nobis annunciabit omnia*, & multos ex ciuitate illa propter verbum mulieris ad Christū cucurrisse, & in eum credidisse, & ipsū duobus diebus apud se retinuisse: qui tamen alibi discipulis ait: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitate Samaritanorum ne intraueritis.* Refert alibi idem Ioannes quosdam ex gentilibus, qui ascenderant Hierosolymam vt adorarent in die festo, per Philippum & Andream Christo nunciasse, quòd eum vellent videre. Non tamen eos esse admissos commemorat, nec illis postulantibus tantam Christi copiam esse concessam, quantam huic Samaritanæ nequaquam id petenti. A qua eius in gentibus prædicatio cœpisse videtur, quam non solum conuertit; sed per eam, vt dictum est, multos acquisiuit. Illuminati statim per stellam Magi, & ad Christum conuersi, multos exhortatione sua vel doctrina ad eum traxisse referuntur; sed soli accessisse. Ex quo etiam liquet quantam à Christo gratiam in gentibus mulier sit adepta, quæ præcurrens, & ciuitati nuntians eius aduentum, & quæ audierat prædicans, tam properè ipsa multos de populo suo est lucrata. Quod si veteris Testamenti vel Euangelicæ scripturæ paginas reuoluamus, summa illa de resuscitatis mortuis beneficia diuinam gratiam feminis præcipuè videbimus impendisse, nec nisi ipsis vel de ipsis hæc

Ioan. 3. * al. hunc

miracula

miracula facta fuiſſe. Primò quippè per Heliam & Heliſæum ad interceſſionem matrum filios ipſarum reſuſcitatos eſſe legimus. Et Dominus ipſe viduæ cuiuſdam filium ſuum, & Archiſynagogi filiam, & rogatu ſororum Lazarum reſuſcitans, hoc immenſi miraculi beneficium maximè feminis impendit. Vnde illud eſt Apoſtoli ad Hebræos ſcribentis: *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* Nam & puella ſuſcitata mortuum recepit corpus, & cæteræ feminæ in conſolationem ſui, quos plangebant mortuos receperunt ſuſcitatos. Ex quo etiam liquet, quantam ſemper feminis exhibuerit gratiam, quas tam ſua quàm ſuorum reſuſcitatione primò lætificans, nouiſſimè quoque ipſe propria reſurrectione eas plurimùm extulit, quibus, vt dictum eſt, primùm apparuit. Quod etiam hic ſexus in populo perſequente, quodã erga Dominum naturali compaſſionis affectu, viſus eſt promereri. Vt enim Lucas meminit, cùm eum viri ad crucifigendum ducerent, feminæ ipſorum ſequebantur plangentes ipſum, atque lamentantes. Quibus ipſe conuerſus, & quaſi pietatis huius vicem in ipſo ſtatim paſſionis articulo miſericorditer eis referens, futurum vt cauere queant prædicit exitum*: *Filiæ*, inquit, *Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quia ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt.* Ad cuius etiam liberationem iniquiſſimi iudicis vxorem antea fideliter laboraſſe Matthæus commemorat, dicens: *Sedente autem illo pro tribunali miſit ad illum vxor eius dicens; Nihil tibi & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Quo etiã prędicante ſolam feminam de tota turba in tantam eius laudem legimus extuliſſe vocem, vt beatum exclamaret vterũ qui eum portauerit, & vbera quæ ſuxerit. A quo & ſtatim piam confeſſionis ſuæ, licèt veriſſimæ, correctionem meruit audire, ipſo confeſtim ei reſpondente: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Solus Ioannes inter Apoſtolos Chriſti hoc priuilegium amoris obtinuit, vt dilectus Domini vocaretur. De Martha autem & Maria ipſe ſcribit Ioannes, *quia diligebat Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.* Ipſe idem Apoſtolus, qui ex priuilegio, vt dictum eſt, amoris ſe vnum à Domino dilectum eſſe commemorat, hoc ipſo priuilegio, quod nulli aliorũ adſcrip-

1. Reg. 17. 4. Reg. 4. Luc. 4. Marc. 5. Ioan. 11. Heb. 11.

Matth. 28. Marc 16.

* al. exitiũ

Digitized by Google

it Apoſtolorum, feminas inſigniuit. In quo etiam honore etſi fratrem earum ipſis aggregaret, eas tamen illi præpoſuit, quas in amore præcellere credidit. Libet deniq;, vt ad fideles ſeu Chriſtianas redeamus feminas, diuinæ reſpectũ miſericordiæ in ipſa etiam publicorũ abiectione ſcortorũ & ſtupẽdo prædicare, & prædicando ſtupere. Quid eſt abiectius quã Maria Magdalene, vel Maria Ægyptiaca ſecundum vitæ ſtatum priſtinæ? Quas verò poſtmodum vel honore vel merito diuina amplius gratia ſublimauit? Illam quidem quaſi in Apoſtolico permanentem Cœnobio, vt iam ſuprà commemorauimus: hac verò, vt ſcriptum eſt, ſupra humanam virtutem Anachoretarum agone dimicante, vt in vtrorumque Monachorum propoſito ſanctarum virtus feminarum præmineat, & illud quod incredulis Dominus ait, *Meretrices præcedent vos in regnum Dei*, ipſis & fidelibus viris improperandũ videatur, & ſecundum ſexuum ſeu vitæ differentiam fiãt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Quis denique ignoret feminas exhortationem Chriſti & conſilium Apoſtoli tanto caſtimoniæ zelo eſſe complexas, vt pro conſeruanda carnis pariter ac mentis integritate, Deo ſe per martyrium offerrent holocauſtum, & gemina triumphantes corona, Agnum ſpõſum virginum quocumque ierit ſequi ſtuderent? Quam quidem virtutis perfectionem raram in viris, crebram in feminis eſſe cognouimus. Quarum etiam nonnullas tantum in hac carnis prærogatiua zelum habuiſſe legimus, vt non ſibi manum inferre dubitarent, ne quã Deo vouerant incorruptionem amitterent, & ad Sponſum virginem virgines peruenirent. Qui etiam ſanctarum deuotionem virginum intantum ſibi gratam eſſe monſtrauit, vt gentilis populi multitudinem ad beatæ Agathæ ſuffragium concurrentem velo eius contra æſtuantis Æthnæ terribilem ignem oppoſito tam à corporis quàm animæ liberauerit incendio. Nullã nouimus Monachi cucullam beneficij tanti gratiam eſſe adeptam. Legimus quidem ad tactum pallij Heliæ Iordanem eſſe diuiſum, & ipſi pariter & Heliſæo viam per terram præbuiſſe: velo autem virginis immẽſam adhuc infidelis populi multitudinem tam mente ſaluari quãm corpore, & ſic eis conuerſis ad celeſtia viam patuiſſe. Illud quoque non modicum ſanctarum dignitatem commendat feminarium, quòd in ſuis ipſæ verbis

Digitized by Google

conſecrantur, dicentes: *Annulo ſuo ſubarrauit me, ipſi ſum deſponſata.* Hæc quippe verba ſunt beatæ Agnetis, in quibus virgines ſuam profeſſionem faeientes Chriſto deſponſantur. Si quis etiam veſtræ religionis formam ac dignitatem apud Gentiles cognoſcere curet, atque nonnulla inde quoque exempla ad exhortationem veſtram inducere; facile deprehendet in ipſis etiam nonnullam huius propoſiti inſtitutionẽ præceſſiſſe, excepto quòd ad fidei pertinet tenorẽ; & multa in illis ſicut & in Iudæis præceſſiſſe, quæ ex vtriſque congregata Eccleſia retinuit, ſed in melius commutauit. Quis neſciat vniuerſos Clericorum ordines ab Oſtiario vſque ad Epiſcopum, ipſumque tonſuræ vſum Eccleſiaſticæ, qua Clerici fiunt, & ieiunia quatuor temporum, & azimorum ſacrificiũ, necnon ipſa ſacerdotalium indumentorum ornamenta, & nonnulla dedicationis vel alia ſacramenta, à Synagoga Eccleſiam aſſumpſiſſe? Quis etiam ignoret ipſum vtiliſſima diſpenſatione non ſolum ſecularium dignitatum gradus in Regibus, cæteriſque Principibus, & nonnulla legum decreta, vel Philoſophicæ diſciplinæ documenta in conuerſis Gentibus retinuiſſe: verumetiam quoſdam Eccleſiaſticarum dignitatum gradus, vel continentiæ formam, & corporalis munditiæ religionem ab eis accepiſſe? Conſtat quippè nunc Epiſcopos vel Archiepiſcopos præſidere, vbi tunc Flamines vel Archiflamines habebantur: & quæ tunc templa Dæmonibus ſunt inſtituta, poſtea Domino fuiſſe conſecrata, & ſanctorum memorijs inſignita. Scimus & in gentibus præcipuè prærogatiuam virginitatis enituiſſe, cùm maledictum legis ad nuptias Iudæos coerceret: & in tantum Gẽtibus hanc virtutem ſeu mundiciam carnis acceptam extitiſſe, vt in tẽplis earum magni feminarum Conuentus cælibi ſe vitæ dicarent. Vnde Hieronymus in Epiſtolam ad Galathas lib. III. *Quid nos*, inquit, *oportet facere, in quorum condemnationem habet & Iuno vniuiras, & Veſta vniuirgines, & alia idola continentes?* Vniuiras autem & vniuirgines dicit; quaſi Monachas vniuiras, quæ viros nouerant, & Monachas vniuirgines virgines. Monos enim, vnde Monachus, id eſt ſolitarius dicitur, vnum ſonat. Qui etiam libro I. contra Iouinianum, multis de caſtitate vel continentia Gentilium feminarum inductis exemplis: *Scio*, inquit, *in catalogo feminarum me plura di-*

Ambr. Ser. 90.

Deuter. 25.

To. 6 in c. 6.

Digitized by Google

xisse, vt quæ Christianæ pudicitiæ despiciunt fidem, discant saltem ab Ethnicis castitatem. Qui in eodem suprà illam quoque continentiæ virtutem adeo commendauit, vt hanc præcipuè mũdiciam carnis in omni gente Dominus approbasse videatur, & nonnullis etiam in infidelibus quoque vel collatione meritorum, vel exhibitione miraculorum extulisse. *Quid referam*, inquit, *Sibyllam Erithream atque Cumanam, & octo reliquas? Nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium diuinatio.* Itẽ: *Claudia virgo vestalis cùm in suspitionem venisset stupri, fertur cingulo duxisse ratem, quam hominum millia trahere nequiuerãt.* Et Sydonius Claremontensis Episcopus in propemtico ad Libellum suum ita loquitur:

Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa,
Quam tu Tricipitine procreasti,
Qualis nec Phrygiæ dicata Vestæ
Quæ circa satis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.

Cap. 11. Augustinus de Ciuitate Dei lib. xxii. *Iam si ad eorum miracula veniamus, quæ facta à dijs suis martyribus opponunt nostris, nonne etiam ipsa pro nobis facere, & nobis reperientur omnino proficere? Nam inter magna miracula Deorum suorum profecto magnum illud est, quod Varro commemorat Vestalem virginem, cùm periclitaretur falsa suspitione de stupro, cribrum implesse aqua de Tyberi, & ad suos iudices nulla eius parte stillante portasse. Quis aquæ pondus tenuit tot cauernis patientibus? Itane Deus omnipotens terreno corpori graue pondus auferre non poterit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans spiritus?* Nec mirum si ijs vel alijs Deus miraculis infidelium quoque castitatem extulerit, vel officio Demonum extolli permiserit: vt tantò amplius nunc fideles ad ipsam animarentur, quantò hanc in infidelibus quoque ampliùs
Ioan. 11. exaltari cognouerint. Scimus & Caiphæ prælationi non personæ gratiam esse collatam, & pseudo quoque Apostolos miraculis nonnusquam coruscasse: & hæc non personis eorum, sed officio esse concessa. Quid igitur mirum, si Dominus non personis infidelium feminarum, sed virtuti continentiæ ipsarum hoc concesserit, ad innocentiam virginis saltem liberandam, & falsæ accusationis improbitatem conterendam? Constat quippè amorem continentiæ bonum esse & in

infidelibus, ſicut & coniugalis pactionis obſeruantiam donum Dei apud omnes eſſe. Ideóque mirabile non videri, ſi ſua dona, non errorem infidelitatis per ſigna, quæ infidelibus fiunt, non fidelibus, Deus honoret: maximè quando per hæc, vt dictum eſt, innocentia liberatur, & peruerſorum hominum malicia reprimitur, & ad hoc, quod ita magnificatur, bonum homines ampliùs cohortantur, per quod tantò minùs ab infidelibus quoque peccatur, quantò ampliùs à voluptatibus carnis receditur. Quod nunc etiam cum pleriſque alijs aduerſus prædictum incontinentem hæreticum beatus non incõuenienter induxit Hieronymus, vt quæ non miratur in Chriſtianis, erubeſcat in Ethnicis. Quis etiam dona Dei eſſe deneget, poteſtatem etiam infidelium Principum, etſi peruersè ipſa vtantur, vel amorem iuſtitiæ, vel manſuetudinem quam habent, lege inſtructi naturali, vel cætera quæ decent Principes? Quis bona eſſe contradicat quia malis ſunt permixta? præſertim cùm, vt beatus adſtruit Auguſtinus, & manifeſta ratio teſtatur, mala eſſe nequeant niſi in natura bona? Quis non illud approbet quod Poetica perhibet ſententia,

Oderunt peccare boni virtutis amore? *Horat. Epiſt. l. 1. ep. 15.*

Quis Veſpaſiani nondum Imperatoris miraculũ, quod Suetonius refert, de cæco videlicet & claudo per eum curatis, non magis approbet quàm neget, vt eius virtutem ampliùs æmulari velint Principes. Aut quod de anima Traiani beatus egiſſe Gregorius refertur? Nouerunt homines in cœno margaritam legere, & à paleis grana diſcernere. Et dona ſua infidelitati adiuncta Deus ignorare non poteſt, nec quicquam horum quæ fecerit odire. Quæ quò ampliùs ſignis coruſcãt, tantò ampliùs ſua eſſe demonſtrat, nec hominum prauitate ſua inquinari poſſe, & qualis ſit fidelibus ſpectandus, qui talẽ ſe exhibet infidelibus. Quantam autem apud infideles dignitatem deuota illa templis pudicitia ſit adepta, vindicta violationis indicat. Quam ſcilicet vindictam Iuuenalis commemorans in IIII. Satyra contra Criſpinum, ſic de ipſo ait:

Sueton. in Veſpaſ. c. 7.

Ioan. Diaconus l. 2. vitæ S. Greg. c. 44.

——— *Cum quo nuper vitiata iacebat*
Sanguine adhuc viuo terram ſubitura Sacerdos.

Vnde & Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. III. *Nam & ipſi*, inquit, *Romani antiqui in ſtupro detectas veſtæ Sacerdotes viuas defo-*

diebant. Adulteras autem feminas quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. Vſque adeò grauiùs quæ putabãt abdita diuina, quàm humana cubilia vindicabant. Apud nos autem Chriſtianorum cura Principum tantò amplius
* veſtræ noſtræ * prouidit caſtimoniæ, quantò eam ſanctiorem eſſe non dubitatur. Vnde Iuſtinianus Auguſtus: *Si quis*, inquit, *non dicam rapere, ſed attentare tantum cauſa iungendi matrimonium ſacras virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur.* Eccleſiaſticæ quoque ſanctio diſciplinæ, quæ pœnitẽtiæ remedia, non mortis ſupplicia quærit, quàm ſeuera ſententia lapſus veſtros præueniat non eſt dubium. Vnde illud eſt Innocentij Papæ Victricio Epiſcopo Rothomagenſi, cap. XIII.

C. 17. quæſt. 1. Cã. Viduas. & Hæ verò.

Quæ Chriſto ſpiritualiter nubunt, & à ſacerdote velantur, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel occultè corruptæ fuerint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe coniunxerant de hac vita diſceſſerit. Hæc verò, quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe ſimulauerint permanere, licet velatæ non fuerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt: quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si verò inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quantò magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, ſolui ſine vindicta non poterit? Nam
1. Tim. 5. ſi Apoſtolus Paulus, quæ à propoſito viduitatis diſceſſerant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quantò magis virgines, quæ prioris propoſitionis fidem minimè ſeruauerunt? Hinc & Pelagius ille notabilis ad filiam Mauritij: *Criminoſior eſt*, inquit, *Chriſti adultera quàm mariti. Vnde pulchrè Romana Eccleſia tam ſeueram nuper de huiuſmodi ſtatuit ſententiam, vt vix vel pœnitentia dignas iudicaret, quæ ſanctificatum Deo corpus libidinoſa coinquinatione violaſſent.* Quod ſi perſcrutari velimus quantam curam, quantam diligentiam & charitatem ſancti Doctores ipſius Domini, & Apoſtolorum exemplis incitati, deuotis ſemper exhibuerint feminis, reperiemus eos ſummo dilectionis zelo deuotionem earum amplexos fuiſſe, & fouiſſe, & multiplici doctrinæ vel exhortationis ſtudio earum religionem iugiter inſtruxiſſe atque auxiſſe. Atque vt cæteros omittam, præcipui Doctores Eccleſiæ producantur in medium: Origines ſcilicet, Ambroſius, atque Hieronymus. Quorum quidem

Digitized by Google

primus, ille videlicet maximus Christianorum Philosophus, religionem feminarum tanto amplexus est zelo, vt sibi manus ipse inferret, sicut Ecclesiastica refert Historia, ne vlla eum suspicio à doctrina vel exhortatione mulierum abduceret. Quis etiam ignoret quantam Ecclesiæ diuinorum messem librorum rogatu Paulæ & Eustochij beatus reliquerit Hieronymus? Quibus inter cætera sermonem etiam de Assumptione matris Domini iuxta earum petitionem scribēs, idipsum profitetur, dicens: *Sed quia negare non queo quicquid iniungitis, nimia vestra deuinctus dilectione, experiar quod hortamini.* Scimus autem nonnullos maximorum Doctorum tam ordinis quàm vitæ dignitate sublimium, nonnunquam ad eum de longinquo scribentes parua ab eo requisisse scripta, nec impetrasse. Vnde & illud est beati Augustini in secundo Retractationum libro: *Scripsi & duos libros ad Presbyterum Hieronymum sedentem in Bethleem, vnum de origine animæ, alium de sententia Apostoli Iacobi, vbi ait: Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus: de vtroque consulens eum: Sed in priore quæstionem, quam proposui, ipse non solui. In posteriore autem quid mihi de illa soluēda videretur non tacui. Sed vtrum hoc approbaret, & illum consului. Respondit* * *autem laudans eandem consultationem meam, sibi tamen ad respondendum otium non esse respondit. Ego verò quousque esset in corpore hos libros edere nolui, ne fortè responderet aliquando, & cum ipsa responsione eius potius ederentur. Illo autem defuncto edidi.* Ecce virum tantum tanto tempore pauca & parua rescripta à prædicto viro expectasse, nec accepisse. Quem quidem ad petitionem prædictarum feminarum in tot & tantis voluminibus vel trāsferendis vel dictādis sudasse cognouimus, longè eis maiorē quàm Episcopo reuerentiā in hoc exhibēs. Quarū fortassis tantò ampliùs virtutem amplectitur studio, nec contristare substinet, quantò earū naturam fragiliorē cōsiderat. Vnde & nōnūquā zelus charitatis eius erga huiusmodi feminas tantus esse deprehēditur, vt in earū laudibus aliquatenus veritatis tramitē excedere videatur, quasi in seipso illud expertus, quod alicubi cōmemorās: *Charitas*, inquit, *mēsuram non habet.* Qui in ipso statim exordio vitæ sanctæ Paulæ, quasi attentum sibi lectorem præparare desiderans, ait: *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus*

Lib. 6. c. 7.

To. 9. ep. 10

Cap. 43.

Iacobi 2.

* al. Rescripsit

To. 1. ep. 17.

Ibid. ep. 17.

Digitized by Google

humana voce reſonarent, nihil dignum ſanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem. Deſcripſit & nonnullas ſanctorum Patrum venerabiles vitas, atque miraculis coruſcas, in quibus longè mirabiliora ſunt quæ referuntur. Nullum tamen eorum tanta laude verborum extuliſſe videtur, quanta hanc viduã commendauit. Qui etiam ad Demetriadem virginem ſcribens, tanta eius laude frontem ipſius inſigniuit Epiſtolæ, vt non in modicam labi videatur adulationem. *Inter omnes*, inquit, *materias, quas ab infantia vſque ad hanc ætatem vel mea, vel notariorum ſcripſi manu, nihil præſenti opere difficilius. Scripturus enim ad Demetriadem virginem Chriſti, quæ & nobilitate & diuitijs prima eſt in vrbe Romana, ſi cuncta eius virtutibus congrua dixero, adulari putabor.* Dulciſſimum quippè viro ſancto fuerat quacumque arte verborum fragilem naturam ad ardua virtutis ſtudia promouere. Vt autem opera nobis quàm verba in hoc certiora præbeant argumenta, tanta huiuſmodi feminas excoluit charitate, vt immenſa eius ſanctitas næuum ſibi propriæ imprimeret famæ. Quod & ipſe quidem ad Aſellã, de fictis amicis atque ſibi detrahentibus ſcribens, inter cætera commemorat, dicens: *Et licet me ſceleratum quidam putent, & omnibus flagitijs obrutum; tu tamen benè facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putas. Periculoſum quippè eſt de ſeruo alterius iudicare, & non facilis venia praua dixiſſe de rectis. Oſculabantur quidam mihi manus, & ore vipereo detrahebant. Dolebant labijs, corde gaudebant. Dicant quid vnquam in me aliter ſenſerunt, quàm quod Chriſtianum decebat? Nihil mihi obijcitur, niſi ſexus meus. Et hoc nunquam obijceretur, niſi cùm Hieroſolymam Paula proficiſcitur.* Item: *Antequam domum ſanctæ Paulæ noſcerem, totius in me vrbis ſtudia conſonabant. Omnium pene iudicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Sed poſtquam eam pro ſuo merito ſanctitatis venerari, colere, ſuſcipere* * *cæpi; omnes me illico deſeruere virtutes.* Et poſt aliqua: *Saluta*, inquit, *Paulam & Euſtochium, velint nolint, in Chriſto meas.* Legimus & Dominum ipſum tantam beatæ meretrici familiaritatem exhibuiſſe, vt qui eum inuitauerat Phariſæus, ob hoc iã penitus de ipſo diffideret, apud ſe dicens: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt quæ tangit eum.* Quid ergo mirum, ſi pro lucro talium animarum ipſa Chriſti membra eius incitata exemplo propriæ famę detrimentum non effugiũt? Quod quidem Origenes, vt dictum

eſt,

eſt,cùm cuperet euitare, grauius ſibi corporis detrimentum inferre ſubſtinuit. Nec ſolum in doctrina vel exhortatione feminarum mira ſanctorum Patrum charitas innotuit, verumetiam in earum conſolatione ita vehemens nonnunquã extitit, vt ad earum dolorem leniendum nonnulla fidei aduerſa promittere mira eorum compaſſio videatur. Qualis quidẽ illa eſt beati Ambroſij cõſolatio, quã ſuper morte Valẽtiniani Imperatoris ſororibus eius ſcribere auſus eſt,& eius qui cathecumenus ſit defunctus ſalutem adſtruere. Quod longè à Catholica fide atque Euangelica veritate videtur diſſidere. Non enim ignorabant quàm accepta Deo ſemper extiterit virtus infirmioris ſexus. Vnde & cùm innumeras videamus virgines matrem Domini in huius excellẽtiæ propoſito ſequi,paucos agnoſcimus viros huius virtutis gratiam adeptos; ex qua,quocumque ierit, ipſum ſequi Agnum valerent. Cuius quidem zelo virtutis cùm nonnullæ ſibi manũ inferrent,vt quam Deo vouerant integritatem etiam carnis conſeruarent; non ſolum hoc in eis non eſt reprehenſum,ſed apud pleroſque hæc ipſarum martyria titulos Eccleſiarum meruerunt. Deſponſatæ quoque virgines, ſi antequam viris ſuis carnaliter miſceantur Monaſterium decreuerint eligere,& homine reprobato ſponſum ſibi Deum efficere, liberã in hoc habent facultatem, quam nequaquam viris legimus indultam. Quarum etiam pleræque tanto ad caſtimoniam zelo ſunt accenſæ, vt non ſolum contra legis decretum pro cuſtodienda caſtitate virilem præſumerent habitum, verùm etiam inter Monachos tantis præminerent virtutibus, vt Abbates fieri mererentur. Sicut de beata legimus Eugenia, quæ ſancto etiam Heleno Epiſcopo conſcio, imò iubente virilem habitum ſumpſit, & ab eo baptizata Monachorum collegio eſt ſociata.

Apoc. 14.

Deuter. 22.

Invitis Pat

HAEC ad nouiſſimarum* petitionum tuarum primam, ſoror in Chriſto chariſſima, me ſatis reſcripſiſſe arbitror; de authoritate videlicet Ordinis veſtri, & inſuper de commendatione propriæ dignitatis, vt tanto ſtudioſiùs veſtræ profeſſionis propoſitum amplectamini, quantò eius excellentiam ampliùs noueritis. Nunc vt ſecundam quoque Domino annuente perficiam, veſtris id meritis & orationibus obtineam, VALE.

* *al.* petitionẽ nouiſſimarum

Digitized b

EPISTOLA VIII.

Quæ eſt eiuſdem PETRI ad HELOISSAM, Inſtitutio, ſeu Regula Sanctimonialium.

ARGVMENTVM.

Cùm duo ab Heloiſſa rogatus fuiſſet Abaelardus, alteri quidem eorum ſuperiore reſpondit Epiſtola: alterum nunc exequitur. Si quidem petitionis Heloiſſæ alterum aput fuerat, vt Paracletenſibus Monachabus Regulam ſcriberet; quod ipſe hoc libro potiùs quàm Epiſtola luculenter perficit, plurimis ſanctorum Patrum ſententijs tanquam floribus adunatis. Tripertitum autem Tractatum vocat, quòd in eo maximè de tribus præcipuis virtutibus Monaſticis, continentia ſcilicet, paupertate voluntaria, & ſilentio tractet. Conſtituit toti earum Collegio ſeptem officiales ſorores, quæ cæteris tum in his quæ animarum ſunt, tum in his, quæ ad temporalia ſiue corporalia ſpectant, prudenter præſint. Eſum carnium ternis diebus ſingulis hebdomadibus, & vſum vini moderatum eis indulget: ac cætera ad vitæ Monaſticæ Ordinem pertinentia diligenter & congruè diſponit.

PETITIONIS tuæ parte iam aliqua prout potuimus abſoluta, ſupereſt Domino annuante de illa, quæ reſtat, parte tam tuis quàm ſpiritualium tuarum filiarum deſiderijs complendis operam dare. Reſtat quippè iuxta prædictæ veſtræ poſtulationis ordinem, aliquam vobis Inſtitutionem, quaſi quandam propoſiti veſtri Regulam à nobis ſcribi, & vobis tradi; vt certiùs ex ſcripto quàm ex conſuetudine habeatis quid vos ſequi conueniat. Nos itaque partim conſuetudinibus bonis, partim ſcripturarum teſtimonijs vel rationum nitentes fulcimẽtis, hæc omnia in vnum conferre decreuimus; vt ſpirituale Dei templum, quod eſtis vos, habens decorare, quaſi quibuſdã egregijs exornare picturis valeamus, & ex pluribus imperfectis quod poſſimus vnum Opuſculum conſummare. In quo quidẽ opere Zeuxim pictorem imitantes, ita facere inſtituimus in templo ſpiritali, ſicut ille diſpoſuit faciendum in corporali. Hunc enim, vt in Rhetorica ſua Tullius meminit, Crotoniatæ aſciuerunt ad quoddam templum, quod religioſiſſimè colebant, excellentiſſimis picturis decorãdum. Quod vt diligentiùs faceret, quinque ſibi virgines pulcherrimas de populo illo elegit, quas ſibi pingẽti aſſiſtẽtes intuens, earum

Digitized by Google

pulchritudinem pingendo imitaretur. Quod duabus de cauſis factum eſſe credibile eſt. Tum videlicet quia, vt prędictus meminit Doctor, maximam peritiam in depingẽdis mulieribus pictor ille adeptus fuerat, tum etiam quia naturaliter puellaris forma elegantior & delicatior virili compoſitione * cenſetur. Plures autem virgines ab eo eligi ſupra memoratus Philoſophus ait, quia nequaquam credidit in vna ſe reperire poſſe puella, membra omnia æqualiter formoſa, nullique vnquam à natura tantam pulchritudinis gratiam eſſe collatam, vt æqualem in omnibus mẽbris pulchritudinem haberet, vt nihil ex omni parte perfectum in compoſitione corporum ipſa expoliret, tanquam vni ſic omnia commoda conferret, vt non haberet quod cæteris largiretur. Sic & nos ad depingendam animæ pulchritudinem, & Sponſæ Chriſti deſcribendam perfectionem, in qua vos tanquam ſpeculo quodam vnius ſpiritalis virginis ſemper præ oculis habitæ decorem veſtrum vel turpitudinem deprehendatis: propoſuimus ex multis ſanctorum Patrum documentis vel conſuetudinibus Monaſteriorum optimis veſtram inſtruere conuerſationem, ſingula quæque prout memoriæ occurrerint delibando, & quaſi in vnum faſciculum congregando, quæ veſtri propoſiti ſanctitati congruere videbo. Nec ſolum quæ de Monachabus, verumetiam quæ de Monachis inſtituta. Quippe ſicut nomine & continentiæ profeſſione nobis eſtis coniunctæ, ita & ferè omnia noſtra vobis competunt inſtituta. Ex his ergo, vt diximus, plurima quaſi quoſdam flores decerpendo, quibus veſtræ lilia caſtitatis adornemus, multo maiore ſtudio deſcribere debemus virginem Chriſti, quàm prædictus Zeuxis depingere ſimulachrum idoli. Et ille quidem quinque virgines, quarum ſpeciem imitaretur, ſufficere credidit. Nos verò pluribus Patrum documentis exuberantem copiam habentes, auxilio freti diuino perfectius vobis opuſculum relinquere nõ deſperamus: quo ad ſortem vel deſcriptionem illarum quinque prudentium virginum pertingere valeatis, quas in depingenda virgine Chriſti Dominus nobis in Euangelio proponit. Quod vt poſſimus ſicut volumus, veſtris orationibus impetremus, Valete in Chriſto, ſponſæ Chriſti.

Ibidem.

* *al.* compactione

Matth. 25.

TRIPERTITVM inſtructionis veſtræ Tractatum fieri

Digitized by Google

decreuimus, in deſcribenda atque munienda religione veſtra,& diuini obſequij celebratione diſponenda, in quibus religionis monaſticæ ſummam arbitror conſiſtere: vt videlicet continenter,& ſine proprietate viuatur,ac ſilentio maximè ſtudeatur. Quod quidem,iuxta Dominicam Euangelicæ regulæ diſciplinam,lumbos præcingere, omnibus renũciare, otioſum verbum cauere. Continentia vero caſtitatis illa eſt, quam ſuadens Apoſtolus ait: *Quæ innupta eſt & virgo, cogitat quæ Domini ſunt,vt ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Corpore,inquit, toto,non vno membro, vt ad nullam ſcilicet laſciuiam in factis vel in dictis eius aliquod membrum declinet. Spiritu verò tunc ſancta eſt,quando eius mentem nec conſenſus inquinat, nec ſuperbia inflat: ſicut illarum quinque fatuarum virginum, quæ dum ad vendentes oleum recurrerent, extra ianuam remanſerunt. Quibus iam clauſa ianua fruſtra pulſantibus & clamentibus, *Domine, Domine aperi nobis*, terribiliter Sponſus ipſe reſpondet: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Tunc autem relictis omnibus nudum Chriſtum nudi ſequimur, ſicut ſancti fecerunt Apoſtoli, cùm propter eum non ſolum terrenas poſſeſſiones aut carnalis propinquitatis affectiones, verumetiam proprias poſtponimus voluntates:vt non noſtro viuamus arbitrio,ſed Prælati noſtri regamur imperio, & ei qui nobis loco Chriſti præſidet tanquam Chriſto penitus pro Chriſto ſubijciamur. Talibus enim ipſemet dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, ipſe me ſpernit.* Qui ſi etiam, quod abſit, malè viuat, cùm benè præcipiat; non eſt tamen ex vitio hominis ſententia contemnenda Dei. De quolibet ipſemet præcipit, dicens: *Quæ dixerint vobis ſeruate, & facite: ſecundum verò opera eorum nolite facere.* Hanc autem ad Deum ſpiritalem à ſeculo conuerſionem ipſemet diligenter deſcribit,dicens: *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et iterum: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam,non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hoc autem eſt odire patrem vel matrem, affectiones carnalium propinquitatum nolle ſequi; ſicut & odire animã ſuam eſt voluntatem propriam ſequi nolle. Quod alibi quoque præcipit, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sic enim propinquantes

Digitized by Google

poſt eum venimus, hoc eſt eum maximè imitando ſequimur, qui ait: *Non veni facere voluntatem meã, ſed eius qui miſit me.* Ac ſi diceret, cuncta per obedientiam agere. Quid enim, *abneget ſemetipſum*, niſi carnales affectiones propriámque voluntatẽ poſtponere, & alieno, non ſuo regendum arbitrio ſe committere? Et ſic profectò crucem ſuam non ab alio ſuſcipit, ſed ipſemet tollit; per quam ſcilicet ei mundus crucifixus ſit, & ipſe mundo: cùm ſpontaneo propriæ profeſſionis voto mundana ſibi & terrena deſideria interdicit, quod eſt voluntatẽ propriam non ſequi. Quid enim carnales aliud appetunt, niſi implere quod volunt? Et quæ eſt terrena delectatio, niſi propriæ voluntatis impletio, etiam quando id quod volumus labore maximo ſiue periculo agimus? Aut quid eſt aliud crucem ferre, id eſt cruciatum aliquem ſubſtinere, niſi contra voluntatem noſtram aliquid fieri, quantumcumque illud videatur facile nobis eſſe vel vtile? Hinc alius Ieſus longè inferior in Eccleſiaſtico admonet, dicens: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Cùm verò ita tam rebus noſtris quàm nobis ipſis penitus renuntiamus, tũc verè omni proprietate abiecta vitam illam Apoſtolicam inimus, quæ omnia in commune reducit, ſicut ſcriptũ eſt: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Act. 4. Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat. Sed erant illis omnia communia. Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat, non enim æqualiter omnes egebãt: & ideò non æqualiter omnibus diſtribuebatur, ſed ſingulis prout opus erat. Cor vnum fide, quia corde creditur. Anima vna, quia eadem ex charitate voluntas adinuicem, cùm hoc vnuſquiſque alij quod ſibi vellet, nec ſua magis quàm aliorum commoda quæreret, vel ad communem vtilitatem ab omnibus omnia referrentur: nemine quæ ſua ſunt, ſed que Ieſu Chriſti quærente ſeu affectante. Alioquin nequaquam ſine proprietate viueretur, quæ magis in ambitione, quàm in poſſeſſione conſiſtit. Otioſum verbum ſeu ſuperfluum idem eſt quod multiloquium. Vnde Auguſtinus Retractationũ lib. 1. *Abſit*, inquit, *vt multiloquiũ deputem quando neceſſaria dicuntur, quantalibet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur.* In proœm. Hinc autem per Salomonem dicitur: *In multiloquio non deerit pecca-* Prouerb. 10.

tum. Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. Multum ergo cauendum eſt in quo peccatum non deeſt,& tantò ſtudioſius huic morbo prouidendum eſt,quantò periculoſius & difficilius euitatur. Quod beatus prouidens Benedictus: *Omni tempore*, inquit, *ſilentio debent ſtudere Monachi.* Plus quippè eſſe conſtat ſilentio ſtudere quàm ſilentium habere. Eſt enim ſtudium vehemens applicatio animi ad aliquid gerendum. Multa vero negligenter agimus vel inuiti, ſed nulla ſtudiosè niſi volentes vel intenti. Quantum verò difficile ſit vel vtile linguam refrenare, Apoſtolus Iacobus diligenter attendens, ait: *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Idem ita: *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentum, & cæterorum, domantur, & domita ſunt à natura humana.* Qui ſimul conſiderans quanta ſit in lingua malorum materia, & omnium bonorum conſumptio,ſuprà ſic & infrà loquitur: *Lingua quidem modicum membrum, quantus ignis, quàm magnam ſiluam incendit: vniuerſitas iniquitatis, inquietum malum, plenum veneno mortifero.* Quid autem veneno periculoſius vel cauendum amplius? Sicut ergo venenum vitam extinguit, ſic loquacitas religionem penitus euertit. Vnde idem ſuperiùs: *Si quis putat ſe*, inquit, *religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuũ, huius vana eſt religio.* Hinc & in Prouerbijs ſcriptum eſt. *Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu: ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Hoc ille ſenex diligenter conſiderabat, qui de loquacibus fratribus ei in via ſociatis Antonio dicente, *Bonos fratres inueniſti tecum Abba:* Reſpondit, *Boni ſunt ſiquidem, ſed habitatio eorum non habet ianuam. Quicumque vult intrat in ſtabulum, & ſoluit aſinum.* Quaſi enim ad præſepe Domini anima noſtra ligatur, ſacræ ſe meditationis in eo quadam ruminatione reficiens, à quo quidem præſepi ſoluitur,atque huc & illuc toto mundo per cogitationes diſcurrit,niſi eam clauſura taciturnitatis retineat. Verba quippè intellectum animæ immittunt, vt ei quod intelligit intendat, & per cogitationem hæreat. Cogitatione verò Deo loquimur, ſicut verbis hominibus. Dumque huc verbis hominum intendimus, neceſſe eſt vt indè ducamur. Nec Deo ſimul & hominibus intendere valemus. Nec ſolum otioſa, verum etiam quæ vtilitatis aliquid habere videntur vitanda

Regul. c. 42.

Iacob. 13.

Ibidem.

Iacob. 1.

Prouer. 25.

Vit. patr. part. 2. Lib. de continent.

Digitized by Google

ſunt verba, eò quòd facile à neceſſarijs ad otioſa, ab otioſis ad noxia veniatur. *Lingua* quippè, vt Iacobus, ait, *inquietum malum*, quo cæteris minor eſt aut ſubtilior membris, tantò mobilior & cæteris motu laceſcentibus, ipſa cùm non mouetur fatigatur, & quies ipſa ei fit oneroſa. Quæ quanto in nobis ſubtilior, & ex mollitie corporis noſtri flexibilior, tantò mobilior & in verba pronior exiſtit, & omnis malitiæ ſeminarium patet. Quod in vobis præcipuè vitium Apoſtolus notans, omninò feminis in Eccleſia loqui interdicit, nec de ijs etiam quæ ad Deum pertinent, niſi domi viros interrogare permittit. Et in ijs etiam diſcendis, vel quibuſcumque faciendis, ſilentio eas præcipuè ſubijcit, Timotheo ſuper his ita ſcribens: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.* Quod ſi laicis & coniugatis feminis ita de ſilentio prouiderit, quid vobis eſt faciendum? Qui rurſus eidem cur hoc præceperit innuens, verboſas eas & loquentes cùm non oportet arguit. Huic igitur tantæ peſti remedium aliquod prouidentes, his ſaltem penitus locis vel temporibus linguam continua taciturnitate domemus: in oratione ſcilicet, in clauſtro, dormitorio, refectorio, & in omni comeſtione & coquina: & poſt Completorium deinceps hoc maximè ab omnibus obſeruetur. Signis verò his locis vel temporibus, ſi neceſſarium eſt, pro verbis vtamur. De quibus etiam ſignis docendis ſeu addiſcendis diligens habeatur cura, per quæ etiam ſi verbis quoque opus eſt, ad colloquium inuitetur loco congruo, & ad hoc inſtituto. Et expletis breuiter verbis illis neceſſarijs, redeatur ad priora, vel quod oportunum eſt fiat. Nec tepidè corrigatur verborum aut ſignorum exceſſus, ſed verborum præcipuè, in quibus maius imminet periculum. Cui profectò multo magnoque periculo & beatus Gregorius ſuccurrere vehementer cupiens, VII. Moralium lib. ſic nos inſtruit: *Dum otioſa*, inquit, *verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus. Hinc ſeminantur ſtimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax tota extinguitur cordium.* Vnde benè per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum.* Aquam quippe dimittere, eſt linguam in fluxum eloquij relaxare. Quo contrà & in bonam partem aſſerit dicens: *Aqua profunda ex ore viri.* Qui ergo dimittit aquam, caput eſt

Cap. 18. in cap. 6. Iob.

Prouer.

Digitized by Google

iurgiorum: quia qui linguam non refrenat, concordiam diſſipat. Vnde ſcriptum eſt: *Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.* Ex quo nos manifeſtè admonet, in hoc præcipuè vitio corrigendo diſtrictiſſimam adhibere cenſuram: ne eius vindicta vllatenus differatur, & per hoc maximè religio periclitetur. Hinc quippe detractiones, lites, conuitia, & nonnunquam conſpirationes, & coniurationes germinantes, totum religionis ædificium non tam labefactant quàm euertunt. Quod quidem vitium cùm amputatum fuerit, non omnino fortaſſe prauæ cogitationes extinguntur, ſed ab alienis ceſſabunt corruptelis. Hoc vnum vitium fugere, quaſi religioni ſufficere arbitraretur * Abbas Macharius, admonebat, ſicut ſcriptum eſt, his verbis: *Abbas Macharius maior in Scyti dicebat, fratribus, Poſt Miſſas Eccleſias fugite fratres. Et dixit ei vnus fratrum, Pater vbi habemus fugere ampliùs à ſolitudine iſta? Et ponebat digitum ſuum in ore ſuo, dicens: Iſtud eſt quod fugiendum dico. Et ſic intrabat in Cellam ſuam, & claudens oſtiũ ſedebat ſolus.* Hæc verò ſilentij virtus, quæ, vt ait Iacobus, perfectum hominem reddit, & de qua Eſaias prædixit, *Cultus iuſtitiæ ſilentium*, tanto à ſanctis Patribus feruore eſt arrepta, quòd ſicut ſcriptum eſt, Abbas Agatho per triennium lapidem in ore ſuo mittebat, donec taciturnitatem diſceret.

QVAMVIS locus non ſaluet, multas tamen præbet opportunitates ad religionem faciliùs obſeruandam, & tutiùs muniendam. Et multa religionis auxilia vel impedimenta ex eo conſiſtunt. Vnde & filij Prophetarum, quos, vt ait Hieronymus, Monachos legimus in veteri Teſtamento, ad ſolitudinis ſecretum ſe tranſtulerunt, præter fluẽta Iordanis caſulas ſuas conſtituentes. Ioannes quoque & diſcipuli eius, quos etiam propoſiti noſtri principes habemus, & deinceps Paulus, Anthonius, Macharius, & qui præcipuè in noſtro floruerũt propoſito, tumultum ſeculi & plenum tentationibus mundum fugientes, ad quietem ſolitudinis lectulum ſuæ contemplationis contulerunt; vt videlicet Deo poſſent ſinceriùs vacare. Ipſe quoque Dominus, ad quem nullus tentationis motus acceſſum habebat, ſuo nos erudiens exemplo, cùm aliqua vellet agere præcipuè ſecreta petebat, & populares declinabat tumultus. Hinc ipſe Dominus nobis quadraginta dierum abſtinentia heremum conſecrauit, turbas in heremo refecit,

& ado-

& ad orationis puritatem non ſolum à turbis, verùmetiam ab Apoſtolis ſecedebat. Ipſos quoque Apoſtolos & in monte ſeorſum inſtruxit, atque conſtituit, & transfigurationis ſuæ gloria ſolitudinem inſigniuit, & exhibitione reſurrectionis ſuæ diſcipulos communiter in monte lætificauit, & de monte in cœlum aſcẽdit, & cætera quæcumque magnalia in ſolitudinibus vel ſecretis operatus eſt locis. Qui etiam Moyſi vel antiquis patribus in ſolitudinibus apparens, & per ſolitudinẽ ad terram promiſſionis populum tranſducens, ibique populo diu detento legem tradens, manna pluens, aquam de petra educens, crebris apparitionibus ipſum conſolans, & mirabilia operans, patenter docuit quantam eius ſingularitas ſolitudinem pro nobis amet, cui puriùs in ea vacare poſſumus. Qui etiam libertatem myſticè onagri ſolitudinem amantis diligenter deſcribens, & vehementer approbans, ad beatum Iob loquitur, dicens: *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedit in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuis, clamorem exactoris non audit, circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.* Ac ſi apertè dicat, quis hoc fecit niſi ego? Onager quippè, quem ſilueſtrem aſinum vocamus, Monachus, eſt, qui ſecularium rerum* vinculis abſolutus ad tranquillam vitæ ſolitariæ libertatem ſe contulit, & ſeculum fugiens in ſeculo non remanſit. Hinc in terrâ ſalſuginis habitat, cùm membra eius per abſtinentiam ſicca ſunt & arida. Clamorem exactoris non audit, ſed vocem, quia ventri non ſuperflua, ſed neceſſaria impendit. Quis enim tam importunus exactor, & quotidianus exactor quàm venter? Hic clamorem, id eſt immoderatam poſtulationem habet in ſuperfluis & delicatis cibis, in quo minimè eſt audiendus. Montes paſcuæ ſunt illi vitæ vel doctrinæ ſublimium Patrum, quas legendo & meditando reficimur. Virentia quæque dicit vniuerſa vitæ cæleſtis & immarceſſibilis ſcripta. Ad quod nos præcipuè beatus Hieronymus exhortans, ſic Heliodoro ſcribit Monacho: *Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba qui ſolus es?* Idem & noſtram à Clericorum vita diſtinguens, ad Paulum Preſbyterum ſcribit his verbis: *Si officium vis exercere Presbyteri, ſi Epiſcopatus te vel opus vel onus forte delectat, viue in vrbibus & caſtellis, & aliorum ſalutem fac lucrum*

Iob. 32.

* *al.* virorũ *& in aliq.* vitiorum

To. 1. ep. 2.

To. 1. ep. 15.

Digitized by Google

animæ tuæ. Si cupis esse quod diceris, Monachus, id est solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Habet vnumquodque propositum principes suos. Et vt adnostram veniamus, Episcopi & Presbyteri habeant ad exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri Principes Paulos, Anthonios, Hilariones, Macharios. Et vt ad scripturarum materiam redeã nostер princeps Helyas, nostер Helisæus, nostri duces & filij
4. Reg. 6. Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudine, & faciebant sibi tabernacula præter fluenta Iordanis. De ijs sunt & illi filij Rechab qui vinum & siceram non bibebant, qui
Hierem. 15. morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur, quòd non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino. Et nos ergo, vt coram Domino stare, & eius obsequio parati magis valeamus adsistere, tabernacula nobis erigamus in solitudine, ne lectulum nostræ quietis frequentia hominum concutiat, quietem turbet, ingerat tentationes, mentẽ à sancto euellat proposito. Ad quam quidem liberam vitæ tranquillitatẽ beatum Arseniũ Domino dirigente omnibus in vno manifestum datum est exemplũ. Vnde & scriptum est: *Abbas Arsenius cùm adhuc esset in palatio, orauit ad Dominum, dicens: Domine dirige me ad salutem. Et venit ei vox dicens: Arseni fuge homines, & sanaberis.* Idem ipse: *Ac discedens ad Monachalem vitam rursum orauit eumdem sermonem, dicens: Domine dirige me ad salutem. Audiuitque vocem dicentem Asibi: Arseni fuge, tace, quiesce. Hæ enim sunt radices non peccandi.* Ille igitur hac vna diuini præcepti regula instructus non solùm homines fugit, sed eos etiam à se fugauit. Ad quem Archiepiscopo suo cum quodam iudice quadam die venientibus, & ædificationis sermonem ab eo requirentibus, ait: *Et si dixero vobis, custodietis?* Illi autem promiserunt se custodire. Et dixit eis: *Vbicumque audieritis Arsenium, approximare nolite.* Alia iterum vice Archiepiscopus eum visitans, misit primò videre si aperiret. Et mandauit ei, dicens: *Si venis aperio tibi, sed si tibi aperuero, omnibus aperio, & tunc iam vltra hic non sedeo.* Hæc audiens Archiepiscopus, dixit: *Si eum persecuturus vado, nunquam vadam ad hominem sanctum.* Cuius etiam sanctitatem cuidã Romanæ matronæ visitanti, dixit: *Quomodo præsumpsisti*

Vit. Patr. par. 1. lib. de quiete.

Digitized by Google

tantam nauigationem assumere? Nescis quia mulier es, & non debes exire quoquam, aut vt vadas Romam, & dicas alijs mulieribus, quia vidi Arsenium; & faciant mare viam mulierum venientium ad me? Illa autem dixit: *Si voluerit me Dominus reuerti Romam, non permitto aliquem venire huc. Sed ora pro me, & memor esto mei semper.* Ille autem respondens, dixit ei: *Oro Deum vt deleat memoriam tui de corde meo.* Quæ audiens hæc, egressa est turbata. Hic quoque, sicut scriptum est, à Marco Abbate requisitus cur fugeret homines, respondit: *Scit Deus quia diligo homines, sed cum Deo pariter & hominibus esse non possum.* Intantum verò sancti Patres conuersationem hominum atq; notitiã abhorrebant, vt nonnulli eorũ vt illos à se penitus remouerent, insanos se fingerent; &, quod dictu mirabile est, hæreticos etiã se profiterentur. Quod si quis voluerit, legat in vitis Patrũ de Abbate Symone, qualiter se præparauit Iudici Prouinciæ ad se venienti: qui se videlicet sacco cooperiens, & tollens in manu sua panem & caseum, sedit in ingressu cellæ suæ, & cœpit manducare. Legat & de illo Anachoreta, qui cùm quosdã sensisset obuiam sibi cum lampadibus occurrere, exspolians se vestimenta sua, misit in flumen; & stans nudus cœpit ea lauare. Ille autem qui ministrabat ei hæc videns, erubuit, & rogauit homines, dicens: *Reuertimini, quia senex noster sensum perdidit.* Et veniens ad eum dixit ei: *Quid hic feciſti Abba? Omnes enim qui te viderunt dixerunt, quia dæmonium habet senex.* Ille autem respondit. *Et ego hoc volebam audire.* Legat insuper & de Abbate Moyse, qui vt à se penitus iudicem prouinciæ remoueret, surrexit vt fugeret in palude. Et occurrit ei ille iudex cum suis, & interrogauit eum, dicens: *Dic nobis senex vbi est Cella Abbatis Moysi?* Et dixit eis: *Quid vultis eum inquirere? homo fatuus est & hæreticus.* Quid etiam de Abbate Pastore, qui nec se à iudice prouinciæ videri permisit, vt sororis suæ supplicantis filium de carcere liberaret? Ecce potentes seculi cum magna veneratione & deuotione sanctorum præsentiam postulant, & illi etiam cum summo sui dedecore eos penitus à se repellere studẽt. Vt autem sexus etiam vestri in hac re virtutem cognoscatis, quis dignè prædicare sufficiat virginem illam, quæ beatissimi quoque Martini visitationem respuit, vt vacaret contemplationi? Vnde ad Oceanum monachum Hieronymus scribens: *In beati*, inquit, *Martini vita le-*

Vit. Patr. par. 4 cap. de æterno & par. 2. de charitate.

Vit. Patr. par. 2. lib. de ostentat.

Ibidem, §. 111. & par. 4. cõtra Vanã gloriam.

Vit. Patr. par. 2. lib. de ostentat.

Ibidem.

Tom. 1. Epist. 51.

Digitized by Google

gimus commemoraſſe Sulpitium, quòd tranſiens ſanctus Martinus virginem quandam moribus & caſtitate præcelſam cupiẽs ſalutare, illa noluit, ſed exeniũ miſit, & per feneſtram reſpiciens, ait ſancta viro: Ibi pater ora, quia nunquam à viro ſum viſitata. Quo audito gratias egit Deo ſanctus Martinus, quòd talibus imbuta moribus caſtam cuſtodierit voluntatem. Benedixit eam & abijt lætitia plenus.* Hæc reuera de contemplationis ſuæ lectulo ſurgere dedignata vel verita, pulſanti ad oſtium amico parata erat dicere: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* O quantæ ſibi imputarent iniuriæ Epiſcopi vel Prælati huius temporis, ſi hanc ab Arſenio vel ab hac virgine repulſam pertuliſſent! Erubeſcant ad iſta, ſi qui nũc in ſolitudine morãtur Monachi, cũ Epiſcoporũ frequẽtia gaudẽt, cũ eis proprias, in quibus ſuſcipiãtur, fabricant domos: cum ſeculi potẽtes, quos turba comitatur, vel ad quos confluit, non ſolùm non fugiunt, ſed adſciſcũt, & occaſione hoſpitum domos multiplicantes, quam quæſierunt ſolitudinem redigunt in ciuitatem. Hac profectò antiqui & callidi tentatoris machinatione omnia ferè huius temporis Monaſteria, cùm priùs in ſolitudine conſtituta fuiſſent, vt homines fugerentur, poſtea feruore religionis refrigeſcẽte homines adſciuerunt, & ſeruos atque ancillas congregantes, villas maximas in locis Monaſticis conſtruxerunt; & ſic ad ſeculum redierunt, imò ad ſe traxerunt ſeculum. Qui ſe miſerijs maximis implicantes, & maximæ ſeruituti tam Eccleſiaſticarum quàm terrenarum poteſtatum alligantes, dum otioſè appeterent viuere, & de alieno victitare labore, ipſum quoque Monachi, hoc eſt ſolitarij nomen pariter amiſerunt & vitam. Qui etiam ſæpè tantis vrgentur incommodis, vt dum ſuos & res eorum tutari laborant, proprias amittant, & fræquenti incendio vicinarum domorũ ipſa quoque Monaſteria cremantur. Nec ſic tamen ambitio refrenatur. Hi quoque diſtrictionem Monaſterij qualemcumque non ferentes, ac per villas, caſtella, ciuitates ſeſe diſpergentes, biníque vel terni, aut etiam ſinguli ſine aliqua obſeruatione regulæ victitantes; tantò ſecularibus deteriores ſunt hominibus, quantò à profeſſione ſua ampliùs apoſtatantur. Qui habitationum quoque ſuarũ ſicut & ſua abutentes, Obedientias loca ſua nominant, vbi nulla regula tenetur, vbi nulli rei niſi ventri & carni obeditur, vbi cum propinquis vel familia-

Digitized by Google

ribus ſuis manentes, tantò liberiùs agunt quod volunt, quantò minus à conſcientijs ſuis verentur. In quibus profectò impudentiſſimis apoſtatis exceſſus illos criminales eſſe dubium non eſt, qui in cæteris veniales ſunt hominibus. Qualiũ omninò vitam non ſolum attingere, ſed nec audire ſubſtineatis. Veſtræ verò infirmitati tantò magis eſt ſolitudo neceſſaria, quantò carnalium tentationum bellis minus hic infeſtamur, & minus ad corporalia per ſenſus euagamur. Vnde & beatus Antonius: *Qui ſedet*, inquit, *in ſolitudine, & quieſcit, à tribus bellis eripitur, id eſt auditus, locutionis, & viſus: & contrà vnum tantummodò habebit pugnam, id eſt cordis.* Has quidem vel cæteras Heremi commoditates inſignis Eccleſiæ Doctor Hieronymus diligenter attendens, & ad eas Heliodorum Monachum vehementer adhortans, exclamat dicens: *O heremus familiari Deo gaudens! Quid agis frater in ſeculo, qui maior es mundo?* Nunc verò quia vbi conſtrui Monaſteria conuenit diſſeruimus: qualis & ipſa loci poſitio eſſe debeat oſtendamus. Ipſi autem Monaſterij loco conſtituendo, ſicut quoque beatus conſulũit Benedictus, ita ſi fieri poteſt prouidendum eſt, vt intra Monaſterij ſepta contineãtur illa maximè quæ Monaſterijs ſunt neceſſaria, id eſt hortus, aqua, molendinum, piſtrinum cum furno, & loca quibus quotidiana ſorores exerceant opera, ne foras vagandi detur occaſio.

Vit. Patr. par. 2. lib. de quinte.

Tom. 1. Epiſt. 1.

Regul. c. 66.

SICVT in caſtris ſeculi, ita & in caſtris Domini, id eſt Congregationibus Monaſticis conſtituendi ſunt, qui præſint cæteris. Ibi quippè imperator vnus, ad cuius nutum omnia gerantur, præeſt omnibus. Qui etiam pro multitudine exercitus vel diuerſitate officiorum ſua nonnullis impertiens onera, quoſdam ſub ſe adhibet magiſtratus, qui diuerſis hominum cateruis aut officijs prouideant. Sic & in Monaſterijs fieri neceſſe eſt, vt ibi vna omnibus præſit matrona, ad cuius conſiderationem atque arbitrium omnes reliquæ omnia operentur, nec vlla ei in aliquo præſumat obſiſtere, vel etiam ad aliquod eius præceptum murmurare. Nulla quippè hominum Congregatio vel quantulacumque domus vnius familia conſiſtere poteſt incolumis, niſi vnitas in ea conſeruetur: vt videlicet totum eius regnum in vnius perſonæ magiſterio * conſiſtat. Vnde & Arca typum Eccleſiæ gerens

* *al* miniſterio

Digitized by Google

cùm multos tam in longo quàm in lato cubitos haberet, in vno conſummata eſt. Et in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Propter peccata terræ multi Principes eius.* Vnde etiam Alexandro mortuo, multiplicatis Regibus mala quoque multiplicata ſunt. Et Roma pluribus communicata Rectoribus concordiam tenere non potuit. Vnde Lucanus in primo ſic meminit,

Prouerb. 28. Matth. 1.

Lucanus lib. 1.

Tu cauſa malorum
Facta tribus Dominus Roma, nec vnquam
In turbam miſſi feralia fœdera regni.

Et poſt pauca,

Dum terra fretum, terramque leuabit
Aer; & longi voluent Titana labores,
Noxque diem cælo totidem per ſigna ſequetur:
Nulla fides regni ſocijs, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit

Tales profectò & illi erant diſcipuli ſancti Frontonij Abbatis, quos ipſe in ciuitate, in qua natus eſt, cùm vſque ad ſeptuaginta congregaſſet, & magnam ibidem gratiam tam apud Deum quàm apud homines adeptus eſſet, relicto Monaſterio ciuitatis cum mobilibus rebus nudos ſecum ad heremum traxit. Qui poſtmodum more Iſraelitici populi aduerſus Moyſem conquerentis, quòd eos etiam de Ægypto relictis ollis carnium & abundantia terræ in ſolitudinem eduxiſſet, murmurantes incaſſum dicebant: *Nunquid ſola in heremo caſtitas, quæ in vrbibus non eſt? Cur itaque non in ciuitatem reuertimur, de qua ad tẽpus exiuimus? An in heremũ ſolum Deus exaudiet orantes? Quis cibo Angelorum viuat? Quem pecorum & ferarum delectat fieri ſocium? Quanta nos habet neceſsitas hic morari? Cur itaque non regreſſi in locum, in quo nati ſumus, benedicimus Dominum?* Hinc & Iacobus admonet Apoſtolus: *Nolite*, inquit, *plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis.* Hinc quoque Hieronymus ad Ruſticũ Monachum de inſtitutione vitæ ſcribens: *Nulla*, inquit, *ars abſque magiſtro diſcitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus vnam præcedentem reliquæ ſubſequuntur. Grues vnum ſequũtur ordine literato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita eſt duos fratres ſimul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Eſau & Iacob bella geſſerunt. Singuli eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbiteri, ſinguli Archidiaconi,*

To. 1. ep. 4.

Digitized by Google

& omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur. In naue vnus gubernator. In domo vnus Dominus. In quamuis grãdi exercitu vnius ſignum ſpectatur. Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in Monaſterio ſub vnius diſciplina Patris conſortioque multorum.

VT igitur in omnibus concordia ſeruari poſſit, vnam omnibus præeſſe conuenit, cui per omnia omnes obediant. Sub hac etiam quaſi magiſtratus quoſdam nonnullas alias perſonas, prout ipſa decreuerit, conſtitui oportet. Quæ quibus officijs ipſa præceperit, & quantum voluerit præſint, vt ſint videlicet iſtæ quaſi Duces vel Conſules in exercitu Dominico: reliquæ autem omnes tanquam milites vel pedites, iſtarũ cura eis præuidente, aduerſus malignum eiuſque ſatellites liberè pugnent. Septem verò perſonas ex vobis ad omnem monaſterij adminiſtrationem neceſſarias eſſe credimus atque ſufficere, Portariam ſcilicet, Cellerariam, Veſtiariam, Infirmariam, Cantricem*, Sacriſtam, & ad extremum Diaconiſſam, quam nunc Abbatiſſam nominant. In his itaque caſtris, & diuina quadam militia ſieut ſcriptum eſt, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*: & alibi, *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*, vicem imperatoris, cui per omnia obeditur ab omnibus, obtinet Diaconiſſa. Sex verò aliæ ſub ea, quas dicimus Officiales, Ducum ſiue Conſulum loca poſſident. Omnes verò reliquæ Moniales, quas vocamus clauſtrales, militum more diuinum peragunt expeditè ſeruitium. Conuerſæ autem, quæ etiam ſeculo renunciantes, obſequio Monialium ſe dicarunt, habitu quodam religioſo, non tamen monaſtico, quaſi pedites inferiorem obtinent gradum.

* *al.* Cartaticem, *ſed malè.*

Iob. 7.

NVNC verò ſupereſt Domino inſpirãte huius militiæ gradus ſingulos ordinare, vt aduerſus impugnationes dæmonũ verè ſit quod dicitur *caſtrorum acies ordinata*. Ab ipſo, inquam, vt dictum eſt capite, quod Diaconiſſam dicimus, huius inſtitutionis ducentes exordium, de ipſa primitus diſponamus, per quam ſunt omnia diſponenda. Huius verò ſanctitatem, ſicut in præcedẽti meminimus Epiſtola, beatus Paulus Apoſtolus Timotheo ſcribẽs, quam eminẽtem & probatam oporteat eſſe diligenter deſcribit, dicens: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pe-*

1. Tim. 5.

Digitized by Google

des lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentes autẽ viduas deuita. Idẽ supra de Diaconissis, cùm etiam Diaconorum instituerat vitam: *Mulieres*, inquit, *similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.* Quæ quidem omnia quid intelligentiæ vel rationis habeant quantum æstimamus, Epistola præcedente nostra satis disseruimus. Maximè cur eam Apostolus vnius viri & prouectæ velit esse ætatis. Vnde non mediocriter miramur quomodo perniciosa hæc in Ecclesia consuetudo inoleuit, vt quæ virgines sunt potius quàm quæ viros cognouerunt ad hoc eligantur, & frequenter iuniores senioribus præficiantur. Cùm tamen Ecclesiastes dicat: *Væ tibi terra, cuius Rex puer est*: Et cùm illud beati Iob omnes pariter approbemus, *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Hinc & in Prouerbijs scriptum est: *Corona dignitatis senectus, quæ in vijs iustitiæ reperietur.* Et in Ecclesiastico: *Quàm speciosum canitiei iudicium, & à Presbyteris cognoscere consilium. Quàm speciosa veterani sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium, Corona senum. Multa peritia & gloria illorum timor Dei.* Item: *Loquere maior natu, decet enim te. Adolescens loquere in tua causa vix cùm necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens, & loqui in medio magnatorum* *non præsumas, *& vbi sunt senes non multũ loquaris.* Vnde & Presbyteri qui in Ecclesia populo præsunt seniores interpretantur, vt ipso quoque nomine quales esse debeant doceatur. Et qui Sanctorum vitas scripserunt, quos nunc Abbates dicimus senes appellabãt. Modis itaque omnibus prouidendum est vt in electione vel cõsecratione Diaconissæ consilium præcedat Apostoli, vt videlicet talis eligatur, quæ cæteris vita & doctrina præesse debeat, & ętate quoque morum maturitatem polliceatur, & quæ obediendo meruerit imperare, & operando magis quàm audiendo Regulam didicerit, & firmius nouerit. Quæ si literata non fuerit, sciat se non ad Philosophicas scholas, vel disputationes Dialecticas, sed ad doctrinam vitæ & operum exhibitionem accommodari. Sicut de Domino scriptum est: *Qui cœpit facere & docere*, priùs videlicet facere, postmodum docere. Quia melior atq; perfectior est doctrina operis, quàm sermonis; facti, quàm verbi. Quod diligenter attẽdamus, vt scriptũ est.

Eccles. 10. *Iob, 12.* *Prouer. 16.* *Eccles. 25.* *Eccles. 32.* *Ibidem,* *al magnatum *1. Tim. 5.* *Act. 1.*

eſt. Dixit Abbas Ipitius*, *Ille eſt verè ſapiens, qui facto ſuo alios docet, non qui verbis.* Nec parum conſolationis & confidentiæ ſuper hoc affert. Attendatur & illa quoque beati Antonij ratio, qua verboſos confutauit Philoſophos, eius videlicet tanquam idiotæ & illiterati hominis magiſterium irridentes. *Et reſpondete*, inquit, *mihi, quid priùs eſt ſenſus, an litera; & quid cuius exordium eſt, ſenſus ex literis, an literæ oriuntur ex ſenſu?* Illis aſſerentibus quia ſenſus eſſet author atque inuentor literarum, ait: *Igitur cui ſenſus incolumis eſt, hic literas non requirit.* Audiat quoque illud Apoſtoli & confortetur in Domino: *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* Et iterum: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus vt confundat ſapientes, & infirma elegit Deus vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, vt ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt deſtruat, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Non enim, ſicut ipſe poſtmodum dicit, in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Quod ſi de aliquibus meliùs cognoſcendis ad ſcripturam reuertendum eſſe cenſuerit, à litteratis hoc requirere & addiſcere non erubeſcat, nec in his literarum documenta contemnat; ſed deuotè & diligenter ſuſcipiat, cùm ipſe quoque Apoſtolorum Princeps coapoſtoli ſui Pauli publicã correctionem * diligenter exceperit. Vt enim beatus quoque meminit Benedictus, ſæpè minori reuelat Dominus quod melius eſt. Vt autem amplius Dominicam ſequamur prouidentiam quam Apoſtolus quoque ſupra memorauit, nunquã de nobilibus aut potentibus ſeculi, niſi maxima incumbente neceſſitate, & certiſſima ratione, fiat hæc electio. Tales namque de genere ſuo facile confidentes, aut gloriantes, aut præſumptuoſæ, aut ſuperbæ fiunt: & tunc maximè quando indigenæ ſunt, earum prælatio pernitioſa fit Monaſterio. Verendum quippe eſt ne vicinia ſuorum eam præſumptiorem reddat, & frequentia ipſorum grauet aut inquietet monaſteriũ, atque ipſa per ſuos religionis perferat detrimentum, aut alijs veniat in contemptum: iuxta illud Veritatis, *Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua.* Quod beatus quoque prouidens Hieronymus, ad Heliodorum ſcribens, cùm pleraque annumeraſſet, quæ Monachis officiunt in ſua morantibus patria: *Ex hac*, inquit, *ſupputatione illa ſumma naſcitur, Monachum in patria ſua perfectum eſſe non poſſe. Perfectum eſſe autem nolle delin-*

* Ipericius

Athanaſ. in vita Anton.

2. Cor. 1. Ibidem.

1. Cor. 4.

Galat. 2.

* al. correptionem

Digitized by Google

quere eſt. Quantum verò eſt animarum damnum, ſi minor in religione fuerit, quæ religionis præeſt magiſterio ? Singulis quippè ſubiectis ſingulas virtutes exhibere ſufficit. In hac autem omnium exempla debent eminere virtutum, vt omnia quæ alijs præceperit proprijs præueniat exemplis; ne ipſa quæ præcipit moribus oppugnet, & quod verbis ædificat, factis ipſa deſtruat, & de ore ſuo verbum correctionis auferatur; cùm ipſa in alijs erubeſcat corrigere, quæ conſtat eam committere. Quod quidem Pſalmiſta ne ei eueniat Dominum precatur, dicens: *Et ne auferas de ore meo veritatem vſquequaque.* Attendebat quippè illam grauiſſimam Domini increpationem, de qua & ipſe alibi meminit dicens: *Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos retro.* Quod ſtudioſe præcauens Apoſtolus; *Caſtigo*, inquit, *corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* Cuius quippè vita deſpicitur, reſtat vt & prædicatio vel doctrina contemnatur. Et cùm curare quis alium debeat, ſi in eadem laborauerit infirmitate, rectè ipſi ab ægroto improperatur: *Medice cura teipſum.* Attendat ſollicitè quiſquis Eccleſiæ præeſſe videtur, quantam ruinam caſus eius præbeat, cùm ipſe ad præcipitum ſecum pariter ſubiectos trahat. *Qui ſoluerit*, inquit Veritas, *vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Soluit quippè mandatum, qui contra agendo infringit ipſum, & exemplo ſuo corrumpens alios in cathedra peſtilentiæ Doctor reſidet. Quod ſi quiſlibet hoc agens minimus habendus eſt in regno cœlorum, hoc eſt in Eccleſia præſenti, quanti habendus eſt peſſimus prælatus à cuius negligentia non ſuæ tantum, ſed omnium ſubiectarum animarum ſanguinem Dominus requirit ? Vnde benè Sapientia talibus comminatur: *Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. Quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ. Horrēdè etiam citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia. Potentes autem potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Sufficit quippè vnicuique ſubiectarum animarum à proprio ſibi prouidere delicto.

1. Cor. 9.

Luc. 4.

Matth. 5.

Sapient. 6.

Digitized by Google

Prælatis autem & in peccatis alienis mors imminet. Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum ; & cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Cui quidem periculo tantò maximè prouidere in Prouerbijs admonemur, cùm dicitur: *Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnũ oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Prouerb. 6. Tũc enim pro amico ſponſionem facimus, cùm aliquem charitas noſtra in noſtræ congregationis cõuerſationem ſuſcipit. Cui noſtræ prouidentiæ curã promittimus, ſicut & ille nobis obedientiam ſuam. Et ſic quoque manũ noſtram apud eum defigimus, cùm ſollicitudinẽ noſtræ operationis erga eum ſpondendo conſtituimus. Tum & in manum eius incidimus, quia niſi nobis ab ipſo prouiderimus, ipſum animæ noſtræ interfectorem ſentiemus. Contra quod periculum adhibetur conſilium, cùm ſubditur, *diſcurre, feſtina, &c.* Nunc igitur huc, nunc illuc deambulans more prouidi & impigri Ducis, caſtra ſua ſollicitè giret, vel ſcrutetur, ne per alicuius negligentiam ei, qui tanquam leo circuit quærens quem deuoret, aditus pateat. Omnia mala domus ſuæ prior agnoſcat, vt ab ipſa prius poſſint corrigi quàm à cæteris agnoſci, & in exemplum trahi. Caueat illud quod ſtultis vel negligentibus beatus improperat Hieronymus: *Solemus mala domus noſtræ ſcire nouiſſimi, ac liberorum ac coniugum vitia vicinis canentibus ignorare.* 1. Petr. 5. Attendat quæ ſic præſidet, quia tam corporum quàm animarum cuſtodiam ſuſcepit. De cuſtodia verò corporum admonetur cùm dicitur in Eccleſiaſtico: *Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum, & non oſtendas faciem tuam hilarem ad illas.* Et iterum, *Filia patris abſcondita eſt, vigilia & ſollicitudo eius aufert ſomnum, nequando polluatur.* Polluimus verò corpora noſtra non ſolũ fornicando, ſed quodlibet indecẽs in ipſis operãdo tã lingua, quã alio mẽbro, ſeu quolibet mẽbro ſenſibus corporis ad vanitatẽ aliquã abutendo. Sicut ſcriptũ eſt: *Mors intrat per feneſtras noſtras*, hoc eſt peccatum ad animã per quinq; ſenſuum inſtrumenta. Quæ vero mors grauior, aut cuſtodia periculoſior, quàm animarum? *Nolite*, inquit Veritas, *timere eos qui occidunt corpus, animæ vero non habent quid faciant.* Matth. 10. Luc. 12. Si quis hoc au-

Digitized by Google

dit consilium, quis non magis mortem corporis quàm animæ timet? Quis non magis gladium quàm mendacium cauet? Et tamen scriptum est: *Os quod mentitur occidit animam.* Quid tam facilè interfici quàm anima potest? Quæ sagitta citiùs fabricari quàm peccatum valet? Quis sibi à cogitatione saltē prouidere potest? Quis proprijs peccatis prouidere sufficit, ne dum alienis? Quis carnalis pastor spiritales oues à lupis spiritalibus, inuisibiles ab inuisibilibus custodire sufficiat? Quis raptorem non timeat, qui infestare non cessat, quem nullo possumus excludere vallo, nullo interficere vel lædere gladio? quem incessanter insidiantem & maximè religiosos persequentem, iuxta illud Abbacuc, *escæ illius electæ*, Petrus Apostolus cauendum adhortatur, dicens: *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Cuius quanta sit præsumptio in deuoratione nostra, ipse Dominus beato Iob dicit: *Absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius.* Quid enim aggredi nō præsumat, qui ipsum quoque Dominum aggressus est tentare? Qui de Paradiso statim primos parentes captiuauit, & de Apostolico cœtu ipsum etiā, quem Dominus elegerat, Apostolum rapuit? Quis ab eo locus tutus, quæ claustra illi non sunt peruia? Quis ab eius insidijs prouidere, quis eius fortitudini valet resistere? Ipse est qui vno impulsu concutiens quatuor angulos domus sancti viri Iob, filios & filias innocētes oppressit & extinxit. Quid sexus infirmior aduersus ipsum poterit? Cui seductio eius tantùm timenda est, quantū feminæ? Hanc quippè ipse primum seduxit, & per ipsam virū eius pariter, & totam posteritatem captiuauit. Cupiditas maioris boni possessione minoris mulierem priuauit. Hac quoque arte nunc facilè mulierem seducet, cùm preesse magis quàm prodesse cupierit, rerum ambitione vel honoris ad hoc impulsa. Quod autē horum præcesserit sequentia probabunt. Si verò delicatiùs vixerit Prælata quàm subiecta, vel si supra necessitatem aliquid sibi peculiare vendicauerit, non dubium est hoc eam concupisse. Si pretiosiora postmodum quàm antea quæsierit ornamenta, profectò vana tumet gloria. Qualis priùs extiterit postmodum apparebit. Quod priùs exhibebat, vtrum virtus fuerit an simulatio, indicabit prælatio. Trahatur ad prælationem magis quàm veniat, di-

Digitized by Google

cente Domino: *Omnes quotquot veniunt, fures sunt & latrones.* Ioan. 10.
Venerunt, inquit Hieronymus, *non qui missi sunt.* Sumatur potiùs ad honorem quàm sibi sumat honorem. *Nemo* enim, in- Hebr. 5.
quit Apostolus, *sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* Vocata lugeat tanquam ad mortem deducta, repulsa gaudeat tanquam à morte liberata. Erubescimus ad verba quæ dicimus cæteris meliores. Cùm autem in electione nostra rebus ipsis hoc exhibetur, impudenter sine pudore sumus. Quis enim nesciat meliores cæteris præferendos? Vn- Greg. lib.
de lib. Moralium XXIIII. *Non debet autem hominum ducatum* 24. Moral. c.
suscipere, qui nescit homines bene admonendo increpare. Qui ad hoc 15. in Iob. 34
eligitur vt aliorum culpas corrigat, quod resecari debuit ipse committat. In qua tamen electione si forte hanc impudentiam aliquando leui verborum repulsa, tamen per aures oblatam recusamus dignitatẽ: hanc profecto in nos accusationem proferimus, quo iustiores & digniores videamur. O quot in electione sua flere vidimus corpore & ridere corde! Accusare se tanquam indignos, & per hoc gratiam sibi & fauorem humanum magis venari! attendentes quod scriptum est: *Iustus* Prouerb. 18.
prior accusator est sui. Quos postea cùm accusari contingeret, & se eis occasio cedendi offerret, importunissimè & impudentissimè suam sibi prælationem defendere nituntur, quam se inuitos suscepisse fictis lachrymis, & veris accusationibus sui monstrauerant. Quot in Ecclesijs vidimus Canonicos Episcopis suis reluctantes, cùm ab eis ad sacros Ordines cogerentur, & se indignos tantis ministerijs profitentes, nec omnino velle acquiescere? quos cum fortè Clerus ad Episcopatum postmodum eligeret, nullam aut leuem perpessus est repulsam? Et qui heri sicut aiebant animæ suæ periculum vitantes Diaconatum refugiebant, iam quasi vna nocte iustificati de altiore gradu præcipitium non verentur. De qualibus quidem in ipsis scriptum est Prouerbijs: *Homo stultus plau-* Prouer. 17.
det manibus cùm spoponderit pro amico. Tunc enim miser gaudet vnde potiùs ei lugendum esset, cùm ad regimen aliorum veniens in cura subiectorum propria professione ligatur, à quibus magis amari quàm timeri debet. Cui profectò pestilentiæ quãtum possumus prouidentes omninò interdicimus, ne delicatiùs aut molliùs viuat prælata quàm subiecta: ne priuatos habeat secessus ad comedendum vel dormiendum, sed

Digitized by Google

cum ſibi commiſſo grege cuncta peragat, & tantò eis amplius prouideat, quantò eis amplius præſens aſſiſtet. Scimus quidem beatum Benedictum de peregrinis & hoſpitibus maximè ſollicitum, menſam Abbatis cum illis ſeorſum conſtituiſſe. Quod licet tunc piè ſit conſtitutum, poſtea tamen vtiliſſima Monaſteriorum diſpenſatione ita eſt immutatum, vt Abbas à Conuentu non recedat, & fidelem diſpenſatorem peregrinis prouideat. Facilis quippè eſt inter epulas lapſus, & tunc diſciplinæ magis eſt inuigilandum. Multi etiam occaſione hoſpitum ſibi magis quàm hoſpitibus propitij ſunt, & hinc maxima ſuſpitione læduntur abſentes & murmurant. Et tantò Prælati minor eſt authoritas, quãtò eius vita ſuis eſt magis incognita. Tunc quoque tolerabilior omnibus quælibet habetur inopia, cùm ab omnibus æquè participatur, maximè verò à Prælatis. Sicut in Catone quoque didicimus. Hic quippe, vt ſcriptum eſt, populo ſecum ſitiente oblatum ſibi aquę paululum reſpuit & effudit, ſuffecítque omnibus.

CVM igitur Prælatis maximè ſobrietas ſit neceſſaria, tantò eis parciùs eſt viuendum, quantò per eos cæteris eſt prouidẽdum. Qui etiam ne donum Dei, hoc eſt prælationem ſibi conceſſam in ſuperbiam conuertant, & maximè ſubiectis per hoc inſultent, audiant quod ſcriptum eſt: *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi: Odibilis coram Deo & hominibus eſt ſuperbia. Sedes ducum ſuperborũ deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis. Rectorem te poſuerunt, noli extolli. Eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Et Apoſtolus Timotheum erga ſubiectos inſtruens: *Seniorem*, inquit, *ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, iuniores vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt ſorores. Non vos me*, inquit Dominus, *elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Vniuerſi alij Prælati à ſubiectis eliguntur, & ab eis creantur & conſtituuntur; quia non ad Dominum, ſed ad miniſterium adſumuntur. Hic autem ſolus verè eſt Dominus, & ſubiectos ſibi ad ſeruiendum habet eligere. Nec tamen ſe Dominum, ſed miniſtrum exhibuit, & ſuos iam ad dignitatis arcem aſpirantes proprio confutat exemplo, dicens: *Reges gẽtium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic.* Reges igitur gentium imitatur, quiſquis in ſubiectis dominium appetit magis quàm miniſterium, & timeri magis quàm amari ſatagit, & de prelationis

ſuæ magiſterio intumeſcens amat primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Cuius quidem vocationis honorem, vt nec nominibus gloriemur, & in omnibus humilitati prouideatur: *Vos autem*, inquit Dominus, *nolite vocari Rabbi, & patrem nolite vocare ſuper terram.* Et poſtremò vniuerſam prohibens gloriationem: *Qui ſe*, inquit, *exaltauerit humiliabitur.* Prouidendum quoque eſt, ne per abſentiam paſtorum grex periclitetur, & ne Prælatis extrauagantibus intus diſciplina torpeat. Statuimus itaque, vt Diaconiſſa magis ſpiritalibus quàm corporalibus intendẽs, nulla exteriore cura monaſterium deſerat, ſed circa ſubiectas tantò ſit magis ſollicita, quantò magis aſſidua; & tantò ſit hominibus quoque præſentia eius venerabilior, quantò rarior, ſicut ſcriptum eſt: *Aduocatus à potentiore diſcede. Ex hoc enim magis te aduocabit.* Si qua verò legatione monaſterium egeat, monachi vel eorum conuerſi ea fungantur. Semper enim viros mulierum neceſſitudinibus oportet prouidere. Et quo earum maior religio, amplius vacant Deo, & maiori virorum egent patrocinio. Vnde & matris Domini curam agere Ioſeph ab angelo admonetur, quam tamen cognoſcere non permittitur. Et ipſe Dominus moriens quaſi alterum filium matri ſuæ prouidit, qui eius temporalem ageret curam. Apoſtoli quoque quantam deuotis curam impenderent feminis dubium non eſt, vt iam ſatis alibi meminimus; quarum etiam obſequijs Diaconos VII. inſtituerunt. Quam quidem nos authoritatem ſequentes, ipſa etiam rei neceſſitate hoc exigente decreuimus, Monachos & eorum Conuerſos more apoſtolorum & Diaconorum in iis quę ad exteriorem pertinẽt curam Monaſteriis feminarum prouidere. Quibus maximè propter Miſſas neceſſarij ſunt Monachi, propter opera verò Conuerſi. Oportet itaque ſicut Alexandriæ ſub Marco Euangeliſta legimus eſſe factum in ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio, vt Monaſterijs feminarum Monaſteria non deſint virorum, & per eiuſdem Religionis viros omnia extrinſecus feminis adminiſtrentur. Et tunc profectò Monaſteria feminarum firmiùs propoſiti ſui religionem obſeruare credimus, ſi ſpiritalium virorum prouidentia gubernentur, & idem tam ouium quàm arietum Paſtor conſtituatur: vt qui videlicet viris ipſe

Eccleſ. 13.

Digitized by Google

quoque præſit feminis, & ſemper, iuxta Apoſtolicam inſtitutionem, caput mulieris ſit vir, ſicut viri Chriſtus, & Chriſti Deus. Vnde & Monaſterium beatæ Scholaſticæ in poſſeſſione fratrum Monaſterij ſitum fratris quoque prouidentia regebatur, & crebra ipſius vel fratrum viſitatione inſtruebatur & conſolabatur. De cuius quoque regiminis prouidentia beati Baſilij Regula quodam loco nos inſtruens, ita continet: *Interrogatio. Si oportet eum qui præeſt extra eam quæ ſororibus præeſt loqui aliquid quod ad ædificationem pertineat virginibus? Reſponſio. Et quomodo ſeruabitur illud præceptum Apoſtoli dicentis: Omnia veſtra honeſtè & ſecundum ordinem fiant?* Item ſequenti capitulo. *Interrogatio. Si conuenit eum qui præeſt cum ea quæ ſororibus præeſt frequenter loqui, & maximè ſi aliqui de fratribus per hoc læduntur. Reſponſio. Apoſtolo dicente, Vt quid enim libertas iudicatur ab aliena conſcientia? Bonum eſt imitari eum dicentem, Quia non ſum viſus poteſtate mea vti, ne offendiculum aliquod ponerem Euangelio Chriſti. Et quantum fieri poteſt, & rariùs videndæ ſunt, & breuiùs eſt ſermocinatio finienda.* Hinc & illud eſt Hiſpalenſis Concilij: *Conſenſu communi decreuimus, vt Monaſteria virginum in prouincia Betica Monachorum miniſtratione ac præſidio gubernentur. Tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus prouidemus, quando eis ſpiritales eligimus patres quorũ non ſolũ gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint.* Hac tamẽ circa Monachos cautela ſeruata, vt remoti ab earum peculiaritate, nec vſque ad veſtibulum habeant accedendi permiſſum familiare, & neque Abbatem vel eum qui præficitur extra eam quæ præeſt loqui virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem morum pertinet, licebit. Nec cum ſola quæ præeſt frequenter eum colloqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum aut trium ſororum. Ita vt rara ſit acceſſio breuis locutio. Abſit enim vt ne Monachos quod etiam dictu nefas eſt, Chriſti virginibus familiares eſſe velim°. Sed iuxta quod iuſſa regularia vel Canonum admonent, longè diſcretos atque ſeiunctos eorum tantùm gubernaculis eaſdem deputamus; conſtituentes, vt vnus Monachorum probatiſſimus eligatur, cuius curæ ſit prædia earum ruſticana vel vrbana intendere, fabricas ſtruere, vel ſi quid aliud ad neceſſitatem Monaſterij prouidere, vt Chriſti famulæ pro animæ ſuæ tantùm vtilitate ſollicitæ ſolis diuinis cultibus viuant, operibus

ſuis

ſuis inſeruiant. Sane is qui ab Abbate ſuo præponitur, iudicio ſui Epiſcopi comprobetur. Veſtes autem illæ ijſdem Cœnobijs faciant, à quibus tuitionem expectant. Ab iiſdem denuo, vt prædictum eſt, laborum fructus, & procurationis ſuffragium recepturæ. Hanc nos itaque prouidentiam ſequentes, Monaſteria feminarum Monaſterijs virorum ita ſemper eſſe ſubiecta volumus, vt ſororum curã fratres agant, & vnus vtriſque tanquam pater præſideat, ad cuius prouidentiam vtraque ſpectent Monaſteria, & vtrorumque in Domino quaſi vnum ſit ouile & vnus paſtor. Quæ quidem ſpiritalis fraternitatis ſocietas tantò gratior tam Deo quàm hominibus fuerit, quantò ipſa perfectior omni ſexui ad conuerſionẽ venienti ſufficere poſſit: vt videlicet Monachi viros, Moniales feminas ſuſcipiant, & omni animæ de ſalute ſua cogitanti poſſit ipſa conſulere. Et quicumque cùm vel matre, aut ſorore, vel filia, ſeu aliqua, cuius curam gerit, conuerti voluerit; plenum ibi ſolatium reperire poſſit. Et tantò maioris charitatis affectui ſibi vtraque Monaſteria ſint connexa, & pro ſe inuicem ſollicita, quãtò quæ ibi ſunt perſonæ propinquitate aliqua vel affinitate ampliùs ſunt coniunctæ. Præpoſitum autem Monachorum, quem Abbatem nominant, ſic etiam Monialibus præeſſe volumus; vt eas, quæ Domini ſpõſæ ſunt, cuius ipſe ſeruus eſt, proprias recognoſcat dominas, nec eis præeſſe, ſed prodeſſe gaudeat. Et ſit tanquam diſpenſator in domo regia, qui non imperio dominam premit, ſed prouidentiam erga eam gerit; vt ei de neceſſarijs ſtatim obediat, & in noxijs eam non audiat, & ſic exteriùs cuncta miniſtret, vt thalami ſecreta numquam niſi iuſſus introeat. Ad hunc igitur modum ſeruum Chriſti ſponſis Chriſti prouidere volumus, & earum pro Chriſto fideliter curam gerere, & de omnibus quæ oportet cum Diaconiſſa tractare. Nec ea inconſulta quicquam de ancillis Chriſti, vel de ijs quæ ad eas pertinent eum ſtatuere, nec ipſum cuiquam earum niſi per eam quicquam præcipere, vel loqui præſumere. Quotiens verò eum Diaconiſſa vocauerit, ne tardet venire, & quæ ipſa ei conſuluerit de ijs, quibus ipſa vel ei ſubiectæ opus habent, non moretur exequi quantum valet. Vocatus autem à Diaconiſſa nunquam niſi in manifeſto, & ſub teſtimonio probatarum perſonarum ei loquatur, nec ei proximus adiungatur, nec prolixo ſermone eam detineat. Omnia verò quæ ad vi-

ctum aut veſtitum pertinet, & ſi quæ etiam pecuniæ fuerint, apud ancillas Chriſti congregabuntur vel reſeruabuntur, & inde fratribus neceſſaria tradentur de ijs quæ ſororibus ſupererunt. Omnia itaque fratres exteriora procurabunt, & ſorores ea tantùm quæ intus à mulieribus agi conuenit, componendo ſcilicet veſtes etiam fratrum, vel abluendo, panem etiam conficiendo, & ad coquendum tradendo, & coctum ſuſcipiendo. Ad ipſas etiam cura lactis, & eorum quæ indè fiunt, pertinebit, & gallinarum vel anſerum nutritura, & quęcumque cõuenientiùs mulieres agere quàm viri poſſunt. Ipſe verò Præpoſitus quando conſtitutus fuerit, in præſentia Epiſcopi & ſororum iurabit, quòd eis fidelis in Domino diſpenſator erit, & earum corpora à carnali contagio ſollicitè obſeruabit. In quo ſi fortè, quod abſit, Epiſcopus eum negligentem deprehenderit, ſtatim eum tanquam periurij reum deponat. Omnes quoque fratres in profeſſionibus ſuis hoc ſe ſororibus ſacramento adſtringent, quòd nullatenus eas grauari conſentient, & earum carnali mũditiæ pro poſſe ſuo prouidebunt. Nullus igitur virorum niſi licentia Præpoſiti ad ſorores acceſſum habebit, nec aliquid eis miſſum, niſi à Præpoſito tranſmiſſum, ſuſcipietur. Nulla vnquam ſororum ſepta Monaſterij egredietur, ſed omnia exteriùs ſicut dictum eſt, fratres procurabunt, & in fortibus fortes ſudabunt operibus. Nullus vnquam fratrum ſepta hæc ingredietur, niſi obtẽta Præpoſiti, & Diaconiſſæ licentia, cùm aliqua hoc neceſſaria vel honeſta exegerit cauſa. Si quis fortè contra hoc prę-ſumpſerit, abſque dilatione de Monaſterio proijciatur. Ne tamen viri fortiores feminis in aliquo eas grauare præſumãt, ſtatuimus eos quoque nihil præſumere contra voluntatem Diaconiſſæ, ſed omnia ipſos etiam ad nutum eius peragere, & omnes pariter tam viros quàm feminas ei profeſſionem facere, & obedientiam promittere: vt tantò pax firmior habeatur, & meliùs ſeruetur cõcordia, quantò fortioribus minus licebit; & tantò minùs fortes debilibus obedire grauentur, quantò earum violentiam minùs vereantur. Et quantò ampliùs hic humiliauerit ſe apud Deum, ampliùs exaltari certum ſit. Hæc in præſenti de Diaconiſſa dicta ſufficiant. Nunc ad Officiales ſtilum inclinemus.

SACRIFICA, quæ & Theſauraria, toti Oratorio proui-

Digitized by Google

debit, & omnes quæ ad ipſum pertinent claues, & quæ ipſi neceſſaria ſunt, ipſa ſeruabit: & ſi quæ fuerint oblationes, ipſa ſuſcipiet, & de ijs quæ in Oratorio neceſſaria ſunt faciendis vel reficiendis, & de toto eius ornatu curam aget. Ipſius quoque prouidere eſt de hoſtijs, de vaſis & de libris altaris, & toto eius ornatu, de reliquijs, de incenſo, de luminaribus, de horlogio, de ſignis pulſandis. Hoſtias verò ſi fieri poteſt virgines conficiant, & frumentum purgent vnde fiant, & altaris pallas abluant. Reliquias autem, vel vaſa altaris nunquam ei vel alicui Monialium contingere licebit, nec etiam pallas niſi cùm eis traditæ ad lauandum fuerint. Sed ad hoc Monachi vel eorum Conuerſi vocabuntur, & expectabuntur. Et ſi neceſſe fuerit, aliqui ſub ea ad hoc officium inſtituantur, qui hæc contingere cùm opus fuerit digni ſint, & arcis ab ea reſeratis, hæc inde ipſi ſumant, vel ibi reponant. Hæc quidem quæ ſanctuario præſidet, vitæ munditia præeminere debet: quæ ſi fieri poteſt mente cum corpore ſit integra, & eius tam abſtinentia quàm continentia ſit probata. Hanc præcipuè de compoto lunæ inſtructam eſſe oportet, vt ſecundum temporum rationem Oratorio prouideat.

CANTRIX toti Choro prouidebit, & diuina diſponet officia, & de doctrina cantandi vel legendi magiſterium habebit, & de eis quę ad ſcribendum pertinent vel dictãdum. Armarium quoque librorum cuſtodiet, & ipſos indè tradet atque ſuſcipiet, & de ipſis ſcribendis vel aptandis curam ſuſcipiet, vel ſollicita erit. Ipſa ordinabit quomodo ſedeatur in choro, & ſedes dabit, & à quibus legendum ſit vel cantandum prouidebit: & inſcriptionem componet ſabbathis recitandam in Capitulo, vbi omnes Hebdomadariæ deſcribentur. Propter quæ maximè literatam eam eſſe conuenit, & præcipuè muſicam non ignorare. Ipſa etiam poſt Diaconiſſam toti diſciplinæ prouidebit. Et ſi fortè illa rebus alienis fuerit occupata, vices illius in hoc exequetur.

INFIRMARIA miniſtrabit infirmis, & eas obſeruabit tam à culpa quàm ab indigentia. Quicquid infirmitas poſtulauerit, tam de cibis quàm de balneis, vel quibuſcumque alijs, eſt eis indulgendum. Notum eſt quippè prouerbium in talibus, *Infirmis non eſt lex poſita.* Carnes eis nullatenus denegentur, niſi ſexta feria, vel præcipuis vigilijs aut ieiunijs qua-

Digitized by Google

tuor Temporum, ſeu Quadrageſimæ. A peccato autem tantò ampliùs coerceantur, quantò ampliùs de exitu ſuo cogitãdum incumbit. Maximè verò tunc ſilentio ſtudendum eſt, in quo exceditur plurimum, & orationi inſtandũ, ſicut ſcriptum eſt: *Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Deum, & ipſe curabit te. Auertere à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Oportet quoque infirmis prouidam ſemper adſiſtere cuſtodiam, quæ cùm opus fuerit ſtatim ſubueniat: & domum omnibus inſtructam eſſe, quæ infirmitati illi ſunt neceſſaria. De medicamentis quoque ſi neceſſe eſt, pro facultate loci prouidendum erit. Quod faciliùs fieri poteſt, ſi quæ infirmis præeſt non fuerit expers medicinæ. Ad quam etiam de ijs quæ ſanguinem minuunt cura pertinebit. Oportet autem aliquam flebotomiæ peritam eſſe, ne virum propter hoc ad mulieres ingredi neceſſe ſit. Prouidendum eſt etiam de officijs Horarũ & communione, ne deſint infirmis; vt ſaltem Dominico die communicetur, confeſſione ſemper & ſatisfactione quam potuerint præeuntibus. De vnctione quoque infirmorum beati Iacobi Apoſtoli ſententia ſollicitè cuſtodiatur, ad quam quidem faciendam tunc maximè cùm de vita ægrotantis deſperatur, inducantur ex Monachis duo ſeniores Sacerdotes cum Diacono, qui ſanctificatum oleum ſecum afferant, & Conuentu ſororum aſſiſtente, interpoſito tamen pariete, ipſi hoc celebrent ſacramentum. Similiter cùm opus fuerit, de communione agatur. Oportet itaque domum infirmarum ſic aptari, vt ad hæc facienda Monachi facilem habeant acceſſum & receſſum, nec Conuentum videntes, nec ab eo viſi. Singulis autem diebus ſemel ad minus Diaconiſſa cum Celleraria infirmam tanquam Chriſtum viſitent, vt de neceſſitatibus eius ſollicitæ prouideant tam in corporalibus quàm ſpiritualibus, & illud à Domino audire mereantur: *Infirmus eram, & viſitaſti me.* Quod ſi ægrotans ad exitum propinquauerit, & in extaſi agoniæ venerit, ſtatim aliqua ei adſiſtens ad Conuentum properet cum tabula, & eam pulſans exitum ſororis nunciet, totúſque Conuentus, quæcumque hora ſit diei vel noctis, ad morientẽ feſtinet, niſi Eccleſiaſticis præpediatur* officijs. Quod ſi acciderit, quòd nihil eſt operi Dei præponendum, ſatis eſt Diaconiſſam cum aliquibus, quas elegerit, ac-

celerare, & Conuentum poſtmodum ſequi. Quæcumque verò ad hunc tabulæ pulſum occurrerint, ſtatim letaniam inchoent, quouſque Sanctorum & Sanctarum inuocatio compleatur; & tunc Pſalmi vel cætera, quæ ad exequias pertinẽt, ſubſequantur. Quàm ſalubre verò ſit ad infirmos ire ſiue mortuos, Eccleſiaſtes diligenter attendens, ait: *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurus ſit.* Item: *Cor ſapientium vbi triſtitia eſt.* Defunctæ vero corpuſculum à ſororibus ſtatim abluatur, & aliqua vili, ſed munda interula & caligis indutum feretro imponatur, velo capite obuoluto. Quæ quidem indumenta firmiter corpori conſuantur ſiue ligẽtur, nec vlteriùs moueantur. Ipſum corpus à ſororibus in Eccleſia delatum Monachi cùm oportuerit ſepulturæ tradant, & ſorores interim in Oratorio pſalmodiæ vel orationibus intentè vacabunt. Diaconiſſæ verò ſepultura id tantum præ cæteris habeat honoris, vt cilicio ſolo totum eius corpus inuoluatur, & in eo quaſi in ſacco tota cõſuatur.

VESTIARIA totum quod ad curam indumentorũ ſpectat prouidebit, tam in calciamentis ſcilicet quàm in cæteris omnibus. Ipſa tonderi oues faciet, coria calciamentorum ſuſcipiet. Linum ſeu lanam excolet, & colliget, & totam curam telarum habebit. Filum & acum & forfices omnibus miniſtrabit. Totam dormitorij curam habebit, & ſtratis omnibus prouidebit. De mantilibus quoque menſarum & manutergijs & vniuerſis pannis curam aget, incidendis, ſuendis, abluendis. Ad hanc maximè illud pertinet: *Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad colum, & digiti ſui apprehenderunt fuſum. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis. Omnes enim domeſtici eius veſtiti duplicibus, & ridebit in die nouiſſimo. Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. Surrexerunt filij eius & beatiſſimam prædicauerunt eã.* Hæc ſuorũ operũ habebit inſtrumenta, & prouidebit de ſuis operibus, quæ quibus debeat iniungere ſororibus. Ipſa enim nouiciarum curam aget, donec in Congregationem ſuſcipiantur.

CELLERARIA curam habebit de ijs omnibus quæ pertinent ad victum, de cellario, refectorio, coquina, molendi-

Digitized by Google

no, piſtrino cum furno, de hortis etiam & viridarijs,& agrorum tota cultura: de apibus quoque, armentis & pecoribus cunctis, ſeu auibus neceſſarijs. Ab ipſa requiretur quicquid de cibis neceſſarium erit. Hanc maximè non eſſe auaram cõuenit, ſed promptam & voluntariam ad omnia neceſſaria tribuenda. Hilarem enim datorem diligit Deus. Quam omninò prohibemus, ne de adminiſtrationis ſuæ diſpenſatione ſibi magis quàm alijs ſit propitia, nec priuata ſibi paret fercula, nec ſibi reſeruet quæ alijs defraudet. *Optimus*, inquit Hieronymus, *eſt diſpenſator, qui ſibi nihil reſeruat*. Iudas ſuæ diſpẽſationis abutens officio, cùm loculos haberet, de cœtu perijt Apoſtolico. Ananias quoque & Saphira vxor eius retinendo ſententiam mortis exceperunt.

AD Portariam, ſiue Oſtiariam, quod idem eſt, pertinet de ſuſcipiendis hoſpitibus, vel quibuſlibet aduenientibus, & de ijs nunciandis vel adducendis vbi oporteat; & de cura hoſpitalitatis. Hanc ætate & mente diſcretam eſſe conuenit, vt ſciat accipere reſponſum & reddere, & qui vel qualiter ſuſcipiendi ſint, an non ſint, dijudicare. Ex qua maximè tanquam ex veſtibulo Domini religionem Monaſterij decorari oportet, cùm ab ipſa eius notitia incipiat. Sit igitur blanda verbis, mitis alloquio, vt in his quoque quos excluſerit, conuenienti reddita ratione charitatem ſtudeat ædificare. Hinc enim ſcriptum eſt: *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem*. Et alibi: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos*. Ipſa quoque ſæpiùs pauperes videns, meliuſque cognoſcens, ſi qua eis de cibis aut veſtimentis diſtribuenda ſunt diſtribuet: tam ipſa verò quàm cæterę Officiales, ſi ſuffragio vel ſolatio aliquarum eguerint, dentur eis à Diaconiſſa vicariæ. Quas præcipuè de Conuerſis aſſumi conuenit, ne aliqua vnquam Monialium diuinis deſit officijs, ſiue capitulo vel refectorio. Domunculam iuxta portam habeat, in qua ipſa vel eius vicaria præſto ſit ſemper aduenientibus, vbi etiam otioſæ non maneant, & tantò ampliùs ſilentio ſtudeant, quantò earum loquacitas his quoque qui extrà ſunt, faciliùs poteſt innoteſcere. Ipſius profectò eſt non ſolum homines, quos oportet, arcere; verumetiam rumores penitus excludere, ne ad Conuentum temerè deferàntur, & ab ipſa eſt exigendum quicquid in hoc quoque fuerit exceſſum. Si quid verò au-

Digitized by Google

dierit quod ſcitu opus ſit,ad Diaconiſſam ſecretò referet, vt ipſa ſuper hoc ſi placet deliberet. Mox autem vt ad portam pulſatum vel inclamatum fuerit, quæ præſto eſt quærat à ſuperuenientibus qui ſint,aut quid velint, portãq; ſi oportuerit ſtatim aperiat,vt aduenientes ſuſcipiat. Solas quippe feminas intus hoſpitari licebit. Viri autẽ adMonachos dirigẽtur. Nullus itaq; aliqua de cauſa intus admittetur, niſi conſulta priùs &iubente Diaconiſſa. Feminis autẽ ſtatim patebit introitus. Suſceptas verò feminas,ſeu viros quacũq; occaſione introeũtes Portaria in Cellula ſua pauſare faciet,donec à Diaconiſſa vel ſororibus, ſi neceſſariũ eſt vel oportunum, eis occurratur. Pauperibus verò quæ ablutione pedũ indigent,hanc quoque hoſpitalitatis gratiam ipſa Diaconiſſa, ſeu ſorores diligenter exhibeant. Nam & Apoſtolus ex hoc præcipuè humanitatis obſequio dictus eſt Diaconus. Sicut in vitis quoque Patrum quidam ipſorum meminit, dicens: *Propter te homo ſaluator factus diaconus,præcingens ſe linteo lauit pedes diſcipulorum, præcipiẽs eis fratrum pedes lauare.* Hinc Apoſtolus de Diaconiſſa meminit, dicens: *Si hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lauit.* Et ipſe Dominus:*Hoſpes*,inquit,*eram, & collegiſtis me.* Officiales omnes præter Cantricem de his inſtituantur, quæ literis non intendunt, ſi ad hoc tales reperiri poſſint idoneæ, vt literis vacare liberiùs queant.

Oratorii ornamenta neceſſaria ſint, non ſuperflua; munda magis quàm pretioſa. Nihil igitur in eo de auro vel de argento compoſitum ſit præter vnum calicem argenteum, vel plures etiam ſi neceſſe ſit. Nulla de ſerico ſint ornamenta, præter ſtolas aut phanones. Nulla in eo ſint imaginum ſculptilia. Crux ibi lignea tantum erigatur ad altare, in qua ſi forte imaginem Saluatoris placeat depingi, non eſt prohibẽdum. Nullas verò alias imagines altaria cognoſcant. Campanis duabus Monaſterium ſit contentum. Vas aquæ benedictę ad introitum Oratorij extra collocetur, vt ea ſanctificentur mane ingreſſuræ, vel poſt Completorium egreſſæ. Nullæ Monialium Horis deſint Canonicis; ſed ſtatim vt pulſatum fuerit ſignum,omnibus alijs poſtpoſitis ad diuinum properetur officium, modeſto tamen inceſſu. Introeuntes autem ſecretò Oratorium,dicant quæ poterunt: *Introibo in domum tuã, adorabo ad templum ſanctum tuum, &c.* Nullus in Choro liber

teneatur, niſi officio præſenti neceſſarius. Pſalmi apertè & diſtinctè ad intelligendum dicãtur, & tam moderata ſit pſalmodia vel cantus, vt quæ vocem habent infirmam ſubſtinere valeant. Nihil in Eccleſia legatur aut cantetur, niſi de authentica ſumptum ſcriptura, maximè autem de nouo vel veteri Teſtamento. Quæ vtraque ſic per lectiones diſtribuantur, vt ex integro per annum in Eccleſia legantur. Expoſitiones verò ipſorum vel Sermones Doctorum, ſeu quælibet ſcripturæ aliquid ædificationis habentes ad menſam vel in Capitulo recitentur: & vbicumque opus ſit omnium lectio concedatur. Nulla autem legere vel cantare præſumat, niſi quod priùs præuiderit. Si qua fortè de ijs aliquid in Oratorio vitioſè protulerit, ibidem ſupplicando coram omnibus ſatisfaciat ſecretò dicens: *Ignoſce Domine etiam hac vice negligentiæ meæ.* Media autem nocte ſecundum inſtitutionem propheticam ad vigilias nocturnas ſurgendum eſt, propter quod adeò tempeſtiuè cubandum eſt, vt has vigilias ferre natura valeat infirma. Et omnia quæ ad diem pertinent cum luce fieri poſſint, ſicut & beatus Benedictus inſtituit. Poſt Vigilias autem ad dormitorium redeatur, antequam hora Matutinarum laudum pulſetur. Et ſi quid noctis adhuc ſupereſt, infirmæ ſomnus non negetur naturæ. Maximè namque ſomnus laſſatam recreat naturam, & patientem operis reddit, & ſobriam conſeruat, & alacrem. Si quæ tamen Pſalterij vel aliquarum Lectionum meditatione indigent, vt beatus quoque meminit Benedictus, vacare ita debent, vt quieſcentes non inquietent. Ideò namque meditationi hoc loco potius quàm lectioni dixit, ne lectio aliquorum quietem impediret aliorum. Qui etiam cùm ait, *à fratribus qui indigent*, profectò nec ad hanc meditationem compulit. Nonnunquam tamen ſi doctrina etiam cantus opus eſt, de hoc ſimiliter prouidẽdum eſt ijs quibus neceſſe eſt. Hora verò matutina die ſtatim illuſceſcẽte peragatur, & exorto Lucifero ſi prouideri poteſt ipſa pulſetur. Qua completa reuertatur ad dormitorium. Quòd ſi æſtas fuerit, quia tunc breue eſt tempus nocturnum, & longum matutinum; aliquantulum ante primam dormire non prohibemus, donec ſonitu facto excitentur. De qua etiam quiete poſt matutinales videlicet laudes beatus Gregorius 11. Dialongorum capitulo, cùm de venerabili viro Libertino loqueretur,

Digitized by Google

loqueretur, meminit, dicens: *Die verò erat altera pro vtilitate Monaſterij cauſa conſtituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus Libertinus ad lectum Abbatis venit, orationem ſibi humiliter petijt.* Hæc igitur quies matutinalis à Paſcha vſque ad æquinoctiũ autumnale, ex quo incipit diem excedere, non denegetur. Egreſſæ autem de dormitorio abluant, & acceptis libris in clauſtro ſedeant legentes vel cantantes, donec Prima pulſetur. Poſt Primam verò in Capitulum eatur, & omnibus ibi reſidentibus lectio Martyrologij legatur, luna ante pronunciata. Vbi poſtmodum vel aliquo ſermonis ædificio fiat, vel aliquid de Regula legatur & exponatur. Deinde ſi quæ corrigenda ſunt, vel diſponenda, pro ſequi oportet.

SCIENDVM verò eſt, nec Monaſterium nec domum aliquam inordinatam dici debere, ſi qua ibi inordinatè fiant: Sed ſi cùm facta fuerunt non ſollicitè corrigãtur. Quis enim locus à peccato penitus expers? Quod diligenter beatus attendens Auguſtinus, cum clerum ſuum inſtrueret, in quodã loco meminit, dicens: *Quantumlibet enim vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines viuo. Nec mihi arrogare audeo vt domus mea melior ſit quàm Arca Noe, vbi tamen inter octo homines vnus inuentus eſt reprobus: aut melior ſit quam domus Abrahæ, vbi dictum eſt: Eijce ancillam & filium eius. Aut melior quàm domus Iſaac: Iacob dilexi, Eſau odio habui: aut melior quàm domus Iacob, vbi lectũ patris filius inceſtauit: aut melior quã domus Dauid, cuius filius vnus cum ſorore concubuit, alter contra patris tam ſanctã manſuetudinem rebellauit: aut melior quàm cohabitatio Apoſtoli Pauli, qui ſi inter bonos habitaret non diceret: Foris pugnæ, intus timores: nec loqueretur, Nemo eſt homo qui germanè de vobis ſollicitus ſit. Omnes quæ ſua ſunt quærunt: aut melior quàm cohabitatio ipſius Chriſti, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt: aut melior poſtremò quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt.* Epiſt. 137. 47. diſt. ca. Quantumlibet. Geneſ. 9. Geneſ. 21. Geneſ. 49. 2. Reg. 11. 2. Reg. 28. 2. Cor. 7.

Qui etiam nos ad diſciplinam Monaſterij plurimùm exhortans, annexuit dicens: *Fateor coram Deo ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores quàm qui in Monaſterijs profecerunt: Ita non ſum expertus peiores quàm qui in Monaſterijs ceciderunt.* Itaut hinc, arbitror, in Apocalypſi ſcriptum: *Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.* Tanta igitur correctionis diſtrictio ſit, vt quæcũque in altera viderit quod corrigendũ ſit, & celauerit, grauiori ſubiaceat diſciplinæ, quàm illa quæ hoc commiſit. Nulla igitur vel ſuum vel alterius de-

Digitized by Google

ictũ accuſare differat. Quæcumq; verò ſe accuſans alias præ-
ienerit, ſicut ſcriptum eſt: *Iuſtus prior eſt accuſator ſui*, mitiorẽ
neretur diſciplinã, ſi eius ceſſauerit negligentia. Nulla verò
liam excuſare præſumat, niſi fortè Diaconiſſa ab alijs igno-
:am rei veritatem interroget. Nulla vnquam aliam cædere
pro quacumque culpa præſumat, niſi cui iniunctum fuerit à
Diaconiſſa. Scriptum eſt autem de diſciplina correctionis:
*Diſciplinam Domini, fili mi, ne abÿcias. Ne deficias cùm ab eo corri-
peris. Quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio
complacet ſibi.* Item: *Qui parcit virgæ, odit filium: qui autem dili-
git illum, inſtanter erudit. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit:
Mulctato peſtilente ſapientior erit paruulus. Flagellum equo, & cha-
mus aſino, & virga dorſo imprudentium. Qui corripit hominem po-
ſtea inueniet apud eum, magis quàm ille qui per linguæ blandimenta
decipit. Omnis autem diſciplina in præſenti quid videtur non eſſe
gaudÿ, ſed mœroris. Poſtea autem fructum paccatiſſimum exercita-
tis per eam reddet iuſtitiæ. Confuſio patris eſt in filio indiſciplinato,
filia autem fatua in deminoratione erit. Qui diligit filium, aſſiduat
illi flagella, vt lætetur in nouiſſimo. Qui docet filium, laudabitur in
illo, & in medio domeſticorum in illo gloriatur. Equus indomitus eua-
det durus, & filius remiſſus euadet præceps. Lacta filium tuum, &
pauentem te faciet. Lude cum eo, & contriſtabit te.* In diſcuſſio-
ne vero conſilij cuilibet ſuam proferre ſentẽtiam licebit, ſed
quicquid omnibus videatur Diaconiſſæ decretum immobi-
le teneatur, in cuius arbitrio cuncta conſiſtunt; etiam ſi, quod
abſit, ipſa fallatur, & quod deterius eſt ipſa conſtituat. Vnde
& illud eſt beati Auguſtini libro confeſſionum: *Multum peccat
qui inobediens eſt ſuis prælatis in aliquo, ſi vel meliora eligat quàm
ea quæ ſibi iubentur.* Multò quippè melius eſt nobis bene fa-
cere, quàm bonum facere. Nec tam quod fiat quàm quod
quó modo vel animo fiat penſandum eſt. Bene vero fit quic-
quid per obedientiam fit, etiam ſi quod fit bonum eſſe mini-
mè videatur. Per omnia itaque prælatis eſt obediendũ quan-
tacumque ſint damna rerum, ſi nullum apparet animæ peri-
culum. Prouideat Prælatus vt benè præcipiat, quia ſubiectis
benè obedire ſufficit: nec ſuam ſicut profeſſi ſunt, ſed Præla-
torum ſequi voluntatem. Omnino * enim prohibemus vt
nunquam conſuetudo rationi præponatur, nec vnquam ali-
quid deffendatur, quia ſit conſuetudo, ſed quia ratio; nec

quia ſit vſitatum, ſed quia bonum: & tantò libentiùs excipiatur, quantò meliùs apparebit. Alioquin Iudaizantes legis antiquitatem Euangelio præferamus. Ad quod beatus Auguſtinus de conſilio Cypriani plæraque aſſerẽs teſtimonia, quodam loco ait. *Qui contempta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres inuidus eſt & malignus, quibus veritas reuelatur: aut circa Deum ingratus eſt, cuius inſpiratione Eccleſia eius inſtruitur.* Item: *In Euangelio Dominus: Ego ſum, inquit, Veritas. Non dixit, Ego ſum conſuetudo. Itaque veritate manifeſtata, cedat conſuetudo veritati: Item reuelatione facta veritatis, cedat error veritati, quia & Petrus qui prius circuncidebat ceſſit Paulo prædicanti veritatem.* Idem lib. 4. de Baptiſmo: *Fruſtra quidem qui ratione vincuntur conſuetudinem nobis obÿciunt, quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum quod in melius fuit à Spiritu ſancto reuelatum.* Hoc plane verum eſt, quia ratio & veritas conſuetudini præponenda eſt. Gregorius VII. Vvimundo * Epiſcopo: *Et certè, vt beati Cypriani vtamur ſententia, quælibet conſuetudo quantumuis vetuſta, quantumuis vulgata, veritati eſt omnino præponenda: & vſus qui veritati eſt contrarius, abolendus.* Quantò etiam amore veritas quoque verborum amplectenda, admonemur in Eccleſiaſtico cùm dicitur: *Pro anima tua non confundaris dicere verum.* Item: *Non contradicas verbo veritatis vllo modo.* Et iterum: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Nihil etiam in authoritatẽ ducatur, quia geritur à multis, ſed quia probatur à ſapientibus & bonis. *Stultorum*, inquit Salomon, *infinitus eſt numerus.* Et iuxta Veritatis aſſertionem, *multi vocati; pauci verò electi.* Rara ſunt quæque pretioſa; & quæ abũdant numero, minuuntur pretio. Nemo enim in conſilio maiorem hominum partem, ſed meliorem ſequatur. Nec ætas hominis, ſed ſapientia conſideretur: nec amicitia, ſed veritas attendatur. Vnde & poetica eſt illa ſententia,

Lib. 3. de bapt. contr. Donat. c. 5. Diſt. 8. ca. Qui contẽpta

Lib. 6. de bapt. c. 37.

Ioan. 14.

Lib. 4. de bapt. c. 6. diſt 8. ca. fruſtra & ca. conſuetudo.

* *al.* Vvillimundo

Diſt. 8. ca. Si conſuetudinem.

Eccleſ. 4.

Ibidem. Eccleſ. 37.

Eccleſ. 1.

——— *Fas eſt & ab hoſte doceri.*

Ouid. lib. 4. Metam.

Quotiens autem opus eſt conſilio non differatur. Et ſi de rebus præcipuis eſt deliberandum, conuocetur conuentus. In minoribus autem rebus diſcutiẽdis ſufficiet Diaconiſſa paucis ad ſe de maioribus perſonis conuocatis. Scriptum quoq; eſt de conſilio, *Vbi non eſt gubernator, populus corruit. Salus autem, vbi multa conſilia. Via ſtulti recta in oculis eius. Qui autem*

Prouerb. 11. Eccleſ. 32.

Digitized by Google

ſapiens, audit conſilia. Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. Si fortè ſine conſilio aliquid proſperum habet euentum, non excuſat hominis præſumptionem fortunæ beneficium. Sin autem poſt conſilium nonnunquam errant, poteſtas quæ conſilium quæſiuit rea non teneatur præſumptionis. Nec tam culpandus eſt qui credidit, quàm quibus ipſe errando acquieuit. Egreſſæ verò Capitulum ijs quibus oportet operibus intendant, legendo ſcilicet vel cantando, ſiue manibus operando vſque ad Tertiam. Poſt Tertiam autem miſſa dicatur, ad quam quidem celebrandam vnus ex Monachis ſacerdos hebdomadarius inſtituatur. Quem profecto ſi copia tanta ſit, cum Diacono & Subdiacono venire oportet, qui ei quod neceſſarium eſt adminiſtrent, vel quod ſuum eſt & ipſi operentur. Quorum acceſſus vel receſſus ita fiant, vt ſororum Conuentui nullatenus pareant. Si verò plures neceſſarij fuerint, & de his prouidendum erit, & ita ſemper ſi fieri poteſt, vt Monachi propter Miſſas Monialium nunquam Conuentui ſuo in officijs deſint diuinis. Si verò communicandum à ſororibus fuerit, ſenior eligatur ſacerdos, qui poſt miſſam eas communicet; egreſſis inde priùs Diacono & Subdiacono propter tollendam tentationis occaſionem. Ter verò ad minus in anno totus communicet Conuentus, id eſt Paſcha, Penthecoſte, & Natale Domini, ſicut à Patribus eſt inſtitutum de ſecularibus etiam hominibus. His autem communionibus ita ſe præparent vt tertio die ante ad confeſſionem & cõgruam ſatisfactionem omnes accedant, & terno ſe panis & aquæ ieiunio & oratione frequenti purificent cum omni humilitate & tremore; illam Apoſtoli terribilem apud ſe retractantes ſententiam: *Itaque*, inquit, *quicumque manducauerit panem vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique dijudicaremur.* Poſt Miſſam quoque ad opera redeant vſque ad Sextam, & nullo tẽpore otioſè viuant, ſed vnaquæque id quod poteſt & quod oportet operetur. Poſt Sextam autem prandendum eſt, niſi ieiunium

Digitized by Google

fuerit. Tunc enim Nona expectanda est, & in quadragesima etiam Vespera. Nullo verò tempore Conuentus careat lectione. Quam cùm Diaconissa terminare voluerit, dicat: sufficit. Et statim ad grates Domino referendas ab omnibus surgatur. Æstiuo tempore post prandium vsque ad Nonam quiescendum est in dormitorio, & post Nonam ad opera redeundum vsque ad Vesperas. Post vesperas autem vel statim cœnandum est vel potandum. Et inde etiam secundum tẽporis consuetudinem ad collationem eundum. Sabbatho autem ante collationem munditiæ fiant, in ablutione videlicet pedum & manuum. In quo quidem obsequio Diaconissa famuletur cum hebdomadarijs, quæ coquinæ deseruierunt. Post collationem verò ad Completorium statim est veniendum, indè dormitum est eundum.

De victu autem & vestitu Apostolica teneatur sentẽtia, qua dicitur: *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. Vt videlicet necessaria sufficiant, non superflua quærantur. Et quod vilius poterit comparari, vel facilius haberi, & sine scandalo sumi, re concedatur. Solum quippe scãdalum propriæ conscientiæ vel alterius in cibis Apostolus vitat, sciens quia non est cibus in vitio, sed appetitus. Rom. 14. *Qui manducat*, inquit, *non manducantem non spernat. Qui non manducat, manducantem non iudicet. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Ibidem. Qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Ibidem. Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi qui æstimat quid commune esse. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum non manducare carnem, & non biberevinum, neque in quo frater tuus offendatur, aut scandalizetur.* Qui etiam post scandalum fratris de proprio scandalo ipsius qui contra conscientiam suam comedit adiungit dicens: *Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit si manducauerit, damnatus est quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Ibidem. In omni quippe quod agimus contra conscientiam nostram, & contra hoc quod credimus, peccamus. Et in eo quod probamus, hoc est per legem quã

Digitized by Google

approbamus atque recipimus, iudicamus noſmetipſos atque damnamus, ſi illos videlicet comedimus cibos quos diſcernimus, hoc eſt per legem excludimus, & ſeparamus tanquam immundos. Tantum enim eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, vt hæc nos apud Deũ maximè accuſet vel excuſet. Vnde
1. Ioan. 3. & Ioannes in prima ſua meminit Epiſtola: *Charissimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mãdata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.* Bene itaque & Paulus ſuperiùs ait: Nihil eſſe commune per Chriſtum niſi ei qui cõ-
Rom. 14. mune quid eſſe putat, hoc eſt immundum & interdictum ſi ſibi credit. Communes quippe cibos dicimus, qui ſecundum legem mundi vocantur, quod eos ſcilicet lex à ſuis excludens quaſi his qui extra legem ſunt exponat & publicet. Vnde & communes feminæ immundæ ſunt, & communia quęque vel publicata vilia ſunt, vel minus cara. Nullum itaque cibũ per Chriſtum aſſerit eſſe communem, id eſt immundum, quia lex Chriſti nullum interdicit, niſi vt dictum eſt propter ſcandalum remouendum, vel propriæ ſcilicet conſcientiæ, vel alie-
1. Cor. 8. næ. De qua & alibi dicit. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*
1. Cor. 9. *Non ſum liber, non ſum Apoſtolus?* Ac ſi diceret: Nunquid nõ habeo illam libertatem quam Dominus Apoſtolis dedit, de quibuſlibet ſcilicet edendis vel de ſtipendijs aliorum ſumen-
Luc. 10. dis? Sic quippè cùm Apoſtolos mitteret quodam loco ait: *Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* Nullum videlicet cibum à cæteris diſtinguens. Quod diligenter Apoſtolus attendẽs, & omnia ciborũ genera etiamſi ſint infidelium cibi & idolotyta, Chriſtianis eſſe licita ſtudiosè proſequitur; ſolum, vt diximus, in cibis ſcandalum vitans. *Omnia*, inquit, *licent; ſed*
1. Cor. 10. *non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.*
* al. quæret *Nemo quod ſuum eſt quærat**, *ſed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.*
Pſal 23. *Domini eſt terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire; omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam. Conſcientiam dico non tuam, ſed alterius. Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Ex quibus

videlicet Apoſtoli verbis manifeſtè colligitur, nullum nobis interdici, quo ſine offenſa propriæ conſciẽtiæ vel alienæ veſci poſſimus. Sine offenſa verò propriæ cõſcientiæ tũc agimus, ſi propoſitũ vitę, quo ſaluari poſſumus, nos ſeruare cõfidimus. Sine offenſa autem alienæ, ſi eo modo viuere credimur quo ſaluemur. Eo quidem modo viuemus, ſi omnibus neceſſarijs naturæ indultis peccata vitemus, nec de noſtra virtute præſumentes illi vitæ iugo profeſſione nos obligemus, quo prægrauati ſuccũbamus: & tantò ſit grauior caſus, quantò fuerat profeſſionis altior gradus. Quem quidem caſum & ſtultæ profeſſionis votum Eccleſiaſtes præueniens ait: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcumque voueris redde. Melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa nõ reddere.* Cui quoq; periculo occurrens Apoſtolicũ conſiliũ: *Volo*, inquit; *iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia. Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro Sathanam.* Ætatis infirmæ naturam conſiderans, remedium vitæ laxioris opponit periculo melioris. Conſulit reſidere in imo, ne præcipitium detur ex alto. Quem & beatus ſecutus Hieronymus Euſtochium virginem inſtituens ait: *Si autem & illæ quæ virgines ſunt, ob alias tamen culpas non ſaluantur, quid fiet illis quæ proſtituerunt membra Chriſti, & mutauerunt templum Spiritus ſancti in lupanar? Rectius fuerat homini ſubiiſſe coniugium, ambulaſſe per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.* Quòd ſi etiam vniuerſa reuoluamus Apoſtoli dicta, nunquam eum reperiemus ſecunda matrimonia niſi feminis indulſiſſe. Sed viros maximè ad continentiam exhortans, ait: *Circunciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium.* Et iterum: *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Cùm Moyſes tamen viris magis quàm feminis indulgens vni viro plures ſimul feminas, non vni feminæ plures viros concedat, & diſtrictius adultera feminarum quàm virorum puniat. *Mulier*, inquit Apoſtolus, *ſi mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege veri, vt non ſit adultera ſi fuerit cum alio vero.* Et alibi: *Dico autem nõ nuptis & viduis: Bonum eſt illis ſi ſic permaneant ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere quàm vri.* Et iterum: *Mulier ſi dormierit vir eius liberata eſt. Cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum conſilium*

Eccleſ. 5.

1. Tim. 5.

Tom. 1. Epiſt. 22.

1. Cor. 7.

Ibidem.

Rom. 7.

1. Cor. 7.

Ibidem.

Digitized by Google

meum. Non ſecunda tantum matrimonia infirmo ſexui concedit, verùm etiam ea nullo concludere audet numero, ſed cùm dormierint earum viri nubere alijs permitttit. Nullum matrimonijs earum præfigit numerum, dummodo fornicationis euadant reatum. Sæpiùs magis nubant quàm ſemel fornicentur: nè ſi vni proſtituantur, multis carnalis commercij debitum ſoluant. Quæ tamen debiti ſolutio non eſt penitus immunis à peccato, ſed indulgentur minora vt maiora vitentur peccata. Quid igitur mirum ſi id, in quo nullum eſt omnino, conceditur ne peccatum incurrant; hoc eſt alimenta quælibet neceſſaria, non ſuperflua? Non eſt enim, vt dictũ eſt, cibus in vitio, ſed appetitus: cùm videlicet libet quod non licet, & concupiſcitur quod interdictum eſt, & nonnunquam impudenter ſumitur, vnde maximum ſcandalum generatur. Quid verò inter vniuerſa hominum alimenta tam periculoſum eſt, vel damnoſum, & religioni noſtræ vel ſanctæ quieti contrarium, quantum vinum? Quod maximus ille Sapiẽtum diligenter attendens, ab hoc maximè nos dehortatur dicens:

Prouer. 20. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas. Quicumque his delectatur, non erit ſapiens.*

Prouerb. 23. *Cui ve, cuius patri ve, cui rixæ, cui foueæ, cui ſine cauſa vulnera, cui ſuffoſio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa, & eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo, & dices: Verberauerunt me & non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi.*

Prouerb. 31. *Quando euigilabo*, rurſus, *& vina reperiam?* Item: *noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum ſecretũ eſt vbi regnat ebrietas. Ne forte bibant & obliuiſcantur iudiciorum, & mittant cauſam filiorum pauperis.* Et in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt. *Operarius ebrioſus non locupletabitur, & qui ſpernit modica, paulatim*

Eccleſ. 19. *decidet. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt*

Ibidem. *ſenſatos.* Iſaias quoque vniuerſos præteriens cibos, ſolùm in

Eſai. 5. cauſam captiuitatis populi commemorat vinum: *Væ*, inquit, *qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cythara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conuiuijs veſtris, & opus Domini non reſpicitis. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.*

Væ

Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendã ebrietatem. Qui etiam de populo vsque ad sacerdotes & Prophetas querimoniam extendens, ait: *Verum ij quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita vt non esset vltra locus. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum?* Dominus per Ioel dicit: *Expergimiscimini ebrij, & flete qui bibitis vinum in dulcedine.* Non enim vti prohibet vino in necessitate, sicut Apostolus indè Timotheo consulit, *propter stomachi frequentes infirmitates*; non tantum infirmitates, sed frequentes. Noe primus vineam plantauit, nescius adhuc fortassis ebrietatis malum, & inebriatus femora denudauit; quia vino coniuncta est luxuriæ turpitudo. Qui etiam superirrisus à filio maledictionem in eum intorsit, & seruitutis sententia illũ obligauit: quæ antea nequaquam facta esse cognouimus. Loth virum sanctum ad incestum nullatenus trahi nisi per ebrietatem filiæ ipsius prouiderunt. Et beata vidua superbum Holofernum non nisi hac arte illudi posse & prosterni credidit. Angelos antiquis Patribus apparentes, & ab eis hospitio susceptos carnibus, non vino vsos esse legimus. Et maximo illi & primo principi nostro Eliæ in solitudinem latenti corui mane & vespere panis & carnium alimoniam, non vini ministrabant. Populus etiam Israeliticus delicatissimis in heremo cibis maximè coturnicum educatus, nec vino vsus fuisse, nec ipsum appetiisse legitur. Et refectiones illæ panum & piscium, quibus in solitudine populus substentabatur, vinum nequaquam habuisse referuntur. Solummodo nuptiæ quæ indulgentiam habent, incontinentiæ vini, in quo est luxuria, miraculum habuerunt. Solitudo verò, quæ propria est Monachorum, habitatio carnium magis quàm vini beneficium nouit. Summa etiam illa in lege Nazaræorum religio, qua se Domino consecrant, vinum & quod inebriare potest solummodo vitabat. Quæ namque virtus, quod bonum in ebrijs manet? Vnde non solum vinum, verumetiam omne quod inebriare potest antiquis quoq; sacerdotibus legimus interdici. De quo Hieronymus ad Nepotianum, de vita clericorum scribens, & grauiter indignans, quòd sacerdotes

Ibidem.
Esai. 28.
Ioel. 1.
1. Tim. 5.
Genes. 9.
Genes. 19.
Iudith. 13.
Genes. 18.
3. Reg. 17.
Exod. 17.
Ioan. 2.
Num. 6.
Tom. 1. Epist. 2.

Digitized by Google

legis ab omni quod inebriare poteſt abſtinentes noſtros in hac abſtinentia ſuperent: *Nequaquam*, inquit, *vinum redoleas, ne audias illud Philoſophi: Hoc non eſt oſculum porrigere, ſed propinare.* Vinolentos ſacerdotes & Apoſtolus dãnat, & lex vetus prohibet. *Qui altario deſeruiunt, vinum & ſicerã non bibent.* Siccera Hebræo ſermone omnis potio nũcupatur, quæ inebriare poteſt, ſiue illa quæ fermento conficitur, ſiue pomorũ ſucco, aut faui decoquuntur in dulce, & herbarum potionẽ aut palmarũ fructus exprimuntur in liquorẽ, coctiſq; frugibus aqua pinguior colatur. Quicquid inebriat & ſtatũ mẽtis euertit fuge ſimiliter vt vinũ. Ex regula sãcti Pachomij vinũ & liquamẽ abſque loco ægrotantiũ nullus attingat. Quis etiam veſtrũ non audierit vinum Monachorum penitus nõ eſſe, & in tantum olim à Monachis abhorreri, vt ab ipſo vehementer dehortantes ipſum Sathanam appellarent? Vnde in vitis Patrum ſcriptum legimus: *Narrauerunt quidam Abbati Paſtori de quodam Monacho quia non bibebat vinum, & dixit eis: Quia vinum Monachorum omnino non eſt.* Item poſt aliqua: *Facta eſt aliquando celebratio Miſſarum in monte Abbatis Anthonij, & inuẽtum eſt ibi cenidium vini, & tollens vnus de ſenibus paruum vas calicem portauit ad Abbatem Syſoi, & dedit ei, & bibit ſemel & ſecundò, & accepit & bibit. Obtulit ei etiam tertiò, ſed non accepit, dicens: Quieſce frater, an neſcis quia eſt Sathanas?* Et iterum de Abbate Syſoi. *Dicit ergo Abraham diſcipulis eius, ſi occurritur in ſabbatho, & Dominica ad Eccleſiam, & biberit tres calices, ne multo eſt? & dixit ſenex: Si non eſſet Sathanas, non eſſet multum.* Hinc & beatus non immemor Benedictus cùm diſpenſatione quadam Monachis vinum indulgeret, ait: *Licet legamus vinum Monachorum omninò non eſſe, ſed quia noſtris temporibus id Monachis penitus perſuaderi non poteſt.* Quid enim mirum ſi Monachis penitus non ſit indulgendum, quod feminis quoque, quarum in ſe eſt natura debilior, & tamen contra vinum fortior, ipſum omninò beatus interdicit Hieronymus? Hic enim Euſtochium virginem Chriſti de conſeruanda inſtruens virginitate, vehementer adhortatur dicens: *Si quid itaque in me poteſt eſſe conſilij, ſi experto creditur, hoc primum moneo & obteſtor, vt ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Hæc aduerſus adoleſcentiã prima ſunt arma Dæmonum. Non ſic auaritia quatit, inflat ſuperbia, delectat ambitio. Facile alijs caremus vitijs. Hic hoſtis intus*

Digitized by Google

incluſus eſt. Quocumque pergamus, nobiſcum portamus inimicum. Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flãmæ adijcimus? Quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? Conſtat tamen ex eorum documentis qui de Phyſica ſcripſerunt, multo minus feminis quàm viris virtutem vini prævalere poſſe. Cuius quidem rei rationem inducens Macrobius Theodoſius 4. Saturnaliorum libro ſic ait: *Ariſtoteles,* Cap. 6. *mulieres, inquit, rarò inebriantur, crebrò ſenes. Mulier humectiſſimo eſt corpore. Docet hoc & leuitas cutis & ſplendor. Docent præcipuè aſſiduæ purgationes ſuperfluo exonerantes corpus humore. Cùm ergo epotum vinum in tam largum ceciderit humorem vim ſuam perdit, nec facilè cerebri ſedem ferit fortitudine eius extincta.* Item: *Muliebre corpus crebris purgationibus depuratum, pluribus conſertum foraminibus, vt pateat in meatus, & vias præbeat humori in egeſtionis exitum confluenti. Per hæc foramina vapor vini celeriter euaneſcit.* Ibidem. Qua igitur ratione id Monachis indulgetur, quod infirmiori ſexui denegatur? Quanta eſt inſania id eis concedere, quibus ampliùs poteſt nocere, & alijs negare? Quid denique ſtultius id quod religioni magis eſt contrarium, & à Deo plurimũ facit apoſtatare, religionem non abhorrere? Quid impudentius, quàm id quod regibus quoque & ſacerdotibus legis interdicitur, Chriſtianæ perfectionis abſtinentiam non vitare? imò in hoc maximè delectari? Quis namque ignoret quantum in hoc tempore Clericorum præcipuè vel Monachorum ſtudium circa cellaria verſetur, vt ea ſcilicet diuerſis generibus vini repleant? herbis illud, melle, & ſpeciebus condiant; vt tantò facilius ſe inebrient, quantò delectabilius potent? & tantò ſe magis ad libidinem incitent, quantò amplius vino æſtuent? Quis hic non tam error quàm furor, vt qui ſe maximè per profeſſionem continentiæ obligant, minus ad conſeruandum votum ſe præparent? imò vt minimè cuſtodiri poſſit, efficiant? Quorum profectò ſi clauſtris retinentur corpora, corda libidine plena ſunt, & in fornicationem inardeſcit animus. Prouer 31. Leuit. 10. Scribens ad Timotheum Apoſtolus: *Noli,* inquit, *adhuc aquam bibere, ſed vino modico vtere propter ſtomachum tuum & frequentes infirmitates tuas.* 1. Tim. 5. Cui propter infirmitatem conceditur vinum modicum, conſtat vtique quia ſanus ſumeret nullum. Si vitam profitemur Apoſtolicam, & præcipuè formam vouemus pœnitentiæ, & fugere ſeculum pro-

Digitized by Google

ponimus: cur eo maximè delectamur, quod propoſito noſtro maximè aduerſari videmus,& vniuerſis eſt alimentis delectabilius? Diligens pœnitentiæ deſcriptor beatus Ambroſius nihil in victu pœnitentium prętęr vinum accuſat,dicens: *An quis putat illam pœnitentiam vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effuſio, vbi ipſius copulæ coniugalis vſus? Renunciandũ ſeculo eſt, facilius inueni qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui cõgruè pœnitentiam egerint.* Item in libro de fuga ſeculi: *Bene,* inquit, *fugis ſi oculus tuus fugiat calices, & fialas: ne fiat libidinoſus dum moratur in vino.* Solum de omnibus alimentis in fuga ſeculi vinum commemorat, & hoc vinum ſi fugiamus, bene nos ſeculum fugere aſſerit,quaſi omnes ſeculi voluptates ex hoc vno* pendeant.nec etiam dicit,ſi gula fugiat eius guſtũ, verumetiam oculus viſum, ne libidine & voluptate ipſius capiatur, quod frequenter intuetur.Vnde & illud eſt Salomonis quod ſuprà meminimus: *Ne intueamur vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius.* Sed quid & hic quæſo dicemus,qui vt tam guſtu eius quàm viſu oblectemur, cùm illud melle, herbis, vel ſpeciebus diuerſis condierimus, fialis etiam ipſum propinari volumus? Beatus Benedictus vini coactus indulgentiam faciens, *Saltem vel hoc*, inquit, *conſentiamus, non vſque ad ſatietatem bibamus, ſed parciùs: quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes.* O vtinam vſque ad ſatietatem bibere ſufficeret,ne maioris rei tranſgreſſionis ad ſuperfluitatem efferremur. Beatus etiam Auguſtinus Monaſteria ordinans Clericorum,& eis Regulam ſcribens, *Sabbatho tantum & Dominica,ſicut cõſuetudo eſt, qui volunt vinum accipiant:* tum videlicet pro reuerentia Dominicæ diei & ipſius vigiliæ,quæ eſt Sabbathum:tum etiam quia tunc diſperſi per cellulas fratres congregabantur. Sicut & in vitis Patrum beatus commemorat Hieronymus, ſcribens de loco quem Cellia nominauit,his verbis:*Singuli per cellulas manent. Die tamen ſabbathi & Dominica in vnum ad Eccleſiam coeunt, & ibi ſemetipſos inuicẽ tanquam cælo redditos vident.* Vnde profectò cõueniens erat hæc indulgentia, vt inſimul conuenientes aliqua recreatione congauderent,non tam dicentes quàm ſentientes: *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.* Ecce ſi à carnibus abſtineamus, magnum quid nobis imputatur,quantacumque ſuperfluitate cæteris veſcamur.Si

Lib. 2. de Pœnit.c. 10.

Cap. 9.

* *al.* vino

Regul. c.40.

Eccleſ. 19.

Regul.2.c 2. & ad fratres in erem. Ser. 1.

In vit. Patr. part. 1.

Pſal. 132.

Cõtra illos qui à carnibus abſti-

multis expensis diuersa piscium fercula comparemus, si piperis & specierum sapores miſceamus, si cùm inebriati mero fuerimus, calices herbatorum & fialas pigmẽtorum superaddamus. Totum id excusat vilium abstinentia carnium, dummodo eas publicè non voremus, quasi ciborum qualitas magis quàm superfluitas in culpa sit: cùm solam Dominus crapulam & ebrietatem nobis interdicat, hoc est cibi pariter & vini superfluitatem potiùs quàm qualitatem. Quod & diligenter beatus attendens Augustinus, nihilque in alimentis præter vinum veritus, nec vllam ciborum qualitatem distinguens, hoc in abstinentia satis esse credidit quod breuiter expressit: *Carnem*, inquit, *vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ vel potus quantum valitudo permittit.* Legerat, nisi fallor, illud beati Athanasiij in exhortatione ad Monachos: *Ieiuniorum quoque non sit volentibus certa mensura, sed in quantum possibilitas valet, nisi laborantis extensa: quæ præter Dominicam diem semper sint solemnia, non votiua sint.* Ac si diceret: Si ex voto suscipiuntur, deuotè compleãtur omni tempore, nisi in Dominicis diebus. Nulla hîc ieiunia præfiguntur, sed quantum permittit valitudo. Dicitur enim: *Solam naturæ facultatem inspicit & ipsam sibi modũ præfigere permittit: sciẽs quoniam in nullis delinquitur, si modus in omnibus teneatur.* Vt videlicet nec remissius quàm oportet voluptatibus resoluamur, sicut de populo medulla tritici & meraciſſimo vino educato scriptum est: *Incrassatus est, dilatatus, & recalcitrauit.* Nec supra modũ abstinentia macerati vel omnino victi succumbamus, vel murmurantes mercedem amittamus, vel de singularitate gloriemur. Quod Ecclesiastes præueniens ait: *Iustus perit in sua iustitia. Noli esse iustus multum, neque plus sapias quàm necesse est. Ne obstupescas de tua quasi admirans singularitate intumescas.* Huic verò |diligentiæ sic omnium virtutum mater discretio præsit, vt quæ quibus imponat onera sollicitè videat, vnicuique scilicet secundum propriam virtutem, & naturam sequens potiùs quã trahens, nequaquam vsum satietatis *, sed abusum auferat superfluitatis: & sic extirpentur vitia, ne lædatur natura. Satis est infirmis, si peccata vitent, & si non ad perfectionis cumulum conscendant. Sufficit quoque paradisi angulo residere, si martyribus non possis considere. Tutum est vouere modica, vt maiora debitis superaddat gratia. Hinc enim

nent & cæteris superflue vescũtur & potant.

Luc. 21.

Epist. 109. & serm. 25. ad fratr. in eremo. Reg. 3. c. 11.

Deuter. 32.

Eccles. 7.

* al. saturitatis

Digitized by Google

Luc. 7. ſcriptum eſt: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt, dicite: Serui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus.* *Lex*, inquit Apoſto-
Rom. 4. lus, *iram operatur. Vbi enim nō eſt lex nec præuaricatio.* Et iterum:
Rom. 7. *Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit. Ego autē mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam: hoc eſt ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud me occidit, vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.* Auguſtinus ad Simplicianum: *Ex prohi-*
Lib. 1. quæſt. quæſt. 66. *bitione auctо deſiderio dulcius factum eſt, & ideo fefellit.* Idem in libro Quæſtionum, quæſt. lxxxiij. *Suaſio delectationis ad peccatum vehementior eſt cùm adeſt prohibitio.*

Ouid. lib. 3. amor. eleg. 3. *Nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata.*

Attendat cum tremore hæc quiſquis ſe iugo alicuius regulæ quaſi nouæ legis profeſſioni vult alligare. Eligat quod poſſit, timeat quod non poſſit. Nemo legis efficitur reus, niſi qui eā fuerit ante profeſſus. Antequam profitearis delibera. Cū profeſſus fueris, obſerua. Ante eſt volūtarium quod poſtea fit
Ioan. 14. neceſſarium. *In domo Patris mei*, dicit Veritas, *manſiones multæ ſunt.* Sic etiam plurimæ ſunt quibus illuc perueniatur viæ. Non damnantur coniuges, ſed faciliùs ſaluantur continētes. Non ad hoc vt ſaluaremur ſanctorum Patrum ſunt additæ regulæ: ſed vt faciliùs ſaluemur, & puriùs Deo vacare poſſi-
1. Cor. 7. mus. *Etſi*, inquit Apoſtolus, *nupſerit virgo, non peccabit: tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco.*
Ibidem. Item: *Mulier quæ innupta eſt & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat, ſine impedimento Deum obſeruandi.* Tunc verò facillimè id agitur, cùm à ſeculo corpore quoque recedentes, clauſtris nos Monaſteriorum recludimus, ne nos ſeculares inquietent tumultus. Nec ſolùm qui legem ſuſcipit, ſed qui legem imponit, prouideat ne multiplicatis præceptis tranſgreſſiones multiplicet. Verbum Dei veniens
Hebr. 7. verbum abbreuiatum fecit ſuper terram. Multa Moyſes locutus eſt; & tamen, vt ait Apoſtolus, *nihil ad perfectum ad-*
Act. 15. *duxit lex.* Multa profectò & in tantum grauia, vt Apoſtolus Petrus eius præcepta neminem potuiſſe portare profiteatur,

Digitized by Google

dicens: *Viri fratres, quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruicē diſcipulorum, quod nec patres noſtri neque nos portare potuimus? ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluari quemadmodum & illi.* Paucis Chriſtus de ædificatione morum & ſanctitate vitæ Apoſtolos inſtruxit, & perfectionem docuit. Auſtera remouens & grauia, ſuauia præcepit & leuia, quibus omnem conſummauit religionem: *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiā vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugū enim meum ſuaue eſt, & onus meū leue.* Matth. 11. Sic enim ſæpe in operib⁹ bonis ſicut in negotijs agitur ſeculi. Multi quippe in negotio plus laborant & minus lucrantur. Et multi exteriùs ampliùs affliguntur, & minus interiùs apud Deum proficiūt, qui cordis potiùs quàm operis inſpector eſt. Qui etiam quo in exterioribus ampliùs occupātur, minus ad interiora vacare poſſunt; & quantò apud homines, qui de exterioribus iudicant, ampliùs innoteſcunt, maiorem gloriam apud eos aſſequuntur, & faciliùs per elationem ſeducuntur. Cui Apoſtolus occurrens errori, opera vehemēter extenuat, & fidei iuſtificationem amplificās ait: *Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam; ſed non apud Dominū. Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Rom. 4. Geneſ. 15. Et iterum: *Quid ergo dicimus, quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam apprehenderunt iuſtitiam; iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit? Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Illi quod catini eſt vel paropſidis de foris mundantes, de interiori mundicia minus prouident, & carni magis quàm animæ vigilantes carnales potiùs ſunt quàm ſpirituales. Nos vero Chriſtum in exteriori homine per fidem habitare cupientes, pro modico ducimus exteriora, quæ tam reprobis quàm electis ſunt communia, attendentes quod ſcriptum eſt: *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Vnde & exteriorem illam legis abſtinentiam non ſequimur, quam nihil iuſtitiæ certum eſt conferre. Nec quicquam nobis in cibis Dominus interdicit, niſi crapulam & ebrietatem, id eſt ſuperfluitatem. Qui etiam quod nobis indulſit, in ſeipſo exhibere non erubuit: licet hinc multi ſcandalizati non mediocriter improperarent. Vnde & perſemet ipſum loquens: *Venit Ioannes*, inquit, *non* Luc. 21. Matth. 11.

Digitized by Google

manducans & non bibens, & dixerunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dixerunt: Ecce homo vorax & potator vini. Qui etiam ſuos excuſans, quòd non ſicut diſcipuli Ioannis ieiunarent, nec etiam manducantes corporalem illam mundiciam abluendarum manuum magnopere curarent: *Non poſſunt*, inquit, *lugere filij Sponſi quandiu cum illis Sponſus eſt.* Et alibi: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.* Nullus itaque cibus inquinat animam, ſed appetitus cibi vetiti. Sicut enim corpus non niſi corporalibus inquinatur ſordibus, ſic nec anima niſi ſpiritualibus. Nec timendum eſt quicquid agatur in corpore, ſi animus ad conſenſum non trahitur. Nec confidendum de mundicia carnis, ſi mens voluntate corrumpitur. In corde igitur tota mors animæ conſiſtit & vita. Vnde Salomon in Prouerbijs: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Et iuxta prædictam Veritatis aſſertionem, ex corde procedunt quæ coinquinant hominem: quoniam bonis vel malis deſiderijs anima damnatur vel ſaluatur. Sed quoniam animæ & carnis in vnam coniunctarum perſonam maxima eſt vnio, ſummoperè prouidendum eſt ne carnis delectatio ad conſenſum animam trahat, & dum nimis indulgetur carni, ipſa laſciuiens reluctetur ſpiritui, & quam oportet ſubijci incipiat dominari. Hoc autem cauere poterimus, ſi neceſſarijs omnibus conceſſis ſuperfluitatem, vt ſæpius dictum eſt, penitus amputemus: & infirmo ſexui nullum ciborum vſum, ſed omnium denegemus abuſum. Omnia concedãtur ſumi, ſed nulla immoderatè conſumi, *Omnis*, inquit Apoſtolus, *creatura Dei bona, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim de verbum Dei & orationem. Hoc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam aſſecutus es.* Et nos igitur cum Timotheo hanc Apoſtoli inſecuti doctrinam, & iuxta Dominicam ſententiam nihil incibis niſi crapulam & ebrietatem vitantes, ſic omnia temperemus, vt ex omnibus infirmam naturam ſubſtentemus, non vitia nutriamus. Et quo quæque ampliùs ſua ſuperfluitate poſſunt nocere, tẽperamenti magis accipiant. Maius quippè eſt ac laudabilius

Matth. 9.
Matth. 16.
Matth. 6.
Matth. 15.
Prouerb. 4.
2. Tim. 4.
Luc. 21.

temperatè

temperatè comedere, quàm omninò abſtinere. Vnde & beatus Auguſtinus in Libro de bono coniugali, cùm de corporalibus ageret ſubſtentamentis: *Nequaquam*, inquit, *eis benè vtitur, niſi qui & vti non poteſt. Multi quidem facilius ſe abſtinent vt non vtantur, quàm temperant vt benè vtantur. Nemo tamen poteſt eis ſapienter vti, niſi poteſt & continenter non vti.* Ex hoc habitu & Paulus dicebat: *Scio & abundare & penuriam pati.* Penuriam quippè pati, quorumcumque hominum eſt: ſed ſcire penuriam pati, magnorum eſt. Sic & abundare quiſquam hominum incipere poteſt. Scire autem abundare non niſi eorum eſt, quos abundantia non corrumpit. De vino itaque, quia, ſicut dictum eſt, luxurioſa res eſt & tumultuoſa, ideóque tam continentiæ quàm ſilentio maximè contrarium, aut omnino feminæ abſtineant propter Deum, ſicut vxores gentilium ab hoc inhibentur metu adulteriorum: aut ita ipſum aqua temperent, vt & ſiti pariter & ſanitati conſulat, & vires nocendi non habeat. Hoc autem fieri credimus, ſi huius mixturæ quarta pars ad minus aquæ fuerit. Difficillimum verò eſt vt adpoſitum nobis potum ſic obſeruemus, vt non vſque ad ſatietatem indè bibamus, ſicut de vino beatus præcipit Benedictus. Ideoque tutius arbitramur, vt nec ſatietatem interdicamus, ne indè * periculum incurramus. Non enim ſatietas, vt ſæpè iam diximus, ſed ſuperfluitas in crimine eſt. Vt verò pro medicamento herbata vina conficiantur, aut etiam vinum purum ſumatur, non prohibendum eſt. Quibus tamen Conuentus nunquam vtatur, ſed ſeparatim ab infirmis hæc deguſtentur. Triticeæ quoque medullæ ſimilaginẽ omninò prohibemus, ſed ſemper cùm habuerint triticum, tertia pars ad minus groſſioris annonæ miſceatur. Nec calidis vnquam oblectentur panibus, ſed qui ad minus vno die antè cocti fuerint. Cæterorum verò alimentorum prouidentiam ſic habeat Diaconiſſa, vt ſicut iam præfati ſumus, quod vilius poterit cõparari, vel facilius haberi, infirmi ſexus naturæ ſubueniat. Quid enim ſtultius quàm cùm ſufficiant noſtra emamus aliena? & cùm ſint domi neceſſaria, quæramus extra ſuperflua? & cùm ſint ad manum quæ ſufficiant, laboremus ad illa quæ ſuperfluunt? De qua quidem neceſſaria diſcretionis moderatione nõ tam humano quàm Angelico, ſeu etiam Dominico inſtructi documento, nouerimus ad huius

Regul. c. 40.
* *al.* vitæ

Digitized by Google

vitæ neceſſitudinem tranſigendam non tam qualitatem ciborum exquirere, quàm his quæ præſto ſunt contentos eſſe. Vnde & Abraham carnibus apparatis Angeli veſcuntur, & inuentis in ſolitudine piſcibus ieiunam multitudinem Dominus Ieſus refecit. Ex quo videlicet manifeſtè docemur indifferenter tam carnium quàm piſcium eſum non eſſe reſpuendum, & eum præcipuè ſumendum, qui & offenſa peccati careat, & ſponte ſe offerens faciliorem habeat apparatum, & minorem exigat expenſam. Vnde & Seneca maximus ille paupertatis & continentiæ ſectator, & ſummus inter vniuerſos Philoſophos morum ædificator: *Propoſitum*, inquit, *noſtrum eſt ſecundum naturam viuere. Hoc cõtra naturam eſt, torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe mundicias, & ſqualorem appetere, & cibis non tantùm vilibus vti, ſed certis & horridis.* Quemadmodum deſiderare delicatas res luxuriæ eſt, ita & vſitatas & non magno parabiles fugere dementiæ. Frugalitatem exigit Philoſophiæ, non pœnam. Poteſt tamen eſſe non incompoſita frugalitas, hic mihi modus placet. Vnde & Gregorius Moralium libro xxx. cùm ipſis hominum moribus non tam ciborum quàm animorum qualitatem attendendam eſſe doceret, ac gulæ tentationes diſtingueret: *Aliquando*, inquit, *cibos lautiores quærit, aliquando quælibet ſumenda præparari accuratiùs appetit.* Nonnunquam verò & abiectius eſt quod deſiderat, & tamen ipſo æſtu immenſi deſiderij peccat. Ex Ægypto populus eductus in Heremo occubuit, quia deſpecto manna cibos carnium petijt, quos lautiores putauit. Et primogenitorum gloriam Eſau amiſit, quia magno æſtu deſiderij vilem cibum, id eſt lenticulam concupiuit, quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret indicauit. Neque enim cibus, ſed appetitus in vitio eſt. Vnde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abiectiores non ſine reatu conſciẽtiæ deguſtamus. Hic quippe quem diximus Eſau primatum per lenticulam perdidit, & Helias in Heremo virtutem corporis carnes edẽdo ſeruabit. Vnde & antiquus hoſtis, quia nõ cibum, ſed cibi concupiſcentiam eſſe cauſam damnationis intelligit, & primum ſibi hominem non carne, ſed pomo ſubdidit; & ſecũdum non carne, ſed pane tentauit. Hinc eſt quod plerumque Adam culpa committitur etiam cùm abiecta & vilia ſumun-

Geneſ. 18. Marc. 8. Ioan. 6.

Epiſt. 5. ad Lucil.

Cap. 13. in Iob. 39.

Geneſ. 25. 3. Reg. 17.

Digitized by Google

tur. Ea itaque ſumenda ſunt, quæ naturæ neceſſitas quærit, & non quæ edendi libido ſuggerit. Minori verò deſiderio concupiſcimus quæ minus pretioſa eſſe videmus,& quæ magis abundant, & viliùs emuntur: ſicut eſt communium cibus carnium, qui & infirmam naturam multo validiùs quàm piſces confortat,& minores expenſas,& faciliorem habet apparatum. Vſus autem carnium ac vini, ſicut & nuptiæ intermedia boni & mali,hoc eſt indifferentia computantur. Licet copulæ nuptialis vſus omninò peccato non careat, & vinum omnibus alimentis periculoſius exiſtat. Quod profectò ſi temperatè ſumptum religioni non interdicitur, quid aliorũ timemus alimentorum, dummodo in eis modus nõ excedatur? Si beatus ipſum Benedictus quod Monachorum non eſſe profitetur, quadam tamen diſpenſatione Monachis huius temporis, iam refrigeſcente priſtinæ charitatis feruore, concedere cogitur; quid cætera non indulgere feminis debeamus,quæ adhuc eis nulla profeſſio interdicit? Si Pontificibus ipſis, & Eccleſiæ ſanctæ rectoribus: ſi denique Monaſterijs Clericorũ ſine offenſa carnibus etiam veſci licet,quia nulla ſcilicet profeſſione ab eis religantur: quis has culpet feminis indulgeri, maximè ſi in cæteris maiorem tolerent diſtrictionẽ? Sufficit quippè diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius. Et magna videtur credulitas, ſi quod Monaſterijs Clericorũ indulgetur, Monaſterijs feminarum prohibeatur. Nec paruum etiam æſtimandum eſt, ſi feminæ cum cætera Monaſterij diſtrictione in hac vna carnium indulgentia religione fidelium laicorum inferiores non ſint: præſertim cùm, teſte Chryſoſtomo, nihil licet ſecularibus, quod non liceat monachis: excepto concumbere tantùm cum vxore. Beatus quoq; Hieronymus Clericorũ religionẽ non inferiorẽ quã Monachorũiudicans,ait: *Quaſi quicquid in Monachos dicitur non redũdet in Clericos, qui ſunt patres Monachorũ.* Quis etiã ignoret omninò diſcretioni contrarium eſſe, ſi tanta debilibus quanta fortibus imponantur onera? ſi tanta feminis quanta viris iniungatur abſtinentia? De quo etiam ſi quis ſupra ipſum naturæ documentum authoritatem efflagitet, beatum quoque ſuper hoc Gregorium conſulat. Hic quippè magnus Eccleſiæ tam Rector quàm Doctor de hoc quoque cæteros Eccleſiæ Doctores diligenter inſtruens, libri Paſtoralis capitulo

Regul. c. 40.

Matth. 10

Homil. 7. in cap. 4. Epiſt. ad Hebr.

Tom. 1. Epiſt. 10.

Digitized by Google

Part. 3. admonit. 1.

XXIIII. ita meminit: *Aliter igitur admonendi ſunt viri, atque aliter feminæ: quia illis grauia, iſtis verò ſunt iniungenda leuiora; & illos magna exerceant, iſtas verò leuia demulcendo conuertant. Quæ enim parua ſunt in fortibus, magna reputantur in debilibus.* Quamuis hæc quoque vilium licentia carniũ minus habeat oblectamenti quàm ipſæ piſcium vel auium carnes, quas minimè tamen nobis beatus interdicit Benedictus. De quibus etiam Apoſtolus, cùm diuerſas ſpecies carnis diſtingueret: *Non omnis*, inquit, *caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorũ, alia volucrum, alia piſcium.* Et pecorum quidem & auium carnes in ſacrificio Domini lex ponit: piſces verò nequaquã: vt nemo piſcium eſum mundiorem Deo quàm carnium credat. Qui etiam tantò eſt oneroſior paupertati vel carior, quantò piſcium minor eſt copia quàm carnium, & minus infirmam corroborat naturam; vt in altero magis grauet, in altero magis ſubueniat. Nos itaque fortunæ pariter & naturæ hominum conſulentes, nihil in alimentis, vt diximus, niſi ſuperfluitatem interdicimus. Ipſum itaque carnium ſiue cæterorum eſum temperamus, vt omnibus conceſſis maior ſit abſtinentia Monialium, quàm quibuſdam interdictis modo ſit Monachorum. Igitur ipſum quoque carnium eſum ita temperari volumus, vt non ampliùs quàm ſemel in die ſumant, nec diuerſa indè fercula eidem perſonæ parentur; nec ſeorſum aliqua ſuperaddantur pulmenta, nec vllatenus ei veſci liceat pluſquam ter in hebdomada, prima videlicet feria, tertia, & quinta feria, quantæcumque etiam feſtiuitates intercurrant. Quo namque ſolemnitas maior eſt, maioris abſtinentiæ deuotione eſt celebranda. Ad quod nos egregius doctor Gregorius Nazianzenus vehementer exhortans, lib. iij. de luminibus vel ſecundis Epiphanijs ait: *Diem feſtum celebremus non ventri indulgentes, ſed ſpiritu exultantes.* Idẽ lib. iiij. de Penthecoſte & Spiritu ſancto: *Et hic eſt noſter feſtus dies*, ait, *in animæ theſauros perenne aliquid & perpetuum reconda-mus, non ea quæ pertranſeunt & diſſoluuntur. Sufficit corpori malicia ſua, non indiget copioſiore materia, nec inſolens beſtia abundantioribus cibis vt inſolentior fiat, & violentius vrgeat.* Idcirco autem ſpiritualiter magis eſt agenda ſolemnitas, quam & beatus Hieronymus eius diſcipulus ſecutus, in Epiſtola ſua de acceptis muneribus ita quodam loco meminit: *Vnde nobis ſollicitiùs*

Cõtra illos qui abſtinẽt vel abſtinẽdum prędicant à carnibus, & nõ alijs cibis. 1. Cor. 15.

Tom. 1. Epiſt. 19.

Digitized by Google

prouidendum, vt ſolemnem diem non tam ciborum abundantia, quàm ſpiritus exultatione celebremus: quia valde abſurdum eſt nimia ſaturitate honorare velle martyrem, quem ſciamus Deo placuiſſe ieiunijs. Auguſtinus de pœnitentiæ medicina: *Attẽde tot martyrum millia. Cur enim natalitia eorum conuiuijs turpibus celebrare delectat, & eorum vitam ſequi honeſtis moribus non delectat?* Quotiens vero carnes deerunt, duo eis fercula qualiumcumque pulmentorum concedimus, nec ſuperaddi piſces prohibemus. Nulli verò precioſi ſapores cibis apponantur in Conuentu, ſed ijs contentæ ſint, quæ in terra, quam inhabitant, naſcuntur: fructibus verò non niſi in cœna veſcantur. Pro medicamento autem quibus opus fuerit, vel herbas vel radices ſeu fructus aliquot, vel alia huiuſmodi nunquam prohibemus menſis apponi. Si qua forte peregrina Monialis hoſpitio recepta menſis intererit, ferculo ei aliquo ſuperaddito charitatis ſentiat humanitatem. De quo quidem ſi quid diſtribuere voluerit, licebit. Hæc autem, vel ſi plures fuerint, in maiore menſa reſidebunt, & eis Diaconiſſa miniſtrabit. Poſtea cum alijs, quæ menſis miniſtrant, comeſtura. Si qua verò ſororum parciori cibo carnem domare voluerit, nullatenus hoc ipſa niſi per obediẽtiam præſumat, & nullatenus hoc ei denegetur, ſi hoc non lenitate, ſed virtute videtur appetere, quod eius firmitudo valeat tolerare. Nulli tamen vnquam permittatur, vt per hoc Conuentu* nec vt aliquam diem ſine cibo tranſigat. Sagiminis condimento ſexta feria nunquam vtantur, ſed quadrageſimali cibo contentæ ſponſo ſuo ea die paſſo quadam compatiantur abſtinentia. Illud vero non ſolum prohibendum, ſed vehementer eſt abhorrendũ, quod in pleriſque Monaſterijs agi ſolet, quod videlicet parte aliqua panis, quæ ſupereſt eſui, & pauperibus eſt reſeruanda, manus & cultellos mundare & extergere ſolent, & vt mappis parcant menſarum panem polluunt pauperum. Imò eius qui ſe attendens in pauperibus ait: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Cap. 4.

* locus corruptus.

De abſtinentia ieiuniorum generalis inſtitutio Eccleſiæ illis ſufficiat, nec ſupra fidelium laicorum religionem in hoc eas grauare præſumimus, nec virtuti virorum earum infirmitatem in hoc præferre audemus. Ab æquinoctio vero autumnali vſque ad Paſcha propter dierum breuitatem vnũ iii di-

Digitized by Google

comeſtionem ſufficere credamus. Quod quia non pro abſtinentia religionis, ſed pro breuitate dicimus temporis, nulla hîc ciborum genera diſtinguemus.

1. Tim. 2. 1. Petr. 3. Luc. 16. Matth. 11. PRETIOSAE veſtes, quas omninò Scriptura dãnat, ſummopere fugiantur. De quibus nos præcipuè Dominus dehortans & damnati diuitis ſuperbiam de ijs accuſat, & Ioannis humilitatem è contrario commendat. Quod beatus diligenter attendens Gregorius homilia Euangeliorum vi. *Quid eſt*, inquit, *dicere, Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt: niſi aperta ſententia demonſtrare quod non cæleſti, ſed terreno regno militant, qui pro Deo perpeti aſpera fugiunt, ſed ſolis exterioribus deditipræſentis vitæ mollitiem delectationemque quærunt?* Idem Homilia xl. *Sunt nonnulli, qui cultum ſubtilium pretioſarumque veſtiũ non putant eſſe peccatum. Quod videlicet ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquebatur ad inferos, byſſo & purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta præcipua niſi ad inanem gloriam quærit, videlicet vt honorabilior cæteris eſſe videatur. Nam pro ſola inani gloria veſtimentiũ pretioſis quæritur. Res ipſa teſtatur, quòd nemo vult ibi precioſis veſtibus indui, vbi ab alijs non poſſit videri.* A quo & prima Petri Epiſtola ſeculares & coniugatas feminas dehortans ait: *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt & ſi qui non credunt verbo per mulierum conuerſationẽ, ſine verbo lucrifiant; conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram. Quarum ſit non extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorius cultus, ſed qui abſconditus corde eſt homo incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, quod eſt in conſpectu Domini locuples.* Bene autem feminas potiùs quàm viros ab hac vanitate cenſuit dehortãdas, quarum infirmus animus id amplius appetit, quo per eas & in eis ampliùs imitari luxuria poſſit. Si autem ſeculares hinc inhibendæ ſunt feminæ, quid Chriſto deuotas conuenit prouidere? quarum hoc ipſum illis eſt cultus, quòd ſunt incultæ. Quæcumque igitur hunc appetit cultum vel non renuit oblatum, caſtitatis perdit teſtimonium. Et quæcumque talis eſt, non ſe religioni præparare, ſed fornicationi credatur, nec tam monialis quàm meretrix cẽſeatur. Cui & ipſe cultus eſt tanquam lenonis pręconium, qui inceſtum prodit animum, ſicut ſcriptum eſt: *Amictus corporis, & riſus dentium, & increſſus hominis enunciant de illo.* Legimus Dominum in Ioan-

Eccleſ. 19.

ne,vt iam ſuprà meminimus,vilitatem ſeu aſperitatem veſtiũ potius quàm eſcę commendaſſe,atque laudaſſe. *Quid exiiſtis*, inquit,*in deſertum videre?hominem mollibus veſtitum*? Habet enim nonnunquam vſus pretioſorum ciborum vtilem aliquã diſpenſationem , ſed veſtium nullam. Quæ videlicet veſtes quantò ſunt pretioſiores,tantò cariùs cuſtodiuntur,& minus proficiunt,& ementem ampliùs grauant, & præ ſubtilitate ſui facilius poſſunt corrumpi , & minus corpori præbent fomenti. Nulli verò panni magis quàm nigri lugubrem pœnitentiæ habitum decent , nec adeò ſponſis Chriſti pelles aliquæ conueniunt , ſicut agninæ : vt ipſo quoque habitu Agnum ſponſum virginum indutæ videantur , vel induere moneantur. Vela verò earum non de ſerico,ſed de tincto aliquo lineo panno fiant. Duo autem velorum genera eſſe volumus,vt alia ſint ſcilicet virginũ iã ab ipſo conſecratarũ,alia verò minimè. Quæ verò pudictarum ſunt virginũ,crucis ſibi ſignum habeant impreſſum;quo ſcilicet ipſę integritate quoque corporis ad Chriſtũ maximè pertinere monſtrentur : & ſicut in conſecratione diſtare à cæteris, ita & hoc habitus ſigno diſtinguantur , quo & quique fidelium territi magis abhorreant in concupiſcentiam earum exardeſcere. Hoc autem ſignum virginalis mundiciæ in ſummitate capitis candidis expreſsũ filis virgo geſtabit , & hoc nullatenus antequam ab Epiſcopo conſecretur geſtare præſumat. Nulla autem alia vela hoc ſigno inſignita ſint. Interulas mundas ad carnẽ habeant , in quibus etiam cinctæ ſemper dormiant. Culcitrarum quoque mollitiem vel linteaminum vſum infirmæ ipſarum non negamus naturæ.Singulæ verò dormiant & comedant.Nulla pénitus indignari præſumat,ſi veſtes vel quæcumque alia ſibi ab aliquibus tranſmiſſa alij, quæ ampliùs indiget, concedantur ſorori. Sed tunc maximè gaudeat , cùm in ſororis neceſſitate fructũ habuerit eleemoſynæ , vel ſe reſpexerit non ſolum ſibi,ſed alijs viuere. Alioquin ad ſanctæ ſocietatis fraternitatem non pertinet , nec proprietatis ſacrilegio caret. Sufficere autem ad corpus contegendum credimus interulam,pelliceam, togam ; & cum multum exaſperauerit frigus,inſuper mantellum. Quo videlicet mantello pro opertorio quoque vti iacentes poterunt. Oportebit autem pro infeſtatione vermium vel grauamine ſordiũ ablue-

darum, hæc omnia esse duplicia indumenta sicut ad literam in laude fortis & prouidæ mulieris Salomon ait: *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti duplicibus.* Quorum ita sit moderata longitudo, vt vltra oram sotularium non procedant, ne puluerem moueant. Manicæ verò extensionem brachiorum & manuum non excedant. Crura verò & pedes caligæ pedules & sotulares muniãt. Nec vnquã occasione religionis nudæ pedes incedãt. In lectis culcitra vna, puluinar, auriculare, lodex & linteolũ sufficiãt. Caput verò muniant vitta candida, & velum desuper nigrum, & pro tonsura capillorum pilleum agninum, cùm opus fuerit supponatur.

NEC in victu tantùm aut vestitu superfluitas euitetur, verum & in ædificijs aut quibuslibet possessionibus. In ædificijs quidẽ hoc manifestè dignoscitur, si ea maiora vel pulchriora quàm necesse sit componantur, vel si nos ipsa sculpturis vel picturis ornantes, non habitacula pauperum ædificemus, sed palatia Regum erigamus. *Filius hominis*, inquit Hieronymus, *non habet vbi caput reclinet, & tu amplas porticus & ingentia tectorũ spatia metiris?* Cum pretiosis vel pulchris delectamur equitaturis, non solum superfluitas, sed elationis vanitas innotescit. Cum autem animalium greges vel terrenas multiplicamus possessiones, tunc se ad exteriora dilatat ambitio: & quãto plura possidemus in terra, tantò ampliùs de ipsis cogitare cogimur, & à contemplatione cælestium deuocamur. Et licet corpore clausstris recludamur; hæc tamen quæ foris sunt, & diligit animus, sequi cogitur, & se pariter huc & illuc cum illis diffundit, & quo plura possidentur quæ amitti possunt, maiori nos metu cruciãt; & quo pretiosiora sunt ampliùs diliguntur, & ambitione sui miserum magis illaqueant animũ. Vnde omnino prouidendum est, vt domui nostræ sumptibusque nostris certum præfigamus modum, nec supra necessaria vel appetamus aliqua, vel recipiamus oblata, vel retineamus suscepta. Quicquid enim necessitati supereſt, in rapina possidemus; & tot pauperum mortis rei sumus, quot indè substentare potuimus. Singulis igitur annis cùm collecta fuerint victualia, prouidendum est quantum sufficiat per annum; & si qua superfuerint, pauperibus non tam danda sunt quàm reddenda. Sunt qui prouidentiæ modum ignorantes, cùm

Tom. 1. Epist. 1.

Digitized by Google

cùm redditus paucos habeant, multam habere familiã gaudent. De cuius quidem procuratione dum grauantur, impudenter hanc quærentes mendicant, vel quæ non habent violenter ab alijs extorquent. Tales etiam iam nonnullos Monasteriorum Patres conspicimus, qui de multitudine Conuentus gloriantes, non tam bonos filios quàm multos habere studeant, & magni videntur in oculis suis, si inter multos maiores habeantur. Quos quidem vt ad suum trahant dominium, cùm aspera deberent eis prædicare, lenia promittunt, & nulla examinatione antea probatos quos indiscretè suscipiunt facilè apostatãtes perdunt. Talibus, vt video, improperabat Veritas, dicens: *Væ vobis qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselitum. Quem cùm feceritis, facitis illum filium gehennæ duplò quàm vos.* Qui profectò minus de multitudine gloriarentur si salutem animarum magis quàm numerum quærerent, & de suis viribus in ratione sui regiminis reddenda minus præsumerent. Paucos Dominus elegit Apostolos, & de ipsa electione sua vnus in tantum apostatauit, vt pro ipso Dominus diceret: *Nunquid* ego duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Sicut autem de Apostolis Iudas, sic & de septem Diaconibus Nicolaus perijt. Et cùm paucos adhuc Apostoli cõgregassent, Ananias & Saphira vxor eius mortis excipere sententiã meruerunt. Quippè & ab ipso antea Domino cùm multi abijssent discipulorũ retrorsum, pauci cum ipso remanserunt. Arcta quippè via est, quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam. Sicut è contrario lata est & spatiosa, quæ ducit ad mortem; & multi sunt qui se vltro ingerant. Quia sicut ipse Dominus testatur alibi: *Multi vocati, pauci verò electi.* Et iuxta Salomonem: *Stultorum infinitus est numerus.* Timeat itaque quisquis de multitudine gaudet subiectorum, ne in eis iuxta Dominicã assertionem pauci reperiantur electi, & ipse immoderatè gregem suũ multiplicans minùs ad custodiam eius sufficiat, vt ei rectè à spiritalibus illud propheticum dici possit. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Tales vtique scilicet de multitudine gloriantes, dum tam pro suis quàm suorum necessitatibus sæpius exire, atque ad seculum redire, & mendicando discurrere coguntur, curis se corporalibus magis quàm spiritualibus implicant, & infamiam sibi magis quàm

Cõtra illos qui circumueniunt alios vt intrent religionẽ qui in multitudine gloriãtur, & per mundũ discurrunt.

* al. Nonne

Matth. 23.

Ioan. 6.

Act. 5.

Ioan. 6.

Matth. 7.

Matth. 20.

Esai. 9.

Digitized by Google

gloriam acquirunt. Quod quidem in feminis tantò magis eſt erubeſcendum, quantò eas per mundum diſcurrere minus videtur tutum. Quiſquis igitur quietè vel honeſtè cupit viuere, & officijs vacare diuinis ; & tam Deo quàm ſeculo charus haberi, timeat aggregare quos non poſſit procurare, nec in expenſis ſuis de alienis cõfidat marſupijs; nec eleemoſynis petendis, ſed dandis inuigilet. Apoſtolus ille magnus Euangelij prædicator, & habens poteſtatem de Euangelio ſumptus accipere, laborat manibus; ne quos grauare videatur, & gloriam ſuam euacuet. Nos ergo, quorum non eſt prædicare, ſed peccata plangere, qua temeritate vel impudentia mendicantes quærimus? Vnde hos, quos inconſideratè congregamus, ſubſtentare poſſumus? Qui etiam ſæpè in tãtam prorumpimus inſaniam, vt cùm prædicare neſciamus, prædicatores conducamus ; & pſeudoapoſtolos nobiſcum circumducendo, cruces & philacteria reliquiarum geſtemus, vt tam hæc quàm verbum Dei ſeu etiam figmenta diaboli ſimplicibus & idiotis vendamus Chriſtianis, & eis promittamus quæcumque ad extorquendos nummos proficere credimus. Ex qua quidem impudenti cupiditate, quæ ſua ſunt non quæ Ieſu Chriſti quærente, quantum iam ordo noſter & ipſa diuini prædicatio verbi viluerit, neminem iam latere arbitror. Hinc & ipſi Abbates vel qui maiores in Monaſterijs videntur, potentibus ſeculi & mundanis curijs ſeſe importunè ingerentes, iam magis carnales eſſe quàm Cœnobitæ didicerunt. Et fauorem hominum quacumque arte venantes, crebriùs cum hominibus fabulari, quàm cum Deo loqui, conſueuerunt. Illud ſæpè fruſtra legentes, atque negligentes, vel audientes ; ſed non exaudientes quod beatus Anthonius admonet, dicens: *Sicut piſces ſi tardauerint in ſicco moriuntur: ita & Monachi tardantes extra Cellulam, aut cum viris ſecularibus immorantes, à quietis propoſito reſoluuntur*. Oportet ergo ſicut piſcem in mari, ita & nos ad Cellam recurrere, ne fortè foris tardantes obliuiſcamur interioris cuſtodiæ. Quod ipſe quoque Monaſticæ ſcriptor Regulæ, ſcilicet beatus Benedictus, diligenter attendens; quaſi in Monaſterijs aſſiduos velit eſſe Abbates, & ſuper cuſtodiam ſui gregis ſollicitè ſtare, tam exemplo quàm ſcripto patenter edocuit. Hic enim cùm à fratribus ad ſacratiſſimam ſororem ſuam viſitandam

1. Cor. 9.

1. Theſſal. 2.

1. Cor. 9.

Vit. Patr. par. 2. lib. de quiet.

Digitized by Google

profectus, cùm ipsa eum pro ædificatione saltem nocte vna vellet retinere; apertè professus est manere extra Cellã nullatenus se posse. Nec ait quidem, *non possumus*; sed, *non possum*, quia hoc per eum fratres, non ipse posset, nisi hoc & à Domino, sicut postmodum actum est, reuelante. Vnde & cùm Regulam scriberet, nusquam de Abbatis, sed solummodò fratrum egressu meminerit. De cuius etiam assiduitate ita cautè prouidit, vt in vigilijs Dominicorum & festorum dierum Euangelicam lectionem, & quæ illi adiuncta sunt, non nisi ab Abbate præcipiat dici. Qui etiam instituens, vt mensa Abbatis cum peregrinis & hospitibus sit semper, & quotiens minus sunt hospites cum eo, quos voluerit de fratribus vocare, seniore vno tantùm aut duobus dimissis cum fratribus; patenter insinuat nunquam in tempore mensæ Abbatẽ Monasterio debere deesse, & vt delicatis principum ferculis iam assuetus cibarium panem Monasterij subiectis derelinquat, de qualibus quidem Veritas: *Alligant*, inquit, *onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.* Et alibi de falsis prædicatoribus: *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos.* Veniũt, inquit, per se, non à Deo missi, vel expectantes vt pro eis mandetur. Ioannes Baptista princeps noster, cui Pontificatus hæreditate cedebat, semel ab vrbe recessit ad heremum, Põtificatum scilicet pro Monachatu, ciuitates pro solitudine deserens. Et ad eum populus exibat, nec ipse ad populũ introibat. Qui cùm tantus esset vt Christus crederetur, & nulla in ciuitatibus corrigere posset: in illo iam erat lectulo, vnde pulsanti dilecto respondere paratus erat: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quisquis itaque quietis Monasticæ secretum desiderat, lectulum magis quàm lectum se habere gaudeat. *De lecto* quippè, vt Veritas ait, *vnus assumetur, & alter relinquetur.* Lectulum vero sponsæ esse legimus, id est animæ contemplatiuæ Christo arctiùs copulatæ, & summo ei desiderio adhærentis. Quem quicumque intrauerit, neminem esse relictum legimus. De quo & ipsamet loquitur: *In lectulo meo pernoctans quæsiui quem diligit anima mea.* A quo etiam lectulo ipsa surgere dedignãs, vel formidans, pulsanti dilecto quod supra meminimus respondet. Non enim sordes nisi extra lectum suum esse credit,

Greger. lib. 2. dialog. c. 33.

Regul. c. 11.

Regul. c. 56.

Matth. 23.

Matth. 7.

Marc. 1.

Cant. 5.

Digitized by Google

quibus inquinari pedes metuit. Egreſſa eſt Dina vt alienigenas videret,& corrupta eſt. Et ſicut Malcho illi captiuo Monacho ab Abbate ſuo prædictum eſt, & ipſe poſtmodum eſt expertus; Ouis quæ de ouili egreditur cito lupi morſibus patet. Ne igitur multitudinem congregemus, pro qua egrediẽdi occaſionem quæramus, imò & egredi compellamur, & cum detrimento noſtri lucrum faciamus aliorum: ad modũ videlicet plumbi, quod vt argentum ſeruetur in fornace conſumitur. Verendum potiùs eſt ne & plumbum pariter & argentum fornax vehemens conſumat tentationum. Veritas, inquiunt, ait: *Et eum qui venit ad me non eiẽciam foras.* Nec nos eijci ſuſceptos volumus, ſed de ſuſcipiẽdis prouidere: ne cùm eos intus ſuſceperimus, nos ipſos extra pro eis eijciamus. Nã & ipſum Dominum non ſuſceptum eieciſſe legimus, ſed offerentem ſe reſpuiſſe. Cui quidem dicenti: *Magiſter, ſequar te quocumque ieris*: Reſpondit, *Vulpes foueas habent, &c.* Qui etiã de ſumptibus nos ante prouidere, cùm aliquid facere meditamur, cui ſint ipſi neceſſarij, diligenter admonet, dicens: *Quis veſtrum volens turrim ædificare, nonne priùs ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habet ad perficiendum? Ne poſtea quàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui viderint incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit conſummare.* Magnum eſt ſi vel ſe vnum quis ſaluare ſufficiat, & periculoſum eſt multis eum prouidere qui vix ad cuſtodiam ſui ſufficit vigilare. Nemò verò ſtudioſus eſt in cuſtodiendo, niſi qui pauidus fuerit in ſuſcipiendo. Et nemo ſic perſeuerat in cœpto, ſicut qui tardus eſt & prouidus ad incipiendum. In quo quidem tantò maior feminarum ſit prouidentia, quantò earum infirmitas magna minus tolerat onera, & quietè plurimum eſt fouenda.

SPECVLVM animæ Scripturam ſacram conſtat eſſe, in quam quilibet legendo viuens, intelligendo proficiens, morum ſuorum pulchritudinem cognoſcit, vel deformitatem deprehendit: vt illam videlicet augere, hanc ſtudeat remouere. Hoc nobis ſpeculum beatus commemorans Gregorius in ij. Moralium ait: *Scriptura ſacra mentis oculis quaſi quoddam ſpeculum opponitur, vt interna noſtra facies in ipſa videatur. Ibi etenim fœda, cognoſcimus, ibi pulchra noſtra conſpicimus. Ibi ſentimus quantum proficimus. Ibi à profectu quàm longe diſtamus.*

Cap. 1.

Qui autem Scripturam conſpicit quam non intelligit, quaſi cæcus ante oculos tenet, in quo qualis ſit cognoſcere non valet, nec doctrinam quærit in ſcriptura, ad quam ipſa eſt tantummodo facta, & tanquam aſinus applicetur ad lyram, ſic otioſus ſedet ad ſcripturam, & quaſi panem appoſitum habet, quo ieiunus non reficitur, dum verbum Dei nec ſe per intelligentiam penetrante, nec alio ei docendo frangente, inutiliter cibum habet qui ei nullatenus prodeſt. Vnde & Apoſtolus generaliter ad ſcripturarum ſtudium nos adhortans: *Quæcumque*, inquit, *ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Et alibi: *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Sibi quippe vel ſecum loquitur, qui quod profert intelligit, vel de intelligentia verborum ſuorum fructum facit. Idem ad Timotheum: *Dum venio*, inquit, *attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Et iterum: *Tu verò permane in ijs quæ didiciſti, & credita ſunt tibi; ſciens à quo didiceris, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Qui etiam ad intelligentiam Scripturæ Corinthios admonens, vt quæ videlicet alij de Scriptura loquuntur exponere valeant: *Sectamini*, inquit, *charitatem, æmulamini ſpiritalia: magis autem ſpiritus vt prophetetis* *. *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo. Qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat. Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Orabo ſpiritu, orabo & mẽte. Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Cæterum ſi benedixeris ſpiritu, quis implebit locum idiotæ? Quomodo dicet amen ſuper tuam benedictionem, quoniam quid dicas neſcit? Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur. Gratias ago Deo, quoniam omnium veſtrum lingua loquor, ſed in eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, & alios inſtruam, quàm decem nullia vt verborũ. Fratres nolite effici parui ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autẽ perfectis* Loqui lingua dicitur qui ore tantùm verba format, non intelligentia exponendo miniſtrat. Prophetat verò ſiue interpretatur qui more Prophetarum, qui videntes dicũtur, id eſt intelligentes, ea quæ dicit intelligit, vt ipſa exponere poſſit.

Rom. 15.
Epheſ. 5.
1. Tim. 4.
2. Tim. 3.
1. Cor. 14.
* al. proficiatis.

Digitized by Google

Orat ille ſpiritu ſiue pſallit, qui ſolo prolationis flatu verba format, non mentis intelligentiam accommodat. Cùm verò ſpiritus noſter orat, ideſt noſtræ prolationis flatus ſolummodo verba formar, nec quod ore profertur corde concipitur, mens noſtra ſine fructu eſt, quem in oratione videlicet habere deber... ipſa ſcilicet ex intelligentia verborum in Deum conſpungatur atque accendatur. Vnde hanc in verbis perfectionem nos admonet habere, vt non more plurimorum verba tantùm ſciamus proferre, verùm etiam intelligentiæ ſenſum in ijs habere; atque aliter nos orare vel pſallere infructuosè proteſtatur. Quem & beatus ſequens Benedictus:

Regul. c. 19. *Sic ſtemus*, inquit, *ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.* Hoc & Pſalmiſta præcipiens, ait: *Pſallite ſapienter*, vt videlicet verborum prolationi ſapor & condimentum intelligẽtiæ non deſit, & cum ipſo veraciter Domino dicere valeamus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* Et alibi. *Non in tibijs viri beneplacitum erit ei.* Tibia quippe ſonitum emittit ad delectationem voluptatis, non ad intelligentiam mentis. Vnde bene in tibijs cantare, nec in hoc Deo placere dicuntur, qui melodia ſui cantus ſic oblectantur, vt nulla hinc ædificentur intelligentia. Qua etiam ratione, inquit Apoſtolus, cùm benedictiones in Eccleſia fiunt, reſpondebitur amẽ, ſi quod oratur in illa benedictione non intelligitur? Vtrum videlicet bonum ſit quod oratio poſtulat, aut non. Sic enim ſæpe multos idiotas & literarum ſenſum ignorantes videmus in Eccleſia per errorem nonnulla ſibi nociua quàm vtilia precari, veluti cùm dicitur: *Vt ſic tranſeamus per bona tẽporalia, vt non amittamus æterna.* Facilè ipſa conſimilis vocis affinitas nonnullos ſic decipit, vt vel ſic dicant: *vt nos amittamus æterna*, vel ita proferant, *vt non admittamus æterna.* Cui etiam periculo Apoſtolus prouidens ait: Cæterum *ſi benedixeris ſpiritu*, id eſt prolationis tantum flatu verba benedictionis formaueris, non ſenſu mentem audientis inſtruxeris, *quis ſupplet locum idiotæ?* id eſt quis de aſſiſtentibus, quorum eſt reſpondere, id ager reſpondendo, quod idiota non valet, imo nec debet? *Quomodo dicet amen?* cùm videlicet neſciat vtrum in maledictionẽ potiùs quàm benedictionem inducas. Denique qui Scripturæ non habent intelligentiam, quomodo ſermonis ædificationẽ ſibi miniſtrabunt, aut etiam regulam exponere vel intellige-

Pſal. 46.

Pſal. 118.

Pſal. 146.

1. Cor. 14.

Ibidem.

Ibidem.

Digitized by Google

re, aut vitioſe prolata corrigere valebũt? vnde non mediocriter miramur quæ inimici ſuggeſtio in Monaſteriis hoc egit, vt nulla ibi de intelligendis Scripturis ſint ſtudia, ſed de cantu tantùm vel de verbis ſolummodò formandis, non intelligendis, habeatur diſciplina: quaſi ouium balatus plus vtilitatis habeat, quàm paſtus. Cibus quippe eſt animæ & ſpiritalis refectio ipſi diuina intelligentia ſcripturæ. Vnde & Ezechielẽ Prophetam ad prædicandum Dominus deſtinans eum priùs volumine cibat, quod ſtatim in eius ore factum eſt mel dulce. *Ezech. 3.* De quo etiam cibo ſcriptum eſt in Hieremia: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Panem quippe paruulis frãgit, qui literæ ſenſum ſimplicioribus aperit. Hi verò paruuli panem frangi poſtulant, cùm de intelligentia Scripturæ animam ſaginari deſiderant, ſicut alibi Dominus teſtatur: *Emittam famem in terra, nõ famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Hinc autem è contrariò antiquus hoſtis famẽ & ſitim audiendi verba hominum, & rumores ſeculi, clauſtris Monaſteriorum immiſit, vt vaniloquio vacantes diuina tantò amplius faſtidiamus eloquia, quantò magis ſine dulcedine vel condimento intelligentiæ nobis fiunt inſipida. Vnde & Pſalmiſta vt ſuprà meminimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Quæ quidem dulcedo in quo conſiſteret ſtatim annexuit dicens: *A mãdatis tuis intellexi.* Id eſt à mandatis tuis potiùs quàm humanis intelligentiam accepi; illis videlicet eruditus atque inſtructus. Cuius quidem intelligentiæ quæ ſit vtilitas non prætermiſit, ſubiungens: *Propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Multæ quippe iniquitatis viæ ita per ſe ſunt apertæ vt facilè omnibus in odiũ vel contemptum veniant, ſed omnem iniquitatis viam non niſi per eloquia diuina cognoſcamus, vt omnes euitare poſſimus. Hinc & illud eſt: *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* In corde potiùs recondita ſunt quàm in ore ſonantia, cùm eorum intelligentiam meditatio noſtra retinet. Quorum quidem intelligentiæ quãtò minus ſtudemus, minus has iniquitatis vias cognoſcimus atque vitamus, & minus à peccato nobis prodidere valemus. Quæ quidem negligentia tantò ampliùs in Monachis, qui ad perfectionem adſpirant, eſt arguenda, quantò hæc eis facilior eſſet doctrina, qui & ſacris abundant libris, & quietis otio perfruuntur. Quos quidem

Pſal. 118. *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.*

Digitized by Google

de multitudine ſcriptorum gloriantes, ſed ab eorum lectione vacantes, ſenex ille in vitis Patrum egregiè arguit, dicēs: *Prophetæ ſcripſerunt libros, Patres autem noſtri venerunt poſt eos, & operati ſunt in eis plurima. Etenim ſucceſſores illorum commendauerunt illos memoriæ. Venit autem generatio quæ nunc eſt, & ſcripſit in cartis atque membranis, & repoſuit in feneſtris otioſa.* Hinc & Abbas Palladius ad diſcendum pariter & docendum nos vehementer adhortans, ait: *Oportet animam ſecundum Chriſti voluntatem conuerſantem aut diſcere fideliter quæ neſcit, aut docere manifeſtè quæ nouit.* Si autem vtrumque cùm poſſit non vult, inſaniæ morbo laborat. Initium enim recedendi à Deo faſtidium doctrinæ eſt, & cùm non appetit illud quod ſemper anima eſurit, quomodo diligit Deum? Hinc & beatus Anaſtaſius in exhortatione Monachorum, in tantum diſcēdi vel legēdi ſtudium commendat, vt per hoc etiam orationes intermitti ſuadeat. *Pergam*, inquit, *per tramitem viæ* noſtræ. Primum abſtinentiæ cura, ieiunij patientia, orandi aſſiduitas, & legendi, vel ſi quis adhuc literarum expers ſit, audiendi ſit deſiderium cupiditate diſcendi. Hæc enim prima ſunt quaſi lactantium cunabulorum in Dei agnitione crepundia.* Et poſt aliqua cùm præmiſiſſet; *Orationibus vero ita inſtandum eſt, quòd vix eas aliquod tempus interpolet:* poſtea ſubjecit, *Has ſi fieri poteſt ſola legendi intercapedo diſrumpat.* Neque enim aliàs Petrus Apoſtolus admoneret: *Parati ſemper eſtote ad rationem reddendam ad omnes poſcentes vos de verbo fidei veſtræ & ſpei.* Et Apoſtolus: *Non ceſſamus pro vobis orantes, vt, impleamini agnitione eius in omni ſapientia & intellectu ſpiritali.* Et rurſum: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia.* Nam in veteri Teſtamento ſimilem hominibus curā ſacræ præceptionis inculcauit eloquium. Sic enim Dauid ait: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ nō ſedit: ſed in lege Domini voluntas eius.* Et ad Ieſum Naue Deus loquitur: *Non recedet Liber iſte de manibus tuis, & meditaberis in eo die ac nocte.* His quoque negotijs malarum cogitationum lubrica frequenter ſe ingerunt, & quamuis ipſa ſedulitas animum ad Deum præſtet intentum, efficit tamen in ſe mordax ſeculi cura ſollicitum. Quòd ſi hoc frequenter importunè patitur religioſo labori deditus, nunquam profectò illis carebit otioſus. Et beatus Papa Gregorius lib. Moral. XIX. *Quæ tempora,* inquit,

Vit. Patr. par. 2. lib. de diſcret.

Ibidem.

* al. vitæ

1. Petr. 3.

Coloſ. 1.

Coloſ. 3.

Pſal. 1.

Ioſ. 1.

Cap. 6. in lib. 16.

Digitized by Google

inquit, *iam nunc inchoaſſe ingemiſcimus, cùm multos intra Eccleſiam poſitos cernimus, quia nolunt operari quod intelligunt, aut hoc ipſum quoque ſacrum eloquium intelligere ac noſſe contemnunt. A veritate enim auertentes auditum, ad fabulas conuertuntur: dum omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Scripta Dei vbique reperta cognoſcuntur, opponuntur oculis. Si hæc cognoſcere homines dedignantur, pene nullus ſcire quærat quod credidit.* Ad quod etiam plurimum ipſos & profeſſionis ſuę regula & ſanctorum Patrum adhortantur exempla. Nihil quippè de doctrina vel ſtudio cantus admonet Benedictus, cùm ipſe plurimùm de lectione præcipiat, & ipſa legendi tempora, ſicut & laborandi, diligenter aſſignet: & in tantum de ipſa quoque dictandi ſeu ſcribendi doctrina prouideat, vt inter neceſſaria quæ ab Abbate Monachi ſperare debeant tabulas etiam & graffium non prætermittat. Qui cùm inter cætera iubeat, quod in capite quadrageſimæ omnes Monachi ſingulos accipiant codices ex bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant: quid hoc magis ridiculoſum quàm lectioni vacare, & intelligentiæ operam non dare? Notum quippè eſt illud Sapientis prouerbium: *Legere & non intelligere, negligere eſt.* Tali quippè lectori merito illud Phil. ἀλλ' ὄνος λύρας improperandum eſt. Quaſi enim aſinus eſt ad lyram lector librum tenens, id ad quod liber eſt factus agere non valens. Multò etiam ſalubriùs tales lectores aliàs intenderent, vbi aliquid vtilitatis ineſſet, quàm otiosè vel ſcripturæ literas inſpicerent, vel folia verſarent. In quibus profectò lectoribus illud Iſaiæ compleri manifeſtè videmus: *Et erit*, inquit, *vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati. Quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum, & reſpondebit: Non poſſum. Signatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti literas, diceturque ei: Lege, & reſpondebit: Neſcio literas. Et dixit Dominus. Eo quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: Ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo. Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.* Scire quippe literas in clauſtris dicuntur, quicumque illas proferre didicerunt. Qui profectò, quantum ad intelligentiam ſpectat, ſe neſcire legem profitentes, librum qui traditur habẽt ſignatum æquè vt illi, quos illiteratos ibidem

Regul. c. 48.

Regul. c. 55.

Regul. c. 48.

Eſai. 29.

Digitized by Google

dicunt. Quos quidem Dominus arguens dicit, eos ore & labijs potiùs quàm corde ſibi appropinquare; quia quæ proferre vtcumque valent, intelligere minimè poſſunt. Qui dũ diuinorum eloquiorum ſcientia careant, magis conſuetudinem hominum quàm vtilitatem ſcripturæ obediendo ſequuntur. Propter hoc dominus eos quoque, qui ſapientes inter eos videntur & doctores reſident, excæcandos eſſe cõminatur. Maximus Eccleſiæ doctor & Monaſticæ profeſſionis honor Hieronymus, qui nos ad amorem literarum adhortans, ait: *Ama ſcientiam litterarum, & carnis vitia non amabis*, quantum laborem & expenſas in doctrina earum conſumpſerit eius quoque teſtimonio didicimus. Qui inter cætera quæ ipſemet de proprio ſcribit ſtudio, vt nos etiam videlicet ſuo inſtruat exemplo, ad Pammachium & Oceanum quodam loco ſic meminit: *Dum eſſem inuenis, miro diſcendi feruebam amore. Nec iuxta quorundam præſumptionem ipſe me docui, Apollinarem audiui frequenter Antiochiæ, & colui, cùm me in ſcripturis ſanctis erudiret. Iam canis ſpargebatur caput, & Magiſtrum potius quàm diſcipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam. Audiui Didimum, in multis ei gratias ago, quod neſciui didici. Putabãt me homines finem feciſſe diſcendi. Rurſus Hieroſolimæ & Bethleem, quo labore, quo pretio Baranniam Hebræum nocturnum habui præceptorem? Timebat enim Iudæos, & mihi alterum ſeſe exhibebat Nicodemum.* Memori profectò mente hic recondiderat quod in Eccleſiaſtico legerat: *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam.* In quo ipſe non ſolùm ſcripturæ verbis, verumetiam ſanctorum Patrum inſtructus exemplis, inter cæteras excellentis illius Monaſterij laudes hoc de ſingulari exercitio eius in ſcripturis diuinis adiecit: *Scripturarum verò diuinarum meditationem & intellectum, atque ſcientiæ diuinæ, nunquam tanta vidimus exercitia, vt ſingulos penè eorum oratores credas in diuinam eſſe ſapientiam.* Sanctus etiam Beda, ſicut in hiſtoria refert Anglorum, à puero in Monaſterium ſuſceptus: *Cunctum*, inquit, *ex eo tempus vitæ in eiuſdem Monaſterij habitatione peragens, omnẽ meditans ſcripturis operam dedi: atque inter obſeruantiam diſciplinæ regularis & quotidianam cantandi in Eccleſia curam ſemper aut diſcere, aut ſcribere dulce habui.* Nunc verò qui in Monaſterijs erudiuntur adeò ſtulti perſeuerant, vt literarum

Tom. 1. Epiſt. 4.

Tom. 2. Epiſt. 65.

Digitized by Google

ſono contenti nullam de intelligentia curam aſſumant, nec cor inſtruere, ſed linguam ſtudent. Quos patenter illud Salomonis arguit prouerbium: *Cor ſapientis quærit doctrinam, & os ſtultorum paſcetur imperitia*: cùm videlicet verbis quæ non intelligit oblectatur. Qui profectò tantò minùs Deum amare & in eum accendi poſſunt, quantò amplius ab eius intelligẽtia & à ſenſu ſcripturæ de ipſo nos erudientis abſiſtunt. Hoc autem duabus maximè de cauſis in Monaſterijs accidiſſe credimus, vel per laicorum, ſcilicet conuerſorum, ſeu etiam ipſorum Præpoſitorum inuidiam: vel propter vaniloquium otioſitatis, cui hodie plurimum clauſtra Monaſtica vacare videmus. Iſti profectò nos terrenis magis quàm ſpiritalibus ſecum intendere cupientes, illi ſunt qui tanquam Allofili fodientem puteos Iſaac perſequuntur: & eos replendo congerie terræ aquam ei ſatagunt prohibere. Quod beatus exponens Gregorius Lib. Moral. xvj. ait: *Sæpe cùm eloquijs ſacris intẽdimus malignorum ſpirituum inſidias grauiùs toleramus, quia mẽti noſtræ terrenarum cogitationum puluerem aſpergunt* * *vt intentionis noſtræ oculos à luce intimæ viſionis obſcurent.* Quod nimium Pſalmiſta pertulerat cùm dicebat: *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Videlicet patenter inſinuans, quia mandata Dei perſcrutari non poterat, cùm malignorum ſpirituum inſidias in mente tolerabat. Quod etiam in Iſaac opere Allophilorũ prauitate cognoſcimus deſignari, qui puteos quos Iſaac foderat terræ congerie replebant. Nos enim nimirum puteos fodimus, cùm in ſcripturæ ſacræ abditis ſenſibus alta penetramus. Quos tamen occultè replent Allophili, quando nobis ad alta tendentibus immundi ſpiritus terrenas cogitationes ingerunt, & quaſi inuentam diuinæ ſcientiæ aquam tollunt. Sed quia nemo hos hoſtes ſua virtute ſuperat, per Eliphat dicitur: *Eritque omnipotens contra hoſtes tuos, & argẽtum coaceruabitur tibi.* Ac ſi diceretur: Dum malignos ſpiritus Dominus ſua à te virtute repulerit, diuini in te eloquij talentum lucidiùs creſcit. Legerat iſte ni fallor magni Chriſtianorum Philoſophi Origenis Homelias in Geneſi, & de eius hauſerat puteis quod nunc de ijs loquitur puteis. Ille quippe ſpiritualium puteorũ foſſor ſtudioſus non ſolũ ad eorum potum, ſed etiam effoſionem nos vehementer adhortãs, expoſitionis prædictæ Homelia XII. ita loquitur: *Tentemus*

Geneſ 26.

Cap. 8. in Iob. 24.

* *al.* ſpargũt

Cap. 26.

Digitized by Google

Prouerb. 5. *facere etiam illud quod ſapientia commonet dicens. Bibe aquam de tuis fontibus, & de tuis puteis. Et ſit tibi fons tuus proprius. Tempta ergo & tu ô auditor habere proprium puteum & proprium fontem, vt & tu cùm apprehenderis librum ſcripturarum, incipias etiam ex proprio ſenſu proferre aliquem intellectum, & ſecundum ea quæ in Eccleſia didiciſti. Tempta & tu bibere de fonte ingenij tui. Eſt intra te natura aquæ viuæ, ſunt venæ perennes & irrigua fluenta rationabilis ſenſus, ſi modo non ſint terra & rudibus completa. Sed ſatage fodere terram tuam, & purgare ſordes, id eſt ingenium, amouere deſidiam & torporem cordis excutere. Audi enim quod dicit ſcriptura. Punge oculum, & profer lachrimam: punge cor, & profer ſenſum. Purga etiã & tu ingenium tuum, vt aliquãdo etiam de tuis fontibus bibas, & de tuis puteis haurias aquam viuam. Si enim ſuſcepiſti in te verbum Dei, ſi accepiſti ab Ieſu aquam viuam, & fideliter accepiſti, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Idem Homelia ſequente de puteis Iſaac ſupra memoratis. *Quos*, inquit, *Philiſtim terra repleuerant, illi ſine dubio qui intelligentiam ſpiritalem claudunt, vt neque ipſi bibant, neque alios bibere permittant.* Audi Dominum dicẽtem, *Væ vobis Scribæ & Phariſei, quoniam tuliſtis clauem ſcientiæ, non ipſi introiſtis, neque volentes permiſiſtis.* Nos verò nunquã ceſſemus puteos aquæ viuæ fodiendo, & nunc quidem vetera, nunc etiam noua diſcutiendo, efficiamur ſimiles illi Euãgelico Scribæ, de quo Dominus dixit: *Qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.* Itẽ redeamus ad Iſaac, & fodiamus cũ ipſo puteos aquæ viuæ, etiam ſi obſiſtunt Philiſtini, etiam ſi rixantur, nos tamen perſeueremus cum ipſo puteos fodiẽdo, vt & nobis dicatur: *Bibe aquam de tuis vaſis, & de tuis puteis*: & intantum fodiamus, vt ſuperabundent aquæ putei in plateis noſtris, vt non ſolum nobis ſufficiat ſcientia ſcripturarum, ſed & alios doceamus & inſtruamus vt bibant. Homines bibant & pecora, quia & Propheta dicit: *Homines & iumenta ſaluos facies Domine.* Et poſt aliqua: *Qui Philiſtinus eſt*, inquit, *& terrena ſapit, neſcit in omni terra inuenire aquam, inuenire rationabilem ſenſum.* Quid tibi prodeſt habere eruditionem, & neſcire ea vti? habere ſermonem, & neſcire loqui? Iſtud propriè puerorum eſt Iſaac, qui in omni terra fodiunt puteos aquæ viuæ. Vos autem non ſic, ſed vaniloquio penitus ſuperſedẽtes, quæcumque diſcendi gratiam aſſecutæ ſunt, de ijs quæ ad Deum pertinent eruditi ſtudeant. Sicut de beato ſcriptum eſt viro: *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius medi-*

Homil. 13. cap. 26.

Digitized by Google

tabitur die ac nocte. Cuius quidem assidui studij in lege Domini quæ sequatur vtilitas statim adiungitur: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quasi enim lignum aridum est & infructuosum, quod fluentis diuinorum eloquiorum non irrigatur. De quibus scriptum est: *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hæc illa sunt fluenta, de quibus in laude Sponsi canit Sponsa in Canticis eum describens: *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.* Et vos igitur lacte lotæ, id est candore castimoniæ nitentes iuxta hæc fluenta quasi columbæ residete, vt hinc sapientiæ haustus sumentes, non solùm discere, sed & docere, & alijs tanquam oculi viam possitis ostendere, & Sponsum ipsum non solum conspicere, sed & alijs valeatis describere. De cuius quidem singulari Sponsa, quæ ipsum aure cordis concipere meruit, scriptum esse nouimus: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Hæc igitur summi Verbi genitrix verba eius in corde potiùs habens quàm in ore, ipsa etiam diligenter conferebat: quia studiosè singula discutiebat, & inuicem sibi ea conferebat; quàm congruè scilicet inter se conuenirent omnia. Nouerat iuxta mysterium legis omne animal immundũ dici, nisi quod ruminat, & vngulam findit. Nulla quippe est anima munda, nisi quæ meditando quantum capere potest diuina ruminat præcepta, & in ijs exequendis discretionem habeat: vt non solum bona, sed & bene, hoc est recta faciat intẽtione. Diuisio quippe vngulæ pedis, discretio est animi, de qua scriptum est: *Si recte offeras, recte autem nõ diuidas, peccasti. Si quis diligit me,* inquit Veritas, *sermonem meum seruabit.* Quis autem verba vel præcepta Domini sui seruare obediendo poterit, nisi hæc priùs intellexerit? Nemo studiosus erit in exequẽdo, nisi qui attentus fuerit in audiendo. Sicut & de beata illa legitur muliere, quæ cæteris omnibus postpositis sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius: illis videlicet auribus intelligentiæ, quas ipsemet requirit dicẽs: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quòd si in tantæ feruorẽ deuotionis accẽdi nõ valetis, imitamini saltem & amore & studio sanctarũ literarũ beatas illas sancti Hieronymi discipulas Paulã & Eustochiũ, quarum præcipuè rogatu tot voluminibus Ecclesiam prædictus Doctor illustrauit.

Psal. 1.

Ioan. 14.

Digitized by Google

HVC VSQVE NANNETICVM exemplar, itemque Victorianum. Sed in Paracletenſi, (quod & auctius vbique paſſim) ſequentia reperimus. Et videntur eſſe Heloiſſæ.

INſtructiones noſtræ ſumunt exordium à doctrina Chriſti prædicantis, & tenentis paupertatem, humilitatem, & obedientiã. Sequimur autem veſtigia Apoſtorum in commune viuentium. In habitu noſtro conſeruamus paupertatem & humilitatem, in ſubiectione obedientiam: in conuerſatione noſtra, quia communiter viuimus, ſequimur Apoſtolos. Quia vndecumque beneficia temporalia proueniant, diuiditur ſingulis prout poteſt; ſi non abundat omnibus, maximè datur magis indigentibus. Et quoniam ſeculo abrenunciamus, & Deo militamus, perſiſtamus in propoſito caſtitatis, & pro viribus noſtris iuxta menſuram donationis ſuæ ei placere contendamus.

De conuenientia Conſuetudinum.

Domino ſuper nos proſpiciente, & aliqua loca nobis largiente, miſimus quaſdam ex noſtris ad Religionem tenendam numero ſufficiente. Annotamus autem boni propoſiti noſtri Conſuetudines; vt quod tenuit mater incommutabiliter, teneant & filiæ vniformiter.

De Habitu.

Habitus noſter vilis eſt & ſimplex, in agninis pellibus, in lineis & laneis veſtibus. In ijs emendis vel faciendis non eliguntur pretioſa, ſed quod vilius comparari vel haberi poteſt. Quodcumque ſufficere debeat annotandum eſſet: ſed longè ſumus à ſufficientia.

De Lectis.

In Lectulis noſtris habemus culcitras, & puluinaria, & lintea linea ſicut ſingulis diuiditur. Si non recipiant ſingulæ

Digitized by Google

quod ſufficiat, paupertati abſcribitur.

De Cibis.

Pane quolibet veſcimur; ſi fuerit triticum, triticeo; ſi defuerit, pane cuiuſlibet annonæ. In refectorio noſtro cibi ſine carnibus ſunt legumina, & ea quæ nutrit hortus. Lac, oua, & caſeus rariùs apponuntur, & piſces, ſi dati fuerint. Vinum mixtum ſit aqua. Duo pulmenta in prima refectione habentur. In cœna verò herbæ, vel fructus, vel aliquid tale, ſi haberi poterit. Horum quoque deficientiam ſine murmure portamus.

De obedientia.

Soli Abbatiſſæ & Prioriſſæ debitum exhibetur obedientiæ. Nulla præſumit clauſtra Monaſterij egredi ſine harum licentia. Nulla loqui, nulla dare aliquid vel recipere, nulla retinere niſi quod permiſſum fuerit. De cætero nobis inuicem obedimus affectu charitatis.

Vnde neceſſaria proueniant.

Religionis erat de cultu terrarum & labore proprio viuere ſi poſſemus. Sed quia ex debilitate non ſufficimus, admittimus Conuerſos & Conuerſas, vt quæ per nos adminiſtrari rigor non permittit Religionis, per eos adimpleatur. Recipimus etiam quaſcumque fidelium eleemoſynas more cæterarum Eccleſiarum.

Quando egredimur.

Statutum tenemus, quòd nulla velata cauſa cuiuſcumque neceſſitatis egrediatur ad forenſia negotia, vel ingrediatur domum cuiuſlibet ſecularis. Ad familiaria verò negotia, & ad cuſtodiam rerum noſtrarum mittimus in Domos noſtras probatas tam ætate quàm vita & Moniales & Conuerſas.

De longinquo venientibus.

Superuenientem nobiſcum diu manere non permittimus; ſed ſi remanere voluerit, & eam ratio ſuſcipi permiſerit, primò ſeptem dies, aut profiteatur, aut diſcedat.

Digitized by Google

Quando ſit Conuerſa Monialis.

Si ad nos aliqua Conuerſa veniens in conuerſatione laicarum ſuſcepta fuerit, nullatenus poſtea Monialis efficietur, ſed in ea vocatione, in qua vocata eſt, permaneat.

De Officijs nocturnis à Kal. Octobr. vſque ad Paſcha.

Audito ſigno, ad Vigilias cum feſtinatione ſurgimus, & moderatè nos cohortantes feſtinamus ad opus Dei: & dimiſſo ſigno ad nutum Prioriſſæ facimus conſuetas orationes, in ſolemnitatibus inclinatæ, in priuatis diebus proſtratæ. Completis orationibus ſignamus nos, & ingredimur ſtationes noſtras. Hebdomaria, cuius eſt *Deus in adiutoriũ*, incipit *Veni ſancte Spiritus*, proſequens Verſum & Orationem. Quod & facimus in principijs omnium Horarum, in præcipuis ſolemnitatibus cantando, cæteris diebus ſine cantu. Hebdomadaria incipit, *Domine labia mea*, & proſequimur diuinum Officium iuxta conſuetudinem regularium Eccleſiarum. Poſt Vigilias egredimur omnes, & firmatur Oratorium, ſi dies non fuerit, & accenſo lumine in Capitulo ſedent quæ lectionis vel operis indigent. Si dies fuerit, ſtatim ſequitur Prima. In feſtiuitatibus & Dominicis diebus, ſiue dies fuerit, ſiue non fuerit, reuertimur omnes in Dormitorium, pauſantes in lectulis, donec die clariùs illuceſcente ad ſonitum Dormitorij veniamus in Clauſtrum. Pulſatur Prima, & faciente ſignum Prioriſſa, ingredimur omnes Eccleſiam præcedente Scola & Iunioribus. Similiter ante omnes Horas expectatur ſignum Prioriſſæ. Ante Primam fit oratio inter formas ſicut ante Vigilias. Poſt Primam ſequitur Miſſa matutinalis. Inde itur in Capitulum, & fiunt clamationes & emendationes iuxta modum culparum, conſideratione tenentis Capitulum. Quibuſdam ſolemnitatibus veniunt ſorores in Capitulum, & emendantur culpæ earum. Quotienſcumque autem fratres grauiter delinquunt, vocantur in Capitulum, & coram communi Capitulo corriguntur, vt maiori confundantur erubeſcentia. Præcipuis ſolẽnitatibus habetur Sermo in Capitulo. Egreſſæ de Capitulo vacamus lectioni vſque ad Tertiam ſi hora permiſerit. Sequitur Tertia, & maior Miſſa. Sequitur & Sexta ſiue interuallo. Poſt Sextam vacamus lectioni vſque ad Nonã.

Miniſtræ

Miniſtræ & Lectrix accipiunt mixtum. Poſt Nonam ingredimur Refectorium, auditur lectio cum ſummo ſilentio, & in cæteris ordinẽ regularium ſequimur. Dicto *Tu autem*, procedimus ordinatè gratias cantantes, & ingredimur Oratorium. Finitis gratijs in Eccleſia, ingredimur Capitulum, & conueniunt ſorores laicæ, & exponitur aliquid ædificationis in communi audientia, referente illa cui iniunctum fuerit. Si tempus ſuperfuerit, ſedemus in Clauſtro vſque ad veſperas. Cantantur Veſperæ. Sciendum eſt, quia nulla Chorum egreditur ſine licentia. Poſt Veſperas ſedemus in Clauſtro, meditationi ſeruientes, & in cordibus orantes abſque ſignis penitus cum ſummo ſilentio. Ante collationem bibimus in Refectorio. Hebdomadaria donante benedictionem, ſtatim accedimus ad collationem, nulla diuertente alicubi. Poſt collationem cantamus in Eccleſia Completorium. Dicto *Requieſcant in pace*, facimus orationem inter formas. Ad ſignũ Abbatiſſæ vel Prioriſſæ erectæ conſignamus nos, & egrediẽtes per ordinem, incipientes à ſenioribus, aſpergit nos aqua benedicta Abbatiſſa vel Prioriſſa. Aſcendentes in Dormitorium diuertimus ad lectulos noſtros, & collocamus nos veſtitæ & cinctæ iacentes.

De Dominicis diebus.

Diebus Dominicis exeuntes de Capitulo, accipiunt aquã benedictam ab Abbatiſſa vel Prioriſſa, & facimus proceſſionem in Clauſtro, vna portante crucem, & duabus cereos. Poſt Sextam reficimus. Poſt refectionem ſtatim Nona. Poſt Nonam aliquid exponitur ad ædificationem, ſicut ſuperiùs dictum eſt. Poſt Veſperas fit cœna. Et eo modo nos habemus deinceps quo ſuperiùs dictum eſt. Priuatis diebus, ſummo mane cantatur Prima, poſtea ſedemus in Clauſtro vſque ad Tertiam, legentes, & cantantes, & operantes. Præcedit oratio inter formas, & ſequitur Tertia. Poſt Tertiam Miſſa matutinalis. Inde itur in Capitulum. Egreſſæ de Capitulo ſedemus in Clauſtro. Debiliores ſumunt mixtum, ſecundum diſpenſationem Abbatiſſæ. Nulli licet ſedere in clauſtro ſine opere vel lectione. Poſt Sextam ſequitur maior Miſſa, & ſtatim Nona. Poſt Nonam ingredimur Refectorium. Cætera proſequimur vt ſuperiùs dictum eſt.

Digitized by Google

De tempore æstiuo.

A Paſcha verò vſque ad ſupradictas Kalendas Octobris, poſt Laudes reuertimur ad lectulos noſtros, & aliquo interuallo fit ſonitus in Dormitorio, & ſurgẽtes venimus in Clauſtrum, & legimus & cantamus vſque ad Primam. Ante Primam tam feſtiuis diebus quàm priuatis agũtur orationes inter formas. Poſt Primam ſequitur Miſſa matutinalis. Inde itur in Capitulum. Egreſſæ Capitulum, ſedemus in clauſtro, legentes & operantes vſque ad Tertiam. Poſt Tertiam maior Miſſa agitur. Sexta; & itur in Refectorium. Poſt gratiarum actionem imus in Dormitorium, & licet dormire, legere, operari in lectulis ſine alicuius inquietatione. Audito primo ſigno Nonæ ſurgimus, & præparamus nos, vt dum ſecũdum ſignum pulſauerit, ad ſignum Abbatiſſæ vel Prioriſſæ ordinatè ingrediamur Eccleſiam. Poſt Nonam agimus pro defunctis. Indè ingredimur Refectorium, & bibimus aquam. Deinceps in clauſtro ſedemus, legentes & operantes. Egredimur etiam ad laborem qualibet hora diei neceſſariò aduocatæ fuerimus. Poſt Veſperas agitur cœna. Deinceps nos habemus ſicut ſuperiùs dictum eſt. In Letania maiore, tribus diebus Rogationum, ſexta Feria, & Sabbato, vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, vigilia S. Laurentij, vigilia Aſſumptionis, & ab Idibus Septembris vſque ad Paſcha ieiunamus.

Ex Concilio Triburienſi, Cap. X.

Virgines quæ ante XII. annos inſcijs mundiburdis ſuis ſacrum velamen capiti ſuo impoſuerint, & illi mundiburdi annum & diem hoc tacendo conſenſerint, in ſancto propoſito permaneant. Et ſi in prædicto anno & die pro illis proclamauerint, petitioni eorum aſſenſus præbeatur: niſi fortè Dei timore tactæ cũ eorũ licentia in religionis habitu perſeuerent.

De conſecratione Sanctimonialium, ex Concilio Carthaginenſi.

Sanctimonialis Virgo cùm ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibet *ſemper vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.

*ſ qualibus

Ex Decreto Gelaſij, Cap. XII.

Deuotis quoque Virginibus, niſi aut in Epiphania, aut in albis Paſchalibus, aut in Apoſtolorum Natalitijs, ſacrum minimè velamen imponatur; & non ante xxv. annos, niſi fortè, ſicut de baptiſmate dictum eſt, graui langore correptis. Ne ſine hoc munere de ſeculo exeant, implorantibus non negetur.

Ex Decreto Pij Papæ.

Vt Virgines non velentur ante xxv. annos ætatis, niſi fortè neceſſitate periclitantis virginalis pudicitiæ, & non ſunt conſecrãdæ in alio tempore niſi in Epiphania, & in albis Paſchalibus, & in Apoſtolorum Natalitijs, niſi cauſa mortis vrgente.

Ex Concilio Mileuitano, Cap. XXV.

Item placuit, vt quicumque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ Virginalis, cùm vel portitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi etiam aliquando mortis periculoſo ſcrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentib. aut ijs ad quorum curam pertinet, velauit Virginem, ſeu velauit intra xxv. annos ætatis, non ei obſit Concilium quod de iſto numero annorum conſtitutum eſt.

Hieronymus contra Iouinianum.

Si nupſerit Virgo, non peccauit: non illa virgo quæ ſemet cultui Dei dedicauit. Harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quòd primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictum obiecerint, quanto magis de virginib. præualebit; cùm etiam ijs non liceat, quibus aliquando licuerit? Virgines enim, quæ poſt conſecrationem nupſerunt, non tam adulteræ quàm inceſtæ ſunt.

Ex Decreto Euticiani Papæ, Cap. XIII.

Nihilominus etiam in quibuſdam locis inditum inuenimus vſum ſtultitiæ plenum, & Eccleſiaſticæ auctoritàti contrarium, eò videlicet quòd nonnullæ Abbatiſſæ, & aliquæ ex Sanctimonialibus viduis & puellis virginibus contra fas

velum imponere præſumant, & ideò nonnullæ iniuſtè velatæ putant ſe liberiùs ſuis carnalibus deſiderijs poſſe inſeruire, & ſuas voluntates explere. Quapropter ſtatuimus, vt ſi Abbatiſſa, aut quælibet Sanctimonialis poſt hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, vt aut viduam aut puellam virginem velare præſumat, iudicio Canonico vſque ad ſatisfactionem ſubdatur.

Bonifacius Martyr Hilteribalbo Regi Anglorum.

Apud Græcos & Romanos, quaſi blaſphemiam Deo irrogaſſet, qui in hoc reus ſit, vt propriè de hoc peccato ante ordinationem interrogatus ſi reus fuerit inuentus, vt cum velata & conſecrata vna concubuiſſet, ab omni gradu ſacerdotum Dei prohiberetur. Propter hoc, fili cariſſime, ſollicitè conſiderandum eſt quanti ponderis hoc peccatum eſſe videtur ante oculos æterni iudicis, quod facientem inter idololatriæ ſeruos conſtitutus, & à diuino miniſterio altaris abijciet. Licet autem peracta pœnitentia reconciliatus ſit Deo.

Ex Concilio Rothomagenſi, Cap. IX.

Statutum eſt viduas non debere velari, ſimiliter & hoc ſtatutum eſt, vt ſi quiſpiam Preſbyterorum deinceps huius conſtitutionis normæ contumaciter tranſgreſſor extiterit, ſcilicet vt aliquas viduas velare præſumat, quia & hoc Epiſcopis non licet, gradus ſui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus à Preſbyteris non velandis ſtatutum eſt, vt ſiquis hoc facere tentauerit, tanquam tranſgreſſor canonum damnetur.

Ex Concilio Maguntinenſi, Cap. VI.

Viduas autem velare Pontificum nullus temptet, prout ſtatutum eſt in Decretis Gelaſij cap. XIII. quod nec auctoritas diuina, nec Canonum forma præſtitit. Quæ ſi propria voluntate continentiam fuerit profeſſa, vt in eiuſdem Gelaſij cap. XXI. legitur, eius intentio pro ſe rationem reddat Deo, quia ſicut ſecundum Apoſtolum, ſi continere ſe non poterat, nullatenus nubere vetabatur, ſic ſecum habita deliberatione promiſſam fidem pudicitia Deo debet cuſtodire.

Digitized by Google

Nos autem auctoritate Patrum ſuffulti in hoc ſacro Conuẽtu ſancimus & labore iudicamus ſi ſponte velamen quamuis non conſecratum ſibi impoſuerit, & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, ſanctimoniæ habitũ vlteriùs habere debet, licet ſacramento confirmare velit eo tenore & ratione velamen ſibi impoſuiſſe, vt iterum poſſet deponere.

Ex Concilio Aurelianenſi, Cap. III.

Viduæ, quæ ab altari ſacro velamen accipiunt ſpontanea voluntate ſacræ conuerſationis, decreuit ſancta Synodus in eodem propoſito eas permanere. Non enim fas eſſe decernimus, vt poſtquam ſemet Deo ſub velo conſecrauerint, & inter velatas oblationem fecerint, iterum eis concedi Spiritui ſancto mentiri.

Nicolaus Papa Archiepiſcopo C. & eius ſuffrag.

Vidua quidem, quæ capiti impoſuerit ſacrum velamen, ſi inter cæteras velatas feminas in Eccleſia orauerit, & oblationem cum illis obtulerit, ſi profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis velamen deponere, à Religionis obſeruantia diſcedere non præſumat.

Auguſtinus de dono viduitatis.

Viduæ, quæ ſe non continent nubant antequam profeſſæ continentiam deuoueant, quod niſi reddant iure damnentur.

Ex Concilio Araufico, Cap. VI.

Viduitatis ſeruandæ profeſſionem coram Epiſcopo in ſecretario habitam, impoſita coram Epiſcopo veſte viduali non eſſe violandam; ipſam tamen profeſſionis deſertricem merito eſſe damnandam decernimus.

Ex Concilio Toletano, Cap. V.

Omnes feminæ venientes ad ſacram Religionem & pallio capita contegant, & conſcriptam roboratamque profeſſionem faciant, poſtquam vlteriùs non ſinantur relabi ad

præuaricationis audaciam. Quæ verò ex ijs omnibus fuerint repertæ animum aut veſtem in tranſgreſſionem dediſſe, excommunicationis ſententiã ferant, & rurſus mutato habitu in Monaſterijs, donec diem vltimum claudant, ſub ærumnis arduæ pœnitentiæ permaneant religatæ.

Ex Decretis Gelaſij Papæ ad Sicilienſes Epiſcopos miſſis, Cap. IX.

Neque viduas ad nuptias trãſire patimur, quæ in religioſo propoſito diuturna obſeruatione permanſerunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monaſteriis ætatem egiſſe contigerit.

Ex Epiſtola Gregorij Papæ miſſa ad Bonefacium.

Viduas à propoſito diſcedentes viduitatis, ſuper quibus nos conſulere voluit dilectio tua, frater chariſſime, credo te noſſe à ſancto Paulo, & multis ſanctis Patribus, niſi conuertãtur, olim eſſe damnatas. Quas & nos Apoſtolica auctoritate eſſe damnandas, & à communione fidelium, atque à liminibus Eccleſiæ arcendas fore cenſemus, vſquequo obediãt ſuis Epiſcopis; & ad bonum quod cœperunt, inuitæ aut voluntariæ reuertantur. De virginibus autem non velatis, ſi deuiauerint, à sãctæ memorię prædeceſſore noſtro Papa taliter decretum habemus. Hæ verò quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſimulauerunt ſe permanere, licèt velatæ non fuerint, ſi nupſerint, aliquanto tempore his agenda pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei cõtractus nulla ratione diſſolui; quanto magis iſta pollicitatio, quã cum Deo pepigit, ſolui ſine vindicta non poterit? Nam ſi virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, & à cœtu fidelium, vſquequo ad ſatisfactionem veniãt, excluduntur; quantò potiùs viduæ, quæ perfectioris ætatis, & maturioris ſapientiæ atque conſilij exiſtunt, virorumque conſortio multotiens vſæ ſunt, & habitum religionis aſſumpſerunt, & demum apoſtatauerunt, atque ad priorem vomitum ſunt reuerſæ, à nobis & ab omnibus fidelibus à liminibus Eccleſiæ, & à cœtu fidelium vſque ad ſatisfactionem ſunt eliminandæ & carceribus tradendæ? Qualiter iuxta beatum Pau-

Digitized by Google

lum tradere huiuſmodi hominem ſathanæ, & ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. De talibus & Dominus per Moyſem loquitur, *Auferte malum de medio veſtri.* De quibus & per Prophetam ait, *Lætabitur iuſtus cùm vindictam viderit, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* De talibus namque, & eorum ſimilibus, atque eiſdem conſentientibus dicitur, quia *non ſolũ qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus rei ſunt.*

Ex Epiſtola Nicolai Papæ, Cap. V.

Nicolaus ſeruus ſeruorum Dei reuerentiſſimo ac ſanctiſſimo confratri noſtro Adaberino * ſanctæ Viuacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Quod interrogaſti de femina, quæ poſt obitum viri ſui velamen ſacrum ſuper caput ſuum impoſuit, & finxit ſe ſub eodem velamine Sanctimonialem eſſe, poſtea verò ad nuptias redijt, bonum mihi videtur, quia per hypocriſim Eccleſiaſticam regulam conturbare voluit, & non legitimè in voto ſuo permanſit, vt pœnitentiam agat de illuſione nefanda, & reuertatur ad id quod ſpopondit, & in ſacro miniſterio inchoauit. Nam ſi cõſenſerimus, quòd omnia Eccleſiaſtica ſacramẽta quiſque prout vult fingat, & nõ verè faciat, omnis ordo Eccleſiaſticus turbabitur, nec Catholicæ fidei iura conſiſtunt, nec Canones ſacri ritè obſeruantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptiſma ſacrum fictè ſuſcipere, & in Chriſtianitate ſe permanſurum finxiſſe, cùm per Apoſtolum fraude eius detecta quod ſibi futurum eſſet pronunciatum fuit? Ait enim, *Pœnitentia tua tecum ſit in perditione. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de hac nequitia tua, & roga Deum vt forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Ideo tales, niſi reſipiſcant, ſpirituali gladio percutere cenſemus. Non enim fas eſt Spiritui ſancto mentiri, ſicuti Ananias & Saphira mentiti ſunt, & ſtatim perierunt.

* *ſ.* Aluino ſanctæ Ianuenſis. *ad quẽ diſt. 34. c. 1. Adaberini enim in omnibus Nicolai Epiſtolis nulla ſit mentio, neq; Viuacenſis Eccleſia quæ ſit adhuc reperire potui.*

Ex Concilio Arelatenſi, Cap. VII.

Sciendum eſt omnibus, quòd Deo ſacratarum feminarum corpora per votum propriæ ſponſionis & verba ſacerdotis Deo conſecrata templa eſſe Scripturarum teſtimonijs comprobantur; & ideò violatores earum ſacrilegi, ac iuxta Apo-

Digitized by Google

ſtolum filij perditionis eſſe noſcuntur.

Apoſtolus dicit.

Præcipe, *inquit*, vt viduæ irreprehenſibiles ſint. Vidua eligatur non minus xl. annorũ in operibus bonis teſtimoniũ habẽs ſi filios educauit. *Et*, Adoleſcentiores viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, ſimul & otiosè loquentes quod non oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionẽ dare aduerſario maledicti gratia. Iam enim quædam conuerſæ ſunt retro Satanam.

Ex Concilio Maguntinenſi, Cap. XIII.

Abbatiſſas autem cum Sanctimonialibus omnino rectè & iuſtè viuere cenſemus. Quæ verò profeſſionem ſecundum regulam ſancti Benedicti fecerunt, ſingulariter viuant. Sin autem Canonicè viuant, pleniter & ſub diligenti cura cuſtodiam habeant, & in clauſtris ſuis permaneant, nec foras exitum habeant. Sed & ipſæ Abbatiſſæ in Monaſterijs ſedeant, nec foras vadant ſine licentia & conſilio Epiſcopi ſui.

Ex Concilio Maguntino, Cap. XXVI.

Abbatiſſa nequaquam de Monaſterio egrediatur, niſi per licentiam ſui Epiſcopi. Et ſi quando foras pergit, de Sanctimonialibus quas ſecum ducit, curam habeat maximam, vt nulla eis detur occaſio peccandi.

Ex Concilio Grantienſi, Cap. IX.*

* Gangrenſi

Abbatiſſa diligentem habeat curam de congregatione ſibi commiſſa, & prouideat vt in lectione & officio, in modulatione Pſalmorum ipſæ Sanctimoniales ſtrenuæ ſint, & in omnibus operibus bonis. Illa eis ducatum præbeat, vtpote pro animabus earum rationem redditura in conſpectu Domini, & ſtipendia Sanctimonialibus præbeat neceſſaria, ne fortè per indigentiam cibi aut potus peccare compellantur.

Ex

Ex Concilio Maguntienſi, Cap. XIV.

Sanctimoniales niſi fortè Abbatiſſa ſua pro aliqua neceſſitate incumbente nequaquam de Monaſterio egrediantur.

Ex Concilio Granecenſi, Cap. XIII.* * Gangrenſi.

Si qua mulier propter continentiam quæ putabatur, habitum immutauit, & pro ſolito muliebri amictum virilem ſumat, anathema ſit.

Ex eodem Concilio, Cap. XIV.

Si qua mulier propter diuinum cultum, vt æſtimat, crines attondet, quos ei Deus ad ſubjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum diſſoluens obedientiæ, anathema ſit.

Ex Concilio Rothomagenſi, Cap. III.

Vt Epiſcopus Monaſteria Monachorum & Sanctimonialium frequenter introeat, & cum grauibus & religioſis perſonis in earum Conuentu reſidens, eorum vel earum vitam & conuerſationem diligenter excutiat. Si quid reprehenſibile inuenerit, corrigere ſatagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam ſublimiter inueſtiget, & ſi aliqua inuenitur, quæ neglecto propoſito caſtitatis clerico aut laico impudenter miſceatur, acriter verberibus coerceatur, & in priuata cuſtodia retrudatur, niſi quod malè commiſit dignè pœniteat. Interdicatur etiam ex auctoritate ſacrorum Canonum, vt nullus laicus aut clericus in earum clauſtris & ſecretis habitationibus acceſſum habeat, neque Preſbyteri niſi tantum ad Miſſam. Expleta Miſſa ad Eccleſias ſuas redeant. Omnibus præterea publicè & priuatim denunciet, quantum ſit piaculum qui ſponſam Chriſti vitiare præſumit. Si enim ille reus tenetur qui ſponſam hominis violat, quantò magis reus majeſtatis efficitur, qui ſponſam omnipotentis Dei corrumpit?

De Monialibus.

Epiſcopi vt Moniales viuant ſine proprio curam adhibeant diligentem, ne ſe poſſint excuſare prætextu alicuius paupertatis.

Digitized by Google

De Sanctimonialibus.

Statuimus vt Abbatiſſæ & Prioriſſæ,& aliæ obedientiariæ, de ſingulis prouentibus, redditibus, & expenſis ſingulis annis computent in Capitulo quater in anno ad minus ; & vt ſtatus tam Obedientiarum quàm Prioratuum à clauſtralibus cognoſcatur, compotus redigatur in ſcriptis : ita quòd Conuentus penes ſe retineat vnum ſcriptum, & Abbatiſſa aliud.

De Sanctimonialibus.

Propter ſcandala, quæ ex Monialium conuerſatione proueniunt,ſtatuimus de Monialibus nigris ne aliquod depoſitũ in domibus ſuis recipiant ab aliquibus perſonis, maximè arcas Clericorum vel laicorum cauſa cuſtodiæ apud ſe minimè deponi permittant. Pueri & puellæ,quæ ſolent ibi nutriri & inſtitui,penitus expellantur. Omnes communiter comedant in Refectorio, & in Dormitorio ſolitariæ dormiant. Cameræ omnes Monialium deſtruantur, niſi aliqua per inſpectionem Epiſcopi neceſſaria retineatur ad infirmariam faciendam,vel alia de cauſa, quæ Epiſcopo iuſta & neceſſaria videatur. Item Moniales nullatenus exire permittantur, vel extra pernoctare, niſi forte ex magna cauſa,& rarò : & Abbatiſſæ iniũgatur, ne aliter permittat egredi Moniales. Et ſi aliquando Abbatiſſa ex iuſta cauſa alicui permittat,eidem iniungat quòd ſine mora reuertatur, & det ei ſociam non ad voluntatem ſuam, ſed quam viderit expedire. Oſtia ſuſpecta & ſuperflua obſtruantur. Circa hoc autem Epiſcopi diligentiam adhibeant & curam, per ſe & per miniſtros ſuos, & vitas & conuerſationes ipſarum taliter reſtringant, quòd per eorum diligentiam ſcandala, quæ de earum vita in præſenti proueniunt, ſopiantur.

De ſororibus non emittendis.

Sorores noſtræ non egrediantur, niſi fortè mittantur de clauſtro ad clauſtrum moraturæ ad minus per annum. Verũ, ſi euidens neceſſitas ingruerit,propter quam oporteat aliquã egredi, fiat de licentia Præmonſtrenſis Abbatis, dum tamen ſine graui periculo eius poſſit expectari aſſenſus. Si quis Abbas aliquam aliter emiſerit, puniantur ſecundum quantitatẽ exceſſus, arbitrio Capituli generalis,& maximè ſi ſcanda-

Digitized by Google

lum emerſerit de ſorore emiſſa. Tempore verò guerrarum liceat cuilibet Abbati ſorores ſibi ſubditas ad loca tuta tranſferre. Quod ſi aliter fuerit, Abbas, ſub quo hoc contigerit, per annum continuum in Feria ſexta ieiunet in pane & aqua.

De ſororibus non recipiendis.

Quoniam inſtant tempora periculoſa, & Eccleſiæ ſupra modum grauantur, communi conſilio Capituli ſtatuimus, vt amodo nullam ſororem recipiamus. Si quis autem huius ſtatuti trangreſſor extiterit, Abbatiſſa ſua ſine miſericordia punietur.

Item de ſororibus non recipiendis.

Nulla ſoror de cætero recipiatur in ordine, niſi locis illis qui ſunt ab antiquo recipiẽdis ſororibus perpetuò deputata.

De teſtimonio ſororum recipiendarum.

Si mulieres aliquæ ex antiqua conceſſione facta eis ante inſtitutionem editam de ſororibus non recipiendis, recipi voluerint in ſorores, nullomodo recipiantur, niſi probauerint vel per litteras, vel per ſufficientem numerum fratrum, vtpotè per quatuor vel quinque, quòd conceſſio fuerit facta eis ante inhibitionem ordinis per Abbatem vel Conuẽtum.

De mulieribus non permutandis.

Mulieres, quæ ab antiquo loca habẽt in domibus noſtris, vt recipiantur in ſorores, nullis aliis loca ſua conferant, nec fiat circa mulieres aliqua mutatio perſonarum.

De puellis non nutriendis in Domibus noſtris.

Cùm propriis fratribus ac ſororibus noſtris etiam tenui victu ſufficere vix poſſimus, abſurdum videretur ſi alienos in delitijs nutriremus, & tales maximè, de quorum fratres aut ſorores noſtræ poſſent conuerſatione corrumpi. Eapropter cenſuimus ſub diſtricta inhibitione cauẽdum, vt emiſſis omnino ſeculariboſ, quæ ad nutriẽdum in clauſtris ſororum noſtrarum hactenus ſunt receptæ, nulla alia prorſus ad nutriendum decetero admittatur. Quòd ſi aliqua voluerit exire

Digitized by Google

iam recepta, vel si ad nutriendum recipiatur, per se, vel per alios intruserit violenter, cessetur in eodem loco, quousque exierit, penitus à diuinis.

Quòd sorores nostræ non habeant nigras Tunicas.

Prædictis namque duximus annectendum, statuentes sub pœna excommunicationis firmiter obseruari, vt sorores nostrę nonnisi in tunicis albis & nigris superpellicijs induantur. In quibus videlicet superpelliceis nulla vel superfluitas vel curiositas videatur, & ne sit notabilis habitus earumdem, ne vestes potiùs videantur quàm morum delicias affectare.

De sororibus in lapsu carnis deprehensis.

Si aliqua soror deprehẽsa fuerit in lapsu carnis, statim emittatur à domo, & nullomodo etiamsi obtinuerit misericordiã, de cætero reuertatur, nisi sub tali lege quod velo careat in perpetuum, & sub vili veste & tenui victu nullatenus egressura de claustro seruiat vt ancilla. Verùm, si secundò commiserit, eijciatur, & nullum de cætero receptionis suæ debitum ab ordine præstoletur. Sane si aliqua extra septa sororum exierit, omni sexta feria per annum in pane & aqua abstineat. Porrò, si extra exteriorem portam domus exierit, infra octo dies si reuersa fuerit poterit recipi vt fugitiua. Ita tamen vt per xl. dies subijciatur pœnæ grauioris culpæ, & omni sexta feria per annũ reficiatur in pane & aqua. Post dies octo reuertenti adijciatur ad pœnam, vt vsque ad sequens generale Capitulum velo careat, & seruiat vt ancilla; non tamen hac occasione egressura à claustro.

De egreßione sororum.

Quasdam Ecclesias nostri Ordinis de facili egressione sororum audiuimus infamari. Sed quia indè multa pericula animarum possunt emergere, & forsitan emerserunt: prohibemus ne amodò ad aliquod negotium vel laborem, siue etiã in causis ad testimoniũ perhibendum egrediantur de cætero.

De communi vita sororum.

Docente Historia Actuum Apostolorum, satis est lucidum

& apertum, quòd Ananias & Saphira vxor ſua oblatis Apoſtolorum Principi ijs, quæ tranſitoriè poſſidebant, & retenta parte pretij cuiuſdam agri venditi ab eiſdem, morte ſubitanea ſunt percuſſi. Quia ergo quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt proprietatis vitium, vel ſaltem ſpecies extirpetur, ſtatuimus, vt quilibet Abbas noſtri Ordinis ita ſororibus ſuis prouideat, vt de communi & in communi viuant, communiter operentur, & ad communem vtilitatem; nec permittãtur habere proprium, ſed neceſſaria eis adminiſtrentur de communi, ſecundum Eccleſiarum, ad quas pertinent, facultates. Si quid autem ipſarum alicui datum fuerit à quoquam, ſecũdum Patris noſtri Auguſtini præceptum, ſtatim redigat in commune. Quod ſi retinere præſumpſerit, deprehenſa ab Abbate vel Prioriſſa, grauiùs ſecũdum Ordinis ſtatuta puniatur.

Ne ſorores frequententur.

Cùm ſecundum Apoſtolum vniuerſos Chriſti fideles, & maximè viros religioſos ab omni ſpecie mala deceat abſtinere; inhibemus tam ſubditis quàm Prælatis oſtium aperire ſororum, & hoc in Domibus alienis. Subſtinemus tamen, vt ſi quis acceſſerit ad eas gratiâ prędicandi, aperto oſtio Eccleſiæ vlteriùs non procedat, imò ſedens in eodem effundat ipſis audientibus verbum Dei, nec permittat aliquatenus Capellanos aut ſocios ſuos introire ad ipſas.

EXPLICIVNT EPISTOLAE PETRI ABAELARDI, ET HELOISSAE.

Digitized by Google

ALIÆ MAG.

PETRI ABAELARDI NANNETENSIS EPISTOLAE;

Quibus adjectæ sunt & INNOCENTII II. PAPAE, S. BERNARDI Clareuall. Abbatis, Heloissæ, Berengarij Scholastici, Fulconis Prioris de Diogillo, itemque Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis,

Ad illius seculi Historiam maximè pertinentes,

Nunc primùm ex varijs Codd. in vnum collectæ & euulgatæ.

Digitized by Google

ALIÆ MAG.

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS,

ET ALIORVM EIVSDEM TEMPORIS,

EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

QVÆ EST FVLCONIS PRIORIS DE DIOGILLO,

AD PETRVM ABAELARDI.

Petro Deo gratias cucullato Frater Fulco vitæ conſalationem præſentis & futuræ.

SECVLARIS vitæ pericula qui ſine periculo ſe putat euadere, non minus mihi deſipere videtur, quàm, ſi cùm inſipiens, quiſpiam ſe exiſtimat ſapientem. Quanto vtique inuoluatur errore ſtultitię non opus eſt me monſtrare, cùm luce clarius pateat ſapienti. Fortuna regũtur, qui diutiùs ſibi permanere in huius felicitatis mutabilitate promittũt. Quàm ſit contrariũ rationi hoc opinari, mõſtrat ſui mutatione infida felicitas. Non eſt humanũ, ſtabilitate durare. Et licèt res humanæ quotidie in deteriora labantur, & felicitatis iocunda vanitas frequenter feria-

Digitized by Google

tur contrarijs: homines tamen miſeri huius temporis familiares & amiciſſimi finem rerũ attendere negligunt, & quàm multis ſubjaceant periculis, quantulacumque deliniti proſperitate oculo prouidentiæ metiuntur. Sed cùm ferit aduerſitas, aut in deſperationem præcipitat, aut ad fructum animaduerſionis eleuat; attamen demùm quòd homines ſint agnoſcunt. Deſperatis & impœnitentibus neque in hoc ſeculo, neque in futuro remiſſionis venia relinquitur vlla: ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit. Affluẽtiſſimè tibi paulò antè mundi huius gloria blandiebatur, & te incertis fortunæ caſibus eſſe obnoxium non ſinebat aduertere. Roma ſuos tibi docendos tranſmittebat alumnos: & quæ olim omnium artium ſcientiam auditoribus ſolebat infundere, ſapientiorem te ſe ſapiente tranſmiſſis Scolaribus monſtrabat. Nulla terrarum ſpatia, nulla montium cacumina, nulla concaua vallium, nulla via difficili licèt obſita periculo, & latrone, quominus ad te properarent retinebat. Anglorum turbam iuuenum mare interjacens & vndarum procella terribilis non terrebat: ſed omni periculo contempto, audito tuo nomine, ad te confluebat. Remota Britannia ſua animalia erudienda deſtinabat. Andegauenſes eorum edomita feritate tibi famulabantur in ſuis. Pictaui, Vvaſcones, & Hiberi: Normania, Flandria, Theutonicus, & Sueuius tuum calere ingenium, laudare, & prædicare aſſiduè ſtudebat. Prætereo cunctos Pariſiorum ciuitatem habitantes, & intra Galliarum proximas & remotiſſimas partes, qui ſic à te doceri ſitiebant, ac ſi nihil diſciplinæ non apud te inueniri potuiſſet. Ingenij claritate, & ſuauitate eloquij, & linguæ abſolutioris facilitate, necnon & ſcientiæ ſubtilitate permoti, quaſi ad limpidiſſimum Philoſophiæ fontem iter accelerabant. Nam illud, quod ſic te, vt aiunt, præcipitem dedit, ſingularum ſcilicet feminarum amorem, & laqueos libidinis earum, quibus ſuos capiunt ſcortatores, melius mihi videor præterire, quàm aliquid dicere quod ordini noſtro, & regulæ noſtræ religionis non concordet: quandoquidẽ ſermo de talibus ſæpè magis ſoleat nocere bonis, quàm prodeſſe. Hac fortaſſis in te bonorũ congregatione in te & ſuper te elatus (quamuis ſapiens, ſi huius nominis ſignificationem in ſe non extinguat, his animi bonis minimè moueatur) in ſuper-

Pſal. 31.

Digitized by Google

biam initiũ & peſtem omniũ malorũ, & inaniſſimè efferbueras, & te jactantiæ vento oſtẽtandi, oẽs ferè alios, etiã ſanctos, qui ante te ſapientiæ operam dederant, vt aiunt qui te frequentiùs audiebant, inferiores te exiſtimabas. At omnipotens Dei dignatio & benignitas, qui ſuperbiæ ventum facit euaneſcere, & humilitatis gratiam multiplicat; qui neminẽ morbo ægrotantem ſuperbiæ, alijſque animi ægritudinibus laborantem non iuſto iudicio deſpicit; tuæ mentis inflationem, & oculorum extollentiam hoc aduerſitatis genere tui miſerando perdomuit: quatenus & in te ſuperbè non ſaperes, & alios quoſque bonos vituperando negligere deſiſteres; caſtimoniæq; ſanctitate, & continentiæ laudabili deuotione de reliquo polleres. Hæc corporis particula, quam omnipotentis Dei iudicio, & beneficio perdidiſti, quantum tibi nocuerat, ac nocere quamdiu permanſit non deſiſtebat, meliùs tuarum diminutio rerum, quàm mea poſſit monſtrare oratio, docet. Quicquid verè ſcientiæ tuæ venditione perorando præter cotidianum victum & vſum neceſſarium, ſicut relatione didici, adquirere poteras, in voraginem fornicariæ cõſumptionis demergere non ceſſabas. Auara meretricum rapacitas cuncta tibi rapuerat. Nulla audierunt ſecula meretricem velle alteri miſereri, vel pepercisſe rebus appetitorũ, quas quoquomodo auferre potuerunt. Videtur hoc probare tua profunda paupertas, qui nihil, vt dicitur, prẽter pannos ex tanto quæſtu habebas, cùm his primùm caſibus ſubjacuiſti fortunæ. Damnum quidem in hoc tempore tui corporis pertuliſti, & ſecundum ſeculi vanitatem, te forſitan reputas, aut reputari æſtimas viliorem: omnium infelicem æſtimationẽ, & penitus à vera ratione deſtitutam reputationem. Si verius quod iuſtum & bonum eſt perſcrutari tecum & ſolus ſtudioſa frequentíquæ meditatione velles; poſtpoſita vanitate inuenires, quantum tibi afferat vtilitatis particularum iſta mutilatio. Primùm quidem, quòd plurimas euaſiſti paſſiones, quibus frequenter quatiuntur, qui tale aliquid minimè perdiderunt: & quibus nequaquam tenentur obnoxij, vt Phyſici affirmant, qui huius partis corporis priuatione ab omni felicitate ſe cecidiſſe ſtolidiſſimè putãt. Deinde autem quòd ardore libidinis, & luxuriæ facibus, quo malo aliquando tanguntur etiam ſancti, nullam ex hoc iam niſi ſola cogita-

tione patieris vexationem: ſed extincta feralis flamma incendij ad te redeas neceſſe eſt, mentemque, quæ per multa & dulcia luxuriæ inſania vagabatur, in ſolidum recolligas. Iam poteris liber, nulla retractante libidine omnium vias cognoſcere rationum, & cauſas, quas aut parum, aut nihil percipiũt, qui per diuerſa libidinis incitamenta raptantur. Adde quòd pecunia tua, ſi quam tibi habere licuerit (non enim eſt Monachorum, ſine licentia proprium quid habere) vexationi diſtrahentium non erit obnoxia. Amodo incipies poſſidere quod multis paulo ante diſtrahebatur euiſcerationibus. Hoc quoque magni exiſtimare debes, quòd nulli ſuſpectus, ab omni hoſpite hoſpes tutiſſimè recipiaris. Maritus vxoris violationem ex te, vel lectuli concuſſionem minimè formidabit. Decẽtiſſimè ornatarum turmas matronarum inuiolabiliter pertranſibis. Virginum choros flore iuuentutis ſplendentium, quæ etiam ſenes iam calore carnis deſtitutos ſuis motibus in feruorem libidinis inflammare conſueuerunt, non timens earum inceſſus & laqueos, ſecurus & ſine peccato miraberis. Sodomitarum ſecretos receſſus, quos deteſtatur ſuper omnes turpiſſimos diuinæ iuſtitiæ veritas, & eorum turpia & maligna conſortia, quæ quidem ſemper odiſti, de cetero te ſine intermiſſione vitare verum eſt. Et omnino poſt hos huius fragiliſſimæ fragilitatis fluxus, quod magnum Dei gratiæ munus in hoc ordine æſtimo, nocturnas ſomniorum illuſiones te minimè ſentire ita certum eſt, ſicut certum eſt, quoniam voluntatẽ, ſi fortè aderit, nullus ſequetur effectus. Blanditiæ* vxoris, corporumque contactus, ſine quo vxor haberi non poteſt, ac liberorum cura ſingularis, quominus Deo placeas minimè retardabunt. Quàm magnum æſtimas bonum, peccandi periculis te ſubtrahi, & in non peccandi ſecuritate conſtitui? Leoninam itaque meretricum ferociam, quam primùm ad ſe introeuntibus oſtendunt, ſerpentinæ deceptionis aſtutiam, captiuæ earum luxuriæ incontinentiam poteris vitare ſuperbus. Quod loquor meliùs de reliquo rerum experientia es cogniturus, quàm verbis valeam explicare. Origenes ille, cuius alta ſapiẽtia vbique prædicatur, & colitur, præter hoc quod quædam errata minimè correxerit, referens tamen culpam in Ambroſium diſcipulum, vt dicit beatus Hieronymus, qui clãculùm edita, ante tempus in lucem pro-

* al Blandimenta.

Hieronym. to. 2. ep. 65.

tulerit,ille,inquam, Origenes deuitans omnem libidinis ſuſpicionem, hac parte corporis ſe ſponte priuauit. Ioannes & Paulus,Protus& Hiacintus,aliique plures glorioſi Martyres, gloria & honore in ſupercœleſtibus in præſentia Dei coronati,in hac temporis breuitate gaudent genitalibus caruiſſe. Et beati ſunt,qui propter regnum cœlorum ſe caſtrauerunt. Poteram fortaſſe plurima talium exempla ponere, ſed quæ dicta ſunt ſufficiant. Ergo frater ne doleas, nec contriſteris, nec perturbatione huius incommodi quatiaris, præſertim cũ hoc tam plures,vt dictum eſt,vtilitatis afferat fructus;&quod hoc modo factum eſt, ſemper & irreparabile permaneat & euulſum. Sit hoc tibi ſolamen aſſiduè quod redintegrari natura non patitur,leuiùs poteſt tolerari. *Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 7.*

——— *Fer & hæc*, vt ait ille, *ſolatia tecum*,

quoniam tempore huius diminutionis vel thorum violando aliorum, vel in aliquo fornicationis veneno minimè deprehenſus es. Membra quieti dederas & ſopori,nullique malum inferre parabas:cùm ecce manus impietatis & ferramentum exitiale ſanguinem tuum innoxium gratis fundere non dubitauerunt. Plangit ergo hoc tuum vulnus & damnum venerabilis Epiſcopi benignitas,qui,quantùm licuit,vacare iuſtitiæ ſtuduit. Plangit liberalium Canonicorum ac nobilium Clericorum multitudo. Plãgunt ciues ciuitatis hoc dedecus reputantes, & dolentes ſuam vrbem tui ſanguinis effuſione violari. Quid ſingularum feminarum referam planctum, quæ ſic,hoc audito,lachrymis,more femineo, ora rigarunt, propter te militem ſuum, quem amiſerant, ac ſi ſingulæ virum ſuum aut amicum ſorte belli reperiſſent extinctum? Tantus ergo omnium luctus extitit,vt meliùs mihi videaris te debere velle perijſſe quàm ſeruaſſe quod perijt. Felix ſe neſcit amari. Penè tota ciuitas in tuo dolore contabuit. Habes arram veræ dilectionis in te, quam ſi priùs agnouiſſes, nullas, meo iudicio, diuitias illi comparabiles æſtimares. Sed forſitan illo ſermone Prophetico mihi reſpondere contendes, *Renuit conſolari anima*. Non poſſum non dolere tam probroſo tactus incommodo: quoniam hoc hominum genus ſuam ſolet ætatem adducere. Nudantur genæ poſt modicum ornamento pilorum, & gloria cutis in facie in rugam cõtrahitur, pallor inconueniens confundit vultum, & qui me aliquan- *Pſal. 76.*

Digitized by Google

do nouerunt, ex quo faciem meam viderint, ſtatim eſſe mutilum hac corporis parte ſunt cognituri. Exigam ergo mei vindictam dedecoris, & totum meæ pondus iniuriæ Romanis auribus intimare ſtudebo, & tam Epiſcopum quàm Canonicos, quoniam primum iudicium de illo, qui in me malus extitit, mutare machinati ſunt, quantùm potero perturbabo, ac tum demum intelligent, quàm ſit contrarium honeſtati à rigore iuſtitiæ deuiaſſe. O miſerum valde conſiliũ, & omni deſtitutum vtilitate! Nunquid non audiſti aliquando de Romanorum auaritia & impuritate? Quis vnquam ſuis potuit opibus meretricum voraginem ſatiare? Quis potuit ſacculis, cupiditatis earum ſufficere crumenis? Quantùm ergo ratione colligo, nec tibi, nec Eccleſiæ tuæ, hoc etiam cogitare, ſalubre conſilium eſſe dignoſcitur. Et plurimùm Monaſterio tuo, cui addictus es, debes ſtudere, prodeſſe potiùs quàm obeſſe. Quamplurimùm te obeſſe, ſi hoc agere intenderis, nulli, qui ſapiat, erit in incerto. Subſtantia tuæ rei ad viſitationem Romani Pontificis, cùm aut modica ſit, aut nulla, minimè ſufficit. Quid Palatinis morſibus objectabis? Parentum vel amicorum tuorum, (omnes enim oderunt te propter te) rei familiaris ſubuentio, vel aliorum, in nullo miniſtrabit tibi. Reſtat ergo, vt, ſi Romam expetieris, Monaſterij tui opibus, quæ res ei grande damnum extiterit, neceſſe eſt iter arripias. Quod ſi defecerit, & iter tamen impleueris, in caſſum te ſudaſſe nulli dubitare fas eſt. Quotquot enim noſtris temporibus ad illam Sedem ſine põdere pecuniæ acceſſerunt, perdita cauſa, confuſi & reprobi abſceſſerunt. Si proteruus extiteris, & cauſam tuam inter eos exponere volueris, de te quidem commouebis riſum: iuſtitiam verò conſequeris nullam. Perdes itaque tanti laboris fructum & operam: & Eccleſiæ Pariſienſis Pontificem & Canonicos Monaſterio tuo & fratribus reddes acerbiſſimos & infeſtiſſimos inimicos. Fruſtra autem niti, vt dicit hiſtoricus, & nil niſi odium acquirere, extremæ dementiæ eſt. Si de vindicta quereris, quam multùm ſitit anima tua & deſiderat, noli continuò morderi dolore & tabeſcere: quia iam in maxima parte viſa eſt adimpleri. Nam quidam illorum, qui tibi nocuerunt, oculorum priuatione & genitalium abſciſione mutilati ſunt. Ille autem qui per ſe factum abne-

Digitized by Google

gat, iam ab omni poſſeſſione ſua bonorum ſuorum comportatione exturbatus eſt. Noli ergo Canonicos vel Epiſcopum tui ſanguinis effuſores vel perditores vocare, qui propter te & propter ſe, quantùm potuerunt, iuſtitiæ intenderunt. Sed audi conſilium bonum & veri amici conſolationem. Monachus es, & ſanctæ religionis habitum non inuitus, ſed ſponte ſumpſiſti. Nō igitur ampliùs tibi vindictam exigere licet, ſi in veritate vis tenere & amare quod in huius nominis ſignificatione monſtratur contineri. Si verò odio habueris etiam inimicum, qui hoc opus fecit, nec odire deſinis: afferat aliud qui velit, ego confidenter aſſero, Veſtem quidem Chriſti portare potes: ſed ad nullam tibi vtilitatem proueniet. *Sequimini*, inquit Apoſtolus, *pacem cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Mihi vindictam*, dicit Dominus, *& ego retribuam*. Si vis eſſe perfectus, incipe Chriſtum perfectè diligere, & vſque ad inimicum diligendum pertinges. Remitte minas & verba ampulloſa in caſſum effundere. Neque enim potes implere quod cupis. Iniuria iniuſtè irrogata, non cui irrogatur, ſed ei qui irrogat, infamia eſt. Noli de cætero de amiſſa dolere fœlicitate, quam ſemper aduerſitatis incommoda proſequuntur. Si ergo in ſancto propoſito permanſeris vſque in finem, nec defeceris: Chriſtus omnia, quæ perdidiſti, multipliciter & mirabiliter reformabit in glorificatione corporum in futuro beatorum: actum demum regula Dialecticorum falſa apparebit, dicentium, in habitum nunquam poſſe redire priuationem. Vale in Domino.

Hebr. 12.

Rom. 12.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

QVÆ EST PETRI ABAELARDI, ADVERSVS EOS, QVI EX AVCTORITATE Bedæ Presbyteri arguere conantur Dionysium Areopagitam fuisse Dionysium Corinthiorum Episcopum, & non magis fuisse Athenienſium Episcopum.

ADAE DILECTISSIMO PATRI SVO, ABBATI Dei gratia Cœnobij glorioſiſſimorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij ibidem corpore quieſcentium, vnaque fratribus & cõmonachis ſuis cariſſimis Petrus habitu Monachus, vita peccator, gratiâ vobis & pax, vt ait Apoſtolus à Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.

SÆPE vnius error multos inuoluit, & proni homines in malum, faciliùs per vnum in falſitatem, quàm per multos in veritatem trahuntur. Ideo dico, quòd multi ei, quam tenemus, veritati de Dionyſio Areopagita vnius Bedæ auctoritatem opponere ſoleant: grauioribus, qui nobis fauent, aut per malitiam, aut fortaſſis per ignorantiam, auctoribus poſtpoſitis. Hic quippè Dionyſium Areopagitam Corinthiorum Epiſcopum fuiſſe profitetur, cùm alij, quorum longe validior eſt auctoritas, eum potiùs fuiſſe Athenienſium Antiſtitem aſtruant, & omninò alium fuiſſe Dionyſium Areopagitam, alium Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, ſuis conuincant aſſertionibus. Ponamus itaq; ſingulorum verba, ac deinde conſideremus, ſi non ſolùm diuerſa, verumetiam inuicem aduerſa ſibi ſint, ac ſibi penitus repugnantia. Quod ſi viderimus, dijudicemus auctoritates ipſas, vt cùm omnes ſaluari non valeant; illa periclitetur quæ minore nititur dignitate. Scriptum eſt itaque de hoc in Eccleſiaſtica Hiſtoria, libro qnarto, capitulo vigeſimo tertio, his verbis: *Veniendum nobis eſt tandem ad beati Dionyſij commemorationem*

morationem Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopi, cuius eruditione & gratia, quam habebat in verbo Dei, fruebantur non hi populi tantùm, quos regendos acceperat, ſed & procul poſiti, quibus per Epiſtolas præſentiam ſui reddebat. Extat denique eius Epiſtola ad Lacedæmonios ſcripta de Catholica fide, vt alia ad Athenienſes, in qua ad Euangelij credulitatem inuitat & concitat ſeniores. Et illud deſignat in eadem Epiſtola, quòd Dionyſius Areopagites, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, ſecundum ea, quę in Apoſtolorum Actibus deſignantur, primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus fuerit ordinatus. Sed & Hieronymus, ille, inquam, Eccleſiæ doctor egregius ſuper hoc ipſo in libro de illuſtribus viris ita meminit. *Dionyſius Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopus tantæ eloquentiæ fuit & induſtriæ, vt non ſolùm ſuæ ciuitatis & Prouinciæ populos, ſed & aliarum Prouinciarum & vrbium Epiſtolis erudiret. E quibus vna eſt ad Lacedemonios, ad Athenienſes, & cætera.* Et poſt pauca. *Claruit ſub Imperatore Marco Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo.* Nunc & ipſius Bedæ verba ponamus, qui in explanatione Actuum Apoſtolorum, eo, videlicet, loco, quo dicitur, *In quibus & Dionyſius Areopagita*, ait ſic. *Hic eſt Dionyſius, qui in Epiſcopatu ordinatus, Corinthiorum gloriosè rexit Eccleſiam, multáque ad vtilitatem Eccleſiæ pertinentia, quæ hactenus manent, ingenij ſui volumina reliquit, cognomen à loco cui præerat accipiens. Areopagus enim eſt Athenarum curia, nomen à Marte trahens. Siquidem Græcè Mars Ἄρης, villa dicitur πάγος.* Inductis itaque, ſicut propoſuimus, auctoritatibas, earum, ſicut promiſimus, diuerſitatem aut repugnantiam conſideremus. Videntur autem duæ ſuprà poſitæ auctoritates, quæ ſibi conſonæ ſunt, auctoritati Bedæ omnino contrariæ. Ex illis quippe apertè conuincitur alium fuiſſe Dionyſium Areopagitam, alium Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum. Nam, iuxta Eccleſiaſticam hiſtoriam, Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus de Dionyſio Areopagita ſcripſiſſe perhibetur, & ibidem Dionyſius Areopagita Atheniẽſium fuiſſe Epiſcopus aſſignatur. Nec minùs ex verbis Hieronymi alium hunc eſſe, quàm illũ apparet: cùm videlicet dicat Dionyſium Corinthiorũ Epiſcopum ſub Marco Antonino & Lucio Aurelio claruiſſe. Conſtat quippè Dionyſium Areopagitam, qui prædicatione Pauli conuerſus eſt, tempore Chriſti & Apoſtolorum exti-

Digitized by Google

tiſſe, ac iam virum adultum adeò fuiſſe, vt vxorem Damarim iam tunc eum conſtet habuiſſe: de qua pariter cum eo in Actibus Apoſtolorum fit commemoratio. Vnde & ibidem ſcriptum habetur, quod *quidam viri adhærentes Paulo crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* A tempore autem Tiberij Cæſaris, ſub quo Dominus paſſus eſt, vſque ad tempora prædictorum Imperatorum, ſub quibus Dionyſius Corinthiorum claruiſſe dicitur, ampliùs quàm centum ſexaginta annos Chronicorũ ſupputatio aſſignat, vt nequaquam tanto tempori vita prædicti viri ſufficeret. Scriptum quippè eſt in Pſalmis. *Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Ex quo liquidè colligitur alium Dionyſiũ Areopagitam, alium Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum extitiſſe. Atque ita prædictorum auctorum ſententijs, Bedæ refellimus opinionem, præſertim cùm & illorum longè grauior auctoritas ſit, & in ore duorum potiùs quàm vnius ſtare verbum conueniat. Ad Eccleſiaſticam quippe hiſtoriam, quaſi primum & maximum Eccleſiaſticorum geſtorum fundamentum, tam Bedã quàm cæteros ſcriptores Eccleſiaſticos recurrere certum eſt. Quid itaque videtur tibi reſpondere poſſe Beda, ſi illa ſcripta ei aduerſari monſtraueris, quorum ſe frequenter auctoritatibus protegit? Nil equidem rectius, quàm ſapientis illum verſiculum,

Conueniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe.

Nequis autem grauiter ferat, ac vehementer abhorreat Bedam nonnunquam decipi, & ſuo ſpiritu non diuino, quædam protuliſſe, eò videlicet quòd eius expoſitiones Latinorũ maximè frequentet Eccleſia: ad memoriam Natham Prophetam reducat de ædificando templo deceptum, atque ipſius quoque principis Apoſtolorum pernicioſam ſimulationem à coapoſtolo Paulo correctã, *Quia*, inquit, *reprehenſibilis erat*: necnon & venerabilem Doctorem Auguſtinum, qui errores proprios ſponte corrigendo, omnia ferè ſcripta ſua retractare non erubuit. Recogitet & illud Heliæ Prouerbium, *Non enim meliores ſumus, quàm patres noſtri.* Et tunc, profectò, cùm tantorum virorum errores commemorauerit, iam de errore Bedæ mirari deſiſtet. Vt enim beatus aſſerit Gregorius in prima ſuper Ezechielẽ Homilia, nonnunquã Spiritus ſanctus ad humilitatis cuſtodiam mentibus fidelium ſeſe ſubtrahit,

Digitized by Google

& eos in errorem labi permittit, vt videlicet recognoſcant, quàm inutiles Spiritu ſancto abſcedente remaneant : qui etiam cùm mentibus præſidet ſanctorum, ſic reuelet aliqua, vt occultet nonnulla. Non magnopere curandum eſt, ſi in hiſtorijs, aut in his, quæ ad Catholicæ fidei periculum non attinent, erraſſe ſanctos nonnunquam annuamus, cùm apertè Auguſtinus de hiſtoria ſeptimi Pſalmi, in cuius videlicet Pſalmi titulo legitur, *Proverbia Chuſi filij Iemini*, per Hieronymum erraſſe conuinci poſſit, tanquam Hebraicæ penitus expers veritatis. Siquis autem Bedæ quoque auctoritate nitatur, vt omnibus ſatisfaciat; dicere fortaſsè licebit hoc loco Bedam aliorum opinionem potiùs ſequutum eſſe, quàm ſuã conſtituiſſe ſententiam. Sæpè etenim, vt ſanctorum auctoritates illæſas cuſtodiamus, ea quæ ſcribunt ad opinionem aliorum potiùs quàm ad ſententiam ipſorum referimus. Sic & in hoc loco dicamus Bedam aliorum introduxiſſe ſententiã, qui ex æquiuocatione nominis decepti, eundem eſſe æſtimauerunt Dionyſium Areopagitam, & Dionyſium Corinthiorum: quippè cùm & beatũ Ambroſium adeò ab hiſtorica veritate quodam loco per æquiuocationem nominis videamus exorbitaſſe, vt Iacobum fratrem Ioannis, quem pariter cum Ioanne fratre ſuo & Petro ad transfigurationem ſui ſeorſum Dominus aſſumpſit, eum Iacobum fuiſſe aſſerat, qui primus ſolium ſacerdotale conſcendit. Quod quidem de alio Iacobo, & qui frater Domini nuncupatus eſt, & primus in Hieroſolymorum Eccleſiam eſt ordinatus, conſtat intelligi debere: vt videlicet ille primus hoc modo ſacerdotale ſolium intelligatur conſcendiſſe. Si ergo tantus Doctor per æquiuocationem nominis Iacobi, à veritate hiſtorica, in expoſitione Euãgelica permiſſus ſit deuiare: quid mirum, ſi Bedam æquiuocatio quoque nominis Dionyſij, vel pleroſque alios fefellerit, præſertim in illa Actuum Apoſtolorũ expoſitione, quam ab ipſo Beda certum eſt poſtea retractatam eſſe? In cuius quidem retractationis præfatiuncula, vt breuiter verba eius cõprehendamus, ita exorſus ait. *Scimus eximium doctorem Auguſtinum libros Retractationum in quædam opuſcula ſua feciſſe: cuius induſtriam nobis quoque placuit imitari, vt poſt expoſitionem Actuũ Apoſtolorum, quam ante annos plures conſcripſimus, nunc in idem volumem breuem Retractationis libellum condamus, ſtudio maximè*

vel addendi quæ minùs dicta, vel emendãdi quæ secùs, quàm placuit, dicta videbantur. Qui etiam in prædicta expositione sua versus Arati frequenter introduxit, cuius nonnullos nouimus errores, cùm apertè eum Hieronymus in prædicto illustrium virorum libro errasse ostendit, de eodem die quo Petrus & Paulus passi sunt. Quem quidem diem non aliter eundem tam Aratus quàm Beda in Martyrologio, eius auctoritate fretus accipiat, nisi anni reuoluto tempore, cùm Hieronymus eodem prorsus die, anno quartodecimo Neronis tam Petrum quàm Paulum passos esse pronuntïet. Denique, vt hanc litem variarum sententiarum pacatissimo fine sopire penitus valeamus; facilè fortassis, si duos Dionysios Corinthiorum Episcopos extitisse ponamus, & Bedam veracem poterimus tenere, & nihil per opinionem accipere: ita quidem, vt vnus ex Dionysijs Corinthiorum Episcopis, & Dionysius Areopagita idem sit, de quo Beda scribit, & in diuersis temporibus idem Athenis & Corintho præesset Episcopus, & postmodum à sancto Clemente Galliarum sit ordinatus Apostolus: alius verò ex Dionysijs Corinthiorum Episcopis, ille fuerit Dionysius, de quo Ecclesiastica Historia & Hieronymus meminerunt: atque ita arbitror omnem controuersiam absolui posse. Omnium igitur, quæ ad solutionem proposuimus, hæc summa est, vt vel Bedam deceptum fuisse concedamus: vel eum aliorũ nobis opinionẽ præsentasse: vel duos Corinthiorũ Episcopos extitisse. Valete in Domino dilectissimi.

EPISTOLA III.

QVÆ EST PETRI ABAELARDI,

CONTRA QVENDAM CANONICVM REGVlarem, qui Monasticum ordinem deprimebat, & suum illi anteferebat.

MVLTORVM relatione ad nostras delatum est aures, nostri Ordinis, id est Monastici, statum à te sæpiùs in præsentia multorum non mediocritæ læsum: quod non alia de causa præsumptum esse credimus, nisi vt nostros humiliando, tuæ professionis Clericos, quos Canonicos regulares vocatis, sic efferre laborares. Miramur autem

Digitized by Google

ſi ita ſit, ſed amplius miramur ſi ita non ſit, cùm nullam aliam ſuſpicari poſſimus cauſam. Dicis, vt dicunt, longè ordine tuo noſtrum inferiorem eſſe, & plurimùm Monachos à dignitate Clericorum abeſſe. In quo quidem primùm à te ſciſcitari volumus, de qua id dignitate intelligas, vtrum Prælationis inter homines, an Religionis apud Deum. Quod Religionis, profecto hęc dignitas veriſſima eſt, quæ nos Deo maximè cõmendat, atque virtutibus adornat, & tantò glorioſiores in cæleſtibus efficit, quantò humiliores habemur in terrenis. At verò qua ratione vel authoritate hanc ſibi dignitatem Clerici vendicare valeant dicas ſi poſſis, aut adiicias cur non poſſis. Quis enim neſciat quòd quotidianis docemur experimentis hos etiam Clericos, qui maiore gradu præminent, Monaſticã eligere vitam, cùm quod in Clericatu deliquerint perfectè corrigere ſatagunt, & cùm eis ad Monachatum tranſire liceat, ad Clericatum nullatenus redire permittantur? Aut ſi quandoque per religionis excellentiam Eccleſiaſticæ perſonæ de Monaſterijs electæ, Clericorum officijs præficiantur, ipſe quoque habitus Monachalis tanta dignitate præminet, vt ſemel aſſumptus deponi non debeat: pro quo non ſolum ſecularis, verumetiam Clericalis abijciendus eſt. Quid eſt etiam, quòd cùm ſæpè Monachi Epiſcopi facti Clericis præponantur, vel quibuſcumque officijs Eccleſiaſticis applicentur? Cur non è conuerſo de Clericis Abbates in Monaſterijs fiant, vel officiorum Monachicorum curam ſuſcipiant? Cur, inquam, cur, obſecro, niſi quod indigniſſimum cenſetur, vt eius vitæ regimini laxior præponatur, pro qua etiam ipſa contemnenda eſt, &, vt diximus, per eam corrigenda? Cur etiam vos ipſi, & vniuerſa Eccleſia in ſupplicatione Letaniarum dicitis, *Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, Omnes ſanctæ Virgines, Omnes ſanctæ viduæ & continentes orate pro nobis*, & non, Omnes ſancti Clerici, vel ſancti Preſbyteri, vel ſancti Epiſcopi? Certè quia hæc nomina officij magis ſunt, ſicut illa religionis. Quid eſt etiam quòd in illis Hymnis feſtiuitatis omnium Sanctorũ, in quibus tam à vobis, quàm à cæteris ſuffragia Sanctorum poſtulantur, nulla veſtri mentio fiat, ſicut fit Monachorum & Virginum? Sic quippè ſcriptum eſt:

Chorus ſanctarum virginum,
Monachorúmque omnium,

Digitized by Google

Simul cum Sanctis omnibus
Conſortes Chriſti facite.

Item.

Monachorum ſuffragia,
Omnéſque ciues cælici,
Annuant votis ſupplicum,
Et vitæ poſcant præmium.

Audio te tamen ſolere opponere nobis illud quoque Hieronymi noſtri. *Monachus, ſi ceciderit, rogabit pro eo Sacerdos: pro Sacerdotis lapſu quis rogaturus eſt?* Quod certè quacumque ratione diceres, ſi nullatenus Monachos Sacerdotes eſſe contingeret. Cùm verò dicit, Monachus eſt Sacerdos vtique, illud diſtinguit Monachum à ditione Sacerdotis, qui Sacerdos non ſit. Sic enim cùm dicimus, Rex & Miles; vel, Epiſcopus & Sacerdos, vel Sacerdos & Diaconus, quamuis etiam Reges ſint milites, vel Epiſcopi Sacerdotes, vel Sacerdotes Diaconi; militem eum intelligimus, qui Rex non ſit, & Sacerdotem qui non ſit Epiſcopus, & Diaconum ſimplicem. Vbi etiam cùm dicit, *Rogabit pro eo Sacerdos*, ſpecialem illam Miſſam orationem intelligit, quæ propria eſt Sacerdotis, non quæ cuilibet iuſto competit. Quam & Apoſtolus generaliter cõmendans, ait: *Multùm valet enim deprecatio iuſti aſſidua.* Quo enim quiſque iuſtior eſt, ab eo exaudiri meretur, qui non tam verba quàm opera penſat, nec tam linguam quàm vitam cõſiderat. Quantùm autem de perfectione ſua vitam Monaſticam idem Doctor veſtræ præferat, patenter inſinuat ad Heliodorum Monachum his ſcribens verbis: *Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba qui ſolus es? Quid ergo? Quicumque in ciuitate ſunt, Chriſtiani non ſunt? non eſt tibi eadem cauſa quæ cæteris? Dominum auſculta dicentem: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me. Tu autem perfectum te eſſe pollicitus es. Nã cùm derelicta militia mundiali caſtraſti te propter regnum cælorum, quid aliud quàm perfectam ſequutus es vitam?* Et poſt aliqua, *Alia*, inquit, *vt ante perſtrinxi, Monachi cauſa eſt, alia Clericorum*: hoc eſt, longè ab inuicem eorum profeſſio & conuerſatio diſtat, & ipſorum propoſitum tendit ad diuerſa, *ſicut*, ait; *ante perſtrinxi.* Quod quidem vbi faceret, aſſignari non poteſt, niſi vbi perfectionem Monaſticam à vita fidelium in ciuitate

Digitized by Google

commorantium diſtinxit, dicens. *Quid ergo? Quicumque in ciuitate ſunt, Chriſtiani non ſunt?* Qui etiam ad Paulinum preſbyterum ſimul & Monachum ſcribens, Clericos magis inter homines cõuerſari debere, quàm Monaſticæ ſolitudinis perfectionem tenere patenter his verbis inſinuat: *Quia igitur fraternè interrogas, per quam viam incedere debeas, reuelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere Presbyteri, ſi Epiſcopatus te vel opus vel honor fortè delectat; viue in vrbibus & caſtellis, & aliorum ſalutem fac lucrum animæ tuæ. Sin autem cupis eſſe quod diceris, Monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? Habet vnumquodque propoſitum Principes ſuos: &, vt ad noſtra veniamus, Epiſcopi & Presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos & Apoſtolicos viros: quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propoſiti noſtri principes, Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macharios, &, vt ad ſcripturarum auctoritatem redeam, noſter princeps Helias, noſter Heliſæus, noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabãt in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* De his ſunt & illi filij Rechab, qui vinum & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur, & promittitur eis, quòd non deficiat de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino. Nec ſolũ Heliam, qui in antiquo populo tantus enituit, vt in cœlum viuus ſuſtolli mereretur, inter noſtros mirare principes: verumetiam Ioannem in ſpiritu eius venientem, & quaſi alterum Heliam, cui Dominus tantum teſtimonium dedit, vt pro eminentia vitæ ipſum ex teſtimonio Prophetæ Angelum nuncuparet, nec ſolùm Prophetis, verumetiam vniuerſis hominibus anteferret. De quo & Chryſoſtomus Homelia Euangeliorum XXIII. quæ ſic incipit, *De Ioanne dicitur, Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Gratia in homine comprehenditur, Ioannes enim interpretatur Dei gratia, quia maiorem accepit gratiam. Propterea in eremo philoſophatur, & reſeruat ſe in aduentum Chriſti: quia nunciaturus erat Chriſtum. Statim in eremo nutritur, ſtatim ibi creſcit: non vult cum hominibus conuerſari, in eremo cum Angelis philoſophatur. Conſiderate, Monachi, dignitatem veſtram: Ioannes princeps veſtri eſt dogmatis ipſe Monachus. Statim vt natus eſt, in eremo viuit, in ſolitudine nutritur, Chriſtum expectat in ſolitudine. Eo tempore, quo Ieſus natus eſt, erat in ere-*

Digitized by Google

mo. Hoc templum, quod videmus esse destructum, quantas habebat diuitias, quid auri, quid argenti Iosephus describit, quantũ gemmarũ, quantũ serici, quanti erant Sacerdotes, scribæ, & vniuersa genera officiorũ. Christus in tẽplo nescitur, & in eremo prædicatur. Hoc totum quare dico? Vt doceam dogmatis vestri principem esse Baptistam Ioannẽ. Audistis, fratres, nostri pariter & vestri proposiți principes superius inductos, vt vtriusque ordinis differentia clareat. Si gaudetis Apostolos quoque vestris cõnumerari principibus, atque Pontifices tam veteris quàm noui Testamenti ab ipso videlicet Aaron vsque ad Annam & Caypham, ne obsecrò doleatis Heliam & Ioannem maiores istis, nostri duces esse proposiți. Clericatum pro Monachatu Ioannem commutasse dubium non est: qui cùm filius Pontificis esset, cui eo tempore Pontificalis dignitas hæreditario iure debebatur, ciuitatem solitudini, Pontificem Monacho posthabuit, & perfectionem vitæ Prælationi præposuit Ecclesiasticæ. De quo & Hieronymus ad Rusticum Monachum scribens, *Audio*, inquit, *religiosam te habere matrem, multorum annorum viduã, quæ aluit, quæ erudiuit infantem. Et Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis. Viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casas propter fluenta Iordanis: & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant.* De quibus & alibi meminit, *Virgo Helias, Helisæus virgo, virgines filij Prophetarum.* Quid est, obsecro frater, quòd electurus Apostolos Dominus, nequaquam de eremo acciuit Ioannem, nec ab eo baptizandus, ipsum à solitudine, vel ad horam reuocauit: sed sicut cæteri hominum ad eum venit, inter cæteros & ipse baptizandus à Monacho, sicut scriptum est, *factum est cùm baptizaretur omnis populus. & Iesu baptizato, &c.* Quid, inquam, nisi quia, vt dixit, partem Mariæ præferendam censuit parti Marthæ, quietem scilicet contemplationis, solicitudini & crebris perturbationibus sęculi? Quibus quidem solicitudinibus occupatus Apostolus ingemiscit, dicens: *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea, quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego nõ vror?*

In

Digitized by Google

In quibus quidem occupationibus atque moleſtijs quàm difficile ſit puritatem cuſtodire mentis, & terrena itineta ſine aliquo pulueris contagio frequentare, ipſe Dominus patenter edocuit, cùm pedes Apoſtolorum abluere decreuit. Quod diligenter Sponſa in Cantico Canticorum attendens, Sponſo ad oſtium eius pulſanti, & vt de lectulo ſurgens ei aperiat roganti, prouidè his verbis ſe excuſat. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quid enim lectulus Sponſæ, niſi quies eſt animæ contemplatiuæ, & à ſolicitudinibus & curis ſeculi remotæ? Quę quidem in clauſtro quaſi ſpõſa in thalamo, tanto ampliùs Deo vacat, & arctiùs ei toto aſtringitur deſiderio, quantò longiùs ab occupationibus ſeculi remota eſt, & iam in ſecreto cæleſtium camerarum per contemplationem ita ei coniuncta eſt, vt ſit vnus cum Deo ſpiritus, iuxta quod de beato Martino legitur, *Artus quippè fatiſcentes ſpiritui ſeruire cogebat, ſtratúque ſuo recubans, nec terram videre iam dignatus, cælo totus inhiabat.* Ad talem lectuli quietem contemplationis ſecretum Sponſus veniens ſibi aperiri poſtulat, cùm plebs Chriſtiana animæ cuicunque contemplatiuæ ſupplicat, vt ſuſcipiendo regimen ipſorum eos ad ſe ſic admittat. Quod & ipſe Chriſtus in membris ſuis agere dicitur, quo inſpirante id agitur, & ſub cuius nomine & auctoritate hoc imploratur. Perfecta verò anima illa quietem ſuam vehementer diligens, dum laborem refugit, ne aliorum lucro detrimentum incurrat ſuæ perfectionis, ſurgere de lectulo renuit, & Sponſo, vt dictum eſt, inſtanti dicit: *Expoliaui me tunica mea*, hoc eſt, exteriorem curam mundanarum actionum ex voto poſtpoſui. Interior quippè veſtis & ſubtilior, eſt interula; exterior & groſſior, tunica. Vndè bene hic ornatus, contemplatiuus; ille vero habitus, aſſignandus eſt actiuus. Hi quippe clauſtris ſe Monaſticis recludentes tantò ſubtiliùs atq; perfectiùs ſummi luminis ſplẽdorem contemplantur, quantò ab exterioribus ſeculi curis ampliùs ſunt remoti. Hanc profectò curarum occupationem, quam Martha proximi neceſſitudinibus impendit, & qui populo præſunt exercent, quaſi tunicam reſumere Sponſa refugit, cùm à contemplatione ad actionem redire nullatenus acquieſcit. Vnde & cauſam annectens ait: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Affectus quippe noſtri,

quibus ad quidlibet agendum trahimur, quaſi quidam pedes ſunt, quibus ducimur. Iſtos pedes abluit, qui à curis ſeculi mentem retrahit, quibus animus per diuerſa diffuſus, difficile eſt ne ſaltem cogitationum maculis aliquibus reſpergatur, vel quandoque cedat tentationibus. Quod Sponſa cõſiderans de lectulo pedes ad terram deponere trepidat, hoc eſt ſe iterum implicare curis, dum nullum à ſordibus vacare locum extra lectulum ſuum credit. Quæ tandem ſponſo inſtante de lectulo ſurgere compellitur, & ei, ſicut poſtulauit, aperire: de quo cùm eum tenere vellet, atque, vt ſolita fuerat, comprehendere, ſubiunctum eſt. *At ille declinauerat atque trãſierat.* Non enim ita in publico ſicut in occulto Deus inueniri poteſt: nec ſolicitudo Marthæ circa plurima turbatæ Chriſto aſſiſtere valet aſſiduè, nec curis ſeculi mens intenta in Deo poterit vigilare quieta. Vnde & ipſe Sponſus quo deuotiùs oremus, oſtium cubiculi admonet claudi: alioquin declinat & trãſit à nobis, quia quò minus ei vacamus, eo magis ab ipſo deſerimur, & ab eius gratiæ donis ampliùs deſtituimur. Etiam Sponſa eius ad publicum de ſecreto thalami tranſgreſſa, quantum de perfectione ſua pro lucris aliorum minuit, reperit; & tantò magis accedit periculum, quantò de commiſſis animatus maior illi ſupereſt reddenda ratio. Attende, obſecro frater, tui ordinis dignitatem & officij conditionem, in quo & minuitur meritum, & imminet periculum. Vide quid ſit profectus dignitatis, vbi perfectio tollitur religionis, vbi maior apud ſeculum, minor fit apud Deum, & graue ſui ſuſtinet diſpendium. Liam, quam duxiſti, gaudes eſſe fœcundam: ſed doles cùm reſpexeris eam lippam. Nocturnum Lia coniugium habuit, quaſi talis copula luce digna non fuerit. Quandiu ſterilis Rachel permanſit, incolumis vixit: fœcunda poſtmodum facta, proprio partu eſt extincta. Ex quo patenter innuitur quàm periculosè id, vnde gloriamini, ſuſcipiatur: & quòd hæc gloria, ruina potiùs ſiue deiectio quàm exaltatio ſit dicenda. Quorum quidem facilem caſum, & periculoſum aſcenſum, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Deiecisti eos dum alleuarentur*, beatus Hieronymus attendens, quodam loco ad Heliodorũ Monachum his ſcribit verbis: *Quod ſi te quoque ad eundem ordinem pia fratrum blandimenta ſolicitant, gaudebo de aſcenſu, ſed timebo de lapſu.* Idem aduerſus Vigilan-

Digitized by Google

tium ſolitariæ, hoc eſt Monaſticæ vitæ ſecuritatẽ cõmendans, ait. *Cur*, inquies, *pergis ad eremum? Videlicet vt te non audiã, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Reſpondebis. Hoc non eſt pugnare, ſed fugere. Sta in acie, aduerſarijs armatus obſiſte, vt poſtquã viceris coroneris. Fateor imbecillitatẽ meã: nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdã aliquando victoriã. Si fugero, gladium deuitaui: ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut cadendum. Quid autem neceſſe certa dimittere, & incerta ſectari? Aut ſcuto, aut pedibus mors vitanda eſt. Tu, qui pugnas, & ſuperari potes, & vincere: ego cùm fugero, non vinco in eo quod fugio, ſed ideo fugio, ne vincar. Nulla ſecuritas eſt, vicino ſerpente dormire. Poteſt fieri, vt me non mordeat: tamen poteſt fieri, vt aliquando me mordeat.* Idem ad Oceanum de morte Fabiolæ: *Caueat religioſus ibi viuere, vbi neceſſe habeat quotidie aut perire, aut vincere. Securius enim eſt perire non poſſe, quàm iuxta periculum non perire.* Hanc & Seneca maximus ille morum Philoſophus ſententiam tenens, & ſic philoſophari Lucilio ſuo conſulens, ait Epiſtolarum, quas ad eum ſcribit, quinquageſima tertia: *Non tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Id agere debemus, vt irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. Vna Hannibalem hiberna ſoluerunt, & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitijs victus eſt. Nobis quoque militandum eſt, & quodam genere militiæ, quo nunquam otium datur. Debellandæ ſunt imprimis voluptates: quæ, vt vides, ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt. Si quis ſibi propoſuerit quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicatè, nihil molliter eſſe faciendum.* Sed ad hæc fortaſſis tam ſanctorum Patrum quàm Philoſophorum conſilia reſpondebis reuera periculoſum eſſe adminiſtrationem Eccleſiaſticam ſuſcipere, ac difficillimum in ea, quantùm oportet, deſudare: ſed profectò tantò maiora conſtat eſſe præmia, quantò huic labori maior incumbit difficultas. Cui primùm illud reſpondeo Tullianum. *Quod ſi laborioſum, non ſtatim præclarum.* Alioquin in Eccleſia Dei, qui quotidianis nuptiarum moleſtijs & ſolicitudinibus implicantur aſſiduis, his præferendi eſſent, qui cœlibem vitam ducentes, minùs onere ſæculi premuntur, & ob hoc liberiùs atque puriùs Deo vacant, tanquam

Digitized by Google

lectuli quietem adepti. Denique si pro augmento meritorũ eos extollis, qui de virtutibus suis confidentes, pugnas tentationum & illecebras mundi magis sustinere quàm fugere decreuerunt, vide vtrum his, qui continentiam vouerunt, consulendum sit, vt in lupanaribus vel vbi crebras fornicationes*, vide aut hanc virtutem studeant conseruare, & se sponte periculis objicientes, sed quæ magis Angelos, quàm homines attendentes, tanta securitate sui Deum præsumant tentare. Cur etiam Clerici feminas in contubernio suo habere prohibentur, nisi tales consanguinitatis personas, de quibus nulla suspicio turpitudinis possit haberi? Quas quoque vester maximè, vt dicitis, præceptor Augustinus intantum declinare decreuit: vt nec sanctissimam sororem secum habitare pertulerit, dicens: *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Cur & vos ipsi Canonici regulares à vobis ipsis nouiter appellati, sicut & nouiter exorti, magno ambitu murorum clausura vestra sepientes, more Monachorum, ab illecebris & tentationibus seculi manetis diuisi? Si ergo, vt vos quoque docetis, & omnibus patet, imbecillitati humanæ magis prouideri conuenit à periculis, quàm vltro se objicere illis; profectò consilium est omnia tentamenta, quo ad possumus, euitare, præsertim si eam eligamus vitam, quæ & maioris sit meriti, & minùs pateat tentationi. Quod tam auctoritate Patrum, quàm certis rerum declaratur exemplis. Vitam contemplationis, quietem tumultuosæ fidelium actioni constat à Domino prælatam fuisse: & Mariæ partẽ, quam optimam dixit, parti Marthæ certum est anteferri. Quamuis enim Martha reficeret Dominum: feliciùs Maria reficiebatur à Domino, & longè meliorem Dominus quàm Martha ministrabat refectionem. Marthæ ministratio est necessaria corporis prouidere, verbum prædicationis erogare, aliorum magis, ex officio proprio; quàm sui curam gerere. Non enim Ecclesiæ Pastores, in eo quod Pastores sunt, tam de proprijs quàm de subjectorum pabulis habent cogitare, nec in hoc tam sibi quàm alijs proficiunt. Vnde & Dominus cùm in hoc officio Petrum constitueret, nequaquam ait, *Pasce teipsum*, sed, *Pasce oues meas*, siue, *agnos meos*, hoc est pane spiritalis doctrinæ vel exhortationis ipsos instrue vel confirma. De quo quidem pane diuini verbi scriptum est

videtur aliquid deesse.

Digitized by Google

alibi: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quòd ſi hoc tempore Clericorum ac Monachorum laborem ac vitę duritiam conferatis, non eſt hoc longua diſputatione diſcutiendum, quod quotidianis experimentis fit manifeſtum. Confer Epiſcopos cum Abbatibus, Archipreſbyteros Eccleſiarum cum Prioribus Monaſteriorum, Clericos cum Monachis: & quoſlibet conſulo, qui quibus inter ipſos magis aſperam vel laborioſam vitam ducant, vt ſi laborem penſes, ad meritum nos longè ſuperiores inuenias, quibus vos ipſi non aliam quàm pœnitentium vitam aſcribitis, & clauſtra noſtra non loca dignitatis, ſed pœnitentię carceres nuncupatis. Quam & beatus Hieronymus à vita Clericorum diſtinguens, ad Heliodorum de morte Nepotiani ſcribit his verbis: *Si quis relicto Clericatu duritiæ ſe tradiderit Monachorum, ſit creber in orationibus, vigilans in precando, lachrymas Deo, non hominibus offerat.* Certè ſi clericorum arctior eſſet vita, & qui Eccleſiaſtica præſunt dignitate, vitæ quoque præeminerent auſteritate: nequaquam Monachi tanto deſiderio appeterent Epiſcopari, nec ſpiritales Patres tanta ſolicitudine Clericos etiam ad Monaſticam conuerſationem inuitarent. Quale & illud eſt prædicti Doctoris Præſidium Diaconem exhortantis. *Diaconus, inquies, Eccleſiam tutò deſerere non poſſum. Vereor ne incurram ſacrilegium, ſi altaria derelinquam. Sed conſidera, obſecro, ſatis eſſe difficile locum Stephani implere vel Pauli, in angelico ſtare miniſterio, & populos ſubiacentes candenti deſuper veſte deſpicere. Pretioſum eſt margaritum, ſed citò frangitur, fractumque non poteſt inſtaurari.* Item: *Cùm vitam in vrbibus lacerent bonam, quid facies frater in medio? aut ſectaberis quæ ſunt aduerſa continentiæ: aut, ſi facere nolueris, ipſe damnaberis. Prætermitto varias illecebras, quibus etiam rigidiſſimi emolliuntur animi. Nunc illud affirmo, quòd etiam ſi ita non eſſent, ad comparationem tam ingentis boni, minora deſerere debueras. Adde quod Diaconus es, ſed abſceſſu tuo Eccleſiæ damna non ſentient. Helias vixit in eremo. Hæliſæum Prophetarum ſecutus eſt chorus. Præcurſor Domini Ioannes nutritus in ſolitudine, ad hoc tantùm deſcendit ad Iordanis ripas, vt populos argueret confluentes, & Phariſæos intelligens Clericos Iudæorum, generationes vipereas denotaret. Nuper Ægypti deſerta vidiſti, intuitus es Angelicam familiam. Quanti ibi flores ſunt? quàm ſpiritualibus gemmis prata vernantia? Vidiſti ſerta, quibus Dominus*

coronatur. Item: *Habebis cellulã, quæ te ſolum capiat. Immo non eris ſolus, Angelica tecum turba verſabitur. Tot ſocij, quot ſancti. Leges Euangelium, fabulabitur tecum Ieſus. Replicabis Apoſtolos vel Prophetas. Nunquid poteris talem alium tuis ſermonibus habere conſortem?* Sectemur ſaltem mulierculas, ſexus nos doceat infirmior. Quantæ diuitijs pariter & nobilitate pollentes (nolo enim vocabula dicere, ne adulari videar) relictis facultatibus, pignoribúſque contemptis, id factu facile iudicauerunt, quod tu proprio putaſti timore difficile?

EPISTOLA IV.

QVÆ EST PETRI ABAELARDI,

INVECTIVA IN QVENDAM IGNARVM Dialectices, qui tamen eius ſtudium reprehendebat, & omnia eius dogmata putabat ſophiſmata & deceptiones.

MYSTICA quædam de vulpe fabula in prouerbium à vulgo eſt aſſumpta. Vulpes, inquiunt, conſpectis in arbore ceraſis, repere in eam cœpit, vt ſe indè reficeret. Quò cùm peruenire non poſſet, & relapſa decideret, irata dixit. Non curo ceraſa: peſſimus eſt earum guſtus. Sic & quidam huius temporis doctores, cùm Dialecticarum rationum virtutem attingere non poſſint, ita eam execrantur, vt cuncta eius dogmata putent ſophiſmata, & deceptiones potiùs quàm rationes arbitrentur. Qui cæci duces cæcorum neſcientes, vt ait Apoſtolus, de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant, quod neſciunt dãnant, quod ignorant accuſant. Lethalem iudicant guſtum quem nunquam attigerunt. Quicquid non intelligunt, ſtultitiam dicunt: quicquid capere non poſſunt, æſtimant deliramentum. Quos quidem rationis expertes, quia rationibus refellere nõ valemus: teſtimonijs ſaltem ſanctarum Scripturarum, quibus ſe plurimùm niti fatentur, eorum præſumptionẽ compeſcamus. Agnoſcant igitur eam, quam vehementiùs deteſtantur, artem, hoc eſt Dialecticam quaſi ſacræ lectioni contrariam,

Digitized by Google

quantùm Eccleſiaſtici Doctores cõmendent, quantùm eam ſacræ Scripturæ neceſſariam iudicent. Hanc quippe ſcientiam tantis præconijs efferre beatus auſus eſt Auguſtinus, vt comparatione cæterarum artium eam ſolam facere ſcire fateatur, tanquã ipſa ſola ſit dicenda ſcientia. Vnde libro ſecũdo de ordine ita meminit. *Diſciplinã diſciplinarũ, quã Dialecticã vocant. Hæc docet docere, hæc docet diſcere. In hac ſe ipſa ratio demonſtrat atque aperit, quæ ſit, quid velit: ſcit ſola, ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt.* Idem in ſecundo de doctrina Chriſtiana, cùm inter omnes artes præcipuè Dialecticam & Arithmeticam ſacræ lectioni neceſſarias eſſe profiteatur, illam quidem ad diſſoluendas quæſtiones, hanc ad allegoriarum myſteria diſcutienda, quæ frequenter in naturis numerorum inueſtigamus, tãto ampliùs Dialecticam extulit, quãtò ampliùs eam neceſſariam aſſignauit, ad omnes videlicet quæſtionum dubitationes terminandas. Ait autem ſic: *Reſtant ea, quæ non ad corporis ſenſus, ſed ad rationem animi pertinent, vbi diſciplina regnat diſputationis & numeri.* Sed diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt, penetranda & diſſoluenda plurimum valet. Tãtum ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim multa, quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones rationum, & plerũque ita veras imitantes, vt non ſolùm tardos, ſed ingenioſos etiam minus diligenter attentos decipiant. Quod genus captioſarum concluſionum ſcriptura, quantum exiſtimo, deteſtatur illo loco vbi dictum eſt, *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis erit.* Plurimùm autem Dialecticam atque Sophiſticam artem ab inuicem conſtat eſſe diſcretas, cùm illa in veritate rationum, hæc in ſimilitudine conſiſtat earum, iſta fallaces argumentationes tradat, illa fallacias earum diſſoluat, & ex diſcretione verarum argumentationũ falſas deprehendi doceat. Vtraque tamen ſcientia tam Dialectica ſcilicet quàm Sophiſtica ad diſcretionem pertinet argumentorum: nec aliter quis in argumentis eſſe diſcretus poterit, niſi qui falſas ac deceptorias argumentationes à veris & congruis argumentationibus diſtinguere valebit. Vnde & à ſcriptoribus Dialecticæ nec huius artis tractatus eſt prætermiſſus, cùm ipſe Peripateticorum princeps

Aristoteles hanc quoq; tradiderit elenchos scribens Sophisticos. Vt enim homini iusto mali quoque notitia necessaria est, non vt malum faciat, sed vt malum cognitum cauere queat; ita & Dialectico sophismatum non potest deesse peritia, vt sic ab eis sibi cauere queat. Nec discretus in rationibus argumentorum erit, nisi falsis pariter & veris cognitis, hæc ab illis discernere, & vtraque diiudicare diligenter valebit. Vnde &, beato attestante Hieronymo, ipse quoque Salomon ad falsas pariter & veras argumẽtationes cognoscendas plurimùm adhortatur. Sic enim aduersus calumnias Magni Oratoris vrbis Romæ scribens, sicut & nos nunc aduersus consimiles, ait inter cætera de summo illo sapiente Salomone: *In exordio Prouerbiorum commonet, vt intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientum & ænigmata, quæ propriè Dialecticorum & Philosophorum sunt.* Quid enim sapientiæ sermones, versutiasque verborum, nisi verarum & fallacium argumentationum diuersitatem intelligit? Quæ, vt diximus, ita sibi sunt adiunctæ, vt discretus in his esse non possit, qui illas ignorauerit: cùm ad cognitionem quarumlibet rerum necessaria sit notitia contrariarum. Nemo enim virtutes diligenter nouerit, qui vitia ignoret: præsertim cùm nonnulla vitia ita virtutibus finitima sint, vt ex similitudine sua facilè multos decipiant, sicut & falsæ argumentationes ex similitudine verarum plerosque in errorem pertrahunt. Vnde non solùm in Dialectica diuersitas incidit sententiarum, verumetiam in fide Christiana multiplicitas errorũ, cùm verbosi hæretici assertionum suarum laqueis multos simplices in diuersas pertrahant sectas: qui nequaquam in argumentationibus exercitati, similitudinem pro veritate, & fallaciam pro ratione suscipiunt. Aduersus quam pestem nos in disputationibus exercere ipsi quoque Doctores Ecclesiastici commonent, vt quod non intelligimus in scripturis, non solùm orando petamus à Domino, verùm inuicem quæramus disputando. Vnde & illud est Augustini in tractatu de Misericordia, cùm illa Domini exponeret verba, *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis*, Petite, inquit, *orando, quærite disputando, pulsate rogando, id est interrogando.* Nõ enim hæreticorum, vel quorumlibet infidelium infestationes refellere sufficimus

ſufficimus, niſi diſputationes eorum diſſoluere poſſimus, & eorum ſophiſmata veris refellere rationibus, vt cedat falſitas veritati, & Sophiſtas reprimant Dialectici: parati ſemper, vt beatus ammonet Petrus, ad ſatisfactionem omni poſcēti nos rationem, de ea, quæ in nobis eſt, ſpe vel fide. In qua profectò diſputatione, cùm illos Sophiſtas conuicerimus, nos Dialecticos exhibebim⁹, & tanto Chriſti, qui veritas eſt, diſcipuli memores erimus, quanto veritate rationum ampliùs pollebimus. Quis denique neſciat ipſam artem diſputandi, qua indifferentur hos quàm illos * conſtet nuncupatos eſſe? Ipſum quippe Dei filium, quem nos Verbum dicimus, græci λόγον appellant, hoc eſt diuinæ mentis conceptum, ſeu Dei ſapientiam, vel rationem. Vnde & Auguſtinus in libro quæſtionum octoginta trium capite quadrageſimo quarto. *In principio*, inquit, *erat Verbum, quod Græcè λόγος dicitur.* Idem in libro contra quinque hæreſes. *In principio erat Verbū. Meliùs græci λόγος dicunt. λόγος quippe Verbum ſignificat & rationem.* Et Hieronymus⁵ ad Paulinum de diuinis ſcripturis. *In principio erat Verbū. λόγος Græcè multa ſignificat. Nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſa vniuſcuiuſque rei, per quam ſunt ſingula, quæ ſubſiſtunt. Quæ vniuerſa rectè intelligimus in Chriſto.* Cùm ergo Verbum patris Dominus Ieſus Chriſtus λόγος Græcè dicatur, ſicut & σοφία Patris appellatur: plurimùm ad eum pertinere videtur ea ſcientia quæ nomine quoque illi ſit coniuncta, & per deriuationem quandam à λόγος Logica ſit appellata: & ſicut à Chriſto Chriſtiani, ita à λόγος Logica propriè dici videatur. Cuius etiam amatores tanto verius appellantur Philoſophi, quanto veriores ſint illius ſophiæ ſuperioris amatores. Quæ profectò ſummi Patris ſumma Sophia, cùm noſtram indueret naturam, vt nos veræ ſapientiæ illuſtraret lumine, & nos ab amore mundi in amorem conuerteret ſui; profectò nos pariter Chriſtianos, & veros effecit Philoſophos. Qui cùm illam ſapientiæ virtutem diſcipulis promitteret, qua refellere poſſent contradicentium diſputationes, dicens, *Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri*: profectò poſt amorem ſui, vnde veri dicendi ſunt Philoſophi, patenter & illam rationum armaturam eis pollicetur, qua in diſputando ſummi efficiantur Logici. Quę duo de hoc videlicet amore, & doctrina eius, quibus tam phi-

* Locus torquetur.

Digitized by Google

loſophi,quàm ſummi efficerentur Logici,hymnus ille Pentecoſtes, *Beata nobis gaudia*, diligenter diſtinguit,cùm dicitur:

Verbis vt eſſent proſlui,
Et caritate feruidi.

Hęc enim duo maximè ille ſuperni Spiritus aduẽtus in igneis linguis reuelatus eis contulit: vt per amorem Philoſophos,& per rationum virtutem ſummos efficeret Logicos. Vnde benè Spiritus in ignis& linguarum ſpecie eſt demonſtratus,qui eis amorem & eloquentiam in omni genere linguarum conferret. Quis denique ipſum etiam Dominum Ieſum Chriſtum crebris diſputationibus Iudæos ignoret conuiciſſe, & tam ſcripto quàm ratione calumnias eorum repreſſiſſe: non ſolùm potentia miraculorum, verùm virtute verborum fidẽ plurimùm aſtruxiſſe? Cur non ſolis vſus eſt miraculis,vt hæc faceret, quibus maximè Iudæi, qui ſigna petunt, commouerentur: niſi quia proprio nos exẽplo inſtruere decreuit, qualiter & eos,qui ſapientiam quærunt, rationibus ad fidem pertraheremus? Quæ duo Apoſtolus diſtinguens, ait: *Nam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt.* Hoc eſt rationibus plurimùm iſti,ſicut illi maximè ſignis ad fidem mouentur. Cùm autem miraculorum iam ſigna defecerint,vna nobis contra quoſlibet contradicentes ſupereſt pugna, vt quod factis non poſſumus,verbis cõuincamus:præſertim cùm apud diſcretos vim maiorem rationes quàm miracula teneant,quę vtrùm illuſio diabolica faciat,ambigi facile poteſt. Vnde & Veritas,*Surgent*, inquit, *pſeudo-Prophetæ,& dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* At verò,inquies,quia & in rationibus plurimus error ſe ingerit,vt non facilè diſcernat, cùm rationes inducuntur argumentorum,quæ & pro rationibus ſuſcipiantur,& quæ tanquã ſophiſmata reſpuantur. Ita,inquam,his accidit,qui peritiam argumentorum non ſunt adepti. Quod ne fortè accidat, rationi differendi, hoc eſt Logicæ diſciplinæ, opera eſt danda, quæ, vt beatus meminit Auguſtinus, ad omnia genera quæſtionum penetranda,quæ in ſacris literis incidunt,plurimùm valet. Sed hoc certè apud illos Doctores neceſſarium eſt,qui ſoluendis quæſtionibus ſe ſufficere confidentes, eas minimè ſubterfugiunt.

Digitized by Google

ELEGIA,

QVA HILARIVS PETRI ABAELARDI discipulus plangit receſſum Præceptoris ſui ex Paracleto.

LIngua ſerui, lingua perfidiæ,
Rixæ motus, ſemen diſcordiæ,
Quàm ſit praua ſentimus hodie,
Subjacendo graui ſententiæ.
Tort auers nos * li Meſtre. * *f* vos,
Lingua ſerui, noſtrum diſſidium,
In nos Petri commouit odium,
Quæ meretur vltorem gladium
Quia noſtrum extinxit ſtudium.
Tort auers nos li Meſtre.
Deteſtandus eſt ille ruſticus,
Per quem ceſſit à Schola Clericus;
Grauis dolor quod quìdam publicus
Id effecit vt ceſſet Logicus.
Tort auers nos li Meſtre.
Eſt dolendum quòd lingua ſeruuli
Magni nobis cauſa periculi
Suſurrauit in aurem creduli
Per quod eius ceſſant diſcipuli.
Tort auers nos li Meſtre.
O quàm durum Magiſtrum ſentio,
Si pro ſui bubulci nuntio,
Qui vilis eſt & ſine precio,
Sua nobis negetur lectio.
Tort auers nos li Meſtre.
Heu quàm crudelis iſte nuntius
Dicens, Fratres exite citius,
Habitetur vobis Quinciacus:
Alioquin, non leget Monachus.
Tort auers nos li Meſtre.
Quid, Hilari, quid ergo dubitas?
Cur non abis, & villam habitas?

Digitized by Google

Sed te tenet diei breuitas,
Iter longum, & tua grauitas.
Tort auers nos li Meſtre.
Ex diuerſo multi conuenimus,
Quo Logices fons erat plurimus,
Sed diſcedat ſummus & minimus:
Nam negatur quod hîc quæſiuimus.
Tort auers nos li Meſtre.
Nos in vnum paſſim & publicè
Traxit aura torrentis Logicæ:
Deſolatos Magiſter reſpice,
Spémque noſtram, quæ languet, refice.
Tort auers nos li Meſtre.
Per impoſtum, per deceptorium
Si negare vis adiutorium,
Huius loci non Oratorium
Nomen erit, ſed ploratorium.
Tort auers nos li Meſtre.

EPISTOLA V.

QVÆ EST PETRI ABAELARDI AD BERNARDVM CLARAEVAL. Abbatem.

VENERABILI ATQVE IN CHRISTO dilectiſſimo Fratri Bernardo Clarævallenſi Abbati Petrus compresbyter.

CVM nuper Paracletum veniſſem quibuſdam compulſus negotijs ibi peragendis, filia veſtra in Chriſto & ſoror noſtra, quæ illius loci Abbatiſſa dicitur, cũ ſumma exultatione mihi retulit vos illuc diu deſideratum cauſa ſanctæ viſitationis aduenisſe, & non tanquam hominem, ſed quaſi Angelum tam eam quàm ſorores ſuas ſacris exhortationibus corroboraſſe. Secretò verò mihi intimauit vos ea charitate, qua me præcipuè amplectimini, aliquantulum commotum eſſe, quòd in Oratorio illo Oratio

Digitized by Google

Dominica non ita ibi in horis quotidianis, ſicut alibi recitari ſolet: & cùm hoc per me factum credideretis, me ſuper hoc quaſi de nouitate quadam notabilem videri. Quo audito, ſcribere vobis decreui noſtram ſuper hoc qualemcumque excuſationem, maximè cùm veſtram minus quàm cæteras omnes dolerem, vt decet offenſionem.

CONSTAT, vt noſtis, hanc Dominicam Orationẽ vel à ſolis Matthæo & Luca nos habere conſcriptam, quorum alterum Apoſtolus quàm Euangeliſta huic Orationi, cùm traderetur, interfuit: vndè & eam plenius ac perfectius, ſicut & totum ſermonem in monte habitum, cui eſt ipſa inſerta, ſcripſiſſe dubium non eſt. Lucas verò diſcipulus Pauli, qui nec huic ſermoni interfuit, nec, quæ ex ore Dominico audierit, ſcripſit: ſed quæ Paulo maximè referente didicit, quem nec illi ſermoni conſtat interfuiſſe. Scribit etiam non illum perfectiorem Dominicum ſermonem, quem in monte habuit cum Apoſtolis, ſed quem turbis in campeſtribus fecit. Electurus quippe Apoſtolos Dominus, ſicut ſcriptum eſt, *in montana ſubijt*: turbas verò docturus, ad campeſtria redijt. Illuc quidem conſcendit, hîc deſcendit, in quo quàm altior illa eſſet doctrina, qua Doctores ipſos docebat, patenter oſtenderet. Beato denique Hieronymo atteſtante nouimus, ſicut & manifeſta veritas habet, quoniam aliter audita, aliter viſa narrantur: & quòd meliùs intelligimus, meliùs & proferimus. De ipſo fonte Matthæus, de riuulo fontis Lucas eſt poratus. Non arguimus Lucã mendacij, nec ipſe nobis iraſcitur, ſi ei Matthæum præferamus, & Orationem Dominicam, quæ Apoſtolis omnibus generaliter tradita, & ab Apoſtolo eſt ſcripta, ei anteferamus, quæ cuidam diſcipulo eſt dicta, præſertim cùm illam Matthæi ſicut in authoritate & in perfectione conſtat eminere. Vt autem de vtraque quaſi ante oculos poſita meliùs iudicemus, iuuat vtramque præſenti loco inſerere. Sicut ergo Matthæus ſcribit, cùm prædictam Orationem Apoſtolis traderet, ait. *Sic ergo orabitis. Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnũ tuum, fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo.* Lucas verò ſic ait: *Factum eſt cùm eſſet in loco*

quodam orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum. Domine doce nos orare, ſicut & Ioannes docuit diſcipulos ſuos. Et ait illis. Cùm oratis dicite. Pater, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum. Panem noſtrum quotidianum da nobis quotidie, & dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis, & ne nos inducas in tentationem. Patet itaque quòd perfectiùs, vt ſuprà meminimus, Matthæus quàm Lucas ſcripſerit: cùm ille videlicet ſeptem petitiones in ea, iſte tantùm quinque poſuerit. Illa quippe Apoſtolis, ſicut oportebat, perfectior eſt tradita, & in eo petitionum numero conſtituta, quo ſeptiformis gratiæ plenitudo notatur, de qua prima & potiora dona ipſos accepiſſe Apoſtolos Paulus confitetur, dicens: *Nos autem primitias ſpiritus habentes, &c.* Illa verò, quam longè poſt ſermonem in monte habitum Lucas refert à Domino vni diſcipulorum id roganti traditam fuiſſe, non immeritò ſuæ imperfectionis typum in ipſo petitionum quinario deſignat. Quinque etenim ſunt corporis ſenſus, ſicut & ſeptem dona Spiritus. Vnde bene his numerus ille conuenit, qui quaſi carnales adhuc ſpiritualibus inferiores ſunt. Quod de illo vno diſcipulo nõ eſſe dubitandum arbitror, quem conſtat Apoſtolis non interfuiſſe, cũ eis in monte Dominus, nouum traderet Teſtamentum; cui, vt diximus, ipſam quoque Orationem inſeruit, quam ille nõdum audierat. Qui etiam cum ait, *Domine doce nos orare, ſicut & Ioannes diſcipulos ſuos*: commemorando Ioannem, qui minor Chriſto in omnibus atque imperfectior fuit, ipſam quoque imperfectionem ſui ſenſus innuit. Conſtat & plerumque legem, quæ in quinque libris conſiſtit, & carnali populo ſenſibus magis quàm ratione ducto, & corporalibus bonis potiùs quàm ſpiritualibus inhianti data eſt, per Ioannem figurari. Vndè non incongruè factum eſt, vt qui à Chriſto talem Orationis doctrinam, qualem Ioannes dederat, requirebat, imperfectiorem, quàm Apoſtoli, ſuſcipere deberet. Pro qua quidem imperfectione ſui, bene id à ſanctis Patribus prouiſum eſt, vt illa potiùs quæ à Matthæo perfectior ſcribitur in vſum veniret, atque in Eccleſiaſticis frequentetur officijs. Quid igitur extiterit cauſæ, vt cæteris Matthæi verbis retentis, vnum ſolum mutemus, *quotidianum* ſcilicet pro *ſuperſubſtantialem* dicentes, qui poteſt dicat, ſi tamen dicere ſufficiat.

Digitized by Google

Non enim ita excellentiam huius panis hoc nomen *quotidianum* quemadmodum *ſuperſubſtantialem* videtur exprimere,& non mediocris videtur præſumptionis eſſe Apoſtoli verba corrigere; & ſic ex duobus Euangeliſtis vnam Orationem componere,vt neuter in ea ſufficere videatur: & ſic eam proferre, ſicut nec à Domino eſt dicta, nec ab aliquo Euangeliſtarum ſcripta; præſertim cùm in cæteris omnibus, quæ de ſcriptis eorum in Eccleſia recitantur,impermixta ſint eorum verba,quacumque perfectione vel imperfectione diſcrepent. Siquis itaque me nouitatis ſuper hoc arguat, attendat an ille magis arguendus fuerit, qui ex duabus orationibus antiquitus ſcriptis vnam nouam componere præſumpſit, non tam Euangelicam quàm ſuam dicendam. Denique Græcorum diſcretio, quorum, vt ait beatus Ambroſius, authoritas maior eſt, ſolam Matthæi Orationem prædictis, vt arbitror, rationibus in conſuetudinem duxit, dicendo ſcilicet τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον, quod interpretatur, *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem.* Quamuis enim Lucas Græcè,Matthæus ſcripſerit Hebraicè, antiquiorem tamen & perfectiorem peregrinæ linguæ orationem frequentare potiùs Græci decreuerunt, & tranſlationem magis quàm propriæ linguæ ſcripturam ſequi. His itaque,ni fallor,tam rationibus quàm authoritatibus vetuſtatis potiùs quàm nouitatis arguendus videor,& minùs de præſumptione cenſendus,qui tam Dominum quàm Apoſtolos,& manifeſtam Græcorum prouidentiam in hoc præcipuè ſequor. Non enim dubitandū eſt Apoſtolos Orationē hanc ſibi traditā à Domino & ab Apoſtolo primùm ſcriptā in eiſdē verbis eam frequentaſſe, in quibus ipſam à Domino acceperant,& Apoſtolus tradiderat ſcriptam. Quis enim non cenſeat eos, qui in commune viuunt,& in hoc Apoſtolicam plurimùm vitam, doctrinam quoque ipſorum inſiſtere debere potiſſimùm? Denique cùm Dominus Orationem hanc traderet, vel in his ſecundum Matthæum verbis, vel in illis ſecundum Lucam,& eam,ſicut tradebat,dici præciperet, quis non videat eos non mediocriter præſumere,qui ſic eam dicūt ſicut nunquam eſt ab ipſo tradita, nec ab aliquo ſcripta? Quāta enim præſumptio eſt, in hac Oratione nec aliquod ſcriptū ſequi,nec tenere præceptum Domini: immò tam ſcriptum, quàm Dominum ipſum emendare audere, ſi fortè iſta præ-

Digitized by Google

ſumptio dici poſſit emendatio ? Nemini tamen præcipio, nemini perſuadeo vt me in hoc ſequatur, & à communi recedat vſu. Abundet vnuſquiſque in ſenſu ſuo. Illud tamen, quicumque eſt ille, attendat nec vſu rationi, nec conſuetudinem præferendam eſſe veritati. Quod quidem tam ſeculi leges, quàm doctrinæ ſanctorum Patrum plurimùm nobis commendare decreuerunt. Codicis lib. VIII. cap. I. *Conſuetudinis vſuſque longæui nec vilis authoritas eſt: verùm nec vſque adeò ſui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem.* Auguſtinus lib. IIII. de Baptiſmo. *Fruſtra qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis obijciunt, quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod in melius fuerit à Spiritu ſancto reuelatum. Hoc planè verum eſt, quia ratio & veritas conſuetudini præponenda eſt.* Gregorius ſeptimus Vvimundo Auerſano Epiſcopo. *Si conſuetudinem fortaſſis opponas, aduertendum fuit quod Dominus dicit, Ego ſum*, inquit, *veritas, non ait, Ego ſum conſuetudo.* Beatus quoque Gregorius de diuerſis conſuetudinibus Eccleſiarnm Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcribens, eius prouidentiæ relinquit in diuinis officijs, vel celebratione Miſſæ, de varijs vſibus aliorum id quod decreuerit eligere, nec tam ipſam etiam matrem Romanam Eccleſiam in talibus ſequi, quàm quod tenere cenſuerit. *Nouit*, inquit, *fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritam: ſed mihi placet ſiue in Romana, ſiue in Gallicana, ſeu in qualibet Eccleſia aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in Anglorum Eccleſiam, quæ adhuc fide noua eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſijs colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca emẽdas. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſijs, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinẽ depone.* Quòd ſi in talibus & nobis eligere liceat ex conſuetudinibus Eccleſiarum, non improbanda noſtra videtur electio prouidentiam Græcorum, à quibus plurimam accepimus doctrinam, in hoc etiam imitata, vt nec authoritas conſuetudinis deſit tam manifeſtæ rationi. Quam videlicet rationem ita vos videmus inſiſtere, & in ea vehementes eſſe, vt contra omnium conſuetudinem Eccleſiarum, in diuinis officijs eam tenere ac defendere audeatis. Vos quippe quaſi nouiter exorti, ac de nouitate plurimùm gaudentes,

Digitized by Google

dentes, præter conſuetudinem omnem tam Clericorũ quàm Monachorum longè antè habitã, & nunc quoq; permanentẽ, nouis quibuſdam decretis aliter apud vos diuinum officium inſtituiſti agi: nec tamen indè vos accuſandos cenſetis. Si hæc veſtra nouitas aut ſingulariras ab antiquitate recedat aliorum, quam rationi plurimùm & tenori Regulæ creditis concordare: nec curatis quantacumque admiratione ſuper hoc alij moueantur, ac murmurent, dummodo veſtræ, quam putatis, rationi pareatis. Quorum vt pauca commemorem, pace veſtra, Hymnos ſolitos reſpuiſtis, & quoſdam apud nos inauditos, & ferè omnibus Eccleſijs incognitos, ac minùs ſufficientes, introduxiſtis. Vndè & per totum annum in vigilijs tam feriarum quàm feſtiuitatum vno Hymno & eodem contenti eſtis, cùm Eccleſia pro diuerſitate feriarum vel feſtiuitatũ diuerſis vtatur Hymnis, ſicut & Pſalmis, vel cæteris, quæ his pertinere noſcuntur: quod & manifeſta ratio exigit. Vndè & qui vos die Natalis, ſeu Paſchæ, vel Pentecoſtes, & cæteris ſolemnitatibus Hymnum ſemper eundem decantare audiunt, ſcilicet, *Æterne rerum conditor*, ſummo ſtupore attoniti ſuſpendũtur; nec tam admiratione quàm deriſione mouentur. Preces quæ poſt ſupplicationem & Orationem Dominicam ab Eccleſia vbique celebrantur, & ea quæ ſuffragia Sanctorum dicuntur, omninò à vobis fieri interdixiſtis, quaſi vel precibus veſtris mundus, vel vos ſuffragijs Sanctorũ minùs egeatis. Et, quod mirabile eſt, cùm omnia Oratoria veſtra in memoria matris Dominicæ fundetis, nullam eius commemorationem, ſicut nec cæterorum Sanctorum, ibi frequentatis. Proceſſionum ferè totam venerationem à vobis excluſiſtis. *Alleluya* nec in Septuageſima communi Eccleſię more intermittitis; ſed vſq; in Quadrageſimã retinetis. Symbolum, quod dicitur Apoſtolorum, quod tam à Clericis quàm à Monachis in Prima pariter ac Completorio ex antiquo frequentatur, à veſtra remotum eſt conſuetudine, qui tamen Symbolum Athanaſij diebus tantùm Dominicis recitare decreuiſtis. *Gloria* cum Reſponſorijs vigiliarum tantùm decantatis diebus Dominicæ ſepulturæ: antiquam conſuetudinem penitus abſtuliſtis. Vbi & Inuitatorium & Hymnũ cum tribus tantùm Lectionibus & Reſponſorijs cum *Gloria*, contra omnem Eccleſiæ morem, &, vt dicitur, rationem vos

dicere inſtituiſtis. Cùm enim hoc triduum tanquam exequiæ Dominicæ in luctu peragatur, atq; hinc vulgò horũ dierũ vigiliæ nuncupentur tenebræ, quòd extinctis ibi luminaribus mœror hîc exprimatur; non mediocriter mirandum videtur vel Inuitatorium, vel Hymnum, vel *Gloria*, quæ potiùs gaudij voces ſunt, ibi decantari. Quæ omnia cùm omnibus in magnam admirationẽ veniant, cur hæc ſcilicet veſtra nouitas totius Eccleſiæ vſui apud vos præferatur, nec tamen ab inſtitutione veſtra ideò receditis, nec quid alij murmurẽt curatis: quia id rationabiliter vos facere confiditis, quos inſtitutio regulæ nouum opus de veteri facere compellit, ſicut de ſemetipſo Hieronymus meminit. Non enim vocum nouitates, ſed profanas tantùm & fidei cõtrarias Apoſtolus interdicit. Alioquin nouam legem veteri non præferremus, & poſt Canonicas ſcripturas multa fidei verba neceſſariò inuenta, hæreticorum more, reſpueremus. Ad confutandam quippe nouam hæreſim nouum vocabulum ὁμούσιον repertum fuit: nec hoc nomen *Trinitas* & *perſona* Canonicis ſcripturis inſertũ eſt. Denique in diuinis officijs quis ignoret diuerſas & innumeras Eccleſiæ conſuetudines inter ipſos etiam Clericos? Antiquam certè Romanæ Sedis conſuetudinem nec ipſa ciuitas tenet, ſed ſola Eccleſia Lateranenſis, quæ mater eſt omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum ſuarũ in hoc eam ſequente, nec ipſa etiam Romani palatij baſilica Mediolanenſis metropolis ita in talibus ab omnibus diſſidet, vt nulla etiam ſuffraganearum ſuarum matris inſtitutionem imitetur. Sic & Lugdunenſis prima Sedes Galliarum ſola in ſuo perſiſtit officio. Et cùm tanta in iſtis facta ſit varietas, quicquid vna poſt aliam nouiter inſtituit, nulla reprehenſio nouitatis incidit, quia nulla fidei contrarietas fuit. Nonnullam enim oblectationem hæc diuini cultus varietas habet: quia, vt Tullius meminit, identitas in omnibus mater eſt ſatietatis. Qui ergo omnium linguarum generibus prædicari voluit, ipſe diuerſis officiorum modis venerari decreuit. Qui etiam cùm Orationem prædictam diuerſis compoſuerit modis, & in ea vtroque modo orandum præceperit, quomodo præceptum eius implebimus, ſi verbum aliquod ſubtrahere præſumimus, & nunquam eam eo modo, quo ipſam dixit proferamus? Denique, vt omnibus ſatiſfaciam, nunc

Digitized by Google

etiam vt ſuperiùs dico, abundet vnuſquiſque in ſuo ſenſu, dicat eam quomodo voluerit. Nemini perſuadeo vt me in hoc ſequatur, variet verba Chriſti prout voluerit. Ego autem ſic illa, ſicut & ſenſum, quantùm potero, inuariata ſeruabo.

EPISTOLA VI.

QVÆ EST EIVSDEM PETRI ad Virgines Paracletenſes,

DE STVDIO LITERARVM.

BEATVS Hieronymus in eruditione virginum Chriſti plurimùm occupatus, inter cetera, quæ ad ædificationem earum ſcribit, ſacrarum ſtudium literarum eis maximè commendat, & ad hoc eas nõ tam verbis hortatur, quàm exemplis inuitat. Memor quippe ſententiæ, qua Ruſticum inſtruens ait, *Ama ſcientiam ſcripturarũ, & carnis vitia non amabis*: tantò magis neceſſariũ amorem huius ſtudij feminis eſſe cenſuit, quantò eas naturaliter infirmiores & carne debiliores eſſe conſpexit. Nec ſolùm ad hanc virginum exhortationem argumentum à ſimilitudine à virginibus ſumptum inducit, vnde ad comparationem minoris, viduas & coniugatas in exemplum aſſumit: quo magis Sponſas Chriſti ad hoc ſtudium incitet per matronas ſeculi, & ex virtute laicarum torporem excutiat vel confundat Monialium. Et quoniam, iuxta illud Gregorianum, *à minimis quiſque inchoat, vt ad maiora perueniat*; præmittere iuuat quanta diligentia virgunculas in ſacris imbuere literis ſtuduerit. Vnde, vt omittam cætera, illud nunc in medium procedat, quod ad Lætam de inſtitutione filiæ ſuæ Paulæ, propter morum doctrinam, tradit hanc literarum diſciplinam. *Sic erudienda eſt*, inquit, *anima, quæ futura eſt templũ Dei. Fiant ei literæ vel buxeæ, vel eburneæ, & ſuis nominibus appellentur. Ludat in eis, vt & luſus ipſe eruditio ſit. Et non ſolùm ordinem teneat literarum, vt memoria nominum in canticum tranſeat: ſed & ipſe inter ſe crebrò ordo turbetur, & mediis vltima, primis media miſceantur, vt eas non ſono tantùm, ſed & viſu nouerit. Cùm verò cæperit*

Digitized by Google

trementi manu stylum in cera ducere, vel alterius superposita manu teneri regantur articuli, vel in tabula sculpantur elementa; vt per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, vt foras non queant euagari. Syllabas iungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri potest, munusculis inuitetur. Habeat in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur. Non obiurganda est, si tardior sit: sed laudibus excitandum est ingenium, & vt vicisse gaudeat, & victa doleat. Cauendum imprimis, ne oderit studia, ne amaritudo eorum, præcepta in infantia, vltra rudes annos transeat. Ipsa nomina, per quæ consuescit paulatim verba contexere, non sint fortuita, sed certa, & coaceruata de industria, Prophetarum videlicet, atque Apostolorum, & omnis ab Adã Patriarcharum series, de Matthæo Lucáque descendat: vt, dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur. Magister probæ ætatis & vitæ, atque eruditionis est eligendus: nec, puto, erubescet vir doctus id facere in propinqua, vel nobili virgine, quod Aristoteles fecit in Philippi filio: vt ipse librariorum vilitate initia traderet literarum. Non sunt contemnenda quasi parua, sine quibus magna consistere non possunt. Ipse elementorum sonus, & prima institutio præceptorum aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Nec discat in tenero, quod ei postea dediscendum est. Difficulter traditur, quod rudes animi perbiberunt. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem, orbísq; domitorem, & in moribus, & in incessu, Lænidis pædagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus adhuc paruulus fuerat infectus. Vt autem pronuntiationem scripturæ commendet memoriæ, certam & ipse lectionis mensuram singulis diebus vult præfigi: quam cùm memoriter persoluat, nec solùm Latinis, verumetiam Græcis literis operam dari præcipit, cùm vtræque linguæ tunc Romæ frequentarentur, & maximè propter scripturas de Græco in Latinum versas: vt eas ex origine sua meliùs cognosceret, ac veriùs dijudicare posset. Nõdum enim Hebraicæ veritatis translatione Latinitas vtebatur. Ait itaque: *Reddat tibi pensum quotidie de scripturarum floribus carptum. Ediscat Græcorum versuum numerum. Sequatur statim & Latina eruditio: quæ si non ab initio os tenerum composuerit; in peregrinum sonum lingua corrumpitur, & externis vitijs sermo patrius sordidatur. Pro gemmis & serico, diuinos codices amet, in quibus non auri, & pellis Babylonicæ vermiculata pictura, sed ad fidẽ placeat emendata & erudita distinctio. Discat primò Psalterium, his*

Digitized by Google

ſe canticis auocet, & in prouerbijs Salomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat, quæ mundi ſunt, calcare. In Iob, virtutis & patientiæ exempla ſectetur. Ad Euangelia tranſeat, nunquam ea depoſitura de manibus. Apoſtolorum Acta & Epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cúmque pectoris ſui cellarium his opibus locupletauerit, mandet memoriæ Prophetas, Heptateuchum, & Regum, & Paralipomenon libros, Eſdræ quoque & Heſtor volumina. Ad vltimum, ſine periculo diſcat Canticum Canticorum: ne, ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis ſpiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur. Caueat omnia apocrypha, &, ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reuerentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multáque his admixta vitioſa, & grãdis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere. Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſij Epiſtolas, & Hilarij libros inoffenſo decurrat pede. Illorũ tractatibus, illorum delectetur ingenijs, in quorum libris pietas non vacillet. Cæteros ſic legat, vt magis iudicet, quàm ſequatur. Reſpondebis. Quomodo hæc omnia mulier ſæcularis, in tanta frequentia hominum, Romæ cuſtodire potero? Noli ergo ſubire onus, quod ferre non potes: ſed, poſtquã ablactaueris eam cũ Iſaac, & veſtieris cum Samuele, mitte auiæ & amittæ. Redde pretioſiſſimã gemmã cubiculo Mariæ, & cunis Ieſu vagientis impone. Nutriatur in monaſterio: ſit inter virginũ choros: iurare non diſcat: mentiri ſacrilegium putet: neſciat ſeculum: viuat angelicè: ſit in carne ſine carne: omne hominum genus ſui ſimile putet. Et, vt cætera taceam, certè te liberet ſeruãdi difficultate, & cuſtodiæ periculo. Melius eſt tibi deſiderare abſentem, quàm pauere ad ſingula. Trade Euſtochio paruulam: illam primis miretur ab annis; cuius & ſermo, & inceſſus, & habitus doctrina virtutum eſt. Sit in gremio auiæ, quæ longo vſu didicit nutrire, ſeruare, docere virgines. Anna filiũ, quem Deo vouerat, poſtquam obtulit in tabernaculo, nunquam recepit. Ipſe, ſi Paulam miſeris, & magiſtrum me, & nutritium ſpondeo, geſtabo humeris, balbutia ſenex verba formabo, multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non regem Macedonum, Babylonio periturum veneno; ſed ancillam & Sponſam Chriſti erudiam, regnis cæleſtibus offerendam. Perpendite ſorores in Chriſto cariſſimæ, pariter & conſeruæ, quantam curam tantus Eccleſiæ Doctor in eruditione vnius paruulæ ſuſceperit, in qua tam diligenter cuncta diſtinxerit, quę neceſſaria doctrinæ decreuerit, ab ipſo alphabeto ſumẽs exordium. Nec ſolùm de pronunciandis ſyllabis, & literis

coniungendis, verum etiam de ſcribendis adhibet documẽtum: necnon & de ſocijs prouidet adiungendis, quorum liuore, vel laude plurimùm moueatur. Quod etiam, vt ſponta nea magis quàm coacta faciat, & maiori ſtudium amore complectatur; blanditijs, & laudibus, necnon & munuſculis incitari admonet. Ipſa quoque nomina diſtinguit ex ſcripturis ſacris colligenda, in quibus proferendis ſe primùm exercens, hæc memoriæ ſuæ plurimùm commendet, iuxta illud Poëticum,

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu. ——————

Qualis etiam magiſter ad hoc ſit eligendus, diligenter deſcribit: nec prætermittit præfixam eſſe debere menſuram lectionis, quam cordetenus firmatam quotidie perſoluat. Et quia eo tempore, Græcarum quoque liberarum vſus Romæ abundabat, nec Græcarum literarum expertem eam eſſe permittit: maximè, vt arbitror, propter tranſlationem diuinorum Librorũ à Græcis ad nos diriuatam, vnde diſcernere poſſet, quid apud nos minùs, vel aliter eſſet: & fortaſſe propter liberalium diſciplinam artium, quæ his, qui ad perfectionem doctrinæ nituntur, nonnihil afferunt vtilitatis. Qui etiam conditionem Latinæ linguæ præmittit, quaſi ab ipſa noſtrum inchoauerit magiſterium. Cùm autem à ſono vocum ad earum peruenerit ſenſum, vt quæ proferre didicerit iam intelligere velit: codices ei diſtinguit diuerſos, tam de canone duorum Teſtamẽtorum, quàm de opuſculis Doctorum, ex quorum eruditione proficiat, vt conſummetur. Inter canonicas autem ſcripturas, ita ei Euangelia commendat, vt nunquam hæc de manibus virginis receſſura cenſeat; quaſi plus aliquid Diaconiſſis, quàm Diaconis de lectione iniungat Euangelica: cùm iſti in Eccleſia illam habeant recitare, illæ nunquam ab eorum debeant lectione vacare. Deinde iſta matri de filia ſcribens, ne quam mater excuſationem prætenderet, hęc omnia Romæ ſecularem feminam in tanta hominum frequentia perficere poſſe; dat conſilium, vt ab iſto ſe onere liberet: Monaſterio virginum tradat filiam, vbi educari ſine periculo, & de his, quæ dixit, perfectiùs inſtrui poſſit. Omnem denique occaſionem amputans, ne de Magiſtro tandem, qualem ipſe deſcripſerat, mater ſo-

Digitized by Google

licitaretur, puellæ Roma Hieroſolymam, ad auiam ſcilicet ſanctam Paulam,& amitam Euſtochium, miſſæ,ſe magiſtrũ pariter & nutritium offert. Et in tantum, quod dictu mirabile eſt,erumpit promiſſum,vt tantus Eccleſię Doctor etiam ſenio debilis, dicat ſe virginem, quaſi baiulum eius,humeris geſtare non dedignari. Quod quàm apud ſuſpicioſos,non ſine ſuſpicione fieri, non apud religioſos ſine ſcandalo vix cõtingeret.Huc tamen omnia vir Deo plenus,&de integritate vitę omnibus tandiu cognitus, confidẽter ſpondebat:dummõdo vnam ſic inſtruere virginem poſſet, vt ipſam cæteris magiſtram relinqueret, & in ipſam Hieronymum legeret, qui Hieronymum non vidiſſet. Vt autem de paruulis ad maiores tranſeamus virgines, quas plurimùm ſemper prouocat ad ſtudium literarum, tam eis videlicet ſcribendo quę legãt, quàm eas laudando de aſſiduitate legendi vel diſcendi: quid ad Principiam virginem de Pſalmo quadrageſimo quarto ſcribens dicat,audiamus. *Scio me, Principia in Chriſto filia, à pleriſque reprehendi, quòd interdum ſcribam ad mulieres, & fragiliorem ſexum maribus præferam:& iccirco debeo primùm obtrectatoribus meis reſpondere, & ſic venire ad diſputatiunculam,quam rogaſti. Si viri de ſcripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluiſſet, Debbora de victis hoſtibus non triumphaſſet.* Et poſt aliqua. *Apollo, virum Apoſtolicum, & in lege doctiſſimum, Aquila & Priſcilla erudiunt, & inſtruunt eum de via Domini. Si doceri à femina non fuit turpe Apoſtolo:mihi quare turpe ſit, poſt viros docere & feminas? Hæc & iſtiuſmodi,* συμνοτάτη *filia, perſtrinxi breuiter, vt nec te pœniteret ſexus tui,nec viros ſuum nomen erigeret, in quorum condemnationem, feminarum in ſcripturis ſanctis vita laudatur.* Iuuat poſt virgines, intueri de viduis, quantum & ipſæ in ſtudio ſacrarũ litterarũ ipſius teſtimonio & laude profecerint. Scribens igitur idẽ Doctor ad eandem virginẽ Principiam de vita ſanctæ Marcellæ,ſicut illa poſtulabat, inter virtutum eius inſignia: *Diuinarum,* inquit,*ſcripturarum ardor erat incredibilis: ſempérque cantabat: In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et illud de perfecto viro:Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte: &, A mandatis tuis intellexi. Denique, cùm & me Romã cum ſanctis Pontificibus, Paulino,& Epiphanio, Eccleſiaſtica traxiſſet neceſſitas, & verecundè nobilium feminarum oculos declinarem: ita egit,*

ſecundum Apoſtolum, importunè opportunè, vt pudorem meum ſua ſuperaret induſtria. Et quia alicuius tunc nominis eſſe exiſtimabar ſuper ſtudio ſcripturarum: nunquam conuenit, quin de ſcripturis aliquid interrogaret: nec ſtatim acquieſceret, ſed moueret è contrario quæſtiones, non vt contenderet, ſed vt quærendo diſceret earum ſolutiones, quas opponi poſſe intelligebat. Quid in illa virtutum, quid ingenij inuenerim, vereor dicere: ne fidem credulitatis excedam, & tibi maiorem dolorem incutiam, recordanti quanto bono careueris. Hoc ſolum dicam, quòd quicquid in nobis longo fuit ſtudio congregatum, & meditatione diuturna, quaſi in naturam verſam, hoc illa libauit, didicit, atque poſſedit: ita vt poſt perfectionem noſtram, ſi in aliquo teſtimonio ſcripturarum eſſet oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia valde prudens erat, ſic ad interrogata reſpondebat, vt etiam ſua non ſua diceret, ſed vel mea, vel cuiuſlibet alterius: vt in eo ipſo, quod docebat, ſe diſcipulam fateretur. Sciebat enim dictum ab Apoſtolo: Docere autem mulieri non permitto: ne virili ſexui, & interdũ ſacerdotibus, de obſcuris, & ambiguis ſciſcitantibus, facere videretur iniuriam. Abſentiam noſtri mutuis ſolabatur alloquijs, & quod carne non poteramus, ſpiritu reddebamus: ſemper obuiare epiſtolis, ſuperare officijs, ſalutationibus præuenire. Non multum perdebat abſentia, quæ iugibus ſibi literis iungebatur. In hac tranquillitate, & Domini ſeruitute, hæretica in his prouincijs exorta tempeſtas cuncta turbauit: & in tantam rabiem comitata eſt, vt nec ſibi, nec vlli bonorum parceret: & quaſi parum eſſet, hic vniuerſa nouiſſe, nauem plenam blaſphemiarum Romano intulit portui, cùm venenata ſpurcaq; doctrina Romæ inuenerit, quos induceret. Tunc S. Marcella, quæ diu ſe cohibuerat, ne per æmulationem quippiam facere videretur, poſtquam ſenſit fidem Apoſtolico ore laudatam in pleriſque violari, ita vt ſacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximéque ſæculi homines in aſſenſum ſui traheret, ac ſimplicitati illuderet Epiſcopi, qui de ſuo ingenio cæteros æſtimabat, publicè reſtiti, malens Deo placere quàm hominibus. Damnationis hæreticorum hæc fuit Principium, dum adducit teſtes, qui priùs ab eis eruditi, & poſtea ab hæretico fuerant errore correpti, dum oſtendit multitudinem deceptorum, dum impia περὶ ἀρχῶν ingerit volumina, quæ emendata manu ſcorpij monſtrabantur, dum acciti frequentibus literis hæretici, vt ſe defenderent, venire non auſi ſunt. Tantáq; vis conſcientiæ fuit, vt abſentes damnari, quàm præſentes coargui, maluerint. Huius tam glorioſæ victoriæ origo, Marcella eſt. Videtis, dilectiſſimæ, quantum attulerit fructum, repreſſis hæreſibus, in vrbe fidelibus omnibus in caput conſtitutæ vnius matronę laudabile ſtudium, & quãta lampade doctri-

næ

næ ipſorum quoque Doctorum Eccleſiaſticorum tenebras vna mulier expulerit: De cuius ſtudio in ſacris literis, quo ipſa victoriam iſtam meruerit, idem Doctor proœmio lib. 1. in Epiſtolam Pauli ad Galatas, ad exhortationem veſtram ita meminit. *Scio equidem ardorem eius, ſcio fidem (quam flammam ſemper habeat in pectore) ſuperare ſexum, obliuiſci hominis, & diuinorum voluminum tympano concrepante, rubrum huius ſeculi pelagus transfretare. Certè cùm Romæ eſſem, nunquam tam feſtina me vidit, vt non de ſcripturis aliquid interrogaret. Neque verò more Pythagorico, quicquid reſponderam, rectum putabat, nec ſine ratione præiudicata apud eam valebat auctoritas: ſed examinabat omnia, & ſagaci mente vniuerſa penſabat, vt me ſentirem non tam diſcipulam habere quàm iudicem.* Tantum eo tempore in ſanctis feminis, ſicut & in viris, ſtudium feruebat literarum, vt nequaquam ſuæ linguæ diſciplina contentæ, ipſos ſcripturarum rituulos, quos habebant, ab ipſis inquirerent fontibus; nec inopiam vnius linguæ ſibi crederent ſufficere. Vnde & illud eſt ſuprà memorati Doctoris ad Paulam de morte Bleſillæ filiæ ſuæ, ſic inter cætera in eius præcipuam laudem ſcribentis: *Quis ſine ſingultibus tranſeat orandi inſtantiam, nitorem linguæ, memoriæ tenacitatem, acumen ingenij? Si Græcè loquentem audiſſes, Latinè eam neſcire putares. Si in Romanum ſonum lingua ſe verteret; nihil omnino peregrini ſermo redolebat. Iam verò, quod in Origene quoque illo Græcia tota miratur, in paucis non dicam menſibus, ſed diebus, ita Hebrææ linguæ vicerat difficultates, vt in diſcendis canēdiſque Pſalmis cum matre contenderet.* Ipſam quippe matrem eius Paulam, necnon & alteram ipſius filiam Euſtochium virginem Deo dicatam, in eodem ſtudio literarum atque linguarum non minùs occupatas eſſe, idem non præterit doctor. Sic quippe de his commemorat, vitam ipſius Paulæ ſcribens, & de ipſa dicens: *Nihil ingenio eius docilius. Tarda erat ad loquendum, velox ad audiēdum, memor illius præcepti: Audi Iſrael, & tace. Scripturas ſanctas tenebat memoriter. Denique compulit me, vt vetus & nouum Inſtrumentum cum filia, me diſſerente, perlegeret. Quod propter verecundiam negans, propter aſſiduitatem tamen & crebras poſtulationes eius, præſtiti, vt docerem quod didiceram. Sicubi hæſitabā, & neſcire me ingenuè confitebar: nequaquam mihi volebat acquieſcere: ſed iugi interrogatione cogebat, vt è multis varijſque ſententijs, quæ mihi videretur probabilior, indicarem. Loquar & aliud, quod*

Digitized by Google

forſitan æmulis videatur incredibile. Hebræam linguam, quam ego ab adoleſcentia multo labore ac ſudore ex parte didici, & infatigabili meditatione non deſero, ne ipſe ab ea deſerar, diſcere voluit, & conſecuta eſt: ita vt Pſalmos Hebraicè caneret, & ſermonem abſque vlla Latinæ linguæ proprietate perſonaret. Quod quidem vſque hodie in ſancta filia eius Euſtochio cernimus. Sciebant quippe Latinorum codicum doctrinam ex Hebraicis & Græcis proceſsiſſe ſcriptis: & idioma cuiuſcumque linguæ ad plenum in peregrina ſeruari ab interprete non poſſe. Quod tam Hebræi, quàm Græci de perfectione gloriantes, noſtris tranſlatoribus, velut imperfectis, nonnunquam inſultare conſueuerunt, talem in argumentum ſimilitudinem aſſerentes, quòd quilibet liquor in plura vaſa viciſsim transfuſus, plenitudine ſua neceſſariò minuitur, nec eius quantitas in cæteris vaſis poteſt reperiri, quàm in priore habuit. Vnde & illud ſæpe accidit, quòd cùm aliquibus teſtimonijs Iudæos arguere nitimur, facilè nos refellere ſolent, qui Hebraicum ignoramus, ex tranſlationum, vt aiunt, noſtrarum falſitate. Quod ſapientiſſimæ mulieres prædictæ diligenter attendentes, nequaquam propriæ linguæ doctrina contentæ fuerunt: vt non ſolùm ſuos inſtruere, verumetiam alios refellere poſſent, & de limpidiſſima fontis aqua, ſitim ſuam reficerent. Ad quod maximè, ni fallor, ipſe Hieronymus harum peritus linguarum, ſuo prouocauerat exemplo. Cuius quidem peritiæ perfectionem quãto labore vel expenſis acquiſierit, ad Pammachium & Oceanum ſcribit his verbis: *Dum eſſem iuuenis, miro diſcendi ferebar ardore, nec, iuxta quorundam præſumptionem, ipſe me docui. Apollinarium Laodicenum audiui Antiochiæ frequenter, & colui: & cùm me in Sanctis ſcripturis erudiret, nunquam illius contentioſum ſuper ſenſu dogma ſuſcepi. Iam canis ſpargebatur caput, & magiſtrum potiùs, quàm diſcipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audiui Didymum: in multis ei gratias ago: quod neſciui, didici: quod ſciebam, illo docente non perdidi. Putabant me homines finem feciſſe diſcendi: veni rurſum Hieroſolymam & Bethlehem: quo labore, quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? Timebat enim Iudæos, & mihi ſe alterum exhibebat Nicodemum. Horum omnium frequenter in opuſculis meis facio mentionem.* Hunc zelum tanti Doctoris, & ſanctarum feminarum in ſcripturis diuinis conſiderans, monui, & inceſſanter implere vos cupio, vt dum poteſtis, & matrem harum peritam trium linguarum habetis, ad hanc ſtudij perfectionem feramini: vt quæcumque de diuerſis tranſlationibus oborta du-

Digitized by Google

bitatio fuerit, per vos probatio terminari poſſit. Quod & ipſe Dominicæ crucis titulus Hebraicè, Græcè, & Latinè ſcriptus non incongruè præfiguraſſe videtur: vt in eius Eccleſia vbique terrarum dilatata, harum linguarum, quæ præminẽt, abundaret doctrina; quarum literis vtriuſque teſtamenti cõprehenſa eſt ſcriptura. Non longa peregrinatione, non expenſis plurimis, pro his linguis addiſcendis, opus vobis eſt, vt beato accidit Hieronymo: cùm matrem, vt dictum eſt, habeatis ad hoc ſtudium ſufficientem. Poſt virgines quoque ac viduas, fideles coniugatę incitamentum præbeant vobis doctrinæ, vt vel negligentiam veſtram arguant, vel ardorem augeant. Præſtat exemplum etiam vobis Celantia venerabilis, quæ in coniugio quoque regulariter viuere cupiens, legẽ ſibi coniugij præſcribi ab ipſo etiam Hieronymo ſolicitè petijt. Vnde & ipſe ad eandem ſuper hoc reſcribens, ita meminit: *Prouocatus ad ſcribendum literis tuis, diu, fateor, de reſponſione dubitaui, ſilentium mihi imperante verecundia. Petis namque, & ſolicitè ac violenter petis, vt tibi certam ex ſcripturis Sanctis præſiniamus regulam, ad quam tu ordines curſum vitæ tuæ: vt cognita Domini voluntate, inter honores ſeculi, & diuitiarum illecebras, morum magis diligas ſupellectilem, atque vt poſsis in coniugio conſtituta, non ſolùm coniugi placere, ſed etiam ei, qui ipſum indulſit coniugiũ. Cui tam ſanctæ petitioni, támque pio deſiderio non ſatisfacere, quid aliud eſt, quàm profectũ alterius non amare? Parebo igitur precibus tuis, téque paratam ad implendam Dei voluntatem, ipſius nitar incitare ſententijs.* Audierat fortaſſis hæc matrona quod in laudem ſanctæ Suſannæ Scriptura commemorat. Quam cùm præmiſiſſet pulchram nimis, & timentem Deum, vnde hic timor & verus animæ decor procederet, ſtatim annexuit dicens: *Parentes enim illius, cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi.* Cuius eruditionis inter moleſtias nuptiarum & ſæcularium perturbationes occupationum Suſanna non immemor, & morti adiudicata, ipſos ſuos iudices atque preſbyteros damnare promeruit. Quem quidem in Daniele locum ipſe Hieronymus exponens, illud quod dictum eſt, *Parentes illius, cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam, &c.* in exhortationis competenter aſſumens occaſionem, ait: *Hoc vtendum eſt teſtimonio ad exhortationem parentum, vt doceant iuxta legem Dei ſermonémque diuinum non ſolùm filios, ſed & filias*

ſuas. Et quia diu me tam literarum quàm virtutum impedire ſtudia plurimùm ſolent: omnem vobis negligentiæ torporem excutiat illa ditiſſima regina Saba, quæ cum magno labore infirmi ſexus, & longæ viæ fatigatione pariter atque periculis, expenſiſque nimijs, venit à finibus terræ ſapientiam experiri Salomonis, & cum eo conferre quæ nouerat de his quæ ignorabat. Cuius ſtudium & laborem intantum Salomon approbauit, vt ei pro remuneratione cuncta quæ petijt daret, exceptis quæ ipſe illi vltro more obtulerat regio. Multi viri potentes ad ſapientiam eius audiendam confluebant, & multi Regum & Ducum terræ doctrinã eius magnis muneribus honorabant, & cùm ab eis multa ſuſciperet donaria, neminem eorum ſuper his remuneraſſe legitur, niſi ſupradictam feminam. Ex quo patenter exhibuit quantum ſanctæ feminæ ſtudium & ardorem doctrinæ approbauit: & quantùm Domino ipſum gratum eſſe cenſuerit. Quam & poſtmodum ipſe Dominus & Salomon verus, immò pluſquam Salomon ad condemnationem virorum eruditionem ſuam contemnentium, non prætermiſit inducere. *Regina*, inquit, *Auſtri ſurget in iudicio, & condemnabit generationem iſtam.* In qua generatione, cariſſimæ, ne vos quoque veſtra condemnet negligentia, prouidete. In quo etiam quo minùs excuſabiles ſitis, non eſt vobis neceſſarium longi fatigationem itineris arripere, nec de magnis expenſis prouidere. Magiſterium habetis in matre, quod ad omnia vobis ſufficere, tam ad exemplum ſcilicet virtutum, quàm ad doctrinam literarum poteſt: quæ non ſolùm Latinæ, verumetiam tam Hebraicæ quàm Græcæ non expers literaturæ, ſola hoc tempore illam trium linguarum adepta peritiam videtur, quæ ab omnibus in beato Hieronymo, tanquam ſingularis gratia, prædicatur, & ab ipſo in ſupradictis venerabilibus feminis maximè commendatur. Tribus quippe linguis principalibus iſtis duo teſtamenta comprehenſa, peruenerunt ad noſtram notitiam. Quibus etiam linguis titulus Dominicæ crucis inſignitus, Hebraicè ſcilicet, Græcè, & Latinè conſcriptus, patenter innuit his præcipuè linguis Dominicam doctrinam & Chriſti laudes, ipſum Trinitatis myſterium in tripertitam mundi latitudinem, ſicut & ipſum crucis lignum, cui titulus eſt ſuperpoſitus, tripertitum fuerat, indicanda & corroboranda fore.

Digitized by Google

Scriptum quippe eſt: *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Vnde vt trium linguarum auctoritate ſcriptura ſanciretur ſacra, & cuiuſcumque linguæ doctrina duarum aliarum teſtimonio roboraretur, tribus his linguis vetus ſimul & nouum Teſtamentum diuina prouidentia comprehendere decreuit. Ipſum etiam nouum Teſtamentum, quod tam dignitate quàm vtilitate veteri ſupereminet, tribus iſtis linguis primò ſcriptum fuiſſe conſtat, tanquam id titulus Cruci ſuperpoſitus futurum præſignaret. Quædam namque in eo Hebræis ſcripta linguam eorum exigebant: quædam ſimiliter ex eis Græcis, quædam Romanis, proprijs eorum linguis, ad quos dirigebantur, ſcribi neceſſe fuit. Primùm quidem Euangelium ſecundum Matthæum, ſicut Hebræis, ſic Hebraicè primò ſcriptum eſt. Epiſtolam quoque Pauli ad Hebræos, & Iacobi ad duodecim tribus iam diſperſas. & Petri ſimiliter, & nonnullas fortaſſis alias eadem ratione cõſtat eſſe ſcriptas Hebraicè. Ad Græcos verò tria Euangelia Græcè quis dubitet eſſe ſcripta, & quaſcunque Epiſtolas tã Pauli quàm cæterorum ad eos deſtinatas, necnon & Apocalypſim ad ſeptem Eccleſias à ſe miſſas? Vnam vero ad Romanos ſcriptam Pauli nouimus Epiſtolam, vt parum à nobis habere nos Latini gloriemur, & quantùm nobis aliorum ſunt doctrinæ neceſſariæ cogitemus: quas ad plenum ſi cognoſcere ſtudeamus, in ipſo fonte magis quàm in riuulis tranſlationũ perquirendæ ſunt: præſertim cùm earum diuerſæ tranſlationes ambiguitatem magis, quàm certitudinem lectori generent. Non enim facile eſt idioma, id eſt proprietatem cuiuſcunque linguæ, ſicut & ſuprà meminimns, tranſlationem ſeruare, & ad ſingula fidam interpretationem accommodare: vt quælibet ita exprimere poſſimus in peregrina, ſicut dicta ſunt in propria lingua. Nam & in vna lingua cùm aliquid exponere per aliud volumus, ſepe deficimus: cùm verbum proprium quod apertiùs id exprimere poſſit, nõ habeamus. Nouimus & beatum Hieronymum apud eos præcipuè trium harum linguarum peritum, multùm in tranſlationibus ſuis, & in commentariis earum à ſe ipſo nonnunquam diſſidere. Sæpè nanque in expoſitionibus ſuis dicit: *Sic habetur in Hebræo,* quod tamen in tranſlationibus eius ſecundum Hebraicum, vt ipſemet aſſerit, factis non reperitur. Quid igitur mi-

rum, ſi diuerſi Interpretes ab inuicem diſcrepent, ſi vnus etiam nonnunquam à ſe diſſonare inueniatur? Quiſquis ergo de his certus eſſe deſiderat, non ſit contentus aqua riuuli, ſed puritatem eius de fonte inquirat & hauriat. Hac enim ratione & tranſlatio beati Hieronymi, quæ nouiſſima fuit, & de ipſo Hebraico vel Græco, prout ipſe potuit, tanquam ab origine fontis diligentiùs requiſiuit, veteres apud nos tranſlationes ſuperauit: & ſuperuenientibus nouis, ſicut in lege ſcriptum eſt, vetera proiecta ſunt. Vnde & Daniel, *Pertranſibunt* inquit, *plurimi, & multiplex erit ſcientia.* Fecit Hieronymus ſuo tempore quod potuit, & quaſi ſolus in lingua peregrina: nec fidelem, ſed Iudæum habens Interpretem, cuius auxilio plurimùm nitebatur, ſicut & ipſe teſtatur, multis diſplicuit, quòd tranſlationes iam factas ſufficere non credidit: & quia perſtitit in propoſito, vicit adiuuante Deo, tanquam illud Eccleſiaſtici attendens & complens. *Ad fontem vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Quaſi fons origo tranſlationum ſcripturæ ſunt illæ, à quibus ipſe fuerit; & citò tranſlationes, tanquam mendaces, repulſæ deficiunt, ſi ab origine ſua deuiare, & ad ipſam per concordiam recurrere non probentur. At ne ad omnia vnum hunc interpretem ſufficere credamus, tanquam peritiæ perfectionem de ſingulis adeptum, maximè in Hebraico, vbi apud nos præminere dicitur, ipſius ſuper hoc teſtimonium audiamus, ne plus ei quàm habeat imputare præſumamus. Scribit ſuper hoc ad Domnionem & Rogatianum, & contra accuſatorem, his verbis. *Nos, qui Hebrææ linguæ ſaltem paruam habemus ſcientiam, & Latinus nobis vtcunque ſermo non deeſt, & de alijs magis poſſumus iudicare, & ea, quæ ipſi intelligimus, in noſtra lingua promere.* Felix illa anima eſt, quæ in lege Domini meditans die ac nocte, vnamquamque ſcripturam in ipſo ortu fontis quaſi puriſſimam aquam haurire ſatagit, ne riuos per diuerſa diſcurrẽtes, turbulentos pro claris per ignorantiã vel impoſſibilitatem ſumat: & quod biberat, euomere cogatur. Defecit ia ndudum hoc peregrinarũ linguarũ vitis ſtudiũ, & cum negligentia literarũ, ſcientia perijt earum. Quod in viris amiſimus, in feminis recuperemus: & ad virorum condemnationem, & fortioris ſexus iudicium, rurſum Regina Auſtri ſapientiam veri Salomonis in vobis exquirat. Cui tanto magis operam dare poteſtis, quãtò in opere

Digitized by Google

manuum minùs Moniales quàm Monachi desudare possunt: & ex otij quiete, atque infirmitate naturæ, faciliùs in tentationem labi. Vnde & prædictus Doctor in vestram doctrinã & exhortationem præcipuus, tam scriptis quàm exemplis laborem vestrum ad studium incitat literarum: maximè ne occasione discendi vires vnquam acciri necessarium sit, aut frustra corpore intentæ, animus foras euagetur, & relicto sponso fornicetur cum mundo.

EPISTOLA VII.

QVÆ EST EIVSDEM PETRI, AD EASDEM VIRGINES PARACLETENSES.

De laude Sancti Stephani Protomartyris.

ANCILLIS CHRISTI SERVVS CHRISTI, tanto Domino dignè confamulari.

PROTOMARTYRIS & cælestis signiferi pijssimas exequias, immò triumphalem celebrantes agonem, tantò id maiore perficite deuotione, quãtò vos ampliùs huic tam Christi quàm vestro Diacono constat obnoxias esse. Quid enim Diaconus nisi minister interpretatur? Quis autem Actus Apostolorum perlegens, non nouerit beatum Stephanum cum sex alijs Spiritu sancto plenis, iuxta ipsius Spiritus septiformis gratiæ numerum, ab Apostolis in ministerium sanctarum feminarũ Diaconos electos, & per impositionem manus, ad huius administrationis curam diligenter astrictos, & quasi adiuratos? Qui cùm omnes pleni Spiritu sancto ab Apostolis eligendi dicantur, solus tamen Stephanus hanc gratiam spiritaliter adeptus in sequẽtibus memoratur, cùm dicitur. *Et elegerunt Sthephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippũ &c.* Et rursum: *Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.* Gaudete itaque, & spiritaliter congaudete tanti agonistæ victorię, quem & meruistis habere ministrum, & in huius administrationis mercede priorem martyrij palmam adeptum de obsequio vestro transmisistis ad cęlum. Reddite mu-

Digitized by Google

tuum ſuper hoc diuinę laudis obſequium;& quò ille fideliùs pro Deo veſtris miniſtrauit menſis, eò vos deuotiùs in obſequio Dei & veneratione Martyris perſiſtatis. In quo ſimul & honorem veſtrum penſate, & fiduciam de meritis eius non mediocrem ſumite. Honorem quidem, quòd, vt præfati ſumus, talem meruiſtis habere miniſtrum, quem militiæ cæleſtis ſigniferum omnes animæ ſequuntur iuſtæ: fiduciam verò, qua ipſum præcipuè ibi ſperetis adiutorem, quem hîc fideliſſimum habuiſtis procuratorem: qui in minimo fidelem ſe præbuit miniſtrum, in maiore vltroneum ſe præparet aduocatum. Quod tantò faciliùs ſuis apud Dominum meritis obtinebit, quantò eius gratiam maiorem adeptus, ſummo ibi Sacerdoti primus Diaconus meruit adiungi. Cuius quoque paſſio tantam priuilegij nacta eſt auctoritatẽ, vt ſola ipſa Canonicis inſerta ſcripturis, eundem habuerit ſcriptorem, quem & Dominica. Tanquam apocryphæ paſſiones Apoſtolorum repudiantur, & exitus Dominicæ matris certum ex ſcriptore titulum non habet. Sola eſt Protomartyris paſſio Euangelici ſcripti ſtylo inſignita, & tam diligenter deſcripta, vt tam in ſua quàm in veſtra laude abundet. Statim quippe poſt electionem eius & cæterorum ad obſequij veſtri Diaconatum, ſubjunctum legimus: *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* Quid hoc, obſecro, vobis dignitatis acquirit, quòd non ante ſuſceptum Diaconatus officium his prodigijs & ſignis Stephanum magnificari Lucas commemorat, ſed ſtatim poſt curæ ſuſceptionem: niſi vt innuat hoc à vobis meritũ proceſſiſſe, vt quò ſe ampliùs ſub infirmiori ſexu famulãdo humiliaret, amphiùs hinc eum Dominus exaltaret, & in his, quæ ſequuntur, cæteris excellentior Sanctis appareret? De quo & ſubditur, quòd cùm propter prodigiorum & ſignorum eius magnitudinem ferre aduerſarij eum non poſſent, de diuerſis in eum Synagogis & locis conuenientes, tam verbis quàm factis mirabilem inuenirent. Cùm enim præmiſiſſet Euangeliſta, *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo*; adiecit, atque ait: *Surrexerunt autẽ quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano: & non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur.*

Digitized by Google

loquebatur. Vnde ilicò tam verbis ipſius quàm miraculis amplius confutati, & vehementiùs in eum commoti, falſis contra eum teſtibus introductis, ilico commouerant plebem, & Seniores, & Scribas, vt concurrentes raperent eum, & traherẽt in Concilium, vt de blaſphemia ſaltem in Deum & Moyſem à falſis teſtibus ei obiecta reus adiudicaretur. Quod quidem non tam per eorum malitiam, quàm per diſpenſationem diuinam, vt in omnibus militem ſuum Deus glorificaret, patenter hiſtoria docet. Vnde & cùm ſcriptum ſit, quia *concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium:* non tam vi ductum, quam propria volũtate adductum eum intelligimus. Cupiens enim diſſolui, & eſſe cum Chriſto, qui ad Patrẽ ait, *Volo, pater, vt vbi ſum ego, illic ſit & miniſter meus*, eo tunc deſiderio primus ipſe Diaconus poſt ſummum ſacerdotẽ Chriſtum ferebatur, quo poſtmodũ Laurentius Sixto adhærebat dicens: *Quò progrederis ſine filio pater? Quò ſacerdos ſancte ſine miniſtro properas?* Recordabatur & illud Sapientis prouerbiũ, quo ſe obligatum attendebat, & exſoluere cupiebat. *Ad menſam magnam ſediſti: ſcito quoniam & talia te oportet præparare.* Sicut enim menſa eſt corporalis cibi, quæ parua dicitur: ſic & menſa magna ea rectè vocatur, vndè cibus animæ in ſacramento Dominico ſumitur. Hanc menſam Dominus nobis erexit, cùm ſeipſum in Cruce pro nobis immolauit. Ad hanc menſam accedimus, cùm de altari corporis & ſanguinis eius ſacramenta ſumimus. Quod quidem ſumentes, illud attendere debemus, quod iſta ſumentes Chriſtus admonet, *hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Ac ſi apertè dicat: Hæc in memoriam meæ paſſionis ita celebrate ſacramenta, vt ad compatiendũ pro me, ipſa vos promptos memoria præparet. Vt enim Apoſtolus meminit, *Si compatimur, & conrẽgnabimus*. Cùm verò compatiendo Chriſto, vicem ei reddimus: quaſi de menſa potentis ſumpta fercula recõpenſamus, vt & nos eum reficiamus de noſtro, ſicut & ille nos ſatiauit de ſuo; & nobiſcum ipſe cœnet, cum quo nos priùs cœnauimus. Quis autem miniſter in menſa Chriſti, niſi Diaconus intelligitur, qui & ipſam altaris menſam, & in ea conſecrãdæ hoſtiæ ſacramenta componit? Vndè benè memorem hoſtiæ huius ipſum eſſe conuenit, cuius præcipuè miniſterio tractatur, vt inde meritò primus hic Diaconus illi ſummo ſacer-

Digitized by Google

doti in hac recõpẽſanda vice ſuccederet. Cuius quidẽ laudẽ cùm in Concilium aduocatus eſſet, vt diximus, ad accuſandũ, Euangeliſta proſequens ait: *Et intuentes in eum omnes, qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquã faciẽ Angeli.* Iã enim in eo futurę vitæ gloria reſplendebat, quam fidelibus ſuis Dominus promittens, ait: *Ibi enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Et Apocalypſis, *Menſura*, inquit, *hominis, quæ eſt Angeli.* Legimus Dominum in tranſfiguratione ſua tanquam ſolem facie reſplenduiſſe: huius autem faciem tanquam Angeli audiuimus factam eſſe, quod nec Apoſtolorum, nec ſanctorum cuiquam ſacræ tribuunt Hiſtoriæ. Statutus autem & interrogatus in Concilio, quãta fortitudine animi atque conſtantia plenus eſſet, proprijs reſponſis exhibuit: quæ quidem tali fine concludens, ait: *Duræ ceruice, & incircunciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis: ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem, & non cuſtodiſtis.* Vbi & ſubditur. *Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dẽtibus in eum.* Iam enim de primitijs percipiendæ coronæ ſecurus, & de cõſummatione agonum ſuorum roboratus, quantò ampliùs properabat ad brauium, tantò aduerſarios minùs verebatur, & magis in ſe commoueri gaudebat. Quam profectò conſtantiã non tam verbis ipſius, quàm ipſa ſua præſentia ei Dominus exhibebat, ſicut ſtatim adiunctum eſt: *Cùm autem eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Legimus Dominum Ieſum, cùm cælos aſcenderit, ad dexteram Patris conſediſſe: nunc verò propter Stephanum, quaſi indè ſurrexerit, ſtantem potiùs quàm ſedentem eum vidit apparuiſſe. Quis hic honor, quæſo, aut quæ ſpes Martyris, vt in occurſum eius aſſurgere, vel in auxilium eius ſtare, quaſi & pariter pugnet, Chriſtus appareat? Bene autem præmiſſum eſt, faciem eius tanquam faciem Angeli factam fuiſſe, cùm ſubiunctum ſit eum gloriã Dei vidiſſe, vt iam eius vita ſiue cognitio Angelica magis quàm humana dicenda ſit. Scriptum quippe eſt, Domino ad Moyſem dicente: *Non videbit me homo, & viuet.* Et Pſalmiſta de ipſa viſione diuinitatis iam ſecurus, ad Deum loquitur:

Digitized by Google

Satiabor cùm apparuerit gloria tua. Hic verò Stephanus non ſolùm humanitatem Chriſti ſtantem ad dexteram Patris, verũ etiam gloriam Dei videre ſe aſſerit, quaſi iam omnino Angelicam faciem adeptum. De qua videlicet Angelica viſione per ſemetipſam Veritas ait: *Amen dico vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Raptus eſt Paulus vſque ad tertium cælum, & audiuit arcana verba, quæ nõ licet homini loqui: non tamen gloriam Dei, vel dexteram Patris, in qua Chriſtus conſiſteret, legitur conſpexiſſe. Vnde iam Stephanum quaſi iam in exitu vitæ conſtitutum non tam humanè quàm Angelicè viuere perpendimus: cui nec virginitatis prærogatiuam defuiſſe credimus, quæ præcipuè virtus Angelos imitatur: vt videlicet in carne ſine corruptione carnis viuatur, quod nequaquã Moyſi conceſſum eſt humanæ infirmitatis copulæ obligato. Vndè & in laudem tanti Martyris ſermo quidam conſcriptus tali fine concluſus eſt: *In hoc quòd præpoſitus eſt feminis, teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis. Beatus ergo erit, qui hunc imitatus fuerit. Et pudicitiæ enim palmam, & martyrij conſequetur coronam.* Ac ſi apertè diceretur. Qui exemplo eius Agnum ſequens quocumque ierit, & biſſo pariter indutus & purpura, roſis ſimul & lilijs intextum percipiet diadema. Vndè & per excellentiam tanti meriti, diuino quodam præſagio factũ eſt vt Stephanus vocaretur: quòd, vt Beda meminit, Hebraicè norma veſtra, Græcè corona dicitur; Cuius nominis vtraque interpretatio quantùm huius militis excellentiam exprimat facile eſt aſſignare. Quod enim dicitur norma veſtra (ſubauditur ô fideles) tantis eum virtutibus adornatum innuit, vt ad perfectionem vitæ ipſe ſit omnibus regula diſciplinæ. Quippe cùm dilectio ſit legis plenitudo, quis æquè vt Stephanus hãc tam Deo quàm proximo viſus eſt exhibere? Deo quidem pro ipſo, & poſt ipſum prior moriendo, atque illud adimplẽs, quod ipſe de ipſo dixerat. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Proximo autem, cùm pro ſe lapidantibus voce magna orans, ſupplicauit dicens: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum: quia neſciunt quid faciunt.* Vbi & mox de ipſo de tanta perfectione aſſumpto ſubditur. *Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino.* Et priùs quidem ipſum pro ſe oraſſe Scriptura non

Digitized by Google

reticet, dicens: *Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicẽtem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.* Sed, profectò, dum pro ſe orat, nec genua flexiſſe, nec clamaſſe voce magna legitur: vt tantò maiorem inimicis exhiberet deuotionem, quantò eos ampliùs orationis ſuæ præſidio egere ſentiret, de quorũ meritis nihil confidebat. In hac ergo perfectione caritatis erga inimicos conſummatus, expleta pro eis oratione, ſtatim in Domino meruit obdormire; vt de perfecto virtutis cumulo, primus tam dignitate, quàm tempore Martyr primum perciperet brauium. Decebat quippe vt talis in acie Domini primus eligeretur athleta, & cæteris anteponeretur, qui, quò virtute perfectior eſſet, eò ampliùs ad bellũ proprijs animaret atque inſtrueret exemplis: quaſi per ipſum Dominus manus omnium doceret ad prælium, & digitos ad bellum. Et vt cõſtantiùs ad agonem poſteros hortaretur, intuens in cælum vidit gloriam Dei, & ſibi iam aſtantem Ieſum, ſtatimque quaſi ad ſequaces ſuos in agone corroborandos, exclamet dicens: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* Ac ſi diceret: Pugnate & vos fortiter, dimicate viriliter: quia poſt agonem pugnæ, nulla eſt iam dilatio palmæ. State in acie intrepidi, pugnate ſecuri: quia Chriſtus in agone aſtat nobis, vt vincamus pugnat pro nobis. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quid etiam illud eſt inſigne præſagij, quòd Stephanus non tam coronatus, quàm corona ipſa interpretatur? Quaſi enim de ipſo ſunt omnes coronandi, qui ab ipſo inchoantes, ſunt per ipſum inſtructi: vt ipſe ſimul & regula ſit virtutum, & quodãmodo corona victorum, & ducatus ad præmium. Qui etiam tantis, vt dictum eſt, extitit virtutibus adornatus, vt corona cæterorum quaſi ſupremum diceretur ornamentum, & in ipſo corpore Chriſti non tam cæteris ſanctis in veſtimento Dominico ſit connumerandus, quàm in ſuperiori parte, quaſi corona, collocandus. Vnde & immaculatæ ſuæ carnis hoſtia cæteris Martyribus præponi, & in catalogo ſeptem Diaconorum tanquam eorum Archidiaconus, tam rei, quàm ordinis nomine meruit anteponi. Decebat quippe vt cæteri cum ipſo nobis, vt diximus, deputati, eius præcipuè regerentur arbitrio, qui caſtimoniæ præminebat virtute. Bene itaque diuina diſpenſatione actum eſt, vt in exemplo Martyribus ille primus exhiberetur; qui

Digitized by Google

virtutum gratia præcedens, eos ampliùs roboraret, & ad coronam prouocaret. Et ſurſum intuitus Ieſum, tam in occurſum, quàm in auxilium ſui pariter ſtantem, hanc ſibi reuelationẽ fieri non diſtulit profiteri: qua videlicet ſequaces ſuos ad cõpatiendũ ampliùs roboraret, & aduerſarios in ſe ipſum vehementiùs commoueret. Meminerat, ni fallor, Eſaiã à Iudæis occiſum, eo quod ſe Deum vidiſſe ſcripſerat. Vnde & ipſe ampliùs iſtos commouendos ex his verbis ſuis Stephanus æſtimabat, ſicut & ſtatim adnexum eſt cùm dicitur: *Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant.* Hanc eandem portam æſtimo, qua & Chriſtus ad crucifigendum egreſſus eſt: vt & regi & militi idem paſſionis locus eſſet communis. Completũ eſt in eo iuxta ipſam quoque Hiſtoriam, quod ad Hebræos ſcribens Apoſtolus, ait. *Quorum animalium infertur ſanguis in ſancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret, per ſuum ſanguinem, populum: extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* Si ergo his, qui futuram inquirunt, tanto deſiderio properandum eſt, quanto magis Stephano, qui iam eam in cælis præſentem cernebat, qui ſibi aſſurgentem, ſeu in occurſum eius ſtantem ac paratum videbat Chriſtum? Quãta autem promotione in eum debaccharentur, ipſa perſequentium impatientia teſtatur, cùm dicitur: *Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant.*

EPISTOLA VIII.

QVÆ EST BERNARDI CLARÆVAL. AB.

AD EPISCOPOS SENONAS CONVOCANDOS *contra Petrum Abaelardum.*

EXIIT sermo inter multos, & credimus ad vos peruenisse, quomodo videlicet apud Senonas in octauis Pentecostes vocamur & prouocamur ad litem pro defensione fidei: cùm seruum Dei non oporteat litigare, sed magis patientem esse ad omnes. Si mea propria causa esset, posset non immerito fortassis puer sanctitatis vestræ in vestro patrocinio gloriari. Nunc autẽ quia & vestra est imo plus vestra, fidentius moneo, & obnixius rogo, vt amicos vos in necessitate probetis. Amicos dixerim non nostros, sed Christi, cuius sponsa clamat ad vos in sylua hæresum, & in segere errorum, quibus sub tutela & custodia vestra pullulãtibus, pene iam suffocatur. Amicus sponsi non deseret eam in opportunitatibus in tribulatione. Nec miremini quod ita de subito & in arcto temporis vos inuitamus: quoniam hoc quoque aduersa pars in sua versutia & calliditate prouidit, vt improuidos inuaderet, & congredi cogeret immunitos.

2. Tim. 2. d.

EPISTOLA IX.

QVÆ EST EIVSDEM BERNARDI CLAR. ABB.

Ad Episcopos & Cardinales Curiæ, de eodem Petro Abaelardo.

DOMINIS ET PATRIBVS REVERENDIS, *Episcopis & Cardinalibus qui sunt de Curia, puer sanctitatis eorum.*

NVLLI dubium quin ad vos specialiter spectet tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses cum montem subiit: *Habetis* (inquiens) *Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos.* Illum lo-

Exod. 24. d.

Digitized by Google

quor Moyſen, qui venit per aquam, & non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ideo plus quam Moyſes, quia & in ſanguine venit. Et quoniam pro Hur & Aaron ſtat zelus & auctoritas Romanæ Eccleſiæ ſuper populum Dei, ad ipſam merito referimus non quæſtiones, ſed læſiones fidei, & iniurias Chriſti, Patrum probra atque contemptus, præſentium ſcandala, pericula poſterorum. Irridetur ſimplicium fides, euiſcerantur arcana Dei, quæſtiones de altiſſimis rebus temerariè ventilantur, inſultatur Patribus quod eas magis ſapiendas quàm ſoluendas cenſuerint. Inde fit quod agnus Paſchalis contra Dei ſtatutum aut aqua coquitur, aut crudus diſcerpitur more & ore beſtiali. Quod reſiduum eſt, non igne comburitur, ſed conculcatur; ita omnia vſurpat ſibi humanum ingenium, fidei nil reſeruans. Tentat altiora ſe, fortiora ſcrutatur, irruit in diuina, ſancta temerat magis, quam reſerat, clauſa & ſignata non aperit, ſed diripit: & quicquid ſibi non inuenit peruium, id putat nihilum, credere dedignatur. Legite ſi placet librum Petri Abaelardi quem dicit Theologiæ, ad manum eſt enim: cum, ſicut gloriatur, à pluribus lectitetur in curia, & videte qualia ibi de ſancta Trinitate dicãtur, de genitura Filij, de proceſſione Spiritus ſancti, & alia innumera catholicis auribus & mentibus diſſueta. Legite & alium quem dicunt Sententiarum eius, necnon & illum qui inſcribitur: Scito teipſum: & animaduertite quantæ & ibi ſylueſcant ſegetes ſacrilegiorum atque errorum, quid ſentiat de anima Chriſti, de perſona Chriſti, de deſcenſu Chriſti ad inferos, de ſacramento altaris, de poteſtate ligandi atque ſoluendi, de originali peccato, de concupiſcentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantię, de opere peccati, de voluntate peccandi. Et ſi quidẽ iudicatis me iuſte moueri, mouemini & vos: ac ne fruſtra moueamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro poteſtate quam accepiſtis, quomodo qui aſcẽdit ad cœlos, deſcendat vſque ad inferos: & opera tenebrarum auſa prodire in lucem, arguantur à luce in lucem, vt dum qui publicè peccat, publicè arguetur, comprimant ſeſe etiam alij ponentes tenebras lucem, diſputãtes in triuiis de diuinis, qui loquuntur mala in cordibus ſuis, & in codicibus ſuis ſcribũt: & ſic obſtruatur os loquentium iniqua.

EPISTOLA X.

QVÆ EST RVRSVM BERNARDI ABB. Ad Dominum Papam Innocentium de eodem Petro.

AMANTISSIMO PATRI ET DOMINO INNOcentio Dei gratia ſummo pontifici, Bernardus Clarenallis vocatus Abbas, modicum id quod eſt.

NECESSE eſt vt veniant ſcandala. Neceſſe, ſed non ſuaue. Et ideo dicit Propheta: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Et Apoſtolus cupit diſſolui, & cum Chriſto quieſcere. Et alius quidam ſanctorum: *Sufficit mihi Domine*, ait, *tolle animam meam, neque enim melior ſum quam patres mei.* Eſt mihi nunc aliquid cõmune cum ſanctis, in voluntate dumtaxat, non in merito. Nã vellem & ipſe modo de medio fieri, victus, fateor, à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Vereor autem ne non ſicut pariter affectus, ita pariter & paratus inueniar. Tædet viuere, & an mori expediat, neſcio: & ideo forte etiam in votis diſtẽ à ſanctis, quod ipſi prouocẽtur deſiderio meliorum: cum ego ſcandalis & ærumnis compellar exire. Denique ait: *Diſſolui & cum Chriſto eſſe, multo melius.* Ergo & in facto appetitus, & in hac miſerrima vita nec ille habere quod appetit bonum, nec ego quod moleſtum patior, non habere valemus. Et ob hoc exire quidem ambo pari cupimus voluntate, ſed non pari intentione. Stultè mihi dudum requiem promittebam, ſiquidem Leonina rabies quieuiſſet, & pax Eccleſiæ redderetur. Nam ecce illa quieuit, ſed non ego. Neſciebam me eſſe in valle lacrymarum, aut oblitus fueram me habitare in terra obliuionis. Non attendebam terram in qua habito ſpinas & tribulos germinare mihi, ſuccisis ſuccedere nouas, & rurſum illis alias ſine fine, ſine intermiſſione ſuccreſcere. Audieram hæc, ſed melius, vt nunc experior, ipſa vexatio dat intellectũ auditui. Innouatus eſt dolor, non exterminatus, lacrymæ inundauerunt quia inualuerunt mala, & expertis pruinam, irruit ſuper eos nix. Ante faciem frigoris huius quis ſuſtinebit? Hoc frigore refrigeſcit charitas, vt abundet iniquitas. Leonem

Pſal. 54. b. Philip. 1. c. 3. Reg. 19. a. Philip. 1. d.

nem euaſimus, ſed incidimus in draconem, qui non minus forſan noceat ſedens in inſidijs, quàm ille rugiens de excelſo. Quanquam non iam in inſidijs, cuius virulenta folia vtinam adhuc laterent in ſcrinijs, & non in triuijs legerentur. Volant libri: & qui oderant lucem quoniam mali ſunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Vrbibus & caſtellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle vel potius in melle venenum paſſim omnibus propinatur. Tranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Nouum cuditur populis & gentibus euangelium, noua proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt. De virtutibus & vitijs non moraliter, de Sacramentis Eccleſię non fideliter, de arcano ſanctæ Trinitatis non ſimpliciter, nec ſobriè diſputatur: ſed cuncta nobis in peruerſum, cuncta præter ſolitum & præterquam accepimus miniſtrantur. Procedit Golias procero corpore nobili illo ſuo bellico apparatu circummunitus, antecedēte quoque eius armigero Arnaldo de Brixia. Squama ſquamæ coniungitur, & nec ſpiraculum incedit per eas. Siquidem ſibilauit apis quæ erat in Francia, apis de Italia: & venerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. In victu autem & habitu habentes formam pietatis, ſed virtutem eius abnegantes, eo decipiunt plurimos, quo transfigurant ſe in Angelos lucis, cum ſint ſatanæ. Stans ergo Golias vna cum armigero ſuo inter vtraſq; acies, clamat aduerſus phalangas Iſrael, exprobratque agminibus ſanctorum, eo nimirum audacius, quo ſentit Dauid non adeſſe. Denique in ſuggillationem doctorum Eccleſiæ, magnis effert laudibus philoſophos, adinuentiones illorum & ſuas nouitates Catholicorum Patrum doctrinæ præfert & fidei: & cum omnes fugiant à facie eius, me omnium minimum expetit ad ſingulare certamen. Denique ſcripſit mihi, ſollicitante quidem ipſo, Archiepiſcopus Senonenſis diem ſtatuens congreſſionis, quo ille in præſentia eius & coepiſcoporum ſuorum deberet, ſi poſſet, ſtatuere praua dogmata ſua, contra quæ ego auſus mutire fuiſſem. Abnui, tum quia puer ſum, & ille vir bellator ab adoleſcentia: tum quia iudicarem indignum rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandā, quam

Digitized by Google

tam certa ac ſtabili veritate conſtet eſſe ſubnixam. Dicebam ſufficere ſcripta eius ad accuſandum eum, nec mea referre, ſed Epiſcoporum, quorum eſſet miniſterij de dogmatibus iudicare. Ille nihilominus, imò eo amplius leuauit vocem, vocauit multos, congregauit complices. Quæ de me ad diſcipulos ſuos ſcripſerit, dicere non curo. Diſſeminauit vbiq; ſe mihi die ſtatuto apud Senonas reſponſurum. Exijt ſermo ad omnes, & non potuit me latere. Diſſimulaui primum, nec enim ſatis rumore populi mouebar. Cedens tamen (licet vix, ita vt flerem) conſilio amicorum, qui videntes quomodo ſe quaſi ad ſpectaculum omnes pararent, timebant ne de noſtra abſentia & ſcandalum populo, & cornua creſcerent aduerſario: & quia error magis confirmaretur cum non eſſet qui reſponderet aut cõtradiceret: occurri ad locum & diem, imparatus quidem & immunitus, niſi quod illud mente voluebam: *Nolite præmeditari qualiter reſpondeatis, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Et illud: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Conuenerant autẽ præter Epiſcopos & Abbates, plurimi viri religioſi, & de ciuitatibus magiſtri ſcholarum, & clerici literati multi, & Rex præſens erat. Itaque in præſentia omnium aduerſario ſtante ex aduerſo producta ſunt quædam capitula de libris eius excerpta. Quæ cum cœpiſſent legi nolens audire exiuit, appellans ab electis iudicibus: quod non putamus licere. Porro capitula iudicio omnium examinata, inuenta ſunt fidei aduerſantia, contraria veritati. Hæc pro me, ne leuitate aut certè temeritate vſus in tanto negocio putarer. Verum tu ô ſucceſſor Petri, iudicabis an debeat habere refugium ad ſedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu, inquam, amice ſponſi prouidebis quomodo liberes ſponſam à labijs iniquis & à lingua doloſa. Sed, vt paulo audacius loquar cum Domino meo, attende etiam tibi ipſi amantiſſime Pater, & gratiæ Dei quæ in te eſt. Nõne cùm eſſes paruulus in oculis tuis, ipſe te cõſtituit ſuper gẽtes & regna? Ad quid niſi vt euellas & deſtruas & ædifices & plãtes? Qui ergo tulit te de domo Patris tui, & vnxit te vnctione miſericordiæ ſuæ, attẽde, quæſo, ex tunc & deinceps quãta fecit animę tuę, quãta per te Eccleſiæ ſuæ, quanta in agro Dominico, cœlo & terra teſtibus, tam potenter quàm ſalubriter euulſa ſunt & deſtructa, quanta rurſum bene ædificata, plan-

Matt. 10. b. *Pſal. 117. a*

Digitized by Google

tata, propagata. Suſcitauit Deus furorem ſchiſmaticorum in tuo tempore, vt tuo opere contererentur. Vidi ſtultum firma radice, & ſtatim maledictum eſt pulchritudini eius. *Vidi*, inquam, *vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat. Oportet autem*, ait, *hæreſes & ſchiſmatica eſſe: vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Et in ſchiſmate quidem iam (vt dictum eſt) Dominus probauit te & cognouit te. Sed ne quid deſit coronæ tuæ, en hæreſes ſurrexerunt. Itaque ad commutationem virtutum, & ne quid minus feciſſe inueniamini à magnis Epiſcopis anteceſſoribus veſtris, capite nobis, Pater amantiſſime, vulpes quæ demoliuntur vineam Domini, donec paruulæ ſunt: nec ſi creſcant & multiplicentur, quicquid talium per vos non fuerit exterminatum à poſteris deſperetur. Quanquam non iam paruulæ nec pauculæ, ſed certè grandiuſculæ & multæ ſint, nec niſi in manu forti vel à nobis exterminabuntur. Iacinctus multa mala oſtendit nobis, nec enim quæ voluit, fecit. Sed viſus eſt mihi patienter ferendus de me, qui nec perſonæ veſtræ nec curiæ in curia illa pepercit: quod melius Nicolaus iſte meus, imo & veſter, viua referet voce.

1. Cor. 11. d.

ADMONITIO

PRæcedenti Epiſtolæ adhęrebant, non in editis, ſed in MS. Codicibus, Capitula quædam contra Petrum Abaelardum poſita, & Innocentio ſummo Pontifici miſſa. Verum quia nulla eorum, aut pene nulla in omnibus ipſius Abaelardi ſcriptis, quæ nunc damus, reperiri, quiuis facillimè iudicabit, quem illa non pigebit legiſſe, propterea omittendam hîc eorum relationem haud inconueniens cenſuimus. Alioquin & quæ fuerint, ſubſequens S. Bernardi ad Innocentium Epiſtola; & vtrum vera, Confeſſio fidei, quam pro ſua defenſione conſcripſit Petrus, ſatis iudicabunt.

EPISTOLA XI.

QVÆ EST ITERVM BERNARDI ABB.

Ad eundem Papam Innocentium,

AMANTISSIMO PATRI ET DOMINO Innocentio ſummo Pontifici, frater Bernardus Clarævallis vocatus Abbas, modicum id quod eſt.

OPORTET ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quę de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimũ reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua

Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: *Ego pro te rogaui* Luc.22.d
Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri suc-
cessore exigitur: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ibidem.
Id quidem modo necessarium. Tempus est vt vestrũ agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis & Sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores. Habemus in Francia nouum de veteri magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte Dialectica lusit, & nunc in scripturis sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet quàm aliena suscitare conatur, insuper & noua addit. Qui dum omnium quæ sunt in cœlo sursum, & quæ in terra deorsum, nihil præter solum nescio quid nescire dignatur, ponit in cœlum os suum, & scrutatur alta Dei, redienſque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Et dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem & contra rationem præsumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidem, quàm credere nolle quicquid non possit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis: *Qui credit cito* Eccl.19.a
leuis est corde: cito credere est, inquit, adhibere fidem ante rationem: cum hoc Salomõ non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate. Nam illam, quæ in Deum est, fidem beatus Papa Gregorius negat planè habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum. Laudat autem Apostolos, quod ad vnius iussionis vocem secuti sunt redemptorem. Scit nimirum pro laude dictum: *In auditu auris obedi-* Psal.17.b
uit mihi: increpatos è ratione discipulos quòd tardiùs credidissent. Denique laudatur Maria, quod rationem, fide præuenit: & punitur Zacharias, quod fidem ratione tentauit. Et rursum Abraham commendatur, qui contra spem in spem credidit. At contra Theologus noster. Quid, inquit, ad doctrinam loqui proficit, si quod docere volumus, exponi non potest vt intelligatur? Et sic promittens intellectum auditoribus suis, in his etiam quæ sublimiora & sacratiora profundo illo sinu sacræ fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in maiestate modos, numeros in

Digitized by Google

æternitate. Conſtituit denique Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum ſanctum nullam potentiam. Atque hoc eſſe filium ad patrem, quod quandam potentiam ad potentiam, quod ſpeciem ad genus, quod materiatum ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs. Nonne plus quam Arrius hic? Quis hæc ferat? Quis non claudat aures ad voces ſacrilegas? Quis non horreat prophanas nouitates & vocum & ſenſuum? Dicit etiam Spiritum ſanctum procedere quidem ex patre & Filio, ſed minimè de Patris eſſe Filij ve ſubſtantia. Vnde ergo? an fortè ex nihilo, ſicut & vniuerſa quæ facta ſunt? Nam & ipſa ex Deo eſſe non diffitetur Apoſtolus, nec veretur dicere: *Ex quo omnia.* Quid igitur? Dicemus ex Patre & Filio Spiritum ſanctum non alio prorſus procedere modo, quàm omnia, id eſt, non eſſe eſſentialiter, ſed creabiliter, ac proinde creatum ſicut & omnia? Aut nunquid tertium inueniet ſibi modum, quo eum ex Patre Filioque producat, homo qui noua ſemper inquirit, & quæ non inuenit fingit, affirmans ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. At ſi eſſet, inquit, de ſubſtantia Patris, profecto genitus eſſet, & duos Pater Filios haberet. Quaſi verò omne quod de ſuſtantia aliqua eſt, continuo ipſum à quo eſt habeat genitorem. Num vero pediculi aut lendes aut phlegmata, vel filij carnis ſunt, vel non ſunt de ſubſtantia carnis? Aut vermes de ligno putrido prodeuntes, aliunde quam de ligni ſubſtantia ſunt, qui tamen filij ligni non ſunt? Sed & tineæ de ſubſtantia pannorum ſubſtantiam habent, generationem non habent. Et multa in hunc modum. Miror autem hominem acutum & ſciolum, (vt quidem ſibi ipſe videtur) quomodo cum Spiritum ſanctum fateatur patri & Filio conſubſtantialem, neget tamen ex patris Filijque prodire ſubſtantia, niſi fortè illos ex ipſius procedere velit. Quod quidem inauditum eſt, & nefandum. Si autem nec is de illorum, nec illi de huius ſubſtantia ſunt, vbi quæſo conſubſtantialitas? Aut ergo fateatur cum Eccleſia Spiritum ſanctum de ſubſtantia illorum eſſe, à quibus non negat procedere, aut certe cum Arrio conſubſtantialitatem deneget, & prædicet apertè creationem. Deinde ſi Filius de ſubſtantia patris eſt, Spiritus ſanctus non eſt: differant neceſſe eſt à ſe inuicem, non ſolum quia Spiritus ſanctus genitus non

Rom. 11. d

eſt,quod Filius eſt:ſed etiam quod Filius de ſubſtantia Patris eſt, quod Spiritus ſanctus non eſt. Quam quidem poſteriorem differentiam fides Catholica hucuſque neſciuit. Si eam amittimus, vbi Trinitas?vbi vnitas? Siquidem Spiritu ſancto Filioque nouarum à ſe differentiarum numeroſitate diſtantibus,vnitas diſſipatur, præſertim cum ſubſtantialem eſſe pateat differentiam quam iſte conatur inducere. Porro autem Spiritu ſancto à Patris Filijque ſubſtantia recedẽte ,non Trinitas remanet,ſed dualitas. Neque enim dignum eſt in Trinitate admitti perſonam quæ nil habeat in ſubſtantia commune cum reliquis. Deſinat ergo Spiritus ſancti proceſſionẽ à Patris Filiique ſubſtantia ſeparare,ne duplici impietate numerum & Trinitati minuat, & tribuat vnitati: quod vtrumque fides abnuit Chriſtiana. Et ne de re tanta ſolis videar humanis inniti rationibus, legat Epiſtolam Hieronymi ad Auitum: & certe videbit inter cæteras quas redarguit Origenis blaſphemias, etiam hoc eum deteſtantem, quod dixerit Spiritum ſanctum de ſubſtantia Patris non eſſe. Beatus Athanaſius in libro de vnica Trinitate ita loquitur: Solum Deum vbi memoratus ſum,non ſolam perſonam Patris indicaui,quia Filium & Spiritum ſanctũ de hac ipſa ſola ſubſtantia Patris eſſe non abnegaui. Hoc Athanaſius. Videt ſanctitas veſtra quomodo iſto non diſputante, ſed dementante, & Trinitas non cohæret,& vnitas pendet,nec iſtud ſane abſque iniuria maieſtatis. Quicquid namque illud eſt quod Deus ſit, id ſine dubio eſt quo non poſſit aliquid maius cogitari. Si ergo in hac vnica & ſumma maieſtate iuxta conſiderationẽ perſonarum vel parum aliquid claudicare recipimus, dum quod vni plus datur, alteri minuitur; minus profecto eſt totum ab eo,quo nihil maius valeat cogitari. Maius enim ſine dubio eſt quod totum maximum eſt, quàm quod ex parte. Ille vero digne pro ſua poſſibilitate diuinam æſtimat magnificentiam, qui nil in ea cogitat diſpar, vbi eſt totum ſummũ: nil diſtans, vbi totum eſt vnum: nil hians,vbi totum eſt integrum: nil denique imperfectum vel egens, vbi totum eſt totum. Totum nempe eſt Pater, quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Totum Filius,quod ipſe & Pater & Spiritus ſanctus. Totum Spiritus ſanctus, quod & ipſe & Pater & Filius. Et totum vnum eſt totum, nec ſuperabundans in tribus,nec

Digitized by Google

imminutum in ſingulis. Nec enim verum ſummumque bonum quod ſunt, inter ſe particulariter diuidũt, quoniam nec participaliter id poſſidẽt, ſed hoc ipſum eſſentialiter ſunt. Nã quod alter ex altero, vel alter ad alterũ veraciſſime dicitur, perſonarũ ſane deſignatio eſt, non vnitatis diuiſio. Licet nãq; in hac ineffabili & incõprehenſibili deitatis eſſentia, alter & alter, id quidẽ requirentibus proprietatibus perſonarum, ſobriè Catholiceq; dicatur, non tamen ibi eſt alterũ & alterum: ſed ſimplex vnum: vt nec præiudicium faciat vnitati Trinitatis confeſſio, nec proprietatum ſit excluſio vera aſſertio vnitatis. Tam longe proinde fiat à ſenſibus noſtris quàm eſt & à regula veritatis execranda illa de genere & ſpecie non ſimilitudo, ſed diſſimilitudo, & nihilominus illa de ære æreoque ſigillo: quoniam cum genus quidem & ſpecies, quod ad ſe inuicem ſunt alterum ſuperius, altera inferior ſit: Deus autem vnus ſit: nunquam bene profecto conueniet tantæ æqualitati & tantæ diſparilitati. Et rurſum de ære & quodam ære quod eſt æreũ ſigillum, quoniam quod inde in candẽ vſurpatur ſimilitudinis rationem, ſimile eſt huic idem iudiciũ. Cum enim ſpecies, vt dixi, minor ſit & inferior genere, abſit vt hãc in Patre & Filio diuerſitatem cogitemus. Abſit vt huic acquieſcamus dicenti, hoc eſſe Filium ad Patrem, quod ſpeciẽ ad genus, quod hominem ad animal, quod æreum ſigillum ad æs, quod aliquam potentiam ad potentiam. Sunt quippe cuncta hæc mutua ſuæ connexione naturæ ad ſe inuicem ſuperiora & inferiora: & ob hoc nulla prorſus admittenda ſimilitudo ex his ad illud vbi nihil eſt inæquale, nil diſſimile. Videtis de quanta vel imperitia vel impietate deſcendat harum adinuentio ſimilitudinum? Adhuc aduertite clarius quid ſentiat, doceat, ſcribat. Dicit, propriè & ſpecialiter ad Patrem potentiam, ad Filium ſapientiam pertinere: quod quidem falſum. Nam & Pater ſapientia, & Filius potentia veriſſimè ſunt, ſaniſſimeque dicuntur: & quod eſt commune amborum non erit proprium ſingulorum. Alia illa ſunt profecto vocabula, quæ non ad ſeipſos dicuntur, ſed ad alterutrum: & ideo eſt cuique ſuum, & non commune cum altero. Nam qui Pater eſt, filius non eſt: & qui filius eſt, Pater nõ eſt: quoniam non quod ad ſe, ſed quod ad Filium Pater eſt, Patris nomine deſignatur: & itẽ nomine Filij non quod ad ſe

Filius,

Digitized by Google

Filius, ſed quod eſt ad Patrem, exprimitur. Non ſic potentia, non ſic ſapientia, neque alia multa quæ ad ſe dicuntur & Pater & Filius non ſingulariter alter reſpectu alterius. Non, inquit, ſed ad proprietatem perſonæ Patris proprie vel ſpecialiter inuenimus omnipotentiã attinere, quod non ſolũ cum cæteris duabus perſonis æquè omnia efficere poteſt: verum etiam ipſe ſolus à ſe, non ab alio exiſtere habet: & ſicut habet ex ſe exiſtere, ita etiam ex ſe habet poſſe. O alterum Ariſtotelem! An non eadem ratione, ſi hoc ratio eſſet, & ſapientia & benignitas propriè pertineret ad Patrem, cum & ſapere & benignum eſſe æque à ſe Pater & non ab alia habeat, quemadmodum & eſſe & poſſe? Quod ſi non abnuit (nec enim de ratione poteſt) quid quæſo facturus eſt de illa nobili ſua partitione, in qua vt Patri potentiam, ſic Filio ſapientiam, ſic Spiritui ſancto benignitatem propriè ac ſpecialiter aſſignauit? Non enim vna & eadem res propriè poterit conuenire duobus, hoc eſt, vt cuique propria ſit. Eligat quod vult, aut det ſapientiam Filio, & tollat eam Patri: aut Patri tribuat, & auferat Filio: & rurſum benignitatem aut Spiritui ſancto ſine Patre, aut Patri ſine Spiritu ſancto aſſignet: aut certè deſinat nomina communia propria facere, & Patri quoniam à ſeipſo habet potentiam, non ideo tamen audeat concedere propriam, ne & benignitatem ſimul & ſapientiam, quas à ſe nihilominus habet identidem proprias ipſi ſua ratione aſſignare cogatur. Sed expectemus adhuc, & videamus quã theoricè noſter Theologus inuiſibilia Dei contempletur. Dicit (vt dixi) propriè omnipotentiam pertinere ad Patrem, atque hanc vt ſit integra & perfecta, in generando & diſcernendo conſtituit. Porro Filio, vt iam dictum eſt, aſſignat ſapientiam, ipſamque non ſimpliciter quidem potentiam, ſed quandam in Deo potentiam eſſe diffinit, id eſt, potentiam tantum diſcernendi. Forte timet iniuriam facere Patri, ſi tantum tribuat filio quantum & ipſi: & cui non audet potentiam dare integram, concedit dimidiam. Et quod dicit, manifeſtis declarat exemplis, aſſerens potentiam diſcernendi quæ eſt Filius, ita quandam eſſe potentiam, quemadmodum homo quoddam eſt animal, & ſigillum æreum quoddam eſt æs: atque hoc eſſe potentiam diſcernendi, ad gerendi diſcernendique pootentiam, id eſt, Filium ad Patrem, quod homo ad

Digitized by Google

animal eſt, quod æreum ſigillum ad æs. Sicut enim, inquit, ex eo quod eſt æreum ſigillum, exigit neceſſario vt æs ſit: & ex eo quod eſt homo, vt animal ſit, ſed non è conuerſo: ita diuina ſapientia quæ eſt potentia diſcernendi, exigit quod ſit diuina potentia, ſed non econuerſo. Quid igitur? vis vt iuxta tuam ſimilitudinem ad inſtar præcedentium, etiam ex hoc quod Filius eſt, exigat vt Pater ſit, hoc eſt, vt qui Filius eſt Pater ſit, quanquam non econuerſo? Si hoc dicis, hæreticus es. Si non dicis, vacat ſimilitudo. Ad quid enim tibi ipſam tanto circuitu de longe poſitis rebus, & minus conuenientibus emendicas, tanto labore colligis, tanta inculcas inani multiplicitate verborum, tantis effers laudibus; ſi non facit ad quod adducitur, vt videlicet membra ad membra congruis proportionibus reducantur? Nonne hoc opus, hic labor eſt, vt per ipſam nos doceas eam, quæ eſt inter Patrem & Filium habitudinem? Tenemus autem te docente ad hominis poſitionem poni animal, ſed non econuerſo ſecundum regulam Dialecticæ tuæ, qua non quidem poſito genere ponitur ſpecies, ſed poſita ſpecie ponitur genus. Cum ergo Patrem ad genus, Filium ad ſpeciem referas, nonne id oratio ſimilitudinis poſtulat, vt ſimiliter poſito Filio, Patrem poni oſtendas, & non conuerti: vt quomodo qui homo eſt, neceſſario animal eſt, ſed non conuertitur: ita quoque qui Filius eſt, neceſſario Pater ſit, & æque non conuertatur? Sed contradicit tibi in hoc Catholica fides, quæ profecto vtrumque recuſat, tam Patrem videlicet eſſe, qui Filius eſt, quàm eſſe Filium qui Pater eſt. Nam alius proculdubio Pater, atque alius Filius: quamuis non aliud Pater, quàm Filius. Nam per alius, & aliud nouit pietas fidei cautè inter perſonarũ proprietates & indiuiduam eſſentiæ vnitatem diſcernere, & medium iter tenens regia incedere via, vt nec declinet ad dexteram, confundendo perſonas: nec reſpiciat ad ſiniſtram, ſubſtantiam diuidendo. Quod ſi per ſimplex eſſe, dicas verè conſequi vt ſi Filius eſt, neceſſario Pater ſit, nil te iuuat, cum ratio relationis neceſſario exigat vt conuertatur, & eadem veritas comitetur conuerſam: quod non congruit adductæ de genere & ſpecie, vel de ære æreoque ſigillo ſimilitudini. Neque enim ſicut per ſimplex eſſe duntaxat veriſſime dicitur, ſi Pater eſt, Filius eſt: & ſi Filius eſt, Pater eſt: ita etiam poſſumus inter

Digitized by Google

hominem &animal,ſiue inter æreum ſigillum & æs in veritate conuertibilem texere conſequentiam. Nam etſi verum ſit dicere, ſi homo eſt, animal eſt,non tamen vera eſt conuerſa, qua dicitur,ſi animal eſt,homo eſt. Et item ſi ſigillum æreum eſt,neceſſario ſequitur vt æs ſit:non tamen ſi æs ſit,neceſſario ſequitur vt ſigillum æreum ſit. Sed iam pergamus ad reliqua. En iuxta iſtum habemus omnipotentiam in Patre, quandam potentiam in Filio. Dicat nobis etiam de Spiritu ſancto quid ſentiat. Benignitas ipſa, inquit, quæ hoc nomine quod eſt Spiritus ſanctus, demonſtratur,non eſt in Deo potentia ſiue ſapientia. *Videbam ſatanam tanquam fulgur cadentem de cælo.* Sic debet cadere qui ambulat in magnis & mirabilibus ſuper ſe. Vides, Pater ſancte, quas ſcalas, imo quæ præcipitia iſte ſibi parauerit ad ruinam? Omnipotentiam,ſemipotentiam,nullã potentiam. Ipſa auditu horreo,& ipſum horrorem puto ſufficere ad refellendum. Veruntamen teſtimoniũ pono, quod turbato interim occurrit ad remouendam Spiritus ſancti iniuriam. In Eſaia legitur, *Spiritus ſapientiæ, & ſpiritus fortitudinis.* Per quod vtique apertè ſatis iſtius audacia etſi non comprimitur, conuincitur tamen. O lingua magniloqua! Eſto, vt iniuria Filij vel Patris remittatur tibi,nunquid blaſphemia Spiritus? Manet Angelus Domini,qui te ſecet medium. Dixiſti enim: Non eſt Spiritus ſanctus in Deo potentia, ſiue ſapientia. Ita pes ſuperbiæ ruit cum irruit. Nec mirum ſi homo qui non curat quæ dicat, irruens in arcana fide, theſauros abſconditos pietatis tam irreuerenter inuadit atque diſcerpit,cum de ipſa pietate fidei nec piè nec fideliter ſentiat. Denique in primo limine Theologiæ(vel potius ſtultilogiæ ſuæ) fidem diffinit æſtimationem: quaſi cuique in ea ſentire & loqui quæ libeat liceat,aut pendeant ſub incerto in vagis ac varijs opinionibus noſtrę fidei ſacramẽta, & nõ magis certa veritate ſubſiſtant. Nonne ſi fluctuat fides,inanis eſt & ſpes noſtra? Stulti ergo martyres noſtri,ſuſtinentes tam acerba propter incerta,nec indubitãtes ſub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium. Sed abſit vt putemus in fide vel ſpe noſtra aliquid, vt is putat, dubia æſtimatione pendulum, & non magis totum quod in ea eſt, certa ac ſolida veritate ſubnixum,oraculis & miraculis diuinitus perſuaſum, ſtabilitum & conſecratum partu virginis,

Luc. 10. e

Eſa. 11. a

Digitized by Google

Pſal. 92. a ſanguine redemptoris, gloria reſurgentis. *Teſtimonia* iſta *credibilia facta ſunt nimis.* Si quo minus, ipſe poſtremo ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quod filij Dei ſumus. Quomodo ergo fidem quis audet dicere æſtimationem, niſi qui ſpiritum iſtum nondum accepit, quive euangelium aut
1. Tim. 1. c ignoret, aut fabulam putet? *Scio cui credidi, & certus ſum*, clamat Apoſtolus, & tu mihi ſubſibilas, fide eſt æſtimatio? Tu mihi ambiguum garris, quo nihil eſt certius? Sed Auguſtinus aliter: Fides, ait, non coniectando vel opinando habetur in corde in quo eſt, ab eo cuius eſt, ſed certa ſcientia, acclamante conſciẽtia. Abſit ergo, abſit, vt hos fines fides habeat Chriſtiana. Academicorum ſint iſtæ æſtimationes, quorum eſt dubitare de omnibus, ſcire nihil. Ego vero ſecurus in magiſtri gẽtium ſententiam pergo, & ſcio quoniam non confundar. Placet mihi, fateor, illius de fide diffinitio, & ſi iſte etiam ipſam latẽ-
Aebr. 11. a ter inſimulet. *Fides eſt*, ait, *ſubſtantia rerum ſperandarum argumẽtum non apparentium.* Subſtantia, inquit, rerum ſperandarum: non immanium phãtaſia coniecturarum. Audis ſubſtantiam, non licet tibi in fide putare vel diſputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per deuia errorum. Subſtantię nomine aliquid tibi certum fixumque præfigitur: Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non eſt enim fides æſtimatio, ſed certitudo. Sed aduertite cætera. Omitto quod dicit ſpiritum timoris Domini non fuiſſe in Domino: timorem Domini caſtum in futuro ſeculo non futurũ poſt conſecrationem panis & calicis: priora accidentia quæ remanent, pendere in aëre: dæmonum in nobis ſuggeſtiones contactu fieri lapidum & herbarum, prout illorum ſagax malitia nouit harum rerum vires diuerſas diuerſis incitandis & incidendis vitijs conuenire: Spiritum ſanctum eſſe animam mundi: mundum iuxta Platonem tanto excellentius animal eſſe, quanto meliorem animam habet Spiritum ſanctũ. Vbi dum multum ſudat quomodo Platonem faciat Chriſtianum, ſe probat ethnicum. Hæc, inquam, omnia, aliaſque iſtiuſmodi nænias eius non paucas prætereo, venio ad grauiora. Non quod vel ad ipſa cuncta reſpondeam, magnis enim opus voluminibus eſſet. Illa loquor quæ tacere non poſſum. Myſterium noſtræ redemptionis (ſicut in libro quodam ſententiarum ipſius, & item in quadam eius expoſitione Epiſtolæ ad

Romanos legi) temerarius ſcrutator maieſtatis aggrediens in ipſo ſtatim ſuæ diſputationis exordio Eccleſiaſticorũ doctorum vnam omnium de hac re dicit eſſe ſententiam, & ipſam ponit ac ſpernit, & gloriatur ſe habere meliorem: non veritus, contra præceptum ſapientis, tranſgredi terminos antiquos quos poſuerunt Patres noſtri. Sciendum eſt, ait, quod omnes Doctores noſtri poſt Apoſtolos in hoc conueniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem, & iure eum poſſidebat, ideo ſcilicet quod homo ex libertate arbitrij quam habebat, ſponte diabolo conſenſit. Aiunt namque quod ſi quis aliquem vicerit, victus iure victoris ſeruus conſtituitur. Ideo, inquit, ſicut dicunt doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt Filius Dei, vt homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur à iugo diaboli. Sed vt nobis videtur, ait, nec diabolus vnquam ius aliquod in homine habuit, niſi forte Deo permittente, vt carcerarius: nec Filius Dei vt hominem liberaret, carnem aſſumpſit. Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blaſphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non iuſtius os loquens talia fuſtibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in ſe prouocat manus, cuius manus cõtra omnes? Omnes inquit, ſic: ſed non ego ſic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid ſubtilius inuenis? Quid ſecretius tibi reuelatum iactas, quod præterierit ſanctos, effugerit ſapiẽtes? Aquas furtiuas & panes abſconditos puto apponet nobis iſte. Dic tamen, dic quicquid illud eſt quod tibi videtur & nulli alteri. An quod Filius Dei non vt hominem liberaret, hominem induit? Hoc plane nemini te excepto videtur: tu videris vbi videris. Non enim hoc à ſapiente, non à propheta, non ab Apoſtolo, non denique ab ipſo Domino accepiſti. Magiſter gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magiſter omnium ſuam doctrinam fatetur non eſſe ſuam, non enim, ait, à meipſo loquor, tu vero de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepiſti. Qui loquitur mendaciũ, de ſuo loquitur. Tibi proinde ſint, quæ tua ſunt. Ego prophetas & Apoſtolos audio, obedio Euangelio, ſed non Euangelio ſecundum Petrum. Tu nobis nouum condis Euangelium? Quintum Eccleſia Euangeliſtam non recipit. Quid lex, quid Prophetæ, quid Apo- *Ioan. 8.*

Digitized by Google

ſtoli, quid Apoſtolici viri nobis aliud euangelizant, quàm quod ſolus tu negas, Deum videlicet factum hominem vt hominem liberaret? Et ſi angelus de cœlo aliud nobis euangelizauerit, anathema ſit. Sed qui venerunt poſt Apoſtolos doctores non recipis, homo qui ſuper omnes docentes te intellexiſti. Denique non erubeſcis dicere quod aduerſum te omnes ſentiant, cum ab inuicem non diſſentiant. Fruſtra proinde illorum tibi fidem doctrinamque proponerẽ, quos iam proſcripſiſti. Ad Prophetas te ducam. Loquitur ſub typo Hieruſalem, ad populum acquiſitionis, non Propheta, ſed in
Sopho. 3. d Propheta Dominus dicens: *Saluabo te, & liberabo te, noli timere.* Quæris à qua poteſtate, Non enim vis vt diabolus in hominem habeat vel habuerit poteſtatem. Fateor nec ego. Nõ tamen idcirco non habet, quia ego & tu hoc nolimus. Si non confiteris tu nec cognoſcis: cognoſcunt & dicunt qui redẽpti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici. Quod minimè negares & tu, ſi non eſſes ſub manu inimici. Non potes gratias agere cum redemptis', qui redemptus non es. Nam ſi redemptus eſſes, redemptorem agnoſceres, & non negares redemptionẽ. Nec quærit redimi, qui ſe neſcit captiuum. Qui autem ſcierunt, clamauerunt ad Dominum, &
Pſal. 106 a. Dominus exaudiuit eos, & redemit eos de manu inimici. Et vt intelligas hunc inimicum qui ſit, Quos redemit, ait, de manu inimici: de regionibus congregauit eos. Sed primum quidem agnoſce hunc congregatorem, de quo Caiphas prophetat in Euangelio, quia Ieſus moreretur pro gente. Et qui narrat, ſequitur dicens: Non tantum pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum. Quo erant diſperſi? In omnes regiones. Ergo quos redemit, de regionibus congregauit eos. Non congregaret, niſi redimeret. Erant enim non ſolum diſperſi, ſed & captiui. Redemit & congregauit, redemit autem de manu inimici. Non dicit inimicorum, ſed inimici. Inimicus vnus, regiones multæ. Siquidem non de regione, ſed de regionibus congregauit eos à ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari. Quis iſte vnus tam potens Dominus, qui non vni præfuit regioni, ſed omni-
Ioh. 40. c bus? Non alius, vt arbitror, quã ille qui ab alio Propheta dicitur abſorbere fluuiũ, id eſt, genus humanũ, & non mirari: habere autem fiduciã quod & Iordanis, hoc eſt, electio ipſa in-

Digitized by Google

fluat in os eius. Beati qui ſic influũt vt effluãt, qui ſic intrãt vt exeant. Sed quid? nondũ forte credis prophetis ſic ſibi concinentibus de diaboli poteſtate in hominem. Veni mecum & ad Apoſtolos. Dixiſti nempe te non ſentire cum illis qui poſt Apoſtolos venerunt: aſſentias vel Apoſtolis: ſi forte & tibi contingat quod vnus eorum loquitur de quibuſdã: *Nequando* inquiens, *det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius volũtatem.* Paulus eſt iſte, qui homines à diabolo captiuos teneri aſſerit ad eius voluntatem. Audis ad eius voluntatem, & negas poteſtatem? Si & Paulo non credis, veni iam ad ipſum Dominũ ſi forte audias & quieſcas. Nempe ab ipſo appellatur princeps huius mundi, & fortis armatus, poſſeſſorque vaſorum: & dicis eum non habere poteſtatem in homines: Niſi tu aliud putas hoc loco intelligi atrium quam mundum, vaſa quam homines. Quod ſi atrium diaboli mundus erat, & homines vaſa eius: quomodo non dominabatur in hominibus? Ait item Dominus capientibus ſe. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Poteſtas iſta non latuit illum qui dicebat: *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij claritatis ſuæ.* Hanc ergo Dominus nec in ſe quidem negauit diaboli poteſtatem, ſicut nec Pilati, qui membrum erat diaboli. Ait ſiquidem: *Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi data fuiſſet deſuper.* Quod ſi in viride lignum intantum graſſata eſt iſta deſuper data poteſtas, aridum quomodo non fuit auſa contingere? Nec iniuſtam puto ipſe cauſabitur poteſtatem, datam deſuper. Diſcat ergo diabolum non ſolum poteſtatem, ſed & iuſtam habuiſſe in homines, vt conſequenter & hoc videat, veniſſe vtique in carne Dei filium propter liberandos homines. Cæterum etſi iuſtam dicimus diaboli poteſtatem, non tamen & voluntatem. Vnde non diabolus qui inuaſit, non homo qui meruit, ſed iuſtus Dominus qui expoſuit. Non enim à poteſtate, ſed à voluntate iuſtus iniuſtuſve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem ius, etſi non iure acquiſitum, ſed nequiter vſurpatum, iuſtè tamẽ permiſſum. Sic itaque homo iuſtè captiuus tenebatur: vt tamen nec in homine nec in diabolo illa eſſet iuſtitia, ſed in Deo. Iuſte igitur homo addictus, ſed miſericorditer liberatus. Sic tamen miſericorditer, vt non defuerit iuſtitia

2. Tim. 2. d

Ioan. 14. d

Luc. 22. f
Coloſſ. 1. b

Ioan. 19. b

Digitized by Google

quædam & in ipſa liberatione, quoniam hoc quoque fuit de miſericordia liberantis, vt (quod congruebat remedijs liberandi) iuſtitia magis contra inuaſorem quam potentia vteretur. Quid namque ex ſe agere poterat vt ſemel amiſſam iuſtitiam recuperaret homo ſeruus peccati, vinctus diaboli? Aſſignata eſt ei proinde aliena, qui caruit ſua, & ipſa ſic eſt. Venit princeps huius mundi, & in Saluatore non inuenit quicquam, & cum nihilominus innocenti manus iniecit, iuſtiſſima quos tenebat amiſit: quando is qui morti nil debeat, accepta mortis iniuria, iure illum qui obnoxius erat, & mortis debito, & diaboli ſeruit dominio: qua enim iuſtitia id ſecundo homo exigeretur? Homo ſiquidem qui debuit, homo qui ſoluit. Nam ſi vnus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: vt videlicet ſatisfactio vnius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata vnus ille portauit: nec alter iam inueniatur qui forefecit, alter qui ſatisfecit: quia caput & corpus vnus eſt Chriſtus. Satisfecit ergo caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis, quando iuxta Euan-
Coloſſ. 2. c gelium Pauli, quo conuincitur mendacium Petri, mortuus pro nobis cõuiuificauit nos ſibi, donans nobis omnia delicta, delẽs quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & poteſtates. Vtinam ego inueniar in his ſpolijs quibus ſpoliatæ ſunt contrariæ poteſtates, traductus & ipſe in poſſeſſionem Domini! Si me inſecutus
Geneſ. 31. c Laban arguerit quod receſſerim clam ab eo, audiet me acceſſiſſe ad eum, & ob hoc clam receſſiſſe. Subiecit me illa cauſa ſecretior peccati, ſubduxit me illi ratio occultioris iuſtitiæ: aut ſi gratis venundatus ſum, gratis non redimar? Si Aſſur ſine cauſa calumniatus eſt mihi, ſine cauſa cauſam exigit euaſionis. Quod ſi dixerit, Pater tuus addixit te: reſpõdebo, ſed frater meus redemit me. Cur non aliunde iuſtitia, cum aliũde reatus? alius qui peccatorem conſtituit, alius qui iuſtificat à peccato: aliter in ſemine, alter in sãguine. An peccatum in ſemine peccatoris, & non iuſtitia in Chriſti ſanguine? Sed iuſtitia, inquiet, ſit cuius eſt, quid ad te? Eſto. Sed ſit etiam culpa cuius eſt: quid ad me? An iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij non erit ſuper eum? Non conue-

nit

nit filium portare iniquitatem patris, & fraternæ fieri exortē iuſtitiæ. Nunc vero per hominem mors, & per hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur: quoniam non ſic illi attineo, vt non & iſti. Si illi per carnem, & per fidem huic. Et ſi infectus ex illo originali concupiſcentia, etiam & in Chriſti gratia ſpirituali perfuſus ſum. Quid mihi plus imputatur de præuaricatore? Si generatio, regenerationem oppono: niſi quod ſpiritualis eſt iſta, illa carnalis? Nec patitur ratio æquitatis vt ex æquo contendant, ſed vincat neceſſe eſt ſpiritus carnem, & ſit efficacior cauſa, cuius eſt potior & natura: quo plus videlicet profit generatio ſecunda, quàm prima nocuerit. Sane peruenit delictum ad me, ſed peruenit & gratia: & non ſicut delictum, ita & donum. Nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. A primo homine manauit delictum, à ſummo cœlo egreſſio gratiæ: vtrumque à parente, illud à primo, iſta à ſummo. Terrena natiuitas perdit me, & non multo magis generatio cœleſtis conſeruat me? Nec vereor ſic erutus de poteſtate tenebrarum repelli à patre luminum iuſtificatus gratis in ſanguine filij eius: nempe ipſe qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Non condemnabit iuſtum, qui miſertus eſt peccatori: iuſtum me dixerim, ſed illius iuſtitia. Quænam ipſa? *Finis legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti.* Denique qui factus eſt nobis, inquit, iuſtitia à Deo Patre. Quæ ergo mihi iuſtitia facta eſt, mea non eſt? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta iuſtitia: & ſane mihi tutior donata quàm innata. Nam iſta quidem gloriam habet, ſed non apud Deum. Illa autem cum ſit ſalutis efficax materiam non habet gloriandi niſi in Domino. Nam & ſi iuſtus fuero, inquit, non leuabo caput, ne videlicet reſponſum accipiat. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Hæc eſt iuſtitia hominis in ſanguine Redemptoris, quam homo perditionis exufflans & ſubſannans, in tantum euacuare conatur, vt totum quod Dominus gloriæ ſemetipſum exinaniuit, quod minoratus eſt ab Angelis, quod natus de femina, quod conuerſatus in mundo, quod expertus infirma, quod paſſus indigna, quod demum per mortem crucis in ſua reuerſus, ad id ſolum putet & diſputet redigendum, vt traderet homini-

Rom. 10. a

Iob. 10. b

2. Cor. 4. b

Digitized by Google

bus formam vitæ viuendo & docendo, patiendo autem & moriendo charitatis metam præfigeret. Ergo docuit iuſtitiam & non dedit: oſtendit charitatem, ſed non infudit, & ſic redijt in ſua? Itane hoc totum eſt magnum illud pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria? Incomparabilis doctor, qui etiam profunda Dei ſibi aperiens, & ea quibus vult lucida & peruia faciens, altiſſimum ſacramentum, & myſterium abſconditum à ſeculis, ſic nobis ſuo mendacio planum & apertum reddit, vt tranſire leuiter poſſit per illud quiuis etiam incircunciſus & immundus, quaſi Dei ſapientia cauere neſcierit aut neglexerit quod ipſa prohibuit, ſed dederit & ipſa ſanctum canibus, & margaritas porcis. Sed non eſt ita. Nam etſi manifeſtatum eſt in carne, ſed tamen iuſtificatum eſt in ſpiritu, vt & ſpiritualibus ſpiritualia conferantur, & animalis homo non percipiat quæ ſunt ſpiritus Dei, nec fides noſtra ſit in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Vnde ſaluator ait: *Confitebor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abſcõdiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Et Apoſtolus: *Et ſi*, inquit, *opertum eſt Euangelium meum, in his eſt opertum qui pereunt.* Denique aduertite hominem irridentem quæ ſunt ſpiritus Dei, quoniam ſtultitia illi videntur, & inſultantem Apoſtolo loquenti Dei ſapientiam in myſterio abſconditam, inuehentem in Euangelium, Dominum blaſphemantem. Quam prudentius quod non valet comprehẽdere, credere dignaretur, nec auderet contemnere aut conculcare ſacrum reuerendumque myſterium? Longum eſt ad omnes eius ineptias & calumnias quas diuino ſtruit conſilio, reſpondere. Pauca tamen infero, è quibus cætera æſtimentur. Cum ſolos, inquit, electos liberauerit Chriſtus, quomodo eos diabolus poſſidebat, ſiue in hoc ſeculo, ſiue in futuro, magis quàm modo? Reſpondemus. Imo quia diabolus electos Dei poſſidebat, à quo (ſicut dicit Apoſtolus) captiui tenebantur ad ipſius voluntatem, vt Dei proprositũ de ipſis impleretur, opus fuit liberatore. Oportuit autem liberari in hoc ſeculo, vt liberos haberet in futuro. Deinde infert: Nunquid etiam pauperem illum, qui in ſinu Abrahæ requieſcebat, ſicut & diuitem damnatum diabolus cruciabat, aut etiam in

Tim.3.d
Matth.11.d
2. Cor. 4. a
2. Tim. 2. d

Digitized by Google

ipſum Abraham dominum habebat, cæteroſque electos? Nõ, ſed habuiſſet, ſi non liberati fuiſſent fide futuri, ſicut de ipſo Abraham ſcriptum eſt. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Item. *Abraham exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt.* Propterea iam tunc ſanguis Chriſti rorabat etiam Lazaro, ne flammas ſentiret, quod & ipſe credidiſſet in eum qui erat paſſurus. Sic de omnibus electis illius temporis ſentiendum, natos quidem & ipſos æquè vt nos ſub poteſtate tenebrarum, propter originale peccatum, ſed erutos antequam morerentur, & non niſi in ſanguine Chriſti. Scriptum eſt enim: *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes. Oſanna filij Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Ergo Chriſto in carne venienti, & antequam veniret, & poſt benedictum eſt à turbis benedictorum, quamuis præeuntes plenam minimè tunc conſecuti ſint benedictionẽ, ſeruata nimirum hac prærogatiua tempori gratiæ. Deinde laborans docere & perſuadere, diabolum nullum ſibi ius in hominem vindicare potuiſſe aut debuiſſe, niſi permiſſu Dei, & quod ſine iniuria diaboli iure Deus profugũ ſuum, ſi vellet miſereri, repetere, & ſolo verbo eripere poſſet, quaſi hoc quis diffiteatur, poſt multa aliquando infert: Quę itaque neceſſitas, aut quæ ratio, aut quod opus fuit, cum ſola iuſſione ſua diuina miſeratio liberare hominem à peccato poſſet, propter redemptionem noſtram Filium Dei carne ſuſcepta, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, ſputa, denique ipſam crucis ignominioſam & aſperrimam mortem ſuſtinere, vt cum iniquis patibulum ſuſtineret? Reſpondemus: Neceſſitas noſtra fuit, & neceſſitas dura ſedentium in tenebris & vmbra mortis. Opus æquè noſtrum, & Dei ipſius, & ſanctorum Angelorum. Noſtrum vt auferret iugum captiuitatis noſtræ: Suum, vt impleretur propoſitum voluntatis eius. Angelorum, vt numerus impleretur eorum. Porro ratio huius facti fuit dignatio facientis. Quis negat omnipotenti ad manum fuiſſe alios & alios modos noſtræ redemptionis, iuſtificationis, liberationis? Verum hoc non præiudicet huius quem è multis elegit efficaciæ. Et fortaſſe is præſtat, per quem in terra obliuionis, grauedinis, lapſus noſtri, tot & tantis grauaminibus reparatoris fortiùs & viuacius admoneremur. Alias autem nemo hominum nouit, nec noſcere ad plenum

Gen. 15. b. Ioan. 8. g.

Matt. 21. c.

Digitized by Google

poteſt quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiã, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſeipſam contineat huius venerandi myſterij inſcrutabilis altitudo, quam Propheta conſiderans expauit, non penetrauit,& præcurſor Domini indignum ſe iudicauit qui penetraret. Cæterum ſi non licet perſcrutari diuinæ ſacramentum voluntatis, licet tamen ſentire effectum operis, fructum vtilitatis percipere. Et quod licet ſcire non licet tacere, quia gloria regum celare verbum,& gloria Dei inueſtigare ſermonem. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius. Vbi reconciliatio, & remiſſio peccatorũ. Eſa. 59. a Nam ſi, dicente ſcriptura, peccata noſtra ſeparant inter nos & Deum manente peccato, non eſt reconciliatio. In quo ergo remiſſio peccatorum? Hic calix, inquit, noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Itaque vbi reconciliatio, ibi remiſſio peccatorum. Et quid ipſa, niſi iuſtificatio? Siue igitur reconciliatio, ſiue remiſſio peccatorum, ſiue iuſtificatio ſit, ſiue etiam redemptio vel liberatio de vinculis diaboli, à quo captiui tenebamur ad ipſius voluntatem: intercedente morte vnigeniti obtinemus iuſtificati gratis in ſanguine ipſius, in quo (ſicut idem dicit) habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius. Cur, inquis, per ſanguinem, quod potuit facere per ſermonem? Ipſum interroga. Mihi ſcire licet quod ita: cur ita, non licet. Nunquid dicit figmẽtum ei qui ſe finxit, quid me finxiſti ſic? Sed hæc iuſtitia ei videntur, non poteſt tenere riſum. Audite cachinnos. Quomodo, ait, iuſtificari nos vel reconciliari Deo per mortem Filij eius dicit Apoſtolus, qui tanto amplius aduerſus hominem iraſci debuit, quãto amplius homi- Oſee 4. a nes in crucifigendo filium ſuum deliquerunt, quàm in tranſgrediendo primum eius præceptum vnius pomi guſtu? Quaſi non poterit Deo in vno eodemque facto & diſplicere iniquitas malignantium,& placere pietas patientis. Et ait: Quod ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum, vt expiari non poſſet niſi morte Chriſti, quam expiationem habebit ipſum homicidiũ quod in Chriſtum commiſſum eſt? Breuiter reſpondemus, ipſum ſanguinem quem fuderunt, & interpellationem ipſius

quem occiderunt. Addit etiam: Nunquid mors innocentis filij intantum Deo patri placuit, vt per ipſam reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commiſimus, propter quod innocẽs Dominus eſt occiſus, nec niſi hoc maximum fieret peccatũ, illum multo leuius potuit ignoſcere? Non mors, ſed voluntas placuit ſponte morientis, & illa morte expungentis mortem, operantis ſalutem, reſtituentis innocentiam, triumphãtis principatus & poteſtates, ſpoliantis inferos, ditandis ſuperos, pacificantis quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra omnia inſtaurantis. Et quoniam hæc tam pretioſa mors voluntariè ſuſcipienda aduerſum peccatum, non tamen poterat fieri niſi per peccatum: non delectatus quidem, ſed tamen bene vſus malitia ſceleratorum, & mortem de morte, & de peccato dãnauit peccatum. Et quanto illorum maior iniquitas, tanto huius voluntas ſanctior, & eo potentior ad ſaluandum, quatenus tanta mediante potentia antiquum illud quamuis grãde peccatum, neceſſario tamen hic quod in Chriſtum commiſſum eſt cederet, tanquam minus maiori. Nec peccato ſiue peccantibus adſcribitur hæc victoria, ſed bene vtenti peccato, & peccantes fortiter perferenti, & conuertenti in vſum pietatis quicquid in ipſum auſa eſt crudelitas impiorum. Fuit vero ſanguis qui effuſus eſt, tam multus ad ignoſcendum, vt ipſum quoque peccatum maximum quo factum eſt vt effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius vt pote leuioris deletione nullam omnino dubietatem relinqueret. Deinde iſte: Cui vero, inquit, non crudele & iniquum videtur, vt ſanguinem innocentis in precium aliquod quis requiſierit, aut vllo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam filij mortem habuerit, vt per ipſam vniuerſo reconciliatus ſit mundo? Non requiſiuit Deus Pater ſanguinem Filij, ſed tamen acceptauit oblatum, non ſanguinem ſitiens, ſed ſalutem, quia ſalus erat in ſanguine. Salus planè, & non ſicut iſte ſapit & ſcribit, ſola charitatis oſtenſio. Sic enim concludit tot calumnias & inuectiones ſuas, quas in Deum tam impiè quàm imperitè euomuit, vt dicat totum eſſe quod Deus in carne apparuit, noſtram de verbo & exẽplo ipſius inſtitutionem, ſiue vt poſtmodum dicit inſtructionem, totum quod paſſus & mortuus eſt, ſuæ erga nos charitatis oſtenſionem vel commendationem. Cæterum quid

prodeſt quod non inſtituit, ſi nõ reſtituit? Aut nũquid fruſtra inſtruimur, ſi non prius deſtruatur in nobis corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato? Si omne quod profuit Chriſtus, in ſola fuit oſtenſione virtutum, reſtat vt dicatur quod Adam quoque ex ſola peccati oſtenſione nouerit: ſiquidem pro qualitate vulneris allata eſt medicina. Sicut enim in Adã omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Ergo ſicut hoc, ita & illud: Si vita quam dat Chriſtus, non eſt alia quàm inſtitutio eius: nec mors vtique quam dedit Adã, alia erit ſimiliter quàm inſtitutio eius: vt ille quidem ad peccatum exemplo ſuo, hic vero exemplo & verbo ad bene viuendum, & ſe diligendum homines informarẽt. Aut ſi Chriſtianæ fidei, & non hæreſi Pelagianæ acquieſcentes, generatione non inſtitutione traductum in nos confitemur Adæ peccatum, & per peccatum mortem: fateamur neceſſe eſt & à Chriſto nobis non inſtitutione, ſed generatione reſtitutam
Rom. 5. c iuſtitiam, & per iuſtitiam vitam: vt ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationẽ vitæ. Et ſi ita eſt, quomodo is dicit conſilium & cauſam incarnationis fuiſſe, vt mundum luce ſuæ ſapientiæ illuminaret, & amorem ſuum accenderet? Vbi ergo redemptio? A Chriſto nempe, vt fateri dignatur, illuminatio & prouocatio ad amorem. Redemptio & liberatio à quo? Eſto quod Chriſti aduentus illis proſit qui ſe illi poſſunt conformare per vitam, & vicem ei dilectionis rependere: quid de paruulis? Quam dabit lucem ſapientiæ vix adhuc captantibus lucem vitæ? Vnde aſcendent ad Dei amorem, qui nedum matres ſuas amare nouerunt; Nihil proderit eis aduentus Chriſti? nihil quod complantati ſunt ſimilitudini mortis eius per Baptiſmum, quoniam nondum poſſunt prohibente ætate Chriſtum ſapere aut amare? Redemptio itaque, ait, noſtra eſt illa ſumma in nobis per Chriſti paſſionem dilectio. Ergo paruuli non habent redemptionem, quia non habent ſummam illam dilectionem. An ſicut non habent vnde diligant, ita nec vnde pereant, vt non ſit eis in Chriſto neceſſaria regeneratio, vt pote quibus generatio ex Adam nihil nocuerit? Si hoc ſapit, cum Pelagio deſipit. Quicquid horum ſentiat, patet quantum humanæ ſacramento ſalutis inuideat, quantum quod in ipſo eſt, euacuet

Digitized by Google

alti diſpenſationem myſterij, qui totum de ſalute tribuit deuotioni, generationi nihil: qui noſtræ gloriam redemptionis, & ſummam ſalutis non in virtute crucis, & non in precio ſanguinis, ſed in noſtræ conſtituit conuerſationis profectibus. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in qua eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.* Et quidem tria quædam præcipua in hoc opere noſtræ ſalutis intueor: formam humilitatis, in qua Deus ſemetipſum exinaniuit: charitatis menſuram, quam vſque ad mortem, & mortem crucis extendit: redemptionis ſacramentum, quo ipſam mortem quam pertulit, ſuſtulit. Horum duorum priora ſine vltimo ſic ſunt, ac ſi ſuper inane pingas. Magnum profecto & valde neceſſarium humilitatis, magnum & omni acceptione dignum charitatis exemplum: ſed non habent fundamentum, ac proinde nec ſtatum, ſi deſit redemptio. Volo totis niſibus humilem ſequi Ieſum, cupio eum qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me, quibuſdam brachijs vicariæ dilectionis amplecti, ſed oportet me & Agnum manducare Paſchalem. Niſi enim manducauero carnem eius, & bibero eius ſanguinem, non habebo vitam in memetipſo. Aliud eſt ſequi Ieſum, aliud tenere, aliud & manducare. Sequi, ſalubre conſilium: tenere & amplecti, ſolemne gaudium: manducare, vita beata. Caro enim eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus. Panis eſt Dei qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Qui ſtatus gaudio ſiue conſilio abſque vita? Nempe haud alius quam picturæ abſque ſolido: ergo nec humilitatis exempla, nec charitatis inſignia præter redemptionis ſacramentum ſunt aliquid. Hæc Domine Pater, de labore manuum pueri veſtri qualiacumque tenetis aduerſus pauca quidem nouæ hæreſeos capitula: vbi ſi non aliud quàm zelum agnoſcitis meum, tamen propriæ interim conſcientiæ ſatisfeci. Nam cum non eſſet quod agerem pro iniuria fidei quam dolebam, operæ mihi precium arbitror, ſi illum monui cuius arma potentia Dei ad deſtructionem contrariarum adſertionum, ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigendum omnem intellectum in obſequium Chriſti. Sunt & alia in alijs eius ſcriptis non pauca nec minus mala capitula, ad quæ nec tem-

Galat. 6. d

Ioan. 6. f.

Digitized by Google

poris nec epistolæ angustia respondere permittit. Quanquã nec necessarium putem, cum sint adeo manifesta, vt ipsa etiam vulgata fide facile refellantur. Collegi tamen aliqua, & transmisi.

EPISTOLA XII.

AD EVNDEM EX PERSONA DOMINI RHEMENSIS,

REVERENDISSIMO DOMINO, ET CLARISsimo Patri, Dei gratia, summo Pontifici Innocentio, Samson Rhemorum Archiepiscopus, Ioslenus Suessionensis, Gaufridus Cathalanensis, Aluisus Atrebatensis, voluntarium debitæ subiectionis obsequium.

AVRIBVS occupatis ad plurima, sermonem facimus abbreuiatum de prolixo negotio, pro eo maximè quia idipsum diffusius ac plenius continetur in litteris Domini Senonensis. Petrus Abaelardus Christianæ fidei meritum euacuare nititur, dum totũ quod totum Deus est, humana ratione arbitratur se posse comprehendere; ascendit vsque ad cœlos, & descendit vsque ad abyssos. Nihil est quod lateat eum siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. Homo est magnus in oculis suis, de fide contra fidem disputans, ambulans in magnis, & in mirabilibus super se, scrutator maiestatis, hæresium fabricator. Iãdudum fecerat librum de sua Trinitate, sed sub legato Romanæ Ecclesiæ igne examinatus est, quia inuẽta est in eo iniquitas. Maledictus qui reædificabit ruinas Hiericho. Surrexit à mortuis liber ille, & cũ eo multorũ hæreses qui dormierant surrexerunt, & apparuerunt multis. Iamiã extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad Romã propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber suus in curia Romana habet vbi caput suum reclinet. Hinc confirmatus & confortatus est furor eius. Propterea cum in conspectu Episcoporum

porum ſuper his argueret eum Abbas Claræuallis zelo fidei iuſtitię armatus, nec confeſſus eſt, nec negauit: ſed à loco & iudice quem ſibi ipſe elegerat, ſine læſione, ſine grauamine, vt ſuam prolongaret iniquitatem, ſedem Apoſtolicam appellauit. Epiſcopi autem qui propter hoc in vnum conuenerant, veſtræ reuerentiæ deferentes, nihil in perſonam eius egerunt, ſed tantummodo capitula librorum eius à ſanctis patribus condemnata, ne morbus ſerperet, medicinali neceſſitate abiudicauerunt. Quia ergo homo ille multitudinẽ trahit poſt ſe,& populum qui ſibi credat habet, neceſſe eſt vt huic contagio celeri remedio occurratis.

——— *ſero*, enim, *medicina paratur*,
Cum mala per longas inualuere moras.

Proceſſimus in hoc negotio quouſque auſi ſumus, tuum eſt de cætero, beatiſſime Pater, prouidere ne in diebus tuis aliqua hæreticæ prauitatis macula decor Eccleſiæ maculetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Chriſti amici ſponſi; tuum eſt tandem in viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

EPISTOLA XIII.

QVÆ EST BERNARDI CLAREVAL. AB.

Ad magiſtrum Guidonem de Caſtello, qui Petri diſcipulus fuerat, & de quo potiſſimùm præſumebat, qui poſtea fuit Papa Cæleſtinus.

VENERABILI DOMINO ET CHARISSIMO Patri, magiſtro Guidoni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Dei gratia Presbytero Cardinali, B. Claræuallis vocatus Abbas, non declinare ad dexteram, nec ad ſiniſtram.

INIVRIAM facio vobis ſi aliquem à vobis ita diligi credam, vt cum eo pariter eius errores diligatis. Quiſquis enim ſic aliquem diligit, nondũ nouit quẽadmodum oporteat eum diligere. Talis nãq; dilectio terrena eſt, animalis, diabolica, nocens æquè diligenti atq; dilecto.

Digitized by Google

Existimẽt alij de alijs prout volunt, ego adhuc de vobis æstimare non possum nisi quod vicinum est rationi, quod ad lineam pertinet æquitatis. Quidam prius iudicant, & postea probant: ego de potione vtrum dulcis sit an amara ante gustũ non iudicabo. Magister Petrus in libris suis profanas vocum nouitates inducit & sensuum, disputans de fide contra fidem, verbis legis legem impugnat. Nihil videt per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis & in mirabilibus super se. Melius illi erat si (iuxta titulũ libri sui) seipsum cognosceret, nec egrederetur mensurã suam, sed saperet ad sobrietatem. Ego non eum accuso apud patrem, est qui eum accuset, liber suus, in quo sibi male complacuit. Cum de Trinitate loquitur, sapit Arrium: cùm de gratia, sapit Pelagium: cùm de persona Christi, sapit Nestorium. Minus de vestra æquitate præsumo si diu vos rogauero vt in causa Christi nullum Christo præponatis. Illud autem scitote quia expedit vobis quibus potestas data est à Domino, expedit ecclesiæ Christi, expedit illi etiam homini, vt ei silentium imponatur, cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo.

EPISTOLA XIV.

QVÆ EST ITERVM BERNARDI,

Ad magistrum Yuonem Cardinalem, de eodem Petro,

DILECTISSIMO SVO YVONI, SANCTAE ROmanæ Ecclesiæ. Dei gratia, presbytero Cardinali, B. Clarævallis Abbas, diligere iustitiam, & odire iniquitatem.

MAGISTER Petrus Abaelardus sine regula Monachus, sine solicitudine prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine. Homo sibi dissimilis est: intus Herodes, foris Ioãnes: totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen & habitum. Sed quid ad me? Vnusquisque onus suum portabit. Aliud est, quod dissimulare non possum, quod pertinet ad omnes qui diligunt nomen Christi. Iniquitatem in excelso loquitur, integrita-

Galat. 6. b

tem fidei, caſtitatémque Eccleſiæ corrumpit. Tranſgreditur terminos quos poſuerunt patres noſtri, de fide, de ſacramentis, de ſancta Trinitate diſputans & ſcribens: ſingula pro ſua voluntate mutat, auget & minuit. In libris & in operibus ſuis oſtendit ſe fabricatorem mendacij, & cultorem peruerſorum dogmatum, hæreticum ſe probans non tam in errore quàm in pertinacia & defenſione erroris. Homo eſt egrediēs menſuraw ſuam, in ſapientia verbi euacuans virtutem Chriſti. Nihil neſcit omnium quæ in cœlo & quæ in terra ſunt, præter ſeipſum. Damnatus eſt Sueſſione cum opere ſuo coram legato Romanæ Eccleſiæ. Sed quaſi non ſufficeret ei illa damnatio, iterùm facit vnde iterùm damnetur, & iam nouiſſimus error peior eſt priore. Securus eſt tamen, quoniam Cardinales & clericos curiæ ſe diſcipulos habuiſſe gloriatur, & eos in defenſione præteriti & præſentis erroris adſumit, à quibus iudicari timere debuit & damnari. Si quis ſpiritum Dei habet, illius verſiculi recordetur: *Nónne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Liberet Deus per vos & per cæteros filios ſuos Eccleſiam ſuam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. *Pſal. 138.*

EPISTOLA XV.

QVÆ EST RESCRIPTVM DOMINI Innocentij Papæ, contra hæreſes Petri Abaelardi.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, SERVVS SERuorum Dei, venerabilibus fratribus, Henrico Senonenſi, Sampſoni Rhemenſi Archiepiſcopis, eorúmque ſuffraganeis, & chariſſimo in Chriſto filio Bernardo Claræ. Abbati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

ESTANTE Apoſtolo, ſicut vnus Dominus, ita vna fides eſſe dignoſcitur, in qua tanquã in immobili fundamẽto præter quod nemo poteſt aliud ponere, firmitas Catholicæ Eccleſiæ inuiolata cõſiſtit. Inde eſt quòd beatus Petrus Apoſtolorũ princeps pro eximia huius fidei cõfeſſione, à Domino ac Saluatore noſtro audire meruit: *Epheſ. 4.*

Digitized by Google

Matt. 16. c. Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiã meam, petram vtique firmitatem fidei, & catholicæ vnitatis ſoliditatem manifeſtè deſignans. Hæc ſiquidem eſt incõſutilis tunica redemptoris noſtri, ſuper quam milites ſortiti ſunt, ſed eam diuidere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum. Verùm Apoſtoli duces dominici gregis, & eorum ſucceſſores Apoſtolici viri, ardore charitatis & zelo rectitudinis ſuccẽſi, fidem defendere, & eam in cordibus aliorum proprij ſanguinis effuſione plantare non dubitarunt. Demùm ceſſante perſecutorũ rabie, imperauit Dominus ventis, & facta eſt in Eccleſia tranquillitas magna. Sed quia hoſtis humani generis ſemper circuit quærens quem deuoret: ad impugnandam ſinceritatem fidei, fraudulentam hęreticorum fallaciam ſubinduxit. Contra quos viri Eccleſiarum paſtores viriliter inſurgentes, eorum praua dogmata cum ipſorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicena ſynodo Arrius hæreticus eſt damnatus. Conſtantinopolitana ſynodus Manichæum hęreticũ debita ſententia condemnauit. In Epheſina ſynodo Neſtorius condignam ſui erroris damnationem excepit. Chalcedonenſis quoque ſynodus Neſtorianam hæreſim, & Eutychianam cum Dioſcoro & eius complicibus iuſtiſſima ſententia confutauit. Marcianus præterea licet laicus, Chriſtianiſſimus tamen imperator, Catholicæ fidei amore ſuccenſus, prædeceſſori noſtro ſanctiſſimo Papæ Ioanni ſcribens, aduerſus eos qui ſacra myſteria profanare contendunt, inter cætera ſic loquitur, dicens: Nemo clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Chriſtiana publicè tractare conetur in poſterum. Nam iniuriam facit iudicio reuerendiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata & rectè diſpoſita reuoluere, & iterùm diſputare contendit, & in contemptores huius legis tanquam in ſacrilegos pœna non deerit. Igitur ſi clericus erit qui publicè tractare de religione auſus fuerit, à cõſortio clericorũ remouebitur. Dolemus autem, quoniam ſicut literarum veſtrarum inſpectione, & miſſis à veſtra fraternitate nobis errorum capitulis cognouimus, in nouiſſimis diebus, quando inſtant tempora periculoſa: in Petri Abaelardi pernicioſa doctrina & prædictorum hæreſes, & alia per-

uersa dogmata catholicę fidei obuiantia pullulare cœperunt. Verùm in hoc maxime cõsolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus: qui in partibus vestris pro patribus tales filios suscitauit, & tempore apostolatus nostri in Ecclesia sua tam prę-claros voluit esse pastores, qui noui hæretici calumniis studeant obuiare, & immaculatam sponsam vni viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque qui in beati Petri cathedra (cui à Domino est dictum: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,) licet indigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri peruersa dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnauimus, eique tanquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque erroris sui sectatores & defensores à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani decimo septimo Kalendas Augusti. Luc. 22.c

---

EPISTOLA XVI.

QVÆ EST EIVSDEM DOMINI INNOCENTII PAPAE,

Ex veteri exemplari Monast. Claræual.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORUM Dei venerabilibus fratribus Samsoni Rhemensi, Henrico Senonensi Archiepiscopis, & carissimo in Christo filio Bernardo Claræuallis Abbati Salutem & Apostolicam benedictionem.

PER præsentia scripta fraternitati vestræ mandamus, quatinus Petrum Abaelardum & Arnaldum de Brixia peruersi dogmatis fabricatores, & Catholicæ fidei impugnatores in religiosis locis, vbi vobis melius visum fuerit, separatim faciatis includi, & libros erroris eorum, vbicumque reperti fuerint, igne comburi. Data Laterani XVIII. Kal. Aug.

Digitized by Google

Et adiectum.

Transcripta ista nolite ostendere cuiquam, donec ipsæ literæ in Parisiacensi colloquio, quod prope est, presentatæ fuerint ipsis Archiepiscopis.

EPISTOLA XVII.

QVÆ EST BERENGARII SCHOLASTICI APOLOGETICVS,

Contra beatum Bernardum Claræuallensem Abbatem & alios, qui condemnauerunt Petrum Abaelardum.

EX BIBLIOTHECA REGIS CHRISTIANISSIMI,

Vt rideas, Lector, videas: imò videas, vt irrideas quæ ridicula tibi occurrent. Et quemadmodum ipse Berengarius te monet in Epist. seq. si quid in personam hominis Dei (Bernardi scilicet Abbatis Clar.) dixit, ioco legas, non serio.

SCRIPTORVM tuorum exemplaria, Bernarde, celebris circumquaque fama diuulgat. Nec mirum Scripta tua in famæ pulpito collocari; cùm constet ea, qualiacumque sint, à maioribus huius temporis approbari. Mirantur homines in te liberalium disciplinarum ignaro, tantam vbertatem facundiæ; quia emissiones tuæ iam cooperuerunt vniuersam superficiem terræ. Quibus est diuinitus respondendũ, *Quia magna opera Domini*: &, *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi*. Sed nihil est cur admiratione percelli debeant. Imò magis mirandum esset, te eloquij vrgeri siccitate, quoniam audiuimus à primis fere adolescentiæ rudimentis, cantiunculas mimicas & vrbanos modulos fictitasse. Neque certè in incerto loquimur opinionis, sed testis est alumna tui patria nostri sermonis. Nónne id etiam tuæ memoriæ altiùs est insignitum, quòd fratres tuos rithmico certamine, acutæque inuentionis versutia semper exuperare contendebas? Cui grauis & peracerba videbatur iniuria, reperire aliquem qui pari responderet proteruia. Possem aliqua de nu-

Digitized by Google

gis tuis huic Opuſculo ex teſtium probabilium aſtipulatione inſerere, ſed vereor paginam fœdi commenti interpoſitione interpolari. Ceterum cunctis nota teſte non indigent. Illum itaque commentandi & nugandi vſum ad diuinum ſæpe inſtrumentum accerſis; & aſtruunt imperiti grauiter & granditer dictum, quod vbertim & eloquenter effutis. Sed non ſic eſſe ratio neceſſaria conuincit. Frequenter enim veritas abſolutè & illepidè profertur, & falſitas plauſibilis eloquij comitate commendatur. Similéſque ſunt, vt ait Auguſtinus, ſimplicitas dicendi & eloquentia vaſis ruſticanis & vrbanis: falſitas verò & veritas, ferculis vilibus & precioſis. Vtraque autem fercula vtriſque poſſunt vaſis miniſtrari. Neque hoc ideò dixerim, vt te notabilem & ſuſpectum reddam; ſed vt veritatem non in omnium facundia eſſe ſimpliciter aſtruam. Sed ſuper hoc hactenus: ad reliqua potius tranſeamus. Iamdudum ſanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama diſperſit, præconizauit merita, miracula declamauit. Felicia iactabamus moderna ſecula tam coruſci ſydetis venuſtata nitore, mundúmque iam debitũ perditioni tuis meritis ſubſiſtere putabamus. Sperabamus in linguæ tuæ arbitrio cœli ſitam clementiam, aeris temperiem, vbertatem terræ, fructuum benedictionem. Caput tuum nubes tangebat. Et iuxta vulgare prouerbium, rami tui vmbras montium tranſcendebant. Sic diu vixiſti, ſic Eccleſiam caſtis inſtitutionibus informaſti; vt ad ſemi-ſanctia tua rugire dæmones autumaremus, & bearnlos nos tanto gloriaremur patrono.

NVNC, proh dolor! patuit quod latebat, & colubri ſoporati tandem aculeos ſuſcitaſti. Omiſſis omnibus, Petrum Abaelardum quaſi ſignum ad ſagittã poſuiſti, in quem acerbitatis tuæ virus euomeres, quem de terra viuentium tolleres, quem inter mortuos collocares. Corrogatis vndecumque Epiſcopis eum in Senonenſi Concilio hereticum pronunciaſti, ab vtero matris Eccleſiæ velut aborſum præcidiſti. In via Chriſti ambulantem, tãquam ſicarius de occulto prodiens, tunica inconſutili ſpoliaſti. Concionabaris ad populũ, vt orationem funderet ad Deum pro eo: interius autem diſponebas eum proſcribendum ab orbe Chriſtiano. Quid vulgus faceret? quid vulgus oraret, cùm pro quo eſſet orandum neſciret? Tu vir Dei, qui miracula feceras, qui ad pedes Ieſu

cum Maria ſedebas ; qui conſeruabas omnia verba hæc in corde tuo ; puriſſimum ſacræ orationis thus coram ſupernis obtutibus adolere deberes, vt reus tuus Petrus reſipiſceret, & talis efficeretur quem nulla ſuſpicio inquinaret. Sed forſitan malebas talem , in quo reprehenſionis idoneam nanciſcereris occaſionem. Denique poſt prandium allatus eſt Liber Petri, & cuidam præceptum eſt vt voce clamoſa Petri Opuſcula perſonaret. At ille & Petri odio animatus, & vitis germine irrigatus ; non illius qui dixit, *Ego ſum vitis vera*, ſed illius qui Patriarcham nudum ſtrauit in area, ſonoriùs quàm poſtulatum fuerat exclamauit. Poſt aliqua Pontifices inſultare, pedem pedi applodere, ridere, nugari conſpiceres ; vt facilè quilibet iudicaret illos non Chriſto vota perſoluere, ſed Baccho. Inter hæc ſalutantur cyphi , pocula celebrantur, laudantur viha ; Pontificum guttura irrigantur. Tunc aliquis Horatiano ſale ludere poſſet,

Nullam, Vare, ſacra vite priùs ſeueris arborem.

Nam illud, quod idem Poeta in alio Carmine promit,

Nunc eſt bibendum , nunc pede libero
Pulſanda tellus ———————

ibi memoriter gerebatur. Quantò ſalubriùs audiretur ſuauis Poetæ Galli ſententia luculentis admodum verſibus vigilata. Ait enim

Vina probo ſi pota modo, debeanque probari.
Si non pota modo , vina venena puto.

Sed lethæi potio ſucci Pontificũ corda iam ſepelierat. Ecce, inquit Satyricus,

——————— *inter pocula quærunt*
Pontifices ſaturi quid dia poemata narrent.

Denique cùm aliquid ſubtile diuinumque ſonabat, quod auribus Pontificalibus erat inſolitum, audientes omnes diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in Petrum: & oculos talpæ habentes in Philoſophum : Hoc, inquiunt, ſineremus viuere mõſtrum? Mouenteſque caput quaſi Iudęi, *Vah*, inquiunt, *ecce qui deſtruit templum Dei*. Sic iudicant verba luminis cæci, ſic virum ſobrium damnant ebrij, ſic contra organum Trinitatis diſſerunt calices facundi. Sic contra ſimplicem diſputant cornuti. Sic ſanctum canes, ſic margaritas porci corrodunt. Sic ſal terræ infatuatur. Sic legis fiſtula

Digitized by Google

fiſtula obturatur. Concionatur ſapiens vir, *Qui tangit picem inquinabitur ab ea*: quod nos alio poſſumus reddere verſu, *Qui tangit vinum inquinabitur ab eo.* Biberat Epiſcoporum ſobrietas ſanguinem vuæ meraciſſimum, cuius integritatem aqua non deuirginauerat, quia ſecundum Martialem,

Grande nimis ſcelus eſt ſacrum iugulare Falernum,
Nec Bacchus Lymphæ coniugium patitur.

Impleuerant Primates orbis Philoſophi turis * dolia ſua vinido vino. Cuius calor ita inceſſerat cerebris, vt in ſomni letargiam oculi omnium ſoluerentur. Inter hæc ſonat lector, ſtertit auditor. Alius cubito innititur, vt det oculis ſuis ſomnum. Alius ſuper molle ceruical dormitionem palpebris ſuis molitur. Alius ſuper genua caput reclinans dormitat. Cùm itaque lector in Petri ſatis aliquod reperiret ſpinetum, ſurdis exclamabat auribus Pontificum: Damnatis? Tunc quidam vix ad extremam ſyllabam expergefacti, ſomnolenta voce, capite pendulo, Damnamus, aiebant. Alij verò damnantium tumultu excitati, decapitata prima ſyllaba, namus inquiunt. Verè natis, ſed natatio veſtra procella, natatio veſtra merſio *. Sic milites dormientes teſtimonium perhibent, quia *nobis dormientibus venerunt Apoſtoli, & tulerunt corpus.* Qui vigilauerat in lege Domini die ac nocte, nunc damnatur à Sacerdotibus Bacchi. Sic morbidus medicum curat. Sic damnat naufragus in littore conſtitutum. Sic arguit innocentiã qui ad furcas ducitur ſuſpendendus. Quid agimus anima? Quò nos vertimus? Exciderúntne tibi præcepta Rhetorum; & occupata luctu, præpedita ſingultibus, dicendi ordinem non tenes? Putáſne veniens Filius hominis inueniet fidem ſuper terram? Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Petrus autem non habet vbi caput ſuum reclinet. Sic iudicant in loco Iudicis ſedentes rei; in loco vindicis innocentiæ vexatores. Simul ſunt omnia talibus iudicibus, talibus actoribus deprauata.

Hic ſatur exiguo maunlt turgeſcere ſomno,
Hic exporrectis ampullat verba labellis.
Hic loquitur nimis, ille tacet: hic ambulat, hic ſtat.
Alter amat fletus, alter criſpare cachinnum.
Diuerſiſque modis pax eſt veſania cunctis.

Quid hi tales egerint, quid decreuerint iuriſperiti, Euange-

* *al.* guttis

* *al.* immerſio eſt

lica lectio consolatur. *Collegerunt*, inquit, *Pontifices & Pharisæi Concilium, & dixerunt: Quid facimus? quia hic homo multa mira dicit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Vnus autem ex ipsis nomine Bernardus Abbas, cùm esset Pontifex Concilij illius, prophetauit dicens: Expedit nobis vt vnus exterminetur homo à populo, & nõ tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt condemnare eum, dicentes illud Salomonis: *Tendamus insidias iusto*, supplantemus ei gratiam labiorum. Inueniamus radicem verbi contra iustum. Facientes feciſtis, & linguas vipereas in Abaelardum euaginastis. Subuersi subuertistis, & vinum absorbuistis, sicut qui deuorat pauperem in abscondito. Inter hæc Petrus orabat, *Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* Interdum illud Psalmistæ sedulò ruminabat: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum.* Verè pingues, quorum colla thoris adipeis incrassata liquidam sudabant ad ruinam*. Nec mirum. Visitauerant enim domestici fidei neutriu. † lacrimas in misericordia & caritate. Sedit autem in Concilio vanitatis, contra Psalmi decretum quidam memoriæ celebris Episcopus, in cuius auctoritatem plurimorum se reclamabat assensus. Hic hesternam crapulam ructans, huiusmodi in concione sermonem euomuit: Fratres, Christianæ Religionis participes omnium* periculo prouidete. Ne fides in vobis turbetur, ne sincerus columbæ oculus turgente macula obducatur. Nihil enim prodest aliarum virtutum possessio vbi fuerit fidei defectio, iuxta illud Apostoli: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* O Mineruæ lepos! ô sales Attici! ô eloquentia Tulliana! Hanc certè caudam non vult hic asinus. Talis finis tali capiti non respondet. Vnde etiam qui fauerunt, pressa fronte ruborem confessi sunt. Placet & non immeritò hanc magni nominis vmbram gregi illorum communicare, de quibus dictum est: *Conceperant ventum, & telas aranæ texuerunt.* Præfatus verò Episcopus etiam præmissis adiungens: Petrus, inquit, semper turbat Ecclesiam, semper excogitat nouitatem. O tempora! ô mores! Sic iudicat de sole cæcus. Sic pingit in ebore mancus. Sic vrbem appreciatur asinus. Sic animales Episcopi iudicant, sic casus ventilant, sic discutiunt rationes. Sic pu-

*f aruinam, vno verbo.

† al. cõmuni

Digitized by Google

gnant contra eum filij matris ſuæ. Sic ſues craſſæ aduerſus ſilentem grunniunt.

INTRA tot itaque & tantas anguſtias deprehenſus Abaelardus ad Romani examinis confugit aſylum. Filius ſum, inquit, Romanæ Eccleſiæ. Volo cauſa mea quaſi impij iudicetur. Cæſarem appello. At Bernardus Abbas, in cuius brachio fidebat Præſulum multitudo, non dixit vt Præſes qui tenebat Paulum in vinculis: Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis: ſed, Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem non ibis. Renunciauit enim quæ geſta fuerant Apoſtolico, & ſtatim à Romana Sede litem damnationis in Petrum per Gallicanam Eccleſiam volauerunt. Damnatur taliter os illud promptuarium rationis, tuba fidei, hoſpitium Trinitatis. Damnatur, proh dolor! abſens, inauditus & inconuictus. Quid dicam? quidue non dicam? Bernarde,

Nil opus eſt bello, veniam pacemque rogamus,
Porrigimus iunctas ad tua lora manus.
Iura cadent rerum, vertetur ſanctio legum,
Si vis, ſi mandas, ſi ſic decernis agendum,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Cuius vnquam, Ieſu bone, culpa tam cæcos habuit iudices, vt non vtrinque cauſæ latera ventilarent? vt non in quam potiſſimum partem ius vergeret elimarent? Iſti clauſis oculis palpant negotium, & quaſi oculati rerum cognitores arcu iniquitatis intenſo toxicum ſubito iaculantur. Quicquid inteſtinus odiorum furor, quicquid implacabilis amentiæ turbo rotaret in Petrum, quicquid iniqua conflaret emulatio, cenſuræ Apoſtolicæ ſobrium nunquam dormitare deberet acumen. Sed facilè deuiat à iuſtitia, qui plus hominem quàm Deum timet in cauſa. Verumque illud eſt quod per Propheticum organum ſonat: *Omne caput languidum, à planta pedis vſque ad ceruicem, non eſt in eo ſanitas.*

SED corrigere, inquiunt fautores Abbatis, Petrum voleat. Si Petrum, bone vir, ad integrum fidei ſtatum diſponebas [illegible]vocare; cur ei coram populo æternæ blaſphemiæ charact[illegible]em impingebas? Rurſuſque ſi Petro amorem populi tollebas, quomodo corrigere diſponebas? Ex qua complexione in ſummã redigitur, te in Petrum exarſiſſe non amore cor-

rectionis, ſed deſiderium propriæ vltionis. Præclarè dictũ eſt à Propheta: *Corripiet me iuſtus in miſericordia.* Vbi enim deeſt miſericordia nõ eſt correctio iuſti, ſed barbaries incondita tyrãni. Teſtatur etiam rancorẽ animi eius Epiſtola ad Innocentiũ Papã directa, in qua ſic ſtomachatur: *Non debet*, inquit, *refugiũ inuenire apud Sedem Petri, qui fidem impugnat Petri.* Parce, parce bellator inclyte. Non decet Monachũ ſic pugnare. Crede Salomoni: *Noli*, inquit, *nimium eſſe iuſtus: ne fortè obſtupeſcas.* Non impugnat fidẽ Petri, qui fidem affirmat Petri. Debet ergo inuenire refugium apud Sedem Petri. Patere, quæſo, Petrum tecum eſſe Chriſtianum. Et ſi vis, tecum erit Catholicus. Et ſi non vis, tamen erit Catholicus. Communis enim Deus eſt, non priuatus. Sed ſi ſedet ſentẽtia cordi, pergamus pariter contemplari, quomodo Petrus fidem infeſtat Petri. Scribit enim Petrus ad ancillam Dei Heloiſſam ſacris litteris apprimè inſtitutam, familiarem ſatis Epiſtolam, quæ inter reliqua horum etiam verborum redolet continentiam*:

* *Hæc Epiſtola Abaelardi non extat integra.*

Soror mea Heloiſa quondam mihi in ſeculo cara, nunc in Chriſto cariſſima, odioſum me mundo reddidit Logica. Aiunt enim peruerſi peruertentes, quorum ſapientia eſt in perditione, me in Logica præſtantiſſimum eſſe, ſed in Paulo non mediocriter claudicare. Cúmque ingenij prædicent aciem, Chriſtianæ fidei ſubtrahunt puritatẽ. Quia, vt mihi videtur, opinione potiùs traducuntur ad iudicium, quàm experientiæ magiſtratu. Nolo ſic eſſe Philoſophus, vt recalcitrem Paulo. Non ſic eſſe Ariſtoteles, vt ſecludar à Chriſto. Non enim aliud nomen eſt ſub cælo, in quo oporteat me ſaluum fieri. Adoro Chriſtum in dextera Patris regnantem. Amplector eum vlnis fidei in carne virginali de Paracleto ſumpta glorioſa diuinitus operantem. Et vt trepida ſollicitudo, cunctaque ambages à corde tui pectoris explodantur, hoc de me teneto, quòd ſuper illam petram fundauì conſcientiam meam, ſuper quam Chriſtus ædificauit Eccleſiam ſuam. Cuius petræ titulum tibi breuiter aſſignabo. Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; vnum naturaliter & verum Deum: qui ſic in perſonis approbat Trinitatem, vt ſemper in ſubſtantia cuſtodiat vnitatem. Credo Filium per omnia Patri eſſe coæqualem, ſcilicet æternitate, poteſtate, voluntate & opere. Nec audio Arrium, qui peruerſo ingenio actus, imò dæmoniaco ſeductus ſpiritu, gradus facit in Trinitate; Pa-

Digitized by Google

trem maiorem, Filium dogmatizans minorem: oblitus legalis præcepti: Non aſcendes, inquit Lex, per gradus ad meum altare. Ad altare quippe Dei per gradus aſcendit, qui prius & poſterius in Trinitate ponit. Spiritum etiam ſanctum Patri & Filio conſubſtantialem & coæqualem per omnia teſtor, vt pote quem bonitatis nomine deſignari volumina mea ſæpè declarant. Damno Sabellium, qui eandem perſonam aſſerens Patris & Filij, Patrem paſſum autumauit; vnde & Patripaſſiani dicti ſunt. Credo etiam Filium Dei factum eſſe Filium hominis, vnamque perſonam ex duabus & in naturis duabus conſiſtere. Qui poſt completam ſuſceptæ humanitatis diſpenſationem paſſus eſt & mortuus, & reſurrexit, & aſcendit in cælum, venturuſque eſt iudicare viuos & mortuos. Aſſero etiam in baptiſmo vniuerſa remitti delicta; gratiáque nos egere, quâ & incipiamus bonum, & perficiamus: lapſoſque per pœnitentiam reformari. De carnis autem reſurrectione quid opus eſt dicere, cùm fruſtrà glorier me Chriſtianum, ſi non credidero reſurrecturum? Hæc itaque eſt fides in qua ſedeo, ex qua ſpei contraho firmitatem. In hac locatus ſalubriter, latratus Scyllæ non timeo, vertiginem Carybdis rideo, mortiferos Syrenarum modulos non horreſco. Si irruat turbo, non quatior. Si venti perflent, non mouear. Fundatus enim ſum ſupra firmam petram.

Hæc de Epiſtola Petri ad verbum excerpenda putaui, vt liquidum fieret quomodo Petrus impugnaret fidem Petri. Nunc rigide cenſor, adeſto, & fidem Petri ſincero perpende iudicio. Dixiſti: *Non debet refugium inuenire apud Sedem Petri, qui fidem impugnat Petri.* Hoc per ſe dictum quoddam eſſet eminens & generale verum. Sed quia perſonaliter dixiſti de Petro, conuinco te ſentire contraria vero. Non enim Petrus arguit fidem, ad cuius lineam vitam ſuam diſponit: nec alienus eſt à Chriſti portione, cuius ſe tam humiliter inſigniuit nomine. Deberet ergo refugium apud Sedem Petri inuenire, ſi non illecebræ tui eloquij clauſiſſent viſcera miſericordiæ Romanæ Eccleſiæ. Sed dum tu Petro clementiæ oſtium obſtruis, conceptę veſaniæ ſignanter impetum prodis.

Hîc forraſſe inquies, Nimia ſuper me laceſſis iniuria. Zelus domus Dei comedit me, eò quòd lepra inſanæ doctrinæ macularet corpus Eccleſiæ. Cui obuiandum in ipſo ſtatim nequitiæ ſemine putaui, nè latè ſerperet vis veneni. Nónne cautè conſultéque egi, quòd fœdum illud ſacrilegumque

dogma manuali quodam indiculo compleſi. Ne ſcilicet breuiter volentibus attingere ſummam rei, oneroſum eſſet ire per ſpacioſos ſaltus voluminum Abaelardi. Ad hæc ego: Laudo te, Pater, ſed in hoc non laudo. Indiculum vidimus, in quo non Petri dogmata, ſed nefandi commenti Capitula legimus: Quod, ſcilicet Pater ſit omnipotentia, Filius quædam potentia, Spiritus ſanctus nulla potentia. Quòd Spiritus ſanctus, licèt ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum Filio, non tamen eſt de eadem ſubſtantia. Quòd homo ſine noua gratia poſſit operari. Quòd Deus non poſſit plus facere quàm facit, nec meliùs facere quàm facit, nec aliter facere quàm facit. Quod anima Chriſti non deſcendit ad inferos. Hæc & alia Indiculus tuus continet, quorum quædam, fateor, Petrus & dixit & ſcripſit: quædam verò neque protulit neque ſcripſit. Quæ autem dixerit, & quæ non dixerit, & quàm Catholica mente ea quæ dixerit ſenſerit, ſecundus arrepti Operis Tractatus Chriſtiana diſputatione ardenter & impigrè declarabit. Nam talia ſunt quæ dilui debent, atque refelli: vt non immerito proprio reſeruentur volumini. Nunc illud eſt acriter perſequendum, cur vir ſanctus, & in ore famæ nominatiſſimus, qui quædam perenni ſepelienda ſilentio ſcriptis proprijs tradidit, Petro Abaelardo hereſeos crimen impegerit. Rata namque eſt fama, & ab antiquo quaſi naturæ legibus promulgata, neminem de ſimili crimine quempiam poſſe conuincere. Quod dum feciſti, & imprudenter & impudẽter egiſti.

PETRVS errauerat, eſto. Tu quare erraſti? Aut ſciens, aut neſciẽs erraſti. Si ſciens erraſti, hoſtis Eccleſiæ cõprobaris. Si neſciens erraſti, quomodo es defenſor Eccleſiæ, qui errorem neſcis diſcernere? Erraſti verè dum originẽ animarũ de cœlo aſſeruiſti eſſe. Quod qualiter in libro aſtruas, quoniã vtile & facile eſt cognitu, ſagaci lectori ab altiori cardine retexã. Eſt Liber, quem Hebræus *Firaſirim*, Latinus nominat Canticum Canticorũm, cuius littera vigilantibus animis, diuinæ cuiuſdam intelligentiæ ſudat arcanum. Ad hunc librum Bernardus manum expoſitionis applicat, vt ab hirſutis litteræ opuſculis egregij ſenſus frugem eliciat, vtitur ſane mediocri & tẽperato genere dicendi. Sed libet paululum percunctari, cur Bernardus poſt tot illuſtrium virorum ſudores, qui in præfa-

eo opere ſua ingenia contulerunt, tam immenſæ maieſtatis volumẽ temptauit in lucem proferre? Nam ſi maiores noſtri plenariè, ſufficienterque libri huius latebras produxerunt in ſolem, miror qua fronte auſus tuos extenderis in opus elimatum ad vnguem. Quòd ſi aliqua ſunt tibi reuelata ſacramenta, quæ eorum notitiam fugerint, non inuideo: imò labori vehementer applaudo. Sed cùm eorum expoſitiones, commentúmque tuum ſtudioſis reuoluo manibus, nihil te noui dixiſſe comperio: imò ſenſum alienum verbis tuis veſtitum deprehendo. Superuacua igitur explanatio tua eſſe videtur. Ac ne quis me putet improbabilia proloquutum, proferam ſuper hunc Librum quadrigam Expoſitorum: Origenem ſcilicet Græcum, Ambroſium Mediolanenſem, Retium Auguſtidunenſem, Bedam Angligenam. Quorum primus cùm in ceteris Libris, vt ait Hieronymus, vicerit, in Canticis Canticorum ſe ipſum vicit. Secundus verò probabili & erudito ſermone Sponſi Sponſæque firmauit amores. Tertius perplexitatem voluminis ſublimi ore diſſeruit. Quartus autem eiuſdem libri opaca ſeptem Libris abſoluit. Poſt tales itaque, & tam induſtrios viros, Bernardus arat, quaſi aliquid intemptatum noſtri maiores reliquerint. Poſſemus ſane lucubrationibus diſerti hominis acquieſcere, niſi potiùs tragœdiam videretur quàm Commentarios texere. Patefacta namque quadam parte Operis, repente mortem ſui fratris inducit, in cuius funeris proſecutione duos penè quaternos conſumit. Quod quàm ibi diſcrepans & inconcinnum fuerit, paucis expediam. Liber ille Salomonis in ſancti Spiritus officina conflatus, Chriſti & Eccleſiæ ſub Sponſi Sponſæque typo maritat amplexus. Porro nuptijs gaudia conſonant. At Bernardus aut rerum obſcurarũ tædio victus, aut negligens Apoſtoli dictum ſuadentis gaudere cum gaudentibus, mortuum ſuum ducit ad nuptias: Cùm ſcriptum ſit, *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Diſcumbente itaque Sponſo in Sponſæ gremio, & iuuenculis Sponſi, Sponſæque iuuenculabus alterna iocunditate plaudentibus, tuba funebris ſubito clangit. Epulæ in luctum eunt, organa vertuntur in funus. Tragœdia riſum procerit † nuptiarum. Non diſcretus, non elegans citharista fuiſti, qui funebres modulos regio conuiuio præſentaſti? Quis vnquam ſomniauit tale portentum?

Solemus ridere picturas incipientes ab homine & in asinum desinentes. Reuolue quæso prisci super hunc librum monimenta ingenij,& nullum reperies, qui in huiusmodi materia tristia lætis confœderet. Vnde Retij Augustidunensis aurea sic depromit camœna, *Mos est*, inquit, *generosæ materiæ obseruandus, Sponsi Sponsæque tripudia festiua tuba persultent. Neque enim in funera fas distrahi animum, quoniam ad exponendum Cantica nuptiarum inuitat alacritas conuiuarum. Sed quoniam tantæ facultatis ratio in nobis vel nulla est, vel admodum orba, eius innitar gratiæ, qui per Euangelium suum sonat: Sine me nihil potestis facere. Neque certè mihi deficiet transitorium verbum, cùm credam in Verbum quod est in principio apud Deum.* O vox Catholico digna doctore! ô fidelis confessor gratiæ! Rectè perpendiculum sui iudicij vir sapiens lineauit, qui mœrorẽ à gaudio tanto interstitio sequestrauit. Tu verò terminos transgrediens, quos posuerunt Patres tui, Cantica in elegos, carmina in threnos sorte miserabili conuertisti. Quod si tibi deessent Ecclesiasticæ scita censuræ, recolere poteras etiã gentilis instituta prudentiæ. Nam cùm Zeuxis pictor eximius simulacrum Helenæ pinxit, non ei brachia simiæ, nec chimeræ ventrẽ, nec caudã piscis aptauit: sed humanorum membrorum expolitione perfectum publicis vsibus * propalauit. Alioquin indecens & ridiculosa esset pictura. Vnde Horatius in Arte Poetica,

* *f.* visibus

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris; vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè:
Spectatum admissi risum teneatis amici?

Concedit ars, vt quod velis incipias, sed non vt quemlibet finem cœptis tuis supponas. Vnde idem Poeta paulò post scripsit,

——— pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas:
Sed non vt placidis coeant immitia, non vt
Serpentes auibus generentur, tigribus agni.

Velut ægri somnia Operis tui vanæ species finguntur,

——— vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ. ———
Purpureus latè qui splendeat, vnus & alter

Assuitur

Digitized by Google

Assuitur pannus ——————

At ne quis fautorum tuorum obloquatur,

Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus & aure.

Quid plura? Tota ars Poetica iurata contra te bella susceptit. Deberes re vera ingenij tui puerperium, iuxta eiusdē Poetæ iustitutionem, nonum premere in annum; vt malè tornatū opus rursus liceret iucudi reddere, & curare ne te lunæ labor offenderet. Deberes vtique festinantiam emissionis differre, cùm scriptum sit,

—————— *nescit vox missa reuerti.*

Laudamus in te, Pater, venam ingenij, sed artis culpamus inscitiam. Inde est quòd veteres diffinierūt ingenium esse mutilum, nisi opem artis sibi asciscat. Laudantur sales Lucilij, & tamen mordetur quod incomposito currat pede.

Impostos versus componit & arte carentes
Ennius ingenio diues, & arte rudis.

E quibus est ille,

Omnes mortales sese laudari exoptant.

Sed quoniam lippis & tonsoribus claret, quòd non rectè lamenta epithalamio coniugasti, libet aliqua de ipso boatu tragico speculari. Inter cetera, ni fallor, Oratoris nostri lugubris Musa sic calculat. *Decessit frater à vita, imò vt rectiùs fatear, mortem reliquit pro vita. Frater, inquam, decessit, tenor continentiæ, morum speculum, vinculum religionis. Quis vlteriùs vegetabit me ad laborem? Quis amplius leniet mœrentem?* Et post aliqua, *Bos bouem requirit; se quòd solum putat, frequenti mugitu pium testatur affectum. Bos, inquam, bouem requirit, cum quo ducere collo aratra consueuit.* Pulchrum quidem est & tinnulum quod Bernardus loquitur; sed de alio sudore precium nomēque venatur. Ambrosius enim hæc verba syllabatim in querimonia illa posuit, quam de excessu Satyri amici sui mulcebri dealbatoque stylo procudit. Itaque Bernardus in hoc planctu adeo est vehemens, adeò pertinax, adeò viuus, vt legenti cuilibet constans sit, eum non veros fletus edere, sed verba quibus veri questus exprimantur effundere. Aiunt tamen quidam insulsi, seductorio eius linguæ moderamine seducti, qui corpus verborum diligunt, animam autem rationis spernunt, eum tam facundia sublimi in lamentis illis vti, vt

nulla modernæ eloquentiæ facultas ei valeat exæquari. O falſi iudices eloquentiæ, quos proijcit vocis ventus vt puluerem à facie terræ! Quænam ibi ſententiarum vis? quæ pocula rationum? Totus in verbis fluctuat, & mors ridiculi ſyllogiſmi rotatur in circulo. Vnde Poeta. Citharoedus, inquit,

Ridetur, corda qui ſemper oberrat eadem.

Læta verborum gramina ſata inſtrangulant ſententiarum. Aut fortaſſe idem dicendo multipliciter, Vlixem ſimulare volebat. De quo ſcriptum eſt,

Ille referre alij ſæpè ſolebat idem.

Sed non talibus inſtrumentis mortuus ſuſcitatur, nec eloquentiæ præſtigiis vita mortuo comparatur. Vnde cuiuſdam diſtichum egregiè ſonat.

Cur dantur fruſtra pro Pſalmis carmina pulcra?
Plus prodeſſet ei, ter, Miſerere mei.

Quòd ſi dolorẽ ſuũ delinimentis facundię remedioq; carminis euaporare nolebat; cur non ſaltem ſuper hoc propriũ ſeparatim opuſculum condebat? Nec deerant, à quibus talis materiæ mutuari poſſet exemplar. Socrates mortem ſui Alcibiadis Philoſophici vigoris vbertate teſtatur. Plato Aleximpuerum, cui amatorias cantiunculas compoſuerat, inſigni titulo ducit ad tumulum. Taceo Pythagoram, Demetrium, Carneadem, Poſſidonium, reliquóſque, quorum excellentia Græcia ſuperbit: qui, teſte Hieronymo, diuerſis ſeculis, diuerſis libris diuerſorum lamenta minuere ſunt conati. Præterea Anaxagoræ laudatam ſemper ſententiam, qui cum ei nunciaretur filium obiſſe, fletu repreſſo: Sciebam, inquit, me genuiſſe mortalem. Et vt peregrina omittẽs ad noſtra veniã, Tullius eloquij Romani maximus auctor conſolatorium de morte filij ſui Librum edidit, cui præclara magnorum virorum monumenta quaſi ſtellas micantes impreſſit. Hieronymus dolori, quem de morte Nepotiani conceperat, plauſibili medetur eloquio. Ambroſius, de quo præfatus ſum, duos Libros de exceſſu dilecti ſui Satyri ſuaui ſtylo ediſſerit. Ad horum normam planctum tuum texere debebas, non immemor illius vulgaris prouerbij,

Vicini barbæ propriam debes ſimulare.

SED quoniam ſuper hoc ſatis abundéque digeſſimus, tẽpeſtiuum eſt illud Capitulum in eodem libro viſitare, in quo

animarum orignem de cœlis fabularis eſſe. Vbi ſic recolo te locutum: *Meritò dixit Apoſtolus, noſtra conuerſatio eſt in cœlis.* Hæc verba tua ſubtiliter explorata, Chriſtianæ mentis palato hæreſim ſapiunt. Si enim idcirco animæ originem de cœlis aſtruis, quia quandóque beata futura eſt in cœlis; eadem ratione corporis origo erit in cœlis, quia quandóque beatum futurum eſt in cœlis. Sed ad hoc intimandum talia verba ſe non accommodant. Aut ſi ideò animæ originem cœleſtem aſcribis, quia olim orta, id eſt facta ſit in cœlis, quod quidem verborum talium reſultat intentio; prauitatem Origenis incurris, qui in Libris Periarchôn Pythagoreum Platonicumque dogma ſecutus, originariam in cœlo ſedem animabus diſponit. At quoniam de anima mentio ſe ingeſſit, non abſurdum eſt commemorare, quæ altercationis varietas occupauerit de animarum origine. Aiunt Philoſophi, quorum duces ſunt Plato & Pythagoras, quibus & tu ex parte maxima acquieſcis, animas ſcilicet olim ab initio factas conditaſque in theſauris Dei: indéque ob antiquum vitæ contagium in corporum ergaſtulum lapſas, rurſuſque ſi corpus iuſtè gubernauerint, ad antiquæ honeſtatis vultum meritorium vehiculo redituras ferunt. Et heretici, animam partem eſſe diuinæ ſubſtantiæ contenderunt, occaſionem huius fabulæ indè rapientes, quod ſcriptum eſt in Geneſi: *Et ſufflauit Deus in faciem eius*, ſcilicet Adæ, *ſpiraculum vitæ.* Contra quos intonat breuiter Auguſtinus: *Flatus*, inquit, *ille dicitur qui hominẽ animauit. Factus eſt ab ipſo, non de ipſo, quia nec hominis flatus hominis pars eſt, nec homo eum facit de ſeipſo, ſed ex aereo halitu ſumpto & effuſo.* Item fuerunt quidam craſſis ignorantiæ tenebris obuoluti, qui venire animas ex traduce delirabant: quos confutare, quodammodo eſt eorum ineptias roborare. His tribus nænijs * quaſi rationi aduerſis orthodoxæ veritatis gladio amputatis: aſſerunt ſancti Patres nouiter creatis corporibus creatas nouiter animas cotidie infundi, iuxta id Euangelij: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Tu itaque à doctrinæ ſalutaris tramite deuius, in Philoſophorum ſcopulos ruis. Et dum dignitatem animæ iactitas, originem ei ſideream flore ieiuni eloquij nundinaris. Quod ſi in Petri opuſculis huius vecordiam reperiſſes, non eſt dubium quin eam inter illa, quæ peperiſti, Capitulorum monſtra locaſſes.

* *f.* nodis

HINC ad alios tui ingenij fructus articulus eſt vertendus. Quærit à te vir collo inflatus Romano, quid ſit diligendum, & quomodo. Cui ſic reſcribis, *Orationes à me, Aimerice, & non quæſtiones flagitare ſolebas.* & poſt pauca. *Quæris quid ſit diligendum. Cui breuiter reſpondeo. Deus.* Homo Romanus, groſſus camelus, Gallicano argumento gibboſus trans Alpes ſaltat, vt quid ſit diligendum inquirat: quaſi iuxta ſe non habeat, qui rei huius ſibi notionẽ infundat. Cui noſter Philoſophus mãdat non virtutẽ eſſe diligendam, vt Criſyppus: nec voluptatẽ, vt Ariſtipus: ſed Deum, vt Chriſtianus. Acutulũ ſane reſponſum, & docto homine dignum! Sed quænam abiecta muliercula; quiſnam hoc ignoret extremus idiota? Sic philoſophantur in textrinis aniculæ. Sic propoſitiones Dagani cum ioco mirari ſolemus. De cuius propoſitionibus aliquas exempli gratiâ interſeram. *Filius*, inquit, *ſum matris meæ. Placenta eſt panis. Caput meum eſt groſſius pugno meo. Cùm meridies eſt, dies eſt.* Quis eſt, cui audita tam ridicula veritate, labia riſu non quatiantur? Similiter & cùm Bernardus dixit, Deum eſſe diligendum, veriſſimum quidem dixit, & venerabile verum: ſed ad hoc dicendũ pro nihilo aperuit os ſuum. Nemo enim de hoc dubitat. Sperabat enim Romanus aliquid ſecreti audire, & Archimãdrita noſter tale quid intonat, quod quilibet ruſticus valeret reſpondere. Et tamen dũ Deum diligendum eſſe pronunciat latẽter, ferit Romanum, qui in curia Papæ non Deum didicerat amare, ſed aurum. Sequitur poſtea de modo diligendi: *Modus*, inquit, *eſt ſine modo diligere.* Aimericum, ſic enim dictus eſt, ad quem ſcribis, quaſi lacteo ſucco pauiſti, dum Deum diligendum apertè pronunciaſti. Nunc eum ſubito ad altiora ſubrigens* dicis, quod modus diligendi Deum ſit ſine modo diligere. Qui quæſiuerat quid eſſet diligendum, de quo nec pauperculus Chriſtianus quidem hæſitaret; quomodo poterit hanc ſubtilitatem intelligere, quòd modus diligẽdi Deum ſit ſine modo diligere? In quo impoſſibile quiddam ſpondere videris. Cum enim ſtabile fixumque ſit, Deum ea manificentia eſſe præditum, vt nequaquam noſtra in illum dilectio eius dignitati æquipollenter reſpondere ſufficiat: quomodo ſine modo diligemus, quem cum modo diligere non valemus? Quomodo, inquam, porrigetur dilectio vltra modum, cùm ſemper remaneat citra modum? Aut ſi ſic intel-

* f. ſuberigens

lexiſti ſine modo diligere, id eſt diligere quod non perueniatur ad congruum diligendi modum: ridiculam intelligentiã portendit ſomnium tuum. Dum itaque rhetoricari voluiſti, & obſcuritatem dediſti, & quiddam inopium atque impoſſibile confeciſti, dum Deum ſine modo diligendum docuiſti.

Quanto rectiùs hic qui nil molitur ineptè?

Ieſus Chriſtus ſcilicet, qui per Euangelium ſuum diligendi modum exprimens: *Diliges*, inquit *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Hic nullus eloquentiæ fucus, ſed mera tantùm veritas, ſimplici & abſoluto eſt expreſſa eloquio. Hîc Romanus aurem accõmodet. Hic ſuperbiæ ſtrumam deponat camelus, quia Ieſus hîc nil impoſſibile pronunciat. Ieſus, inquam, ſententiæ lucẽ tenebris eloquij non inuoluit, vt Bernardus, qui rei venerabilis maieſtatem exquiſito quodam obnubit verborum adulterio. Vir ſapiens, inquit Horatius,

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat ——————

Quod Bernardus malè attendit, qui quod Ieſus nudo patuloque ore, nube ſermonis ab intelligentiæ via ſecludit. Horũ & his ſimilium ludicrorum menſuram confertam & coagitatam, in libellorum tuorum, Bernarde, ſinum dediſti. Quod reprehendere facile poterit, quem oculatum eruditio reddidit. Quæ ſi vngue tenus perſequi vellem, longitudo certè dictaminis lectorem etiam repelleret diligentem.

Cvmitaq; tantas trabes loquaris, cur Abaelardi feſtucas in trabes commutare moliris? Non eſt negotium miſericordis culpam augere, ſed minuere. Vnde Pſalmiſta cùm dicturus eſſet; *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* commodè miſericordiam præpoſuit iudicio, quaſi diceret: Immẽſe Deus, ſcio quia miſericors es & iuſtus; ſed in altero mea ſaluatio, in altero mea damnatio: primoque miſericordiæ canticum libentius volo. Scriptum eſt in Iſaia, *Et conuertent gladios ſuos in vomeres.* Gladij enim in vomeres conuertendi ſunt, non vomeres in gladios: quia & mali ad tranquillitatis bonum trahendi ſunt leuitate correctionis: & boni ad diſcordiam commonendi non ſunt aſperitate inuectionis.

Hts & alijs delinitus exemplis, Petrum, ſi errore ſauciatus eſſet, iumento tuo deberes imponere, & ſic ad ſtabulum vni-

uerſalis fidei reuocare. Plures Catholici quædam culpanda dixerunt, nec tamen ob id hæreticorum collegio ſunt adſcripti. Duo dixit Hilarius erroris expugnator, propugator Eccleſiæ, in quibus eum non audit ſobrietas Eccleſiæ. Primum, quòd Chriſtũ nil in paſſione doloris ſenſiſſe aſſeruit. Contra quẽ ſententiam Claudianus Preſbiter Lugdunẽſis, vir Chriſtianiſſimus, & tam ſubtilis ad diſputandum, quàm artifex ad loquendum, ſic perſonat. Si Chriſtus nil in paſſione ſenſit doloris, non verè paſſus eſt: & ſi verè non paſſus eſt*. Secundum, quod nullum incorporeum dixit eſſe creatum. Nec igitur, inquit Claudianus, anima, cùm ſit incorporea, eſt creata. Quòd ſi creata non eſt, nec creatura Dei eſt. Sed non ob hoc, vt ait idem Claudianus, ſcientia Doctoris perdit meritum Confeſſoris, quia Eccleſia bono filio indulſit quod humana opinio minus cautè diſputauit. Proculdubio ſi hæc Petrus dixiſſet, eum eſſe lapidandum rigoris tui ſeueritas ſanxiſſet.

* *Hic deeſt aliquid*

Beatvs etiam Hieronymus in Libro contra Iouinianũ de nuptijs quædam differit. Et præcipuè illo loco, vbi ſententiam Apoſtoli inducit, quæ in hunc modum ſe habet: *Bonum eſt mulierem non tangere.* Cui Hieronymus ſubiungit: *Si bonum eſt mulierem non tangere, malum eſt ergo tangere. Nihil enim bono contradictorium eſt præter malum.* Argumentum hoc ſcit eſſe friuolum, quiſquis diſputãdi diſciplina ſe profitetur imbutum. Nam ſimiliter bonum eſt carnem non comedere, & vinum non bibere: nec ideò ſequitur quòd ſit malum carnẽ comedere, & vinum bibere. Quod quidam aſſerentes inter hæreticos recepti ſunt. Sed tamen pauliſper concedatur, vt malum ſit iuxta Hieronymum, mulierem tangere. Ex quo quanta ſequatur abſurditas, nexus ipſe rationis oſtendit. Nã ſi malum eſt mulierem tangere, malum eſt cum muliere coire. Neque enim poteſt fieri vt bonus ſit coitus ſi malus eſt tactus. Et ſi malum eſt cum muliere coire, malũ agit quiſquis cum mũliere coit. Peccant ergo coniugati legitimè vtendo coitu coniugali. Nam etiam coeundo mulierem tangunt. Igitur vt malè non agant mariti, feriabuntur ab vxoribus. Aut ſi neceſſe erit coire, ita coeant vt mulierem non tangant. Sed hoc impoſſibile eſt fieri. Sequitur ergo coniugalis boni naufragium, quod ad remedium mortalis luxuriæ ſuperna indu-

ſtria præparauit. Nam ſi coniugium coitum non excuſat, eant mariti, certatim agant pœnitentiam, eò quod cum vxoribus ſuis aliquando coierunt. Aliàs in eodem libro Hieronymus inhumaniùs de nuptijs diſputat ſuper illum Apoſtoli locũ. *Melius nubere, quàm vri.* Sed ſi bonũ eſt nubere, quare malo cõparatur? Nemo enim ratione malũ bono cõparat. Vri certè malũ eſt, & nubere mali huius reſpectu bonum eſt. Quòd autem reſpectu mali bonum ſit, ſimpliciter bonum non eſt. Ex his Hieronymi verbis diſtinctè colligimus nuptias non eſſe abſolutè bonas. Perit igitur nuptiale bonum. Nam nuptiale bonum ſecundum Hieronymum non eſt bonum, niſi quia vri eſt maius malum quàm ipſum. Multos fideles viros, inter quos & Pamachium Senatorem, ſcandalizauit hæc effera auſteráque diſputatio, doloremque ſuum ſcriptis ſuper hoc Epiſtolis eidem Hieronymo teſtati ſunt. Quod ſi Petrus tam crudeliter contra nuptias declamaſſet, profectò Bernardus in eius exitium coniugatorum cohortes armaſſet.

AVGVSTINVS erroribus ſuis inimicus eos Libro Retractationum purgandos committit. Lactantius, de quo ipſe Auguſtinus aſſeuerat, quòd multo auro ſuffarcinatus exierit de Ægypto, cùm ore fulmineo contra Gentes Chriſtum deffendat, quædam abſona de dogmatibus Eccleſię poſtea ſomniat. Longum eſt recenſere veterum ſyngrapha Tractatorũ, quæ non ſunt ſic ad purũ excocta, vt non inueniantur in eis multa quæ virgâ correctionis eſſẽt digniſſima. Verax nãq; eſt Iacobi Apoſtoli ſentẽtia: *In multis*, inquit, *offendimus omnes. Si quis autẽ in verbo nõ offenderit, hic perfectus eſt vir.* Itaq; ſi Petrus in verbo offenderat, iudicãdus à te, miſericordiæ potiùs blãdum deberet ſentire tactum, quàm iracundiæ incentiuum. Aequũ erat te reminiſci quod Abacuc Propheta Deo decãtat, dicẽs: *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Vide quid diſtet inter iram Dei, & iram hominis. Cùm homo iraſcitur, clementiæ ab eius pectore mentio exulat. Cùm autẽ Deus iraſcitur, per ingenitæ bonitatis affluentiam miſericordiæ recordatur, Recordatur nõ ſine obliuione, qui iraſcitur ſine cõmotione. Magnus Dominus noſter, qui ſic tentat ſumma, vt curam inferiorum non negligat. Huius imaginem æmulari, huius te oportebat veſtigia totis conatibus amplexari, vt calculo quem forcipe tulerat Angelus de altari, purgares viciũ

labiorum Petri. Nec ignorare ius erat te hominẽ esse, quem & culpæ lubricum trahere ad pœnam, & medicus gratiâ reparare posset ad veniam.

His ita decursis, silentium imperat prolixitas orationis. Et quoniam vox lassata refrigerij portum iam expetit, ob recreandum Lectoris fastidium debitus primo volumini terminus affigetur, vt ad ea quæ promisimus enodanda secundi luctamen laboris officiosiùs accingatur.

* Secundus hic non extat nec à Berengario scriptus est, vt ex Epist. seq patet

EPISTOLA XVIII.

QVÆ EST EIVSDEM BERENGARII,

Ad Episcopum Mimatensem.

PATRI ET DOMINI SVO G. MIMATENSI Episcopo pleno dierum, Berengarius renouari vt aquilæ iuuentutem suam.

IN loco barbaro corpus meum à latronibus est liberrimum, sed spiritus meus apud vos in loco sancto periclitatur. Quapropter in totius orbis conspectu vobis baculum meæ porrigo defensionis, vt sanctorum dentes mordere non audeant, quem vesci spiraculo vitæ permittit truculentia gladiorum. Sis igitur Vlixes meæ causæ, vt Circe quamuis filia Solis, ius meum magico murmure non audeat immutare, vt sidus meæ conscientiæ non possit inuidia denigrare. Minus certè dolerem si fauces lupi biberent meum sanguinem, quàm si ouium dentibus in frusta minuerer. Corrige igitur Pastor bone, tuas oues, ne contra me balent, quia non sum lupus insidians, sed canis protegens ouem. Fretus tandem vestro fauore sermoni vela leuabo, & inter oblatrantium linguarum Scyllas firmæ rationis remigio nauigabo. Imponit plurima dira meæ personæ religiosa manus, & sacro criminum diademate caput innocentis honorat. Aiunt; quòd lingua mea inquietum malum est, & mentis inuidia, quæ aduersus Abbatem Claræuallis Librum euomuit. Quippe tantæ sanctitatis virum esse confirmant, vt

iam

Digitized by Google

iam cœlo propinquus hominum euaſerit opiniones. Qui hoc dicunt, etſi religioſo vellere albeſant, tamen dum ſine ſerpente cupiunt eſſe columbæ, fatuitate linguam inficiunt. Nonne Abbas homo eſt? nónne nobiſcum nauigat per hoc mare magnum & ſpacioſum manibus, inter reptilia quorum non eſt numerus? Cuius nauis etſi proſperiori feratur nauigio, tamen ſeueritas maris in dubio eſt. Nam nec Auſter adhuc ei fidem dedit, ne ratem eius concutiat. Nec Boream calcauit ipſe ſub pedibus. Nec Euri Nothíque minas euaſit. Nec ab Æolo Rege ventorum extorſit inducias. Quod vinũ poteſt habitare in pice, & ſaporem eius non mutare? Vnde & Apoſtolus Paulus vinum ſuum à conſorcio picis remoueri optabat, & in vas gloriæ tranſuerſari, cùm diceret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ac ſi apertiùs loqueretur: Vinum Dei ſum, & in pice ſum; ſed niſi picis ſodalitium derelinquã, timeo ne picem ſapiam conditori. Poteſt igitur Abbas & vt ignis de alto ſubuehi, & vt terra deorsũ cadere. Nõdũ ſol eſt, nondũ fixus eſt in firmamẽto: ſatis eſt ſi luna eſt. Neque æſtimet me quiſpiam ad iniuriam eius ſtylum per ceram trahere, qui meo iudicio noſtrorum temporum eſt Martinus. Simpliciter & ſine vulpe candido pectori veſtro loquor. Ego ita ſentio de Abbate quòd ſit lucerna ardens & lucens: ſed tamen in teſta eſt. Quod dedecus infigitur auro cùm laudatur, ſi eius ſcoria improbetur? Laudatis Abbatẽ, magis ego laudo. Cur igitur inquietiùs contra eum ſcribis, de quo tam benè ſentis? Porrigite patulas aures, vt ebibant rationem.

DAMNAVERAT Abaelardum præceptorem meum, virum fidei buccinam, legis armarium, in morum via pede regio gradientem. Damnauerat, inquam, Abaelardum, & vocẽ eius ſine audientia ſtrangulauerat. Eram ea tempeſtate adoleſcẽs, nondumque impuberes malas nubes lanuginis adumbrabat, eratque mihi velut Scholaſtico animus inficta crebro materia declinare. Porro veri certaminis arridente vena, pectus appuli vt purgarem Abaelardum, Abbatiſque confutarem audaciam. Sed non, inquiunt, à te Theologum talem argui oportebat. Tu enim beſtia es, & montem tangere non debes. Parciùs iſta, fratres. Memẽtote vos hoc obijcere viro. In quo audet Abbas? Audet in litteris, audeo & ego. Audet

in Theologicis,audeo & ego. Audet in fide, audeo & ego. Audet in ſanctitate, hîc non audeo ego. Quid ergo peccaui, ſi fidelis fidelẽ,minor maiorẽ, ſecularis religioſum redargui? Momordi,fateor, non contemplatiuum, ſed Philoſophum: non Confeſſorem,ſed ſciptorẽ: non mentem,ſed linguã:non præcordia, ſed ſtylum: non meditationes viri, ſed ſomnum. Legant eruditi viri Apologeticum quem edidi, & ſi dominũ Abbatem iuſtè non argui,licenter me redarguant. Quærite per totam ſeriem Scripturarum ab ortu ſolis vſque ad occaſum: & videbitis in campo Philoſophiæ ſemper licuiſſe, vt alter alterum iuſtis occaſionibus reprehendat. Colotes loquacitate notabilis rodit Platonem principem Philoſophiæ, cùm diuina verſans fabellas immiſcuerit. Et certè Colotes ad Platonem mus eſt ad elephantem. Lucilius Ennium,Horatius Lucilium lacerat. Omittam fumos gentilium,& membranulam hanc luminibus Eccleſiæ venuſtabo. Auguſtinus & Hieronymus,Preſbyter & Epiſcopus, alterno roſtro ſe carpunt. Fulgentius Regem quendam Africæ notat hereticum, non veritus regiam poteſtatem dum diligit veritatem. Iulianus Auguſtinum lædit audaciter: Ab infectione,inquit,hæreſis nulla te purgabit herba fullonis. Solus Ambroſius ab omni ſuſpicionis infamia liber eſt, quem egregio præconio coronauit Pelagius quamuis hereticus, ita dicens: Ambroſius Latinorum Scriptorum velut quidam flos enituit. Cuius puriſſimum in ſcripturis ſenſum nec etiam inimicus audet reprehendere. Si igitur Abbas aliqua ſilenda deſcripſit,quid peccauit in ore meo veritas ſi extirpanda notauit? Nec enim ante faciem gladij debet tremere iuſtitia,nec ante potentem veritas adulationis chlamidem induere. Vnde Seneca Cæſarem alloquens. *Cæſar*, inquit, *qui contra te audent loqui, magnitudinem tuam ignorant: qui non audent,neſciunt te hominẽ eſſe.* Socrates quoque, quem Apollinis oraculum ſapientiſſimum eſſe cecinit, capitalis erat auctoritatis: & tamen Ariſtoteles egregiè auſus eſt dicere: Amicus eſt Socrates,ſed magis amica eſt veritas. Sed cur,inquiunt,expleto primo volumine, ſecundum vt ſpoponderas non texis? Quia proceſſu temporis meum ſapere creuit:& in ſententiam Abbatis pedibus, vt dicitur,iui. Nolui eſſe patronus Capitulorum obiectorum Abaelardo,quia etſi ſanum ſaperent, non ſanè ſonabant. Poſt-

quam igitur,inquiunt,à ſecundo libro manus torpuit, quare primum non raſiſti? Feciſſem hoc, inquam,niſi caſſa eſſet induſtria. Remanerent enim viua exemplaria, quæ iam per totam Franciam & Italiam concurrerunt.Si igitur,inquiunt, Apologiam illam iugulare nõ potes, damna vel viuam. Characterem rei frõti eius infige,vt omnis qui legerit ſciat te ætate non malitia peccaſſe. Damnabo, inquam,tali conditione, vt ſi quid in perſonam hominis Dei dixi, ioco legatur, non ſerio.

NON refutamus,inquiunt,ratiocinia tua, ſatis cautè aſellum exoneras.SedCarthuſianos eremitas,genus electum,populum acquiſitionis,quare inquietaſti?quare inuectione perunxiſti? cur à cellulis ſuis abſtraxiſti ? Hîc placidè purgationẽ meam audite. Improperat Propheta eis , qui congregant merces,& commendant eas ſacculo pertuſo. Congregabãt ſancti Anachoritæ Carthuſiani merces iuſtitiæ, ſed ſacculũ pertuſum habebant. Curaui obſtruere foramen ſacculi, ne farina religionis patentibus rimis exiret. Volui reſecare in eis immoderatam licentiam linguæ, qua velut quidam Geometræ totum orbem menſurabant. Cur hîc mea pietas crudelitatis arguitur ? Cur ſedulus ſartor diſſipator appellatur? Hîc, inquiunt, firmæ rationis columnæ inniteris. Sed Maſſiliẽſem illum Monachum cur vulneraſti vſque ad animam? Quia vulnerabat anulum Sponſæ Chriſti,& puritati antiquę fidei naufragium minabatur. Introducebat enim præter Deum alium Creatorem, ſicut Epiſtola eius ad me ſcripta declarat. Sed quocumque inquiunt, te perſequimur, arma defenſionis opponis. Reſponde per membra veſtra,quoniam linguæ tuæ toxicum effudiſti. Quando, inquam, factum eſt verbum iſtud ? Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia humilitas tetigit me. Vbi læſi vos, vbi maieſtatem veſtram ſauciaui?

TVNC,inquiunt,non percuſſiſti,quando dixiſti: *Apud Religioſos patella Pſalmus eſt, & pinguis refectio alleluya.* Fratres indulgete, nihil læſi vos. In incerto loquutus ſum. Indeterminatè garriui.Nullum ſpecialiter flagellaui. Vt Apollo caſſum Oraculum emiſi,quaſi aerem verberans. Sed,vt vid eo,quicquid dicam, aut erit,aut non. Cur alienam vobis ſarçinam impoſuiſtis?Cur iaculo non ad vos deſtinato munditiam ve-

Hoc inuenitur in prologo cuiuſdã Tractatus,quem fecit de incarnatione Chriſti, ad Benedictum Canonicum,

ſtram exulceraſtis? Dixi, *Apud religioſos patella Pſalmus eſt, & pinguis refectio alleluia.* Quid ad vos? Et Magalonenſes Religioſi ſunt: & Canonici beati Rufi Religioſi. Apollo cœlum* contorſit in aera, & ne cadat in caſſum ſpontaneos vulneri vos offertis. Quis vnquam vidit os aperire, vt ſagittam reciperet? Ego quidem, fratres, aliàs arcum intenderam, ſed vos ferrum volatile retinuiſtis. Renui, ferre volebam: ſed vos caritate commoti, vulnera eius in veſtram trahitis ſanitatem. Credite mihi, non adeo fui plenus agaue, id eſt furore, vt in vos emitterem filiam pharetrę meæ. Ergo ignoſcite innocenti. Et aliud inquiunt. Cur Cyclopas conduximus, vt fulmina fabricent in caput tuum? Quid quæſo? Tunc, inquiunt, dixiſti: *Epiſcopus veſter non Mimatenſium, ſed mimorum eſt Epiſcopus.* Libet exclamare cum Hieremia Propheta. *Va tibi mater mea! quare genuiſti me virum rixæ & doloris in vniuerſa terra?* vbi & quando, quæſo, talia eructaui? Tunc forſitan quando extra mundum nundinas celebraui, tales blaſphemias veſtro Epiſcopo imprimebam. Nam verè fateor, in nullo de eo talia delatraui. Aliud eſt, inquiunt, cur te noſtro inebriemus aceto. Quid eſt? De nobis, inquiunt, dixiſti: *Donatus veſter vulgus eſt.* Terretis me, fratres, nouitatibus veſtris; & contra portenta quæ fingitis frontem cruce ſignabo. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quid eſt quod dicitis?

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum ——————

Vera eſt vtique Prophetia illa, *Fictio veritatem in exilium mittet.* Hoc, fratres, fingere potuiſtis? Sed vt maiori auctoritate in aures publicas prodeant, me talium facitis inuentorem. Iurem me non dixiſſe? Sed quaſi mons pariat murem, ridebitis. Recognoſcam? Sed virtutem crucis ſtatim ſentiam experimento. Quid igitur faciam? Veniam rogo innocens: & ſi magis placet, veniam poſtulo reus. Ad cumulum autem ſatisfactionis, ſextarium mei ſanguinis offero vobis. Parcite igitur, fratres, parcite: & criminatione noſtræ perſonulæ ora veſtra nolite fœdare. Lingua enim veſtris laudibus militat, & Eccleſiæ veſtræ pius ſum prædicator vbique. Hanc humilitatem abſens vobis præſenti pagina mitto, quam præſens vna* voce, & ſi vita comes fuerit, præſens exhibebo.

* *f.* iaculum

* *f.* viua

EPISTOLA XIX.

QVÆ EST EIVSDEM BERENGARII,

Contra Carthuſienſes.

FRATRIBVS CARTHVSIAE PROFESSIONEM iuratis B. cum Lazaro quondam paupere æternam habere requiem.

IOQVAR ad Dominos meos, cùm ſim puluis & cinis. Sed vt iumentum factus ſum apud vos : & tamẽ homines & iumenta ſaluabis Domine. Multiplicauit Deus miſericordiam ſuam, qui congregauit vos à quatuor ventis cæli, vt recumbatis cum Abraham in regno Patris ſui. Fidelis ille in tota domo Ægypti de veſtra vos extraxit Ægypto in manu potenti & brachio excelſo, vt euomentes ollas carnium clamare poſſitis in deſerto, *Manhu?* quid eſt hoc? Vox hæc, vox deſerti. Hæc vox pluuiam admiratur cœleſtis edulij, quam proferre non ſuſtinet guttur Ægypti. Igitur ne redoleretis allia Pharaonis, acceſſiſtis ad hyſopum crucis, & pro Ægyptio gemitu cœleſtis aliti deſiderio clamatis, Quid eſt hoc? A regione deſerti venit manna ad viatores deſerti, & iure dicitis, Quid eſt hoc? quid, inquam, eſt quod famem repellit, quod deſiderium ſatiat, & ſatiando accendit? Rapuit manus illa inexhauſtæ clementiæ lutum de luto, & in diademate Salomonis, quo coronauit eum mater, fecit vos aureos de luto. Sed neſcio quo pacto nunc aurum redijt in lutum, & in ferri vilitatem aurei ſeculi moneta degenerat. Leuaſtis corpora veſtra in montes, ſed mentes in vallibus remanſerunt. Vnde ergo veniet auxilium vobis? Sperabàmus quòd in cacuminibus mõtium pẽnas cuderetis, quæ vos veherent ad dexteram Patris. Seduxit nos opinio lubrica, & quod valde gemimus, alarum nudato remigio in plumis corporis grauitas vos peſſundat. Putabamus quòd Deus eſſet montium tantum Deus: Sed & valles abundabunt frumẽto. Suſcipere debuiſtis pacem populo montes, & linguæ ſpiculavibraſtis non in populum, ſed in Deum. *Cultus iuſtitiæ*, teſte Propheta, *eſt ſilẽtium*. Quàm graue trutinata in ſtatera Spiritus ſancti ſententia litium*. Nam ſtultitia & luxuria exci- *f. ſilentiũ.

Digitized by Google

dit aut deficit. Vltra prosilit, aut citra iacet, nisi freno silentij gubernetur. Huius freni rupistis iũcturas, clauos fregistis, & languente auriga veluti infrænes equi ante sentitis præcipitia quàm brauium acquiratis. Ille quidem dixit, *Cultus iustitiæ silentium.* Vos verò aliter interpretantes dicitis: *Cultus iustitiæ multiloquium.* Quæ enim fora, quæ prætoria tanto ardent litigio causarum, vt montanæ Carthusiæ claustrum? Ibi non accusator obijcit, non aduocatus obiecta detergit, & nõ de vestra sententia fasque nefasq; vniformiter damnat, nec absoluit. Super nubes volatis aquilæ, & penna tandem remissiore ad vestrum cadauer carpendum rostra deponitis. Abstinetis à carnalibus pecudum, & sine sale carnes hominũ deuoratis. Aitis enim: *Hæc mulier prægnans est, non à semine sui mariti. Illa colit multos amasios. Canonici illi ter in die carnibus ventres confundunt. Ille ructu pigmenti aera fœdat. Ille scutellam haurit vsque ad vomitum.* Vacatis otio, & ideò talia ructatis. Verè *cultus iustitiæ silentium.* Quod nõdum venit in linguam, apud vos iam constat esse patratum. Dubietas nostra penes vos est iurata veritas. *Cultus iustitiæ silentium.* Oh clementes medicos, qui non ægros curationibus curare, sed eorum vulnera susci pere student, vt cum eis pariter ægrotent! Quid prodest, fratres, exire in heremum, & in heremo habere cor Ægyptium? Quid prodest Ægypti ranas vitare, & obscœnis detractationibus concrepare? En qui sub Pharaone languistis, sub manu Moysi expiraſtis. Argumento vobis est fumus linguæ vestræ, qui cùm fontẽ bibatis in secretario Cellæ vestræ, detractio in Cellis concipitur, in claustris vomitur. Non est Carthusia cælũ, non est Carthusia Paradisus. Adhuc est Carthusia inter flumina Babylonis. In cœlo apostata, in Paradiso præuaricator. Quid facit in Carthusia detractor? Post scoriæ puritatem, post compunctionis lacrimas itur in forum claustri, & linguæ ostium non reseratur, sed frangitur. Quisquis verò per illud ostium non introierit, non palpatur, sed creditur: non curatur, sed iudicatur: non reficitur, sed mactatur: & vt breuiter dicam, sine crimine nullus apud vos.

* *Videtur hic alterius esse Auctoris Dialogus, & fortè, Abaelardi. Nec ad Epistolã Berengarij quicquam attinet.*

Dixit A. P.* dixit P. A. dixit eidem idem. Cùm sit, Petre, Christus Deus, à quo Christiani dicũtur, sola est gens nostra, vt æstimo, quæ diuini nominis appellatione sit insignata. P. ipsi gloria, qui tanti nominis gloriã tã infirmæ concessit crea-

turæ, vt ipſo quoque vocabulo ei capiti, cuius membra ſumus, coniuncti, ex ipſa nominis interpretatione id quod dicimur ſeruare moneamur. Chriſtus quippè Græcè à Chriſmate, id eſt vnctione dictus, Latinè vnctus interpretatur, quod Hæbraicè Meſſias ſonat. Inungi autem tam Reges, quã Sacerdotes ſolebant. Ideoque nomine vnctionis tam Rex ipſe, quàm ſacerdos oſtenditur. Rex quidem per poteſtatem qua ſuos eruere à periculis, ac protegere poteſt. Sacerdos per proprij corporis immolationem, qua quos eruit à diabolo, reconciliat Deo. A Chriſto itaque Chriſtiani quaſi à Meſſia Meſſianitę dicimur; id eſt à Rege illo ſummo ſiue Sacerdote, quaſi reges, ſiue ſacerdotes. Quod beatus exprimens Petrus, regale nos ſacerdotiũ appellat, quales eſſe debeamus cõmemorãs: noſtræ videlicet carnalitatis impetus regendo; & mactatis carnalibus cõcupiſcẽtijs nos ipſos Deo quaſi ſacrificiũ offerẽdo. Gratia igitur Chriſti in nobis dilatata, iuxta illud Apoſtoli: *Quia Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctũ qui datus eſt nobis.* Nomen quoq; dilatari cõueniebat, ſicut etiam in Cantico Canticorũ dicitur: *Vnguentũ effuſum nomen tum.* Ac ſi dicere: Nomen tuum, ô Chriſte, quod vnguẽtum, id eſt vnctionem ſonat, eſt effuſum, id eſt dilatatum, atque in multos diriuatum, qui indè ſcilicet Chriſtiani dicti ſunt. A B. Sed & iuxta Apoſtolum, cùm ſit Chriſtus ipſa ſapientia, quam ſophiam Græci nominant: nullos rectiùs dici Philoſophos autumo, quàm qui huius ſummæ ac perfectæ ſapientiæ amatores exiſtunt. P. Hoc equidem & ipſa Phyſici nominis ethymologia requirit, & maximè tam doctrina fidei quàm morum diſciplina ſeu vita, ipſos nobis Philoſophos gentium certum eſt conuenire. Adeo namque de fide Trinitatis apertè diſſeruerunt, vt mirabile ſit eos quoque in pleriſque diligentiùs quàm Prophetas ipſos totam huius fidei ſummam expoſuiſſe. Quorum etiam ſequaces in tantam auſi ſunt inſaniam prorumpere, vt Dominum quoque Ieſum dicerent ea, quæ de fide Trinitatis prædicauit, à Philoſophis didiciſſe. Vnde & beatus Auguſtinus in libro VIII. de Ciuitate Dei: *Mirantur*, inquit, *quidam nobis in Chriſti gratia ſociata* cùm audiunt vel legunt Platonem: cùm de Deo iſta ſenſerit, quæ multum congruere veritati noſtræ Religionis agnoſcuntur.* Idem in II. de doctrina Chriſtiana, *Quidam lectores, & dilectores Pla-*

* f. ſociatũ

tonis ausi sunt in tantam prorumpere dementiã, quòd dicerent omnes Domini nostri Iesu Christi sententias, quas mirari & promere coguntur, de Platonis Libris eum didicisse. Quòd si vitam quoque Philosophorum, ac morum disciplinam pensemus, nullos aut paucos fidelium & Christianorum de contemptu seculi aut morum disciplina eis anteferendos esse censebimus. Qui per Sophum siue Philosophorum magis ex vita quàm ex conscientia dicendum esse asserunt. De fide autem Philosophorum atque vita, seu etiam disciplina morum, in exhortatione nostra ad fratres & commonachos nostros satis arbitror à nobis esse expositum. Quam quidem exhortationem quisquis legerit, videbit Philosophos non tam nomine quàm reipsa Christianis maximè sociatos. Neque enim gratia tot Philosophicis rationibus armata Euangelicæ prædicationis iugo colla tam citò submisisset, nisi antea scriptis Philosophorum, sicut Iudæa Prophetarum, ad hoc esset præparata. A B. Verbum quoque Dei, quod Græci λόγον vocant, solum Christum dicimus. Vnde Augustinus in Libro quæstionum LXXXIII. Cap. XLIIII. *In principio erat Verbum*, inquit, *quod Græcè λόγος dicitur.* Hinc & iuxta nominis ethymologiam, quicumque huic vero ac perfecto Verbo per doctrinam & amorem cohærent, verè Logici sunt, & Philosophi dicendi sunt: nullâque disciplina veriùs Logica dici debet, quàm Christiana doctrina.

PETRVS. Et si hoc quidẽ modo sermonis vsus non habeat, vt videlicet aut Christianos nunc specialiter nominemus Philosophos, aut eorum de Christo scientiam, aut à Christo traditam doctrinam appellemus Logicam, profitemur tamen ijs quę dicis nominum ethymologias maximè consentire. A B. Imò etiam res ipsas plurimum attestari. Quò enim apud Gentiles Philosophicæ potiores sunt disciplinæ, tanrò vel multo amplius vniuersis sacris eruditionibus Euangelica, quam Christus tradidit, perfectior est disciplina. Qui etiam suis quantam sermonis abundantiam daret, demonstratus in igneis linguis aduentus Spiritus sancti manifestat, qui eos omnium linguarum varietates, omnium sermonum genera perfectissimè docuit. Vnde scriptum est: *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Ac si apertè diceretur: Non sunt lectionum varietates, aut eloquentiæ ornamẽ-

ta

ta vel genera, quæ ſuis ipſe non dederit, quibus etiam promiſerat, dicens: Quòd cùm veniret Spiritus ille veritatis, doceret illos omnem veritatem: vt tam verbis eos quàm ſcientiâ perfectos efficeret: vt quæ perfectè cognoſcerent differere ad integrum poſſent. Quantò autem de Deo perfectiorem ſunt adepti ſcientiam quàm antiqui Patres, ij qui ab ipſo vnigenito Dei ſunt edocti, Gregorius in extrema parte Ezechielis, Homilia 111. ediſſerens, ait: *Per temporum incrementa venit in Patribus ſcientia Dei. Vnde Daniel, Pertranſibunt plurimi & multiplex erit ſcientia.* P. Et hoc quoque libenter accipimus quod & veritas habet, & noſtræ fidei profeſſionem commendat. Quippe quomodo per prædicationem paucorum & ſimplicium hominum tot in vniuerſis mundi partibus Chriſtus acquiſiſſet, niſi eos interiùs mira ſapientia repleret, atque exterioribus rationibus verborum atque eloquentiæ gratia inſigniret? Sicut enim in ipſa Rhetorica fictè Tullius meminit, Nemo niſi ſapientia & eloquentia præditus homines à jocũda ſua conſuetudine, quæ præſertim iam naturæ vim obtineret, propter vetuſtatem conuertere, & ad diuerſas rationes vitæ traducere poſſet. Quanto autem difficiliora videntur ac perfectiora Chriſti præcepta, maior prædicatoribus eius diſcretio & eloquentia conferenda erat. A B. Certè nil verius ac magis rationi conſentaneum quàm vt optimis tam ſcientiæ quàm eloquentiæ munirentur armis, quorum prædicatio ad vniuerſum acquirendum mundum à Domino deſtinabatur, vt cum fiducia verbum omnibus prędicarent, quos & ipſe cùm mittit, confortat, dicens: *Cùm ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.*

EPISTOLA XX.

QVÆ EST PETRI ABAELARDI APOLOGIA, SEV CONFESSIO.

VNIVERSIS ECCLESIAE SANCTAE FILIIS Petrus Abaelardus ex eis vnus, ſed in eis minimus.

NOTVM prouerbiũ eſt, Nil tam bene dictũ, quod nõ poſſit deprauari: &, vt beatus meminit Hieronymus, *Qui multos ſcribit libros, multos ſumit iudices.* Ego quoq;, cùm pauca ſcripſerim, parua, vel, ad cõparationem aliorum, nulla, reprehenſionis notam effugere non potui: cùm tamen in his, de quibus grauiter accuſor, nullam (ſciat Deus) meam cognoſcam culpam, nec, ſi qua fuerit, procaciter defendam. Scripſi fortè † aliqua per errorem, quæ nõ oportuit: ſed Deum teſtem & iudicem in animam meam inuoco, quia in his, de quibus accuſor, nil per malitiam, aut per ſuperbiam præſumpſi. Multa in ſcholis multis loquutus ſum, nec vnquam aquas furtiuas, vel panem abſconditum habuit mea doctrina. Palàm loquutus ſum ad ædificationem fidei ſiue morum, quod mihi ſalubre viſum fuit: & quæcunque ſcripſi, libenter omnibus expoſui, vt eos iudices, non diſcipulos haberem. Quod ſi vſpiam per multiloquium exceſſi, vt ſcriptum eſt, *In multiloquio non effugies peccatum*: nunquam importuna defenſio me effecit hæreticum, paratus ſemper ad ſatisfactionem de malè dictis meis corrigendis, ſiue delendis: in quo certè propoſito vſque in finem perſeuerabo. Sed ſicut meum eſt malè dicta mea, ſi qua ſint, velle corrigere: ſic crimina mihi non rectè iniecta me propulſare conuenit. Cùm enim dicat beatus Auguſtinus, *Crudelis eſt qui famam ſuam negligit*, ac, iuxta Tullium, *Taciturnitas imitatur confeſſionẽ*; quæ ſcripta ſunt * contra me capitulis æquum duxi reſpondere, videlicet ratione ſeruata, qua contra derogantium linguas beatus Gregorius fideles his inſtruit verbis. Sciendum eſt quia linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant; ita per ſuam malitiam excitatas de-

† al. fortaſſis

Prouerb. cap. 10.

Auga. ſerm. 52 ad fratres in heremo.

* al conſcriptis

Greg. hom. 9. lib. 1. ſuper Ezechiel.

bemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum creſcat; aliquando autem etiam compeſcere, ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Agnoſcat ergo fraterna charitas me qualemcunque filium Eccleſiæ, cum ipſa integrè cuncta, quæ recipit, recipere; cuncta, quæ reſpuit, reſpuere: nec me vnquam vnionem fidei ſcidiſſe, quamuis impar cæteris morum qualitate.

QVÒD igitur mihi vel per malitiam impoſitum eſt, quòd ſcripſerim, Quia Pater plena potentia, Filius quædam potẽtia, Spiritus ſanctus nulla potentia; hæc ego verba non tam hæretica quàm Diabolica, ſicut iuſtiſſimum eſt, abhorreo, deteſtor, & ea cum ſuo authore pariter damno. Quæ ſiquis in meis reperiat ſcriptis, non ſolùm me hæreticum, verumetiam hæreſiarcham profiteor.

Tam Filium quàm Spiritum ſanctum ex Patre profiteor eſſe, vt eiuſdem ſint cum Patre ſubſtantiæ, eiuſdem penitus voluntatis atque potentiæ: quæ quorum omnino eadẽ ſubſtantia vel eſſentia, nulla poteſt eſſe vel voluntatis diuerſitas, vel potentiæ inæqualitas. Quiſquis etiam me ſcripſiſſe aſſerit, quòd de ſubſtantia Patris Spiritus ſanctus etiam non ſit, malitiæ id vel ignorantiæ maximæ fuit.

SOLVM Filium Dei incarnatum profiteor, vt nos à ſeruitute peccati & à iugo Diaboli liberaret, & ſupernæ aditum vitæ, morte ſua, nobis reſeraret.

IESVM Chriſtum ſicut verum & vnicum Dei Filium ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitum, ita tertiam in Trinitate perſonam, Spiritum quoque ſanctum tam ab ipſo Filio, quàm à Patre procedentem & credens aſſero, & aſſerens credo.

GRATIAM Dei ita omnibus neceſſariam, vt nec naturæ facultas, nec arbitrij libertas ſine illa ſufficere poſſit ad ſalutem. Ipſa quippè gratia nos præuenit vt velimus, ipſa ſubſequitur vt poſſimus, ipſa nos conſociat, vt perſeueremus.

DEVM ea ſolummodo poſſe facere credo, quæ ipſum facere conuenit: & quòd multa facere poteſt, quæ nunquam faciet.

MALA* per ignorantiam facta culpæ ſunt aſcribenda: maximè cum per negligentiam noſtram contingat nos ignora- * *al.* Multa quoque

re, quæ nobis neceſſarium erat prænoſſe. Qualis ille fuit,
Pſal. 35. de quo Pſalmiſta dicit, *Noluit intelligere vt benè ageret.*

MALA Deum impedire frequenter, fateor: quia non ſolùm effectum malignantium præuenit, ne, quod volunt, poſſint: verumetiam voluntates eorum mutat, vt à malo, quod cogitauerant, penitus diuertant. Ex Adam, in quo omnes peccauimus, tam culpam quàm pœnam nos contraxiſſe aſſero: quia illius peccatum noſtrorum quoque peccatorum omnium origo extitit atque cauſa.

CRVCIFIXORES Chriſti in ipſa crucifixione grauiſſimum peccatum fateor commiſiſſe.

MVLTA de Chriſto dicuntur, quę non tam ſecundum caput, quàm ſecundum corpus ipſius, quod eſt Eccleſia, ſunt ac-
1. Ioan. c. 4. cipienda: vt ille Spiritus timoris, quod eſt initium ſapientiæ, quem videlicet timorem perfecta charitas foras mittit. Huius ergo timoris ſpiritum in anima Chriſti, qui perfectiſſimã habuit charitatem, nunquam fuiſſe credendum eſt, qui tamẽ in inferioribus membris non deeſt. Tantæ quippe perfectionis, & tantæ ſecuritatis anima illa extitit per ipſam Verbi vnionem, vt ſciret nil omnino ſe committere poſſe, vndè pœ-
* al. verò nas incurreret, vel Deum offenderet. Caſtum quippe * timo-
Pſal. 18. rem in ſæculum ſæculi permanentem, qui propriè reuerentia charitatis dicitur, tam ipſi animæ Chriſti quàm electis Angelis & hominibus ineſſe ſemper recognoſco. Vndè & de ipſis ſupernis ſpiritibus ſcriptum eſt, *Adorant dominationes, tremunt poteſtates.*

POTESTATEM ligandi atque ſoluendi ſucceſſoribus Apoſtolorũ omnib⁹, vt ipſis æquè Apoſtolis conceſſam eſſe profiteor, & tam indignis quàm dignis Epiſcopis, quandiu eos Eccleſia ſuſceperit.

OMNES in dilectione Dei & proximi æquales, æqualiter bonos eſſe confiteor & meritis pares: nec quicquam meriti apud Deum deperire, ſi bonæ voluntatis affectus à ſuo præpediatur effectu. Non enim Angelus, cum à Deo miſſus id quod facere vult impleuerit, aut anima Chriſti ſuæ voluntati effectum addiderit, melior indè reputari debuit: ſed æquè quilibet bonus permanet, ſiue tempus operandi habeat, ſiue non, dummodo æqualem bene operandi voluntatem teneat, nec in eo, quod non operatur, remaneat.

DEVM Patrem æquè ſapientem,& Filium æquè benignũ vt Spiritum ſanctum profiteor: quia in nulla boni plenitudine, in nulla dignitatis gloria, vna perſonarum differre poteſt ab alia.

ADVENTVM Filij in fine ſæculi poſſe attribui Patri, nunquam (ſciat Deus) in mentem meam venit, nec ſe verbis meis inſeruit.

SIC & animam Chriſti non per ſe ad inferos deſcendiſſe, ſed per potentiam, omnino à meis verbis & ſenſu remotum eſt.

NOVISSIMVM quoque Capitulum, quod ſcripſiſſe criminor, quod neq; opus, neque voluntas, neque concupiſcentia, neque delectatio, quæ mouet eam*, peccatum ſit, neque debemus ea velle extingui, nec minùs à meis tam dictis, quàm ſcriptis alienum eſt.

* al. quæ mouean.

QVOD autem Capitula contra me ſcripta tali fine amicus noſter concluſerit, vt diceret, *Hæc autem capitula partim in libro Theologiæ magiſtri Petri, partim in libro Sententiarum eiuſdem, partim in libro, cuius titulus eſt, Scito te ipſum, reperta ſunt,* non ſine admiratione maxima ſuſcepi: cum nunquam liber aliquis, qui Sententiarum dicatur, à me ſcriptus reperiatur. Sed ſicut cætera contra me Capitula, ita & hoc quoque per malitiam vel ignorantiam prolatum eſt.

SI qua igitur conſolatio in Chriſto Ieſu, ſiqua ſunt viſcera pietatis, fraternam pietatem veſtram exoro, ne innocentiam meam, quam à culpa veritas liberat, nemo * reſpergendo delinquat. Charitatis quippe eſt, opprobrium non accipere aduerſus proximum, &, que dubia ſunt, in meliorem partem interpretari, & illam ſemper Dominicæ pietatis ſententiam attendere, *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.*

* al. veneno

Pſal. 14.

Matth. c. 7.

EPISTOLA XXI.

QVÆ EST EIVSDEM PETRI ABAELARDI,

Ad G. Parisiensem Episcopum.

G. DEI GRATIA PARISIACAE SEDIS EPISCOPO, vnàque venerabili eiusdem Ecclesiæ Clero P. debitæ reuerentiæ subiectionem sempiternam.

RELATVM est nobis à quibusdam discipulorum nostrorum superueniẽtibus, quòd electus * ille & semper inflatus Catholicæ fidei hostis antiquus, cuius hæresis detestabilis tres Deos cõfiteri, imo & prædicare Suessionensi Cõcilio à Patribus conuicta est, atq; insuper exilio punita, multas in me contumelias & minas euomuerit, viso Opusculo quodam nostro de fide sanctæ Trinitatis, maximè aduersus hæresim præfatam, qua ipse infamis est, cõscripto. Nunciatum insuper nobis est à quodam discipulo nostro, cui indè locutus est, quòd vos tunc absentem expectaret, vt vobis in illo Opusculo quasdam hæreses me inseruisse monstraret: & vos quoque contra me, sicut & omnes quos nititur, commoueret. Quòd si ita est, vt in hoc quoque nunc ille persistat, precamur vos athletas Domini, & fidei sacræ defensores; vt statuto loco & tempore conuenienti me & illum conuocetis, & coram Catholicis & discretis viris, quos vobiscum prouideatis, quid ille aduersum me absentem mussitet audiantur, & debitæ correctioni subjaceant, vel ille de tanti criminis impositione, vel ego de tanta scribẽdi præsumptione. Interea autem Deo gratias refero quòd summũ Dei inimicum & fidei labefactorem, in fide contrarium si perfero, & pro fide qua stamus dimicare compellor; & quod numero bonorum hominum iam esse videor ex eius infestatione, quem solis bonis semper constat esse infestum, cuius tam vita quàm disciplina omnibus est manifesta. Hic cõtra egregium illum præconem Christi Robertum Arbroscllo contumacem ausus est Epistolam confingere, & contra illum magnificum Ecclesiæ Doctorem Anselmum Cantuariensem

* f. erectus

Archiepiſcopum adeò per contumelias exarſit, vt ad Regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens eius contumacia ſit eiecta, & vix tum cum vita euaſerit. Vult eum infamiæ habere participem, vt per infamiam bonorum ſuam cõſoletur infamiam: nec niſi bonum odit, qui bonus eſſe non ſuſtinet: qui ob temperantiam * arrogantiæ ſuæ, ab vtróque regno, in quo conuerſatus eſt, tam Anglorum ſcilicet quàm Francorum, cum ſummo dedecore expulſus eſt, & in ipſa, cuius pudore Canonicus dicitur, beati Martini Eccleſia numquam, vt aiunt, à Canonicis verberatus morem ſolitum ſeruauerit. Nomine deſignare quis iſte ſit ſuperuacaneũ duxi, quem ſingularis infamia infidelitatis & vitæ eius ſingulariter notabilem facit. Hic ſicut pſeudo-Dialecticus, ita & pſeudo-Chriſtianus, cùm in Dialectica ſua nullam rem partes habere æſtimat, ita diuinã paginã impudenter peruertit; vt eo loco, quo dicitur Dominus partem piſcis aſſi comediſſe, partem huius vocis, quæ eſt piſcis aſſi, non partem rei intelligere cogatur. Ne quid igitur mireris, ſi is qui in cœlum os ponere conſueuit, in terris inſaniat; & qui Dominum perſequitur, membris eius deroget; & nemini parcit, qui nec ſibi parcere poteſt. Valete.

* *f* intemperantiam

EPISTOLA XXII.

QVÆ EST PETRI VENER. ABB. CLVN.

Ad Dominum Innocentium II. Papam, pro Petro Abaelardo.

SVMMO PONTIFICI ET NOSTRO SPECIALI Patri, Domino Papæ Innocentio frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas obedientiam & amorem.

MAGISTER Petrus ſapientiæ veſtræ, vt credo, optimè notus, nuper à Francia veniens, per Cluniacum tranſitum fecit: quæſiuimus quò tẽderet, grauatum ſe vexationibus quorundam, qui ſibi, quod valde abhorrebat, nomen hæretici imponebant, Maieſtatem

Apoſtolicam ſe appellaſſe,& ad eam confugere velle reſpondit. Laudauimus propoſitum,&, vt ad notum & commune refugium confugeret, admonuimus:iuſtitiam Apoſtolicam, quæ nulli vnquam etiam extraneo vel peregrino defuit, ſibi non defuturam diximus. Miſericordiam ipſam, vbi ratio poſtularet ſibi occurſuram promiſimus. Venit interim Dominus Ciſtercienſis Abbas,& de pace ipſius & Domini Claræuallenſis,cuius cauſa appellauerat, nobiſcum & cum ipſo pariter egit. Dedimus & nos operam paci eius: &, vt ad illum cum ipſo iret, hortati ſumus. Addidimus hoc monitis noſtris,vt ſi qua Catholicas aures offendentia aut ſcripſiſſet,aut dixiſſet: hortatu eius & aliorum bonorum & ſapientum, & à verbis ſuis amoueret, & à libris abraderet. Et factum eſt ita. Iuit, redijt, cum Domino Claræuallenſi, mediante Ciſtercienſi, ſopitis prioribus querelis, ſe pacificè conueniſſe reuerſus retulit. Interim à nobis admonitus, magis autem à Deo, vt credimus, inſpiratus,dimiſſis ſcholarum & ſtudiorum tumultibus, in Cluniaco veſtra ſibi perpetuam manſionem elegit. Quod nos ſenectuti eius, debilitati eius, religioni eius congruere putantes,& ſcientiã eius vobis ex toto non incognitam magnæ fratrum noſtrorum multitudini proficere poſſe credentes, voluntati eius aſſenſimus: &, ſi ſic benignitati veſtræ beneplacitum eſſet, benignè & cum gaudio nobiſcum, veſtris, vt noſtis, per omnia, remanere conceſſimus. Rogo igitur ego qualiſcumque, tamen veſter, rogat deuotiſſimus vobis Cluniacenſis Conuentus, rogat ipſe per ſe, per nos, per præſentium latores filios veſtros, per has, quas vt ſcriberem rogauit literas: vt reliquos dies vitæ & ſenectutis ſuæ, qui fortaſſe non multi ſunt, in Cluniaco veſtra eum conſummare iubeatis, & ne à domo, quam velut paſſer, ne à nido, quem velut turtur inueniſſe ſe gaudet, aliquorum inſtantia aut expelli, aut commoueri valeat,more quo omnes bonos colitis,& etiam iſtum dilexiſtis, ſcuto defenſionis Apoſtolicæ protegatis.

QVÆ

EPISTOLA XXIII.

QVÆ EST EIVSDEM PETRI ABB. CLVN.

Ad Heloiſſam Paracliti Abbatiſſam.

VENERABILI ET IN CHRISTO PLVRIMVM dilectæ ſorori Heloiſſæ Abbatiſſæ, frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, Salutem, quam promiſit Deus diligentibus ſe.

ACCEPTIS literis charitatis tuæ*, quas mihi nuper per filium meum Theobaldum miſiſti, gauiſus, & eas mittẽtis gratia amicabiliter amplexus ſum. Volui ſtatim reſcribere quod animo inſederat: ſed impedientibus importunis curarum exactionibus, quibus plerumque, immo penè ſemper, cedere compellor, non potui. Vix tamen à tumultibus tandem interpolata die, quod conceperam, attentaui. Viſum eſt vt affectui tuo erga me, quem & tunc ex literis, & priùs ex mihi miſſis xenijs cognouceram: ſaltem verborum vicem rependere feſtinarem, & quantum in corde meo locum tibi dilationis in Domino ſeruarem, oſtenderem. Reuera enim non nunc primùm diligere incipio, quam ex multo tempore me dilexiſſe reminiſcor. Necdum plenè metas adoleſcentiæ exceſſeram, necdum in iuueniles annos euaſeram, quando nomen, non quidem adhuc religionis tuæ, ſed honeſtorum tamen & laudabilium ſtudiorum tuorum mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis mulierem, licet necdum ſæculi nexibus expeditam, literatoriæ ſcientiæ (quod perrarum eſt) & ſtudio licet ſæcularis ſapientiæ ſummam operam dare: nec mundi voluptatibus, nugis vel delitijs, ab hoc vtili diſcendarum artium propoſito retrahi poſſe. Cúmque ab his exercitijs deteſtanda deſidia totus penè torpeat mundus, & vbi ſubſiſtere poſſit pes ſapientiæ, non dicam apud ſexum femineum, à quo ex toto exploſus eſt, ſed vix apud ipſos viriles animos inuenire valeat: tu illo efferẽdo ſtudio tuo & mulieres omnes euiciſti, & penè viros vniuerſos ſuperaſti. Mox verò, iuxta verba Apoſtoli, vt com- Galat. 2

* *Hæ littera non extant*

placuit ei, qui te ſegregauit ex vtero matris tuæ, vocare te per gratiam ſuam, longè in melius diſciplinarum ſtudia commutaſti: & pro Logica Euangelium, pro Phyſica Apoſtolum, pro Platone Chriſtum: pro Academia clauſtrum tota iam & verè Philoſophica mulier elegiſti. Eripuiſti victis ſpolia hoſtibus, & de theſauris Ægyptiacis per huius peregrinationis deſertum tranſiens, pretioſum in corde tuo tabernaculum
Exod. c. 15. Deo erexiſti. Cantaſti cum Maria, demerſo Pharaone, canticum laudis; & beatę mortificationis tympanum, vt olim illa, præ manibus gerens, noui modulaminis melos vſque ad ipſas deitatis aures docta tympaniſtria tranſmiſiſti. Conculcaſti iam incipiendo, quod per omnipotētis gratiam bene perſeuerando conteres vetuſti anguis, ac ſemper mulieribus inſidiantis caput: atque elides, vt nunquam vlteriùs contra te ſibilare audeat. Oſtentui facis & facies ſuperbum principem
Iob. cap. 41. mundi: & illum, qui diuina voce vocatur Rex filiorū ſuperbiæ, & iuxta ipſius Dei ad beatum Iob verba, tibi ac tecum
Iob. cap. 40. cohabitantibus ancillis Dei alligatum ingemiſcere coges. Et verè ſingulare miraculum, ac ſuper omnia mirāda opera extollendum, eum, quo, iuxta prophetam, Cedri non fuerunt
Ezech. c. 31. altiores in Paradiſo Dei, & cuius ſummitatem frondium abietes non adæquarunt, à fragili ſexu vinci: & fortiſſimum Archangelum à muliere infirmiſſima ſuperari. Gignitur tali duello maxima gloria conditori: infertur è conuerſo ſumma ignominia deceptori. Exprobratur ei hoc certamine, non ſolum ſtultum, ſed & ſuper omnia ridiculum fuiſſe, illum aſpiraſſe ad æqualitatem ſublimiſſimæ maieſtatis, qui nec breue luctamen ferre præualet fœmineæ debilitatis. Suſtinet caput cuiuſlibet victricis illius, merito talis victoriæ, gemmeam à rege cœlorum coronam; vt quanto, in tranſacta pugna carne infirmior, tantò in remuneratione ſempiterna appareat glorioſior. Hæc, chariſſima in Domino ſoror, verè non adulando, ſed exhortando dico, vt magnum, in quo aliquandiu perſtitiſti, bonum attendens, ad cautè illud conſeruandum animoſior reddaris: vt ſanctas illas, quæ tecum Domino ſeruiunt, ſecundum gratiam à Deo tibi collatam, vt in eodem ſollicitè agone contendant, verbis pariter & exēplis accendas. Es enim vnum de animalibus illis, quæ Ezechiel
Ezech. c. 1. Propheta vidit, licet ſis mulier: quæ non tantum vt carbo

ardere, ſed vt lampas ardere debes pariter & lucere. Es quidem diſcipula veritatis, ſed es etiam ipſo officio, quantùm ad tibi cõmiſſas pertinet, magiſtra humilitatis. Humilitatis planè, & totius cæleſtis diſciplinæ, tibi à Deo magiſterium impoſitum eſt: vndè non ſolùm tui, ſed & commiſſi gregis curam habere, & pro vniuerſis, maiorem vniuerſis debes mercedem recipere. Manet tibi certè palma pro omnibus: quia, vt optimè noſti, quotquot ducatu tuo mundum mundique principem vicerint, tot tibi triumphos, tot glorioſa trophæa apud æternum regem & iudicem præparabunt. Sed nec omnino apud mortales inſolitum eſt feminas feminis principari, nec ex toto inuſitatum etiam præliari; ipſos inſuper viros ad prælia comitari. Nam ſi verum eſt quod dicitur

fas eſt & ab hoſte doceri, *Ouid. met. lib. 4.*

& apud gentiles Amazonum Regina Pentheſilæa cum ſuis Amazonibus, non viris, ſed mulieribus, Troiani belli tempore, ſæpe pugnaſſe ſcribitur: & in populo etiam Dei, prophetiſſa Debora Barach iudicem Iſrael contra Ethnicos animaſſe legitur. Cur ergo non liceat feminas virtutis contra fortem armatum ad prælia procedẽtes, ductrices fieri exercitus Domini, cùm & illa, quod quidem indecẽs videbatur, manu tamen propria contra hoſtes pugnauerit, & hæc noſtra Debora viros ipſos ad bella diuina commouerit, armauerit, accenderit? Victo dehinc Iabin rege, occiſo Siſara duce, deleto prophano exercitu, cecinit ſtatim Canticum illa, illúdque Dei laudibus deuota dicauit. Erit, Dei gratia hoc faciente, poſt datam tibi tuíſque de longè fortioribus hoſtibus victoriam, longè tuum glorioſius Canticum, quod ſic læta cantabis, vt nunquam poſteà lætari, nunquam cantare deſiſtas. Interim eris ancillis Dei, hoc eſt cœleſti exercitui, quod illa ſuo Iudaico populo Debora: nec à tam lucroſo certamine, aliquo tempore, quolibet caſu, niſi vincendo ceſſabis. Et quia hoc nomen Debora, vt tua nouit eruditio, lingua Hebraica apem deſignat; eris etiam in hoc & tu Debora, id eſt apis. Mellificabis enim tu, ſed non ſoli tibi, quia quicquid boni per diuerſos & à diuerſis collegiſti, exemplo, verbo, modíſque quib⁹ poteris, domeſticis ſororibus ſeu quibuſlibet alijs, totum refundes. Satiabis hoc exiguo vitæ mortalis tempore & te ipſam ſacrarum literarum ſecreta dulcedine, & beatas

Iuſtin. hiſt. lib. 2.

Iudicũ c. 4.

Iudicũ c. 5.

ſorores aperta prædicatione, quouſque, iuxta vocem prophe-
Ioel. cap. 3. ticam, in illa, quæ promittitur, die, diſtillent montes æternam dulcedinem, & colles fluant lac & mel. Hoc enim licet de tempore gratiæ dicatur, nil obſtat, immò & dulcius eſt, vt de tempore gloriæ accipiatur. Dulce mihi eſſet diu tecum de huiuſmodi protrahere ſermonem, quia & famoſa eruditione tua delector, & prædicata mihi à multis religione tua longè magis allicior. Vtinam te Cluniacus noſtra habuiſſet! Vtinam te iucundus Marciniaci carcer cum cæteris Chriſti ancillis libertatem inde cæleſtem expectantibus incluſiſſet! Prætuliſſem opes religionis ac ſcientiæ maximis quorumlibet regum theſauris: & illarum ſororum illud præclarũ collegium cohabitatione tua clariùs rutilare gauderem. Retuliſſes & ipſa ab ipſis non modicum quæſtum, & ſummam mũdi nobilitatem ac ſuperbiam pedibus ſubſtratam mirareris. Cerneres omnigenos ſæculi luxus miranda parcitate mutatos, & ſordida quondam vaſa diaboli in mundiſſima Spiritus ſancti templa conuerſa. Videres puellas Dei, Satanæ vel mũdo velut furto ſubtractas, ſuper innocentiæ fundamentum altos virtutum erigere parietes: & vſque ad ipſa cœli faſtigia fœlicis fabricæ cacumen producere. Lætareris Angelica virginitate florentes caſtiſſimis viduis iunctas & vniuerſas pariter beatæ illius & magnæ reſurrectionis gloriam ſuſtinentes, infra arcta ſepta domorum etiam corporaliter beatæ ſpei velut ſepulchro iam conditas. Quæ licet omnia, & fortaſſis maiora, cum tibi datis à Deo collegis habeas, licet fortè nihil ad ſacrarum rerum ſtudium pertinens tibi addi poſſit: augeretur tamen augmento gratiarum tuarum non paruis, vt arbitror, commodis reſpublica noſtra. Sed quamuis à diſpenſatrice omnium rerum prouidentia Dei hoc nobis de te negatum ſit, conceſſum tamẽ eſt de illo tuo, de illo, inquã, ſæpe ac ſemper cũ honore nominãdo ſeruo ac verè Chriſti Philoſopho magiſtro Petro: quem in vltimis vitæ ſuæ annis eadẽ diuina diſpoſitio Cluniacũ tranſmiſit: & eam in ipſo & de ipſo ſuper omne aurum & topazion munere cariore ditauit. Cuius ſanctæ, humili ac deuotæ inter nos conuerſationi, quod quantúmve Cluniacus teſtimonium ferat, breuis ſermo non explicat. Niſi enim fallor, non recolo vidiſſe me illi in humilitatis habitu & geſtu ſimilem: in tantum vt nec Germanus

abjectior, nec ipſe Martinus bene diſcernenti pauperior appareret. Cúmque in magno illo fratrum noſtrorum grege, me compellente, gradum ſuperiorem teneret, vltimus omnium veſtitu incultiſſimo videbatur. Mirabar ſæpe, & in proceſſionibus eo me cum reliquis pro more præcedente, penè ſtupebam, tanti támque famoſi nominis hominem ſic ſeipſum contemnere, ſic ſe abijcere poſſe. Et quia ſunt quidam religionis profeſſores, qui ipſum quem gerunt habitum religioſum nimis eſſe cupiunt ſumptuoſum: erat ille prorſus parcus in iſtis, & cuiuſcunque generis ſimplici veſte contentus, nil vltrà quærebat. Hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis ſui ſeruabat: & non dico ſuperflua, ſed & cuncta niſi valde neceſſaria, tam in ſe quàm in omnibus verbo pariter & vita damnabat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, ſilentium iuge, niſi aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipſos in Cõuentu de diuinis publicus ſermo eum loqui vrgebant. Sacramenta cœleſtia, immortalis Agni ſacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat, immo poſtquam literis & labore meo Apoſtolicæ gratiæ redditus eſt, penè continuabat. Et quid multa? mens eius, lingua eius, opus eius, ſemper diuina, ſemper philoſophica, ſemper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Tali nobiſcum vir ſimplex & rectus, timens Deum & recedens à malo, tali, inquam, per aliquantum temporis conuerſatione vltimos vitæ ſuæ dies conſecrans Deo, pauſandi gratia (nam plus ſolito ſcabie & quibuſdam corporis incommoditatibus grauabatur) à me Cabillonem miſſus eſt. Nam propter illius ſoli amœnitatem, qua cunctis penè Burgundiæ noſtræ partibus præminet, locum ei habilem prope vrbem quidem, ſed tamẽ Arari interfluente, prouideram. Ibi iuxta quod incommoditas permittebat, antiqua ſua reuocans ſtudia, libris ſemper incumbebat: nec, ſicut de magno Gregorio legitur, momentũ aliquod præterire ſinebat, quin ſemper aut oraret, aut legeret, aut ſcriberet, aut dictaret. In his ſacrorum operum exercitijs eum aduentus illius Euangelici viſitatoris reperit, nec eum, vt multos, dormientem, ſed vigilantem inuenit. Inuenit eum verè vigilantem, & ad æternitatis nuptias, non vt fatuam, ſed vt ſapientem virginem euocauit. Attulit enim illo ſecum lampadem plenam oleo, hoc eſt conſcientiam refer-

tam ſanctæ vitæ teſtimonio. Nam ad ſoluendum commune mortalium debitum morbo correptus, eóque ingraueſcente in breui ad extr..na perductus eſt. Tunc verò quàm ſanctè, quàm deuotè, quàm Catholicè primò fidei, dehinc peccatorum confeſſionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu viaticum peregrinationis ac vitæ æternæ pignus, corpus ſcilicet redemptoris Domini acceperit, quàm fideliter corpus ſuum & animam hic & in æternum ipſi commendauerit, teſtes ſunt religioſi fratres & totus illius Monaſterij, in quo corpus ſancti martyris Marcelli iacet, Conuentus. Hoc magiſter Petrus fine dies ſuos conſummauit: & qui ſingulari ſcientiæ magiſterio toti penè orbi terrarum notus & vbique famoſus
Matth. c. 11. erat, in illius diſcipulatu qui dixit, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, mitis & humilis perſeuerans, ad ipſum, vt dignum eſt credere, ſic tranſiuit. Hunc ergo, venerabilis & chariſſima in Domino ſoror, cui poſt carnalem copulam tantò validiore quãtò meliore diuinæ charitatis vinculo adhæſiſti, cum quo & ſub quo diu Domino deſeruiſti: hunc, inquam, loco tui, vel vt te alteram in gremio ſuo confouet, & in aduentu Domini, in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendentis de cœlo, tibi per ipſius gratiam reſtituendum reſeruat. Eſto ergo in Domino memor ipſius, eſto etiam, ſi placet, & ſanctis ſororibus tecum domino famulantibus fratres congregationis noſtræ ac ſorores, qui vbique terrarum pro poſſe ſuo eidem, cui & tu, Domino famulantur, ſollicitè commenda. Vale.

EPITAPHIVM MAGISTRI PETRI ABAELARDI,

A Petro Venerabili Abb. Clun. ſcriptum.

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, Logicis, quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior, ſtudiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, ſubtilis & acer.
Omnia vi ſuperans rationis, & arte loquendi
Abaelardus erat: ſed tunc magis omnia vicit,
Cùm Cluniacenſem monachum moremque profeſſus,
Ad Chriſti veram tranſiuit Philoſophiam.
In qua longæua bene complens vltima vitæ,

Philoſophis quandoque bonis ſe connumerandum
Spem dedit, vndenas Maio reuocante calendas.

EPISTOLA XXIV.

QVÆ EST HELOISSÆ AD PETRVM ABB. CLVNIACENSEM.

PETRO REVERENDISSIMO DOMINO ET PATRI ac venerabili Abbati Cluniacenſium Heloyſſa humilis Dei & eius ancilla ſpiritum gratiæ ſalutaris.

VISITANTE nos Dei miſericordia, dignationis veſtræ nos viſitauit gratia. Gratulamur, pater benigniſſime, &, quòd ad paruitatem noſtram magnitudo veſtra deſcenderit, gloriamur. Eſt ſiquidem veſtra viſitatio, magna magnis quibuſlibet gloriatio. Norunt alij quantum eis vtilitatis veſtræ contulerit præſentia ſublimitatis: ego certè non dicam enarrare dictu, ſed nec ipſo valeo comprehendere cogitatu, quàm vtilis, quàm iucundus veſter mihi fuerit aduentus. Abbas noſter, Dominus noſter apud nos anno præterito XVI. Kal. Decemb. Miſſam celebraſtis, in qua Spiritui ſancto nos commendaſtis: in Capitulo diuini nos ſermonis elogio cibaſtis, corpus Magiſtri nobis dediſtis, ac beneficium Cluniacenſe conceſſiſtis. Mihi quoque, quam nec ancillæ nomine dignam ſublimis humilitas veſtra tam ſcripto quàm verbo ſororem vocare non dedignata eſt, ſingulare quoddam velut amoris & ſyncerıtatis priuilegium donaſtis, Tricenarium ſcilicet, quod mihi defunctæ Conuẽtus Cluniacenſis perſolueret. Indixiſtis etiam quòd donum illud ſigillatis confirmaretis apicibus. Quod itaque ſorori, immò ancillæ conceſſitis; frater, immò Dominus impleatis. Placeat etiam vobis aliud mihi ſigillum mittere, in quo Magiſtri abſolutio literis apertis contineatur: vt ſepulchro eius ſuſpendatur. Memineritis & amore Dei & noſtri Aſtralabij veſtri, vt aliquam ei vel à Pariſienſi vel alio quolibet Epiſcopo præbendam acquiratis. Vale. Dominus vos cuſtodiat, & præſentiam veſtram quandoque nobis exhibeat.

EPISTOLA XXV.

QVÆ EST RVRSVM PETRI CLVN. ABB. AD HELOISSAM,

VENERABILI ET CHARISSIMAE SORORI nostræ, Deíque ancillæ Heloiſſæ ancillarum Dei Ductrici ac magiſtræ frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutis à Deo, amoris à nobis in Chriſto plenitudinem.

GAVISVS ſum, & hoc non parum, legens ſanctitatis veſtræ literas, in quibus agnoui aduentum meũ ad vos non fuiſſe tranſitorium, ex quibus aduerti non ſolùm me apud vos non fuiſſe, ſed & à vobis nunquam poſtmodum receſſiſſe. Non fuit, vt video, illud hoſpitium meum velut memoria hoſpitis vnius noctis prætereuntis, nec factus ſum aduena & peregrinus apud vos, ſed ciuis ſanctarum, & domeſticus, vtinam, Dei. Sic ſacræ menti veſtræ cuncta inhæſerunt, ſic benigno ſpiritui veſtro omnia impreſſa ſunt, quæ in illo fugaci ſeu volatico aduẽtu meo dixi, quæ feci, vt non dicam ea quæ ſtudiosè à me tunc dicta ſunt, ſed nec verbum fortè negligenter prolatum, ad terram cederet. Ita notaſtis omnia, ita tenaci memoriæ ex ſyncéritatis affectu diriuatæ commendaſtis, quaſi magna, quaſi cæleſtia, quaſi ſacroſancta, quaſi ipſius verba vel opera Ieſu Chriſti. Fortè mouerunt vos ad illa ſic retinenda, verba cõmunis regulæ, hoc eſt tam noſtræ quàm veſtræ, quæ de hoſpitibus præcipit, Chriſtus in eis adoretur, qui & ſuſcipitur. Forſitan & illa de Præpoſitis, licet ego præpoſitus vobis non ſim, *Qui vos audit, me audit.* Vtinam hæc mihi ſemper gratia detur apud vos, vt mei memor eſſe dignemini, vt pro me omnipotentis miſericordiam cum ſacro gregis vobis commiſſi collegio deprecemini. Rependo & ego in hoc vobis vicem quam poſſum: quia & longè antequàm vos viderem, & maximè ex quo veſtri notitiam habui, ſingularem vobis in intimis mentis meæ receſſibus veræ, non fictæ charitatis locum ſeruaui. Donum quod de Tricenario vobis præſens feci, abſens,

Regul. c. 53.
Regul. c. 5.
Luc. cap. 10.

abſens, vt voluiſtis, ſcriptum & ſigillatum tranſmitto. Mitto etiam, ſicut mandaſtis, magiſtri Petri abſolutionem in charta ſimiliter ſcriptam & ſigillatam. Aſtralabio veſtro veſtrique cauſa noſtro, mox vt facultas data fuerit, in aliqua nobilium Eccleſiarum præbendam libens acquirere laborabo. Res tamen difficilis eſt: quia, vt ſæpe probaui, ad dandas in Eccleſiis ſuis præbendas, varijs obiectis occaſionibus, valde ſe difficiles præbere Epiſcopi ſolēt. Faciam tamen cauſa veſtri quod potero, mox vt potero. Valete.

ABSOLVTIO PETRI ABAELARDI.

EGo Petrus Cluniacenſis Abbas, qui Petrum Abaelardum in Monachum Cluniacenſem recepi, & corpus eius furtim delatum Heloiſſe Abbatiſſæ & Monialibus Paracleti conceſſi, authoritate omnipotentis Dei & omnium ſanctorum abſoluo eum pro officio ab omnibus peccatis ſuis.

LITERÆ,
SEV DIPLOMATA,
SVMMORVM PONTIFICVM,

Ad Heloiſſam Paracliti Abbatiſſam,

EX CHARTVLARIO PARACLITENSIS Cœnobij.

I.

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus HELOISSAE Prioriſſæ, cæteriſq; ſororibus in Oratorio S. Trinitatis, quod in pago Trecenſi, in Parrochia Quinceij, ſupra fluuium Arduconem ſitum eſt, diuino famulatui mancipatis tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod rationi cognoſcitur conuenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſiderijs congruum impertiri ſuffragium. Proinde dilectæ in Domino filiæ, veſtris iuſtis poſtulationibus aſſenſum præbentes, Monaſterium S. Trinitatis, in quo diuino vacatis ſeruitio ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Statuentes vt quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona in præſentiarum iuſtè & legitimè poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium ſeu alijs iuſtis modis præſtante Domino poteritis adipiſci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. Sane laborum veſtrorũ decimas quas proprijs excolitis ſumptibus, ſeu annualium abſque contradictione aliqua vobis

Digitized by Google

concedimus poſſidendas. Nulli ergo hominum fas ſit præfatum Monaſterium temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, ſed hæc omnia integra conſeruentur veſtris vſibus perpetuò profutura. Ad indicium autem perceptæ huius à Romana Eccleſia libertatis, ſex nummos quotannis Lateranenſi Palatio perſoluetis. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſeculariſue perſona hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò tertióque commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emẽdauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redẽptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubjaceat. Conſeruantes autem interuenientibus BB. Apoſtolorum Petri & Pauli meritis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti & æternæ felicitatis præmia conſequãtur. Amen. Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Datum Autiſſiodori per manũ Aldierici S. Rom. Eccleſiæ Diaconi Card. & Cancellarij, IIII. Cal. Decembr. Ind. x. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXXI. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ II. An. II.

II.

INNOCENTIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus HELOYSAE Abbatiſſæ, cæteriſque ſororibus in Oratorio ſanctæ Trinitatis, quod in pago Trecenſi, in parrochia Quinceij ſupra fluuium Arduconem ſitum eſt, diuino famulatui mancipatis tam præſentibus quàm futuris in perpetuum. Quotiens illud, &c. *vt in præcedenti. &* j. Ad hæc adijcientes ſtatuimus, ne propter benedictionem & cõſecrationem percipiendam de Monaſterio exire cogamini. Nec pro electione Abbatiſſæ, aut alia qualibet occaſione Epiſcopus, vel alia quælibet perſona, vllum vobis grauamen vel moleſtiam inferre præſumat. Nulli ergo omnino, *&c. &* j. Ad iudicium autem perceptæ huius à Romana Eccleſia libertatis vnum obolum aureum quotannis Lateranenſi Palatio perſoluetis. Si qua igitur, *&c. &* j. Data Liſis per manũ Almerici S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij xv.

Kalend. Iulij Indict. XIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVI. Pontificatus Domini Innocentij Papæ II. anno VI.

III.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus HELOISSAE Abbatissæ, & Sanctimonialibus Paraclitensis Cœnobij salutem & Apostolicam benedictionem. Religiosis desiderijs dignum est facilem præbere consensum, vt fidelis deuotio celerem sortiatur effectũ. Quanto itaque femineus sexus extat fragilior, tanto magis erga vos paternam curam atque sollicitudinem volumus exhibere, & in quibus secundum Deum possumus quieti & vtilitati vestræ salubriter prouidere. Locum itaque suum cum omnibus ad ipsum pertinentibus, quem Gundricus Sacerdos in paterno prædio constructum religiosorum precibus & cõsilio rationabiliter vobis concessit, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & concessionem ipsam præsentis scripti pagina roboramus. Si quis autem huius nostræ Constitutionis paginam sciens cõtra eam temerè venire temptauerit, secundo tertióue commonitus, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, indignationẽ omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Later. III. Kal. Ianuar.

IIII.

LVCIVS Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Domino filiabus Heloissæ Abbatissæ, cæteriscque sororibus in Oratorio S. Trinitatis diuino famulatui mancipatis, *&c. vt in* I. *Innocentij. &* j. Datum Laterani per manum Barrocij Capellani & scriptoris, Id. Mart. Ind. VII. Incar. Dominicæ anno MCXLIII. Pontificatus verò domini Lucij II. Papæ anno I.

V.

EVGENIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloissæ Abbatissæ Monasterij sancti Spiritus eiusque sororibus tam præsentibus quàm futuris

regularem vitam profeſſis. Ad hoc nobis à prouiſore omniũ bonorum Deo Paſtoralis officij cura commiſſa eſt, vt beneplacentem Deo religionem laboremus ſtatuere, & ſtabilitam exacta diligentia conſeruare. Ea propter, dilectæ in Domino filiæ, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatum Monaſterium, in quo diuino mancipatæ eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. Statuentes, vt quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona in agris, vineis, pratis, ſiluis, molendinis, aquis, decimis, ſeu alijs idem Monaſterium in præſentiarum iuſtè & Canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis, eiſq;, quæ poſt vos ſucceſſerint, & illibata permaneant, in quibus hæc ſpecialiter duximus annotanda. Terram videlicet, in qua ipſum Monaſterium conſtructum eſt. Culturas in mõte Limarſum. Quicquid habetis ex venditione ſeu donatione Milonis. Duo iugera terræ ante ipſum Monaſterium. Aliam terram in eodẽ loco. Culturam de fonte Amam. Totam terram quam Rainaldus habebat in parrochia de Quinceio, ex vtraque parte fluuioli Arducionis. Molendinum de Bruſleto, culturam & quaſdam alias terras, quas Hilduinus Decanus, & Seguinus frater eius, & cognati eorum Monaſterio veſtro dederunt. Medietatem furni de Quinceio, & vineam Baboel de Caleſtra *. Quicquid Arpinus de Mairiaco tenebat de feodo Milonis, ex illa parte Sequanæ in qua Monaſterium eſt. Terram de Buſſeto, terras quas habetis apud Fontanetum Petroſum *, & apud Bociam Vagonis, & in valle Faiel. Quatuor ochas de terra apud Ferroum *, medietatem totius nemoris & terræ de Furuellis. Decem iugera terræ apud Bocennaium *. Tertiam partem molendini molentis & ſextã terentis, & totã piſcationẽ quam Maria de Balbuſia habebat apud Pontes, & terrã apud Pomerulos *. Modiũ frumenti ſingulis annis ab illuſtri Comite Theobaldo vobis donatũ, & totã piſcationẽ in molendinis ſuis apud Pontes. Vineã quã dedit vobis Berfridus de Caleſtra, & duodecim denarios cenſus apud ſanctum Ferreolum, vineam apud Caleſtram, cenſum quinque ſolidorum in eodem loco. Apud Montem portarũ

* Chalautre

* Fontenay la Perreux.

* Ferreux

* Bocenay

* Pomereaux.

censum trium solidorum. Terram de Croisum. Totam terrã, quam Rainaldus Filius Milonis habebat in Murgeoris, vsus nemorum de Gurgiuolt & de Poiseio, de Maceilliaco, de Charmeio & omnium nemorum Anselli de Triagnello tam ad pasturam pecorum quàm ad ædificia, seu alia necessaria. Censum quinq; solidorum in Ponte de Baldimento*, & sex solidos in molendino de Canturanæ, & quinque solidos In Oscha Teold, apud Gurgiuolt, & vineam de Fonte Beton, & quicquid Vvillelmus habebat in prato Gandeleu; vineam de Saldon. Ex dono Gauterij de Curtemaim duos sextarios siliginis singulis annis. Terram de Tilliaco. Quicquid legitimè habetis ex dono Heruulfi de Insula apud Villam-nouam & Tranqueil*. Terram de Spineto, terram apud Gumeri, terram apud Summum-fontem*, & apud Trembleium. Molendinũ de Barsam. Medietatem molendini de fonte Amau. Partem molendini Pagani de Frou. Quicquid habetis apud Planteiz. Censum sex denariorum ab Vberto de Tranqueil. Quicquid Thehelinus habebat in eodem loco præter homines. Terram Amici militis de Summo-fonte. Quicquid Ermengardius Postellus habebat in mollendinis Canonicorum Villæ Maurorum*, & in hortis vltra pontem Vanæ. Partem piscationis, quam Felix habebat in aqua Bucennaij, & partem quã habebat in terra Scrobium, & censum duorum solidorum ab eodem. Terram, in qua granchia vestra est, & oscham in eodem loco. Terram quam dederunt Amaldricus & Hilduimus. Prata de Vergeron. Terras quas habetis apud Quinceium. Quartam partem prati de Orella. Quatuor arpennos prati apud Tilleium. Medietatem molendini de Quinceio. Totum tenementum Gaufridi. Dimidium arpennum vineæ Ponstingiatum. Ex dono Hugonis Capri vineam de Montearpon, & domum in qua ipse manebat, & Cellarium. Tenementum Guarini apud Sanceium. Vineam apud Sesanam. Terram inter Pisiacum* & Aizium. Molendinum de Bretenniaco. Molendinum, terram, & pratum apud Marcilliacum. Octauam partem nemoris de Pisiaco. aliam partem in eodem nemore. Ex dono Gualterij Rũgifer quatuor arpennos prati, & XL. solidos census. Ex dono Heloissæ de Villari, terram, vineam, & domum. Quicquid Rodulphus Gaius habebat in bosco Fraxineti, ex dono præfati Comitis

* Pont de Baudement

* Tranquaus

* Somme fontaine

* Villemor

* Pisy & Aisy

Theobaldi. Sexdecim ſextarios annonæ in molẽdinode Stagno. Molendinum de Changeio. Quindecim ſextarios annonæ in molendino de Planca. Molendinum de Iuſtigniaco *. Medietatem molendini de Creuecuer & vineam. Medietatem furni Vicecomitiſſæ. Medietatem prati ſubter Eccleſiam S. Nicolai. Vineas Paulæ & Emmellinæ, tenementum Petri de Valle, & tres denarios cenſus de Ponne. Vineas Galcherij Cementarij. Arpennum vineæ, & XIIII. denarios cenſus à Frodemundo Peregrino. Vineam Hugonis Butarij. Vineam Rahaldis. Septẽ iugera terræ à Petro de Ponne. Quatuor iugera ab Alburge de Ponne. Duo iugera & aream à prædicto Gualcherio. Septem iugera ab Ada de Altomuro. Arpennum prati, & dimidium, & medietatem domus ab Emelina Reburſata. Arpennum prati & dimidium à Bonade Prouuino. Pratum Teodorici. Domum Aſcranæ & plateam. Domos Richeldis, Paulæ, Hugonis Butarij, Loberij, Adan, Ioannis Tyranni, & dimidiam domum Sunbardi. Domum Bonelli Vuauræ, & medietatem alterius domus. Tres cameras & vineam eiuſdem. Modium auenæ & xx. gallinas à Margareta Vicecomitiſſa de Marrolis. Molendinum de Roſcha. Quartam partem domus ab Andrea. Sex iugera terræ in Campo leuato, & decem & octo iugera de ſuper Montem Hanepon. Quartam partem terræ de Villa-Cren. Dimidiũ plantæ de Fuliniaco. Ab Eurardo, vineam & XII. denarios cenſus. Tenementum vxoris Pagani ſellarij, & tres ſolidos cenſus apud Liſinas, & domum eiuſdem Pagani apud Pruuinum. Terram Radulphi Canonici apud Lizinniam *. Medietatem domus in atrio S. Nicolai. Septem ſolidos cenſus apud Caleſtram. Viginti ſolidos apud Pruuinum, Viginti ſolidos apud Liſinnias. Septem & diuidium à Teſcia Maioriſſa. Decem & ſeptem de Monte Henepon. Quatuor ſolidos & duos denarios de Buath. Duos ſolidos à Godefrido Monetario. Viginti ſolidos in terris Couleti. Terram Greuiarum. Ex dono præterea Hatonis Trecenſis Epiſcopi medietatem omnis decimæ de S. Albino, & medietatem candelarum in purificatione ſanctæ Mariæ. Totam decimam do Aneuz. Quicquid Petrus Sanctus habebat in oblatione Eccleſiæ de Tranqueil, & partem decimæ eiuſdem loci. Tertiam partem præfatæ oblationis, & cenſum atrij, & maiorem

* Iuſtigny.

* Liſinet

partem decimæ de Parigniaco. Quicquid habetis in decimis de Balbusia, & apud sanctum Parrum, in decimis de Quinceio, & apud Vlmellos duas partes decimæ de Gurgiuolt. Quicquid habetis in decima de Villagruis. Tertiam partem decimæ de Nogennio. Decimam quam habetis apud Aurigniacum, apud Occe, * & Malpigniacum, & sanctum Flauitum. Quicquid habetis apud Marigniacum in decimis & oblatione, & apud vtramque Ecclesiam de Bocennay, apud Ferroum, apud Capellam, & apud Codes, apud Calestram, apud Maferial *, apud Bernerias. Quicquid etiam Petrus Sacerdos de Parrigniaco vobis donauit in domibus, vineis, seu alijs. De dono Henrici Senonensis Archiepiscopi decimam de Lisignis, & partem decimæ de Cuchermeyo. Loca verò de Triagnello & Pomario, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, cum vniuersis appendicijs suis auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & in vestra subiectione manere decernimus, iuxta videlicet dispositionẽ Paracliten-sis Abbatissæ suarumque sororũ Priorissæ statuantur & mutentur. Decernimus autem ne propter consecrationem vel benedictionem percipiendam de Monasterio exire cogamini, nec pro electione Abbatissæ, aut alia qualibet occasione Episcopus vel alius grauamen vobis vel molestiam inferat. De laboribus etiam vestris seu annualibus nullus à vobis decimas exigat. Ad indicium itaque perceptæ huius à Romana Ecclesia libertatis, vnum obolum aureum singulis annis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Nulli ergo hominũ liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus molestijs fatigare; sed omnia integra conseruentur earum, pro quarum substentatione & gubernatione concessa sunt, vsibus profutura. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur, *&c. vt in* 1. *Innocentij* 11. *&* j. Datum Catalauni per manum Guidonis S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarij, Kal. Nouembr. Indict. xi. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVII. Pontificatus verò domini Eugenij III. Papæ anno III.

* Osse & Maupigny,

* Mafery

VI.

ANASTASIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloysæ Abbatissæ, ceterisque sororibus in Oratorio S. Spiritus, quod in pago Trecensi, in parrochia Quinceij supra fluuium Arduconem situm est, diuino famulatui mancipatis tam præsentibus quàm futuris, &c. *vt in præcedenti Eugenij, &* j. Ex dono Gauterij Rungifer IIII. arpennos prati, & IIII. arpennos terræ, XL. solid. census, & corueas. *&* j. A Godefrido Monetario decem solidos census, à Fulcherio Pẽtecoste, & quicquid habebat in furno alodij. Quinquaginta solidos census à defuncto Stephano Vicario & Andrea nepote suo. Quinque solidos census à defuncta Aalis. Decẽ solidos cẽsus à Petro de Porta. Quicquid habetis apud Sulimatũ & apud Pontem. Ab vxore Gualterij de Fontineto xx. solidos census in terris Corileti: *&* j. Loca verò de Triagnello, & Pomario, & Leaualle, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, *&c.* Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarij VII. Kal. Februar. Indict. ij. Incarn. Dominicæ anno MCLIII. Pontificatus verò Domini Anastasij IIII. Papæ. .....

VII.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloysæ Abbatissæ, cæterisque in Oratorio S. Spiritus, quod in pago Trecensi situm est, diuino famulatui mancipatis, *&c. vt in superiori Eugenij. &* j. Loca verò de Pomario, Triagnello, Leaualle, Neforto, S. Flauiti, quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, *&* j. Datum Laterani per manum Alberti sancti Adriani Diaconi Cardinalis, vicem Domini Rollandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarij gerentis. Cal. Decembr. Indict. XI. Incarnationis Dominicæ anno MCLVII. Pontificatus verò Domini Adriani Papæ IIII. anno III.

VIII.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloysæ Abbatissæ, ceteriſque sororib. Paracliti, salutem & Apostolicam benedictionem. Et iniuncti nobis à Deo Apostolatus officium nos impellit, & bonæ vestræ conuersationis odor hortatur iustis postulationibus vestris benignum impertiri consensum, & quæ ad vtilitatem & quietem vestram pertinent libenti animo adimplere. Ea propter dilectæ in Domino filiæ, laboribus vestris prouidere volentes, sepeliendi apud Abbatiam vestram tum fratres vestros proprium non habentes, liberam vobis, & ijs quæ post vos succesſerint, licentiam auctoritate Apostolica indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Beneuenti Id. Februarij.

IX.

ADRIANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloysæ Abbatissæ Monasterij de Paraclito, eiusque sororibus salutem & Apostolicam benedictionem. Quotiens religiosæ personæ à nobis talia postulant, quæ à rationis tramite non discordant, ad concedendum quod petitur non debemus difficiles inueniri. Eapropter dilectæ in Domino filiæ, vestris iustis postulationibus gratum impertientes ascensum, auctoritate vobis Apostolica concedimus, vt eos qui de facultatibus suis Ecclesiæ vestræ grata conferunt salatia caritatis, si forte non proprio reatu, sed pro alienis sunt excessibus interdicti, liceat vobis ad sepulturam recipere, & ipsos in Cimiterio vestro cum alijs fidelibus tumulare. Datum Later. VII. Kal. Decembr.

X.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloysæ Abbatissæ, cæteriſque soro-

ribus in Oratorio S. Spiritus, quod in pago Trecenſi ſitum eſt diuino famulatui mancipatis, *&c. vt in præcedenti Eugenij.* & j. Loca verò de Triagnello, Leaualle, Neoforto*, S. Flauiti, quemadmodum vobis rationabiliter conceſſa ſunt, cum vniuerſis appendicijs ſuis auctoritate vobis Apoſtolica confirmamus. & j. Datum Pariſius per manum Hermanni S. R. E. Subdiaconi & Notarij, VIII. Id. Aprilis Indict. X. Incarn. Dominicæ anno MCLXIII. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. anno IIII.

* Nonfort

XI.

EGo Hugo Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopis. Notũ omnibus fieri volo præſentibus & futuris, quòd Heloiſſa Paraclitenſis Abbatiſſa interuentu religioſorũ virorum conceſſit Bleſenſi Comitiſſæ, laude & voluntate totius Capituli ſui, locum Pomerij ad conſtruendam Abbatiam, ſtatutis inter ſe quibuſdam conuentionibus, quas duximus annotãdas. Statutum itaque fuit & diuiſum, quòd hæc prima Abbatiſſa Pomerij, quæ nunc eſt, conſtituta Domina Gertrude nobili & honeſta femina, quæ Canonicè electa fuit apud Paraclitum de Dominabus eiuſdem Eccleſiæ; cæteræ, quæ poſt ipſam primam ſubſtituentur in eodem loco, Canonicè eligentur ſecundum aliarum conſuetudinem Eccleſiarum, & aſſumentur de ipſa Eccleſia ſi in ea potuerint inueniri. Sin autem, tranſibunt ad Eccleſiam Paracliti, & de ea ſibi aſſumẽt Abbatiſſam, & ad aliam per electionẽ non licebit eis pertranſire Eccleſiam, quoniam alium Ordinem niſi Paraclitenſem non licebit eis obſeruare. Abbatiſſa verò Paracliti ſemel in anno ibit Pomerium, & ſedens in Capitulo emendabit ſi quid fuerit emendandum de Ordine, vel de aliqua re ad Ordinem pertinente. Pro conceſſione ſanè prædicti loci dedit Comitiſſa Eccleſiæ Paracliti tres modios frumenti per ſingulos annos in molẽdino ſuo Pruuini ſub Creuecor, laude quidem filiorum ſuorum Comitũ Henrici, Theobaldi, & Stephani, promiſitque rem iuſtè garantire. Et hoc fuit ad voluntatem Abbatiſſæ Paraclitenſis & totius Capituli ſui. Promiſit & Abbatiſſa Paracliti, promiſit & Comitiſſa, quòd nec per D. PP. nec per alium aliquem quod factum fuerat aliquo modo

immutaretur: ſed & conditiones inter vtramque Eccleſiam ſuperiùs deſignatæ à neutra parte abolerentur. Harum conuentionum mediatorem me poſuerunt & Abbatiſſa & Comitiſſa, atque benigna vtriuſque partis poſtulatione in manu accepi rem ſicuti fuerat ſimpliciter ac deuotè celebrata, opitulante Domino in finem permanere. Vt autem & modernis & ſucceſſuræ poſteritati firmum & ratum habeatur, authoritate ſigilli noſtri muneri fecimus ſub chirographi diuiſione.



MAG.

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS

EXPOSITIONES

In Orationem Dominicam,

In Symbolum Apoſtolorum,

In Symbolum S. Athanaſij:

ET

HELOISSÆ PARACLITENSIS DIACONISSÆ

PROLEMATA,

Cum eiuſdem Petri Abaelardi Solutionibus.

Digitized by Google

MAG.
PETRI ABAELARDI
NANNETENSIS,
EXPOSITIO ORATIONIS
DOMINICÆ.

INTER omnia quæ fragilitas humana facere poteſt, vnde placere Conditori, vel eum placare valeat, plurimùm prodeſt oratio, ſi cum pura conſcientia & cordis humilitate fiat. Ideo dico cum pura conſciẽtia & cum cordis humilitate, quia ſi conſcientia fuerit ſorde prauæ voluntatis, vel operis næuo polluta, ſi cor noſtrum inani fuerit elatione repletum, oratio noſtra apud Deum non recipitur, nec noſter animus exauditur. Qui auertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Mediator itaque Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus humanæ ſaluti conſulens & illi miſericorditer prouidens, inter cætera ſanctiſſimæ doctrinæ verba formã orationis inſtituit, & quomodo Patrem orare debeamus, edocuit dicens. *Cum orabitis non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum ſtantes orare: Orantes autem nolite multum loqui ſicut Ethnici: Putant enim quia in multiloquio ſuo exaudiantur, ſic ergo vos orabitis Pater noſter qui es in cælis, &c.* In hac oratione Dominica ſeptem petitiones eſſe dignoſcuntur. Prima petitio eſt, *Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.* Secunda, *Adueniat regnum tuum.* Tertia; *fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Quarta, *panem noſtrum quoti-*

Digitized by Google

dianum da nobis hodie. Quinta, *& dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sexta, *& ne nos inducas in tẽtationem.* Septima, *sed libera nos à malo Amen.*

Prima Petitio.

PATER noster qui es in cælis, &c. Ecce, charissimi, singulis fere diebus Clerus & populus, viri & mulieres, sed præcipuè diebus solemnibus gregatim ad basilicas euolant, vestibus melioribus coram aspectibus hominum singuli pro posse suo se adornant, domum Dei sancti quasi filij Dei communiter intrant, genua flectunt, pectora tundunt, manus expandunt, ora aperiunt, preces fundunt dicentes: *Pater noster.* sed, quod sine graui mœrore dicendum non est, quàm multi domum Dei, Dominum deprecaturi, ingrediuntur, & quàm pauci exaudiuntur? Quàm multi Dominũ vocant in hac oratione *Pater noster*, qui non sunt eius filij, sed illius Patris de quo scriptum est, *vos ex fratre Diabolo estis*? Dei non sunt filij, qui iam dius perdiderunt gratiam: diaboli sunt filij, quia per superbiam eos genuit, & nutrit per culpam. Filij sunt diaboli omnes immundi, concubinarij, ad vltimum auari, maledici, funeratores, & alijs quibuscumque damnabilibus peccatis deprauati qui dicunt fratri suo, *fatue*: qui vident mulierem ad concupiscendũ eam. Et quicunq;, etsi nõ peruerso opere peruersa tamẽ à Deo separati sunt voluntate, & quod multò grauius est, quod magis flendum est, non solũ vulgares & indocti laici, verùm etiam & innumerabiles nostri temporis Sacerdotes, qui sacro perunctí sunt oleo, qui quotidie sacris ornãtur vestibus, sacris adsistunt altaribus, qui sacramentum Dominici corporis & sanguinis tractare mundissimis manibus debent, Dominum pro se sibique commissis placare deuotis precibus: Ipsi, inquam, sordibus vitiorum inuoluuntur, ipsi maculis peccatorum polluuntur, sed & (quod sceleſtius est) non solum talibus qualibus multi laici fœdantur sceleribus; sed multo grauioribus, & non in ædificationem, sed in scandalum & in ruinam populorum iam positi, omnibus prouerbium, risus, & contemptus facti sunt. Sciant etiam tales sacerdotes quòd cotidie quando primam horam Deo decãtant, vel semetipsos maledicunt, vel testimonium diuinæ maledictioni s

maledictionis aduerſum ſe dicunt dum proferunt, *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Quicunque igitur (fratres) Deum in Oratione Dominica patrem vocat, quicũque ab eo exaudiri deſiderat, taliter viuat vt Deus eum ſuum filium recognoſcat eſſe per gratiam, qui omnium pater eſt per naturam. Alioquin cùm iudicabitur exibit condemnatus, & oratio huius fiet in peccatum. *Pater noſter qui es in cœlis.* Qui dicit, *Pater*, captat beneuolentiam; Qui dicit *noſter*, excludit ſuperbiam. Qui dicit, *qui es in cœlis*, exhibet reuerentiam. Qui dicit, *Pater*, Captat beneuolentiã, quia piũ clamat. Qui dicit *noſter*, excludit ſuperbiã, quia non ſibi arroganter propriũ, aut ſpecialem; ſed & alijs etiam communem denuntiat. Qui dicit, *qui es in cœlis*, exibet reuerentiam: quia non ſolum infimis, ſed & ſummis eum præſidere prædicat. *Sanctificetur nomen tuum*, Multa ſunt nomina diuina. Quod ergo nomen petimus ſanctificari, cùm dicimus, *ſanctificetur nomen tuum*? Nomen Dei fides eſt Dei, per quam credentibus innoteſcit. *Sanctificetur nomen tuum*, ſanctificetur fides tua, quæ eſt noticia tui. Sed nunquid nomen Domini non eſt ſanctificatum & ſanctum? Omnes ſcripturæ clamant, omnes reſonant, *Sanctũ nomen tuum.* Nomen quidem Domini, fratres, ſanctum eſt, ſed adhuc in cordibus quorumdam ampliùs ſanctificari poteſt. Poteſt namque ſanctificari in cordibus paganorum, in quibus nondum ſanctificatum eſt per fidem: in cordibus Iudæorum, in quibus nondum ſanctificatum eſt per fidei conſommationem: in cordibus falſorum Chriſtianorum, in quibus non eſt ſanctificatum per dilectionem. Poteſt quoque ampliùs ſanctificari in cordibus electorum per maiorem fidei confirmationem, & maiorem Dei & proximorum dilectionem. Quanto etenim quiſque perfectiùs Deum credit & diligit, tantò ampliùs nomen patris in ſe ſanctificat & ſanctificatum demonſtrat. *Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum.* Sanctificetur nomen tuum in cordibus paganorum: ſanctificetur in cordibus Iudæorum, vt & illi in te credant, & iſti perfectiùs credant, & vtrique diligant. Sanctificetur in cordibus falſorum Chriſtianorum, vt ſicut habent per fidem tui cognitionem, ſic quoque habeant per affectum & dilectionem. Sanctificetur adhuc in cordibus electorum per maiorem claritatem cognitionis, & maiorem ſuauitatem

dilectionis. *Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum.*

Secunda Petitio.

ADVENIAT regnum tuum. Quid eſt quod petimus dum dicimus, *adueniat regnum tuum*? nunquid non habet regnum Deus? nunquid non eſt Rex Deus? ſi Deus non eſt Rex, aut ſi non habet regnum; quid eſt quod Pſalmiſta ait, *Quoniam Rex omnis terræ Deus, Pſallite ſapienter?* Ergo Rex eſt Deus, & regnũ habet Deus. Quare ergo petimus, vt adueniat regnũ eius? Quando petimus vt adueniat regnum eius, non petimus vt adueniat in hoc quod iã eſt, ſed in hoc quod nondũ eſt, vel potius manifeſtetur in eo quod nondũ manifeſtũ eſt. Ad hæc & naſcituri ſunt multi, qui ad regnum eius ſunt prædeſtinati: Et qui prædeſtinati nec dum ſunt de regno ipſius eſſe, omnibus manifeſtat. Adueniat ergo regnum tuum, ô Pater cæleſtis, vt per naturam carnis generentur ad regnum tuum prædeſtinati, & per gratiam baptiſmi regenerentur: & fiant iuſti, & per claritatem iuſtitię omnibus manifeſtentur eſſe filij regni tui. *Adueniat* ergo *regnum tuum*, vt in fine ſeculi, in die iudicij, in reſurrectione generali, ſeparentur grana à paleis, agni ab hœdis, frumentum à zizanijs, & Eccleſia tua, quæ eſt regnum tuũ, de preſſura ſeculi præſentis te vocante tranſeat in gloriam patriæ cæleſtis. Item *adueniat regnum tuum*, vt ſicut regnas in iuſtificatis, ita citò regnes in iuſtificandis: Et ſicut regnas in illis qui iam ſunt boni, ſic expulſa poteſtate dęmonum regnes & in illis, qui adhuc ſunt mali. *Adueniat regnum tuum.*

Petitio tertia.

FIAT voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Scimus quod in cœlo nemo Sanctorum vel Angelorum à voluntate Dei deuiat, nemo illi contradicit. Quando ergo fieri poterit, vt nõ volũtas Dei ita in terra ſicut in cœlo fiat, vt videlicet in terra nemo vel per ignorantiam, vel per fragilitatem humanam delinquat: cùm infans vnius diei non ſit ſine peccato ſuper terram, & in multis offendamus omnes. Sed ſciendum quòd, *ſicut*, non eſt quantitatis, ſed qualitatis, & ſimilitudinem inſinuat, non æqualitatem. Siquis ædificaret domum paruam

Digitized by Google

ſecundum formam & diſpoſitionem domus maioris, non diceremus de parua domo, Tanta eſt iſta quanta illa maior: ſed diceremus, Talis eſt iſta qualis illa; talis ſimilitudine, non tanta quantitate. *Fiat* ergo ô Pater, *voluntas tua ſicut in cælo* per Angelos, & per Sanctos per primam ſtolam iam glorificatos: ita *in terra* per homines iuſtificandos & glorificandos, vt ſicut illi faciunt voluntatem tuam in cælo, ita eam faciant iſti in terra, etſi non ſecundum æqualitatem, tamen ſecundum ſimilitudinem: ſi non ſecundum illorum perfectionem, tamẽ ſecundum perfectionis illorum imitationem. *Fiat voluntas tua*, non ſolùm in electis per bonorum operum exibitionem, verum & in reprobis per malorum diſpoſitionem. Quamuis verò malorum diſpoſitor, & quamuis ſub poteſtate tua multa ſunt mala, nulla tamen relinquis inordinata: & ſic fit in omnibus voluntas tua.

Petitio quarta.

PANEM noſtrum cotidianum da nobis hodie. Fecit Deus hominem ex ſubſtantia duplici, corporea ſcilicet & ſpirituali. Quia igitur homo compoſitus eſt ex duabus ſubſtantijs, neceſſarius eſt ei duplex panis, corporalis & ſpiritualis. Corporalis reficit corpus, ſpiritualis animam ſatiat. Corporalem petimus, quia niſi Deus fecerit terram germinare, non poterit fructus ſuos miniſtrare. Spiritualem panem à Deo poſtulamus, quia nec ipſum niſi ipſe dederit percipimus. Hunc habent nobis diſpenſare Sacerdotes. Hinc iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Quis verò eſt noſtris temporibus fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore fideliter & prudenter? Fideliter quantum ad Deum, vt videlicet cum tanta fide, tanto timore, tanta ſimilitudine, tanta inſtantia, tanta diligentia, quemadmodum præcipit Dominus, verbum Dei diſpenſet. Prudenter, quantum ad homines, vt ſecundum capacitatem ſingulorũ ſingulos erudiat. Sed (quod ſine graui luctu dicendum non eſt) mundus Sacerdotibus plenus eſt, & tamen ſi ſit qui bonum audiat, non eſt qui dicat iuxta illud, *Paruuli petierunt panem, & non eſt qui porrigat eis.* Quid dicturi ſunt quidam moderni ſacerdotes in die iudicij,

Digitized by Google

qui ordinem ſacerdotalem ſuſceperunt, ſed inordinatè viuere non erubeſcunt? Quidam verò in conuiuijs & potationibus cum vulgo prorſus indocto, prauis moribus corrupto tota die ſedent, fabulantur, & quæ dicenda non ſunt turpiter operantur. Lanis gregis Dominici ſuperbe veſtiuntur, lacte paſcuntur, & oues fame & pecunia verbi Dei moriuntur. Trāſeunt feſta, tranſit integer annus, quòd nec vnum verbum de ore ipſorum egreditur, quo plebs ſibi commiſſa erudiatur, de malo corrigatur, ad bonum reuocetur, & in bono confirmetur. Cotidie tamen ſe Deo præſtare obſequium arbitrantes: verba diuinæ laudis iubilant, immò ſibilant, & audientes & intendentes ſono vocis, geſtu corporis ſcandaliſant, non ædificant. Cogitare deberent huiuſmodi ſacerdotes animaduerſiones Propheticas aduerſum ſe eſſe prolatas, quibus dicitur: *Erit ſicut populus ſic ſacerdotes.* Et item, *Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt Dominus: & tementes legem neſcierunt me.* Et illud, *Canes muti non valentes latrare.* Et, *Canes impudiſſimi neſcierunt ſaturitatem.* Nemo itaque ab iſtis ſacerdotibus expectet ſibi dari panem ſacræ doctrinæ, quia vel neſciunt docere, vel contemnunt. Conſiderent potius illis in locis doctos & dignos ſacerdotes, bonæ vitæ & famæ: illos adeant & audiant, ab eis doceri ſuppliciter requirant. Sunt autem quidam prædicatores, qui ſicut zizania in agro Domini à Diabolo ſunt ſeminati, qui totum mundum cum ſuis philacterijs peragrant, & indoctum vulgus & peccatis oneratum verbis mendacibus beatificant, dicentes: *pax, pax*, cùm non ſit pax. Vnde Iſaias, *Populeus meus, qui te beatificant ipſi te ſeducūt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Et iterum, *Erunt qui beatificant, & qui beatificantur præcipitati.* Panem noſtrū pater da nobis hodie, paſce Domine, paſce tu ipſe oues tuas: vnctio tua doceat eas de omnibus, vt ſpiritus tuus per internam aſpirationem vel doctrinā infundat quam talium ſacerdotum os mutum non diſpenſat. Panem itaque noſtrum cotidianum da nobis hodie, panem ſcilicet corporalem & panem ſpiritualem. Panem corporalem, vt facias terram germinare, & fructus ſuos temporibus ſuis reddere. Panem ſpiritualem, vt inſpires Prælatis & doctoribus Eccleſiæ tuæ doctrinam tuam ſibi traditam ſtudeāt feliciter nobis & prudenter diſpenſare. Et ſi illi non curant panem iſtū nobis frangere, tu ipſe nos paſce per occultam ſpi-

Digitized by

ritus tui aſpirationē, vt intus per te capiamus panē, quo foris fraudamur per illorum taciturnitatem. *Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie.*

Petitio quinta.

DIMITTE nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quàm multis timenda, quàm multis perniciosa eſt, fratres, iſta oratio! Multis etenim plus confert detrimenti quàm augmenti, plus damni quàm lucri. Sunt namque quidam, qui per magnam vel longam malignitatis vel odiorum malitiam *obdurati, illos qui per aliquam iniuriam facti ſunt illis debitores, manibus ſuis lędere vel iugulare cōcupiſcunt: nec pro timore Dei, nec precibus hominum ſatisfactionem recipere, vel concordiam facere volunt. De talibus ſcriptum eſt, *Vua eorum, vua fellis, & botrus amariſſimus. Fel draconum vinea eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Qui cùm tales ſint, ſecretè tamen ad Eccleſiam confluunt, & corā Deo & altari eius orantes dicunt: *Pater noſter, dimitte nobis debita noſtra, &c.* ſed ô miſera inſipientia! ô infelix præſumptio, irā Dei aduerſum ſe precibus prouocare! Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit miſericordiam? Sunt autem quidā imperfecti, quorum imperfectioni, ſicut dicit beatus Auguſtinus, diuina miſeratio condeſcendens, concedit vt ſaltem tunc debitoribus ſuis debita dimittāt, cùm ipſi debitores indulgentiā ab eis ſibi dari poſtulauerint. Sicut Dominus ſeruo ſuo nequam feciſſe legitur, quemadmodum ſcriptum eſt, *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quia rogaſti me.* Quicunque autem rogatus à debitore debitum cuiſlibet iniuriæ dimittere contemnit, in vanum ſibi à Domino dimitti debitū peccati ſui petit. Quinimò magis illud iram iudicis aggrauat quàm alleuiat. Quamuis verò imperfectis concedatur ſua poſſe requirere, ſatisfactionem de ſibi illata iniuria recipere, & à debitoribus rogari de indulgentia: ſi tamen nihil horum fieri contingat, debent omnino proprij cordis iram refrenare, & tenebras odiorum à ſe pellere, memores illius Iacobi Apoſtoli, *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* Et, *Qui odit fratrem ſuum, hoc eſt, omnis homicida, non habet partem in regno Dei.* Perfectorum autem eſt omnibus omnia corde puro, vultu iocundo ſine reſtauratione rerum, ſine ſatisfactione iniu-

* al. militiā

Digitized by Google

riarũ, & ſine precibus, ſuis debitoribus indulgere: inſuper & ſua tribuere, & obſequia charitatis exhibere. Prouideat igitur vnuſquiſque ſibi in oratione iſta, *Dimitte nobis pater debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* : & ſi pro aliqua fragilitate vel etiam pernicie nos videas non dimittere ſicut debemus, da nobis gratiam vt ſecundum voluntatem tuam dimittamus, & ſic tuam indulgentiam conſequamur. Da vt ſic diligamus homines, vt eorum non diligamus errores : vt ſic in eis diligamus naturam, vt non diligamus culpam: vt ſic diligamus quod ſunt, vt non diligamus quod malè faciunt. *Dimitte nobis debita noſtra.*

Petitio ſexta.

Et ne nos inducas in tentationem. Cùm ſcriptum ſit, *Deus intẽtator malorum eſt, ipſe neminem tentat: vnuſquiſque autem tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, Quid eſt quod petimus cùm dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem*? Eſt igitur ſenſus: Ne nos inducas in tentationem, non vt nunquam nos permittas tentari, ſed vt nunquam permittas à tentatione ſuperari. Et da vt per tentationes probemur, non reprobemur. Multum enim proſunt tentationes electis; quia per tentationum victoriam pertingunt ad coronam. Vnde Iacobus Apoſtolus, *Beatus vir qui ſuffert tentationem, &c.* Item, *Omne gaudium exiſtimate fratres cùm in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ*, quæ ſubaudis, per tentationes fit, *patientiam operatur*: vnde, *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Tentationum quatuor ſpecies ſunt: Alia enim leuis & occulta: Alia leuis & manifeſta: Alia grauis & occulta: Alia grauis & manifeſta. Tria autem ſunt quæ nos tentant, caro, mundus, diabolus. Caro nos tentat per gulam & luxuriam: Mundus per proſpera & aduerſa: per proſpera vt decipiat, per aduerſa vt frangat: Diabolus omnibus modis nos aggreditur, & ad omnem nequitiam nos perducere conatur. *Pater, ne nos inducas in tentationem*: ne nos permittas tentari ſupra id quod poſſumus: ſed fac etiam cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere. *Ne nos inducas in tentationem.*

Digitized by

Petitio ſeptima.

SED *libera nos à malo*: Multa ſunt mala, quibus humana conditio ſubiacet, & quorum preſſuram per ſe minimè euadere valet; Quæ generaliter conſiderata ſex modis diſtinguere poſſumus. Malum enim aliud eſt corporis, aliud animæ. Item aliud eſt malum, quod eſt culpa, aliud quod eſt pœna. Item aliud præſentis ſeculi, & aliud futuri. Ab omnibus iſtis, & ab alijs quę per iſta comprehenduntur petimus liberari. Et ſub iſtis continentur, quando oramus dicentes, *libera nos ab omni malo*: quia niſi tu liberes nos, non poterimus ſine te liberari. *Libera* ergo *nos* tu Pater *à malo.*

Concluſio harum Petitionum.

AMEN. Interpretatur verè, & concludit omnes præcedentis Orationis Petitiones: *Amen*, quaſi dicamus, O pater noſter qui es in cælis, verè ſanctificetur nomen tuum, verè adueniat regnum tuum, verè fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, verè panem noſtrum quotidianum des nobis hodie, verè dimittas nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, verè ne nos inducas in tentationem, verè liberes nos à malo. Iſta eſt, fratres, iugiter meditanda, iſta eſt iugiter dicenda Oratio, vtpote quam ipſe Saluator docuit, & qua nobis Patrem orare præcepit. Nulla eſt enim iſta ſublimior, nulla vtilior. Sunt quidam qui ſicut Ethnici gloriantur multa verba fundere, multa Pſalteria legere, diuerſas Horas decantare, prolixas orationes continuare: Et cùm ore Domino loquuntur, nonnumquam in finibus terræ vagantur. Meminerint tales ſcripturæ qua dicitur, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Neque iſta dicentes, ſanctæ Orationis ſolertiam & perſeuerantem deuotionem culpamus, quam multum laudamus, dum prolixitatem Orationis comitatur feruor maximus deuotionis.

Eſt & alia huius Orationis expoſitio infrà, Serm. in diebus Rogationum.

Digitized by Google

EIVSDEM MAG.

PETRI ABAELARDI EXPOSITIO SYMBOLI,

Quod dicitur Apoſtolorum.

INSTITVTVM, fratres, à Patribus ſanctis habemus, tam Symbolum fidei, quod dicitur Apoſtolorum, quàm Orationem Dominicam ab omnibus communiter Chriſtianis debere ſciri, & memoriter retineri, vt promptiùs queant frequentari. In illo quippe fidei confeſſio breuiter eſt expreſſa: in iſta inſtruimur à Domino poſtulare neceſſaria. Ex Concilio Remenſi Capitulo VIII. *Vt omnis Presbyter omnibus parrochianis ſuis Symbolũ & Orationem Dominicam aut ipſe inſinuet, aut inſinuanda iniungat: vt cùm ad confeſſionem tempore Quadrageſimali venerint, hæc ab vnoquoque memoriter ſibi decantari faciat. Nec ante ſanctam Communionem alicui tradat, niſi hæc ex corde pronunciare nouerit. Siquidem ſine horum ſcientia nullus ſaluus eſſe poterit. In vno enim fides & credulitas Chriſtiana continetur, in alio quid orare & petere à Deo debemus exprimitur.* Quòd vero ſine fide nemo poſſit ſaluari, Dominus oſtendit cùm dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Nullus autem credere poteſt quod neſcit nec audiuit. Ait enim Paulus: *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Nec ſola ſufficit fides in corde, niſi etiam verbo enuncietur, vt idem Apoſtolus teſtis eſt: *Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem.* Nullus autem de ſtoliditate ſenſus, vel tenuitate ingenij cauſetur; quia hæc tã parua ſunt, vt nemo tam hebes & barbarus ſit, qui hoc dicere, & verbis omnibus enunciare non poſſit: tam magna, vt qui horum ſcientiam pleniter capere potuerit, ſufficere ſibi credatur ad ſalutem perpetuam.

ILLVD etiam obſeruandum, vt nullus ſuſcipiat infantem in baptiſmo à ſacro fonte, antequam idẽ Symbolum & Orationem Dominicam corã Preſbytero decantet. Ex Concilio Cabilonenſi

Cabilonenſi Capitulo III. *Iubendum eſt, vt Oratio Dominica, in qua omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur; & Symbolum Apoſtolorũ, in quo fides Catholica ex integro cõprehenditur, ab omnibus diſcatur tam Latinè quàm Barbaricè, vt quod ore confitentur corde credant.* Ex Concilio Pariſienſi, cap. II. *Vt nemo à ſacro fonte aliquem ſuſcipiat, niſi Orationem Dominicam & Symbolum iuxta linguam ſuam & intellectum teneat, & coram Presbytero decantet: & vt intelligant omnes pactum quod cum Deo pepigerunt.* Ex Concilio Garinazienſi, cap. I. *Caueant Presbyteri, vt neque viri, neque feminæ de ſacro fonte filios vel filias ſuſcipiant, niſi memoriter Symbolum & Orationem Dominicam tenuerint.* Ex Concilio Agathenſi, cap. XII. *Symbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis octaua die ante Dominicam Reſurrectionis publicè in Eccleſia competentibus tradi.*

HAC itaque auctoritate Patrum eruditi, præſenti die ante Reſurrectionem octauam decreuimus prædicti Symboli non verba docere, quæ iam didiciſtis: ſed aperire ſenſum eorum quæ profertis; cùm cordis potiùs fides ſit quàm oris, & priùs ipſa ſit habenda quàm eius confeſſione facienda. Quem etiam ordinem Apoſtolus aſſignans, *Corde*, inquit, *creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Dicit enim Scriptura: *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* Et poſt aliqua: *Quomodo autem credent ſi non audierint? Quomodo autem audient ſine prædicante? &c.* Hoc igitur, fratres, tam ſalubre conſilium ab ortu ſuo Eccleſia prouidens, breuiſſimum fidei Symbolũ compoſuit, quod & ſummam fidei comprehenderet, & verborum multitudine confitentem non grauaret. Hoc autem illud eſt quod non Conciliorum, ſed ipſorum eſſe creditur Apoſtolorum: & iuxta numerum eorum totidem ſententijs dicitur comprehenſum. Symbolum autem collatio dicitur, quando videlicet homines conuiuaturi partes ſuas in vnum conferunt, vnde comeſſationes fiant. Hinc illud eſt in Prouerbijs. *Noli eſſe in conuiuijs potatorum, nec in commeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola, conſumuntur.* Ad hanc itaque ſimilitudinem Symbolum dicuntur diuerſorum ſententiæ in vnum cõgregatæ, ſummam fidei continentes. Vnde & Euſebius Emiſenus Homilia de Symbolo fidei: *Sicut nonnullis ſcire permiſſum eſt, apud veteres ſymbola vocabantur, quod de ſubſtantia collecti in*

vnum ſodales in medio conferebant ad ſolemnes epulas, ad cœnæ communes expenſas. Ita & Eccleſiarum Patres de populorum ſalute ſolliciti, ex diuerſis voluminibus ſcripturarum collegerunt teſtimonia diuinis grauida Sacramentis; ad animarum pactum ſalubre conuiuium, verba breuia, &c. & hoc Symbolum nominauerunt. Eſt quippe quaſi quoddam ſpiritale conuiuium diuini verbi refectio, & quaſi quædam menſa ſcriptura nobis appoſita: in qua tot ſunt fercula quot ſunt Doctorum ſententiæ. De hac menſa ſcriptum eſt: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Itē de pane diuini verbi: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: Sed etiam apud Philoſophos Timæus Platonis diuerſarum collationem ſententiarum ſub ſpecie cuiuſdam conuiuij componit, dicens: *Vnus, duo, tres, quartum enimuero veſtrum, Timæe, requiro; qui heſterni epuli conuiuæ fueritis, hodierni præbitores mutatores ex condicto reſideatis.* Legimus & cœnam Cypriani, in qua ſancti Patres, quaſi quædam fercula virtutum, quibus præminebant, offerentes inducuntur. Sic & Apoſtoli tanquam inuicem conferentes, communi deliberatione præſens fidei Symbolum creduntur inſtituiſſe; in quo & fidei Catholicæ ſumma, vt dictum eſt, doceatur, & eius ſalubris confeſſio paucis verbis conferatur: vt ſimul & doctrina fidei ſit perfecta, & nulla ſit verborum prolixitas oneroſa. Quod quidem poſtmodū à ſanctis Patribus tanta eſt diligentia roboratum, vt nemini fidelium liceat verba eius ignorare ad confitendum; etſi nondum ſufficiat ad intelligendum. Sed quoniam ſonus ſine intelligentia aures tantùm mulcere, non mentem reficere poteſt, & balatus potiùs quàm paſtus dicendus eſt: nec mentem excitant audita, ſi minimè fuerint intellecta: nos, qui litterarum ſcioli videmur, niti iam conuenit, vt de ſenſu verborum ſumamus animæ paſtum: nec tam ore corporis ſonum, quàm ore cordis capiamus ſenſum. Quales quidem aures tantùm Dominus requirens, dicit: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Cùm autem fides omnium bonorum ſit fundamentum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & cordis ipſa ſit potiùs quàm oris, corde enim, vt dictum eſt, creditur: magis ei cordis quàm corporis aures ſunt applicandæ, vt quod verbis aſſerimus, intelligentia capiamus. Non enim longè eſt à mendacio, qui quod neſcit profitetur, & periurij reus eſt, qui iurat quod

Digitized by

ignorat. Quod quidem ne præſumamus, illa nos Apoſtoli reprehenſio compeſcat, qua quibuſdam improperans, ait: *Neſcientes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.* Nullũ eſt autem periculoſius mendacium vel error, quàm in his quę ad fidem pertinent: & quaſſa eſt verborum prolatio, quam intelligentia non ſequitur: quæ ad hoc tantùm inſtituta ſunt, vt intelligentiam conferant audita. Quanto autem diuinorum verborum ſalubrior eſt intelligentia, tanto hæc à nobis ampliùs eſt requirenda. Ad quam nos ſuprà memoratus adhortatur Apoſtolus, vt cùm diuinæ laudis benedictiones vel orationes quælibet in Eccleſia fiũt, vel aliquid dicitur ad confirmationem, cuius vel precis complectionem *amen*, ſeu *fiat*, eſt reſpondendum, à nemine id reſponderi permittat, qui ea quæ præceſſerunt non intelligat. Sic quippe Corinthijs ſcribẽs de idiota litteras ignorante, & quaſi ad reſpondẽdum in Eccleſia cuiquam aſtante: *Quomodo dicet amen ſuper tuam benedictionem qui quid dicas neſcit?* Quod & beatus Hieronymus memoriter tenens cùm Marcellam de diuerſis nominibus Hebraicis erudiret: *In Hebræo*, inquit, *legitur amen, quòd ſcilicet ea vera ſint dicta quæ ſupra confirmantur.* Vnde & Paulus aſſerit non poſſe aliquem reſpondere amen, id eſt cõfirmare ea quæ ſupra dicta ſunt, niſi intellexerit prædicationem. Qui & ad omnium intelligentiam, quæ in Eccleſia dicuntur, vehementer nos excitans, *Impleamini*, inquit, *Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritalibus.* Non enim ſibi vel ſecum loquitur, qui quod dicit minimè intelligit: cùm totum, vt dictum eſt, ſermonis officium ad intelligentiam ſit accommodatũ: nec ſermo ſine intelligentia prolatus tam ſermo quàm ſonus ſit habendus. Vt igitur, iuxta Apoſtolum, malicià paruuli, ſenſu autem perfecti, firmum teneamus fidei fundamentum, quod propoſuimus expoſitionis luce, prout Dominus annuerit, conſummemus.

CREDO in Deum. Sed vt confeſſionis ſuæ veritatẽ obſeruet, ne os quod mentitur occidat animam, attendere primũ debet & quid ſit credere in Deum. Aliud quippe eſt credere Deum, aliud credere Deo, aliud credere in Deum. Credere quippe Deum eſt æſtimare quòd ipſe ſit. Credere Deo, verbis eius, quòd vera ſint, vel à falſitate penitus aliena, conſen-

Digitized by Google

tire. Credere verò in Deum, eſt credendo eum diligere: & ſic eius membrum fieri vel eſſe. Hæc verò illa eſt fructuoſa fides, quæ, vt dicit Apoſtolus, per dilectionem operatur; & de qua, vt diximus, ſcriptum eſt: *Omnis qui credit in illum non confundetur.* In illum inquit, potiùs quàm illum, vel illi. Illi quippe duo priores fidei modi, cùm videlicet Deum vel Deo credimus, communes nobis ſunt cum reprobis, & cum ipſis etiã dæmonibus. De quibus & beatus meminit Iacobus, quia dæmones credunt & contremiſcunt, & fides ſine operibus mortua eſt. Hic verò tertius credendi modus, quo videlicet in Deum creditur, ſolus inter reprobos diſcernit & electos. Vt igitur vera ſit noſtra fidei confeſſio, qua ſinguli cotidie dicimus, *Credo in Deum*, ſic viuere ſtudeamus, vt hoc verè dicere valeamus. Aliter quippe membrum Veritatis non erimus, & plus nobis officit falſitas confeſſionis, quàm eius prolatio adiuuet. Cùm autem ſingula, quæ in hac fidei confeſſione ſequuntur, ita huic principio cohæreant, atque hinc pendeant, vt ſi huius veritas violetur, non poſſit in ceteris ipſa cuſtodiri; cùm videlicet dicitur, *Credo & in Ieſum Chriſtum, & in Spiritũ ſanctum &c.* fruſtra reliqua confitemur, ſi confeſſionis exordium falſitatis habeat fundamentum.

PATREM omnipotentem. Cùm præmiſerit Deum, vnũ videlicet, non plures, deitatis aſtruxit vnitatem. Nunc verò perſonarum annectit diſtinctionem, cùm Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum commemorat. Omnipotens dicitur, vt beatus meminit Auguſtinus, non quòd omnia poſſit, hoc eſt, quaſlibet in ſe ſuſcipere actiones; ſed quòd eius voluntati vel diſpoſitioni nulla reſiſtere poteſtas, vel cuiuſque naturæ vis eam impedire poſſit. Benè autem cùm nos in Deum credere confitemur, omnipotentiam eius memoramus, vt quàm rectum ſit in eum credere, vel ſpem noſtram in eum ponere, cuius tanta ſit potentia, declaremus. Vnde & Apoſtolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

CREATOREM cæli & terræ. Dicturus eum creatorem omnium eſſe, præmiſit omnipotentem: vt oſtenderet eum hoc poſſe qui omnia poſſit, & cuius voluntati nihil reſiſtere queat. Creatorem autem cœli dicit, hoc eſt de nihilo, non de præjacente materia omnia, ex quibus cõſtat mundus, operatum. Cælum quippe, quod tam aëreum quàm æthereum

Digitized by

dicitur, ſuperiores mundi partes hîc appellat: terram verò, inferiores quæ pondere ſuo in vno ſubſiſtunt, tam aquaticam ſcilicet quàm terrenam ſubſtantiam. Poſſumus & per cœlum & terram ita vniuerſam includere creaturam, vt cælum dicamus dignitatem ſuperiorem, id eſt ſpiritalem quamlibet naturam: terram verò quamcumque corpoream. Cùm autẽ ita omnium creatorem Deum commemorat, quantùm ei debeant vniuerſa patenter inſinuat.

ET in Ieſum Chriſtum. Filij Dei perſonam præſens Symbolum nobis commendans, eius diuinitatem pariter & humanitatem commemorat, & tam regni eius quàm ſacerdotij dignitatem, vnde Chriſtus dictus eſt, deſignat: per quæ duo nobis Ieſus, id eſt Saluator efficitur. Nam quia tam regia quàm ſacerdotalis dignitas per vnctionem inſtituitur; hinc merito Chriſtus eſt appellatus Rex iſte ſummus, & Sacerdos ſupremus, & Saluator verus. Vnde & hæc nomina iam quaſi propria meruit obtinere; vt iam cùm audimus Chriſtum vel Ieſum, eum per excellentiam ſolum intelligamus. Rex autem nobis eſt quaſi ſupremus Dominus, & nobis præſidens, & inter huius ſeculi procellas & turbines Eccleſiam ſuam nauem propriam ad portum tranquillitatis æternæ regendo dirigens, & tam verbis quàm exemplis diſciplinæ regulam nobis tradens. Sacerdos autem, immò & Pontifex nobis factus eſt, dum in Cruce ſuſpenſus tanquam in ara pro nobis immolatus eſt. Vnde autem nobis tam Chriſtus, vt dictum eſt, quàm Ieſus verus exiſtat, diligenter aperit: cùm eum tam Dei quàm hominis filium eſſe conſequenter annectit, dicens:

FILIVM eius, id eſt Dei Patris, *vnicum*; ne adoptiuus, ſed conſubſtantialis putetur. Et ruſum, *qui conceptus eſt*, &c. Quod tamen dicimus vnicum, quibuſdam videtur magis ad Dominum quàm ad filium eſſe coniungendum, ſiue ad vtrũque ſimul: vt ſicut eſt vnicus filius Patri, ita & vnicus ſit Dominus nobis. Sicut enim perſonam Patris commendans, eum & omnipotentem, & cæli & terræ dixit creatorem: ita nunc ad honorem Filij eum non ſolummodò Chriſtum & Ieſum, verumetiam Dominum confitemur noſtrum & vnicum, id eſt ſolum Dominum noſtrum, ſecundum hoc quod eius ſolius precioſo ſanguine empti ſumus. Aut ſi fortè quem mo-

uet etiam Patrem & Spiritum ſanctum non minus noſtrum dici Dominum, ſciat ita Filium ſolum dici Dominum noſtrum, vt præter eum non ſit alius omnium Dominus. Licet enim vtraque aliarum perſonarum æquè Dominus noſter ſicut & Deus ſit dicenda, quia non eſt alius Dominus vna perſona quã alia, ſicut nec alius Deus quælibet earum: ita Deus vel Dominus ſola eſt dicenda, vt nullatenus res alia Dominus ſit exiſtimanda, vel ab ea Dominus ſit credendus; cùm idem Dominus ſicut & Deus vna ſit perſona cum alia.

QVI conceptus eſt. Qui, inquam, Chriſtus, ſiue qui filius Dei ſecundum aſſumptam humanitatem conceptus eſt, &c. Ac ſi diceretur: Cuius humanitas de ipſa ſubſtantia Virginis per operationem diuinæ gratiæ concepta eſt, & nata. Nam & cũ ſinguli homines ex anima conſtent & corpore, ſecundum tamen ſolam corporis naturam, quæ traducitur, concipi à matribus, vel naſci dicuntur. Bene autem dicturus eum de Virgine natum, ne quis quæreret qualiter id fieret, præmiſit cõceptum per Spiritum ſanctum: ſicut & matri quærenti, *Quomodo fiet iſtud?* dictum eſt ab Angelo, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, &c. Ex quo quidẽ non mediocriter ipſam quoque Spiritus perſonam nobis commendat, dicendo videlicet per operationem eius illud corpus eſſe conceptum, in cuius hoſtia omnium redemptio eſt conſummata. Quod nec minus per ipſum Spiritum Apoſtolus dicit pro nobis oblatum ſicut & conceptum. Hinc eſt illud ad Hebræos, vbi in hac noſtræ ſalutis conſummatione totius Trinitatis operationem commemorans, ait: *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quãtò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiã noſtram ab operibus mortuis?* Cùm autẽ ipſum vel cõceptum vel natũ de Spiritu S. audimus, aliter à Virgine conceptũ, aliter cũ de Spiritu conceptũ; vel aliter eum de Spiritu natum, aliter de Virgine natũ intelligamus. A Virgine quidem, vel de Virgine, ſecundum quod de ſubſtantia eius tanquam matris carnem acceperit. De Spiritu verò, ſecundum hoc quod per diuinæ, vt dictum eſt, gratiæ nouam ac mirandam operationem factum eſt: ad quam nulla inſtitutio naturæ ſufficere poterat. Non ergo ita in hac natiuitate vel incarnatione Domini patrem eius intelligere debemus Spiritum ſanctum, ſicut eius matrem pro-

Digitized by

fitemur virginem. Sicut enim illa eius æterna generatio de ſubſtantia Patris ſine matre eſt, ſic iſta temporaliter de matre ſine patre eſt. Operatorem itaque, vt dictum eſt, potiùs quàm patrem Spiritũ ſanctum hîc intellige, ſicut & in ſingulis quæ facit Deus operator dicitur, vel creator potiùs quàm pater propriè dicendus eſt. Et attende quod cùm dicit Filium Dei de Virgine natum, eundemque tam Dei quàm hominis filiũ eſſe aſtruit, vnitatem perſonæ in duabus naturis, diuina ſcilicet, atque humana, confirmat. Quamuis enim ſecundum diuinitatem ex ſolo Patre ſit genitus, & ſecundum humanitatem ex ſola matre ſit natus; aliáque ſit natura Dei, alia hominis; aliud ſit diuinitas, aliud humanitas: vna tamen eſt in Chriſto perſona, in duabus naturis conſiſtens, nec eſt aliud in perſona Filius Dei quàm filius hominis. Quamuis aliud ſit in natura Verbum quod hominem aſſumpſit, quàm homo ipſe aſſumptus: nec duo ſunt Chriſti, aſſumens & aſſumptus, ſed vnus Chriſtus: ſic nec duo ſunt homines vel duæ perſonæ anima hominis & eius caro, licet aliud ſecundum naturam ſit anima quàm caro, cùm illa videlicet ſit incorporea ſubſtãtia, hæc corporea: hoc eſt, illa corpus, hæc ſpiritus. Si ergo in ſingulis hominibus duæ ſunt naturæ, corporea ſcilicet, atque incorporea, ſed vna tãtùm perſona: ſic & in Chriſto duæ ſunt naturæ, diuina ſcilicet, atque humana, ſed vna ſolummodò perſona. Perſona quippe quaſi per ſe vna dicitur, hoc eſt, ſubſtantia quælibet rationalis ita per ſe ab alijs rebus diſiuncta, vt ipſa ſubſtantiam cum aliqua re alia non conſtituat. Quamdiu ergo anima humana in corpore eſt, perſona dici non poteſt, quia carni coniuncta vnam hominis perſonam atque vnam rationalem ſubſtantiam cum ea conſtituit. Sic & Verbum homini in Chriſto vnitum vnam Chriſti perſonã, non duas reddit. Iuxta quam quidem vnionem perſonæ eundem Chriſtum tam Dei filium quàm hominis profitemur, & tam Dei filium quàm hominis dicimus crucifixum, mortuũ, & ſepultum: cùm tamen iſta non niſi ſecundum humanitatem ſint accipienda. Vnde & Paulus Dominum gloriæ crucifixum eſſe non veretur dicere, & qui deſcendit de cœlo, & qui aſcendit, eundem eſſe. Et ipſe Dominus Chriſtus de ſe ipſo loquens: *Nemo*, inquit, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo.* Et iterum: *Si ergo videritis*

filium hominis ascendentem vbi erat prius, &c. Cùm itaque Christus propriè dicatur Deus & homo simul, hoc est tria illa simul in naturis proprijs discreta, Verbum videlicet, anima humana, & caro: ad ostendendum tamen vnitatem personæ tam diuersarum in Christo naturarũ, ita sæpè vocabula permiscemus, vt modo Verbum, modo animam, modo etiam carnem dicamus; & nonnunquam quæ propria sunt Dei, homini ascribamus, vel è conuerso. Cùm enim dicit Apostolus, *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam*: & rursum, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. &c.* quis hoc ad ipsius diuinitatem non referat? Sed & cùm ipsemet Christus de se & Patre loquens, dicat: *Quia ego & Pater vnum sumus*: & rursum, *Quia Pater maior me est*; quis non videat hoc & illud secundum aliam & aliam naturam de ipso dici? Quem etiam cùm dicimus ad inferos descendisse, vel in sepulchro fuisse; quis non illud de anima sola, hoc de corpore solo intelligat? Hoc quippe modo & Petrum Romæ in sepulchro esse, & eũdem in cælestibus cum Christo profitemur gaudere; cùm tamen hoc de alia, & illud de alia dicamus substantia, non tamen de alio Petro quamuis post dissolutionẽ corporis & animæ iã nõ sit vna in Petro, persona ex anima simul & corpore cõpacta. Ad illam tamẽ vnionem pers-næ, quæ iam fuit, non quæ modo sit, respicientes dicimus Petrum ipsum & ibi esse in sepulchro, & in cælestibus cum Christo. Qui etiam sepulchrum alicuius intuentes dicere non veremur: Hic homo qui hîc iacet magnam scientiam & pulchritudinem habuit, cùm tamen illud cadauer nec iam homo sit, nec scientiã habuit, quæ solius erat absentis animæ, nec ipsa anima, quæ scientiã illam habuit, vllatenus habere corporalẽ illam pulchritudinem potuit, sed in diuersis penitus naturis scientia illa & pulchritudo fuerit: illa quidẽ in anima, hæc in corpore. Cùm itaque dicimus hunc, qui hîc iacet, sapientem fuisse, propter vnitatem videlicet personæ, quæ iam non est, sed fuit: cur nõ dicamus de Christo hunc, qui Deus est, hominem esse? vel hunc, qui de cælo descendit, ascendisse? hoc est vnam Dei & hominis, vel Verbi descendentis & hominis personam esse. Alioquin, quomodo dicemus aliquem intuentes hominem, quia hic, qui pulcher est, sapiens est? nisi videlicet secundũ vnitatem

Digitized by Google

vnitatem perſonæ, in cuius diuerſis, vt dictum eſt, partibus pulchritudo & ſapiẽtia ita ſunt diſtincta, vt aliud ibi pulchritudinem habeat, id eſt corpus; aliud ſapientiam, id eſt anima. Sicut ergo dicimus eum, qui pulcher eſt, vel qui animatus, ſapientem eſſe, cùm tamen pulchritudo, vel animatio ſolius ſit corporis, ſicut ſapientia ſolius animæ: ita & vnum eundemque Chriſtum & Deum dicimus & hominem, hoc eſt vnam ex iſtis vel in iſtis naturis conſiſtere perſonam: & cùm Chriſtus adhuc in terra conſiſtens dicit filium hominis in cœlo eſſe, vel in cœlo quondam fuiſſe, quid aliud ſonat niſi humanam naturam ei eſſe vnitam, quæ per præſentiam diuinitatis vbique conſiſtentis à cæleſti celſitudine nõ eſt remota? Quid ita mirum, ſi cùm ſuperiùs præmiſſum ſit filium Dei, ſtatim adiunctum ſit, *Qui conceptus eſt de Spiritu*, vel *natus de Virgine*: hoc eſt, aſſumpta humanitas ſic concepta eſt vel nata? Sic quippe intelligimus & Dominum gloriæ crucifixum, hoc eſt hominem vel corpus ab eo aſſumptum tali patibulo affixum. Iuxta quod & Maria Magdalenæ Dominum ſuum de monumento dicit ſublatum, id eſt corpus Domini ſui: ſicut & dicimus hîc Petrum ſepultum eſſe, de ſolo eius corpore id intelligentes: & rurſum, vt dictum eſt, ipſum in cæleſtibus eſſe, de ſola eius anima hoc intendentes. Sæpe quippè de toto ad partes, vel de partibus ad totum tranſlationes fiunt nominũ: veluti cùm modo animam, modo carnem totum hominem dicimus, & nonnunquam animam deſiderijs carnalibus irretitam carnis nomine deſignamus.

Passvs, ſecundum eandem ſcilicet humanitatis naturã de Spiritu conceptus, vel ex Virgine dictus eſt natus. *Sub Pontio Pilato*, hoc eſt eo ibi dominante vbi paſſus fuit: Pontius vel cognomen vel gentile nomen eſſe patet ex aliquo loco. Benè autem gentilem commemorat Præſidem, vbi ex hoc etiam inſinuet iã illud tempus adueniſſe, quo iã iuxta Prophetiã Iacob ſiue Danielis vnctio regia in populo Iudæorũ defecerat.

Crvcifixvs. Genus quoque patibuli determinat, quod ignominioſius erat, ſicut & prædictum fuerat, *morte turpiſſima condemnemus eũ*. Et ita *mortuus & inſuper ſepultus*, vt in omnibus humanitatis veritas comprobetur, & tantò ampliùs diligatur à nobis, quantò grauiora vel indigniora ſuſtinuit pro nobis.

Descendit *ad infernos*. Qui mortuus dicitur & ſepul-

tus,ipſe etiam ad inferos deſcendiſſe aſſeritur:cùm illud tantùm ſecundum corpus, hoc ſecundum animam intelligatur. Ipſa quoque anima,quæ in carne paſſa fuerat, ad inferos dicitur deſcendiſſe; quia paſſiones illius efficaciam iuſti ſenſerunt antiqui, per eam à pœnis liberati. Non eam anima, vel ſpiritus aliquis, vt beatus meminit Auguſtinus, loco mouetur,ſed ſolummodò corpus. Sicut ergo Deus,qui vbique eſt, deſcendere quoque dicitur ſecundum aliquem ſuę operationis effectum, ita & anima illa ſecundum efficaciam propriæ paſſionis,quam habuit in electis, deſcendiſſe liberando dicitur.Solius quippe animæ vel ſentire vel pati eſt,etſi ei hoc ex carne accidat, tanquam quodam talium inſtrumento. Inferos itaq; dicit pœnales illas tenebras,quas iuſti etiam ſuſtinebant,adhuc extra diuinæ gloriæ conſpectũ conſtituti, ad quã totis deſiderijs anhelabant. Cuius quidẽ gloriæ viſio ſumma eſt illa felicitas ab omni pœna penitus immunis, quã latroni Dominus ipſe promittit, dicens: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

TERTIA die reſurrexit à mortuis. Hoc eſt, de inter mortuos, tanquam veraciter corpore defunctus propria voluntate, non aliena, eſt ſuſcitatus. Sicut & ipſemet ait. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam,& iterum ſumendi eam.* Nota ordinem,quod priuſquàm ſurrexit,ad inferos deſcendens, ſalutẽ noſtræ liberationis, antequam gloriam ſuæ reſurrectionis eſt operatus: quia non tam ſua quàm noſtra in his omnibus requirebat. Ipſo itaque die paſſionis ſuæ antequam reſurgeret, vel cœlos aſcẽderet,tam prædictum latronem quàm antiquos viros in paradiſum introduxit:quia eis ſuæ diuinitatis viſionẽ exhibens, vera iam beatitudine,quam Paradiſum nominant, animas eorum ſatiauit. De qua quidem ſatietate Propheta dixerat: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Extra quam quidẽ viſionem gloriæ quicquid eſt, eius comparatione dicendum eſt tenebræ: nec eſt prorſus alienum à pœna, quandocũque ſint quietis remedia.

ASCENDIT ad cœlos. Sicut corpore ſurrexit de ſepulchro, ita & corpore aſcendit ad cœlos,& vtrumq; in propria poteſtate,vt non tractus eſſe,ſed magis dicatur aſcẽdiſſe. Vt enim ipſemet ait:*Nemo aſcendit in cœlum,niſi qui deſcẽdit de cœlo.* Alij quippe magis trahi quàm aſcendere ſunt dicendi. Abſit autem,vt Chriſto iam per reſurrectionem glorificato,corpo-

Digitized by

ralis eius ad cœlos aſcenſus aliquid beatitudinis contulerit. Quæ eſt enim in futura vita beatitudo noſtra, niſi illa diuinitatis viſio, de qua Pſalmiſta dicit: *Satiabor dum apparuerit gloria tua?* Cuius quidem viſionis lucem ciuitati per Iſaiam Dominus promittens, ait: *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltra ſol tuus, & luna non minuetur, quia Dominus erit in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iuſti in perpetuum hereditabunt terram, &c.* Quis etiam neſciat Deo, qui vtique eſt, nos nequaquam locis, ſed operibus præſentes fieri vel abſentes? Vnde & Angeli faciem Dei ſemper videntes, cùm ad nos mittuntur, nequaquam huius viſionis beatitudine priuantur. Quanto magis anima Chriſti, quæ hac viſione perfectiùs ſemper fruitur, ea vmquam priuari potuit? Quid eſt itaque humanitatem eius cælos conſcendiſſe, vel vt diligentiùs Apoſtolus ait, eum ſuper omnes cœlos aſcendiſſe, vt adimpleret omnia, niſi loco corporali aſcenſu monſtraſſe eam omnium beatorum altitudinẽ tranſcendiſſe? De qua quidem dignitatis excellentia, qua tranſcendit vniuerſa, dictum eſt per Prophetam: *Eleuata eſt manus tua ſicut cedrus.* Et per Apoſtolum, *Propter quod & Deus illum exaltauit, & dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Et iterum, *ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tanto Angelis melior effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.* Aſcendiſſe itaque ad cœlos dicitur, non vt eius beatitudo vel gloria per corporalem eius aſcenſum augeatur, ſed vt per ipſum declaretur. Abſit enim, vt dictum eſt, quòd poſt reſurrectionem ipſi aliquid beatitudinis vel gloriæ ſuæ in anima ſiue in corpore credamus collatum eſſe: ſed quod iam obtinebat, cùm iam corpus ſuum tanta leuitate oſtendebat glorificatum, vt & nubi inſidere, & cœlos penetrare, & longè iam diuerſum factum eſſe ab hoc corruptibili corpore, quod aggrauat animam, & ſenſus noſtri deprimit vigorem. Vt ergo fideles hanc in ſuis corporibus glorificationem expectarent, vt vbicumque vellet ſpiritus, ibi ſine vlla difficultate ſtatim eſſet corpus, hoc primum in ſeipſo caput exhibuit, quod exẽplo eius ſperandum eſſet membris. Sicut ergo Filius Dei de cœlo deſcendiſſe dicitur humiliatus, & ſecundum aſſumptã

humanitatem quodammodo Angelis minor factus, ita & filius hominis aſcendiſſe dicitur exaltatus, quamuis & corporalis ei non defuerit aſcenſus, qui hunc exaltatum atteſtaretur. Nam & quod mox additur, *ſedet ad dexteram Patris*, non de corporali eius ſeſſione, vel de corporali eius dextera Patris eſt accipiendum. Quid eſt enim hominem Chriſtum ad dexteram Dei ſedere, niſi eum in gloria Dei Patris, hoc eſt in ſuperna illa beatitudine digniorem gradum tenere, tanquam omnium à Deo iudicem conſtitutum? Vnde ſubditur, *Inde*, hoc eſt perinde, *venturus iudicare viuos & mortuos*. Quaſi cæteris electis ad ſiniſtram Dei conſtitutis, ſolus iſte aſſiſtit dexteræ: quia ſicut dextera præualet ſiniſtræ, ipſe vniuerſis præminet beatitudine. Quia verò ſedere iudicantium, ſicut ſtare iudicandorum, bene per eius ſeſſionem iudiciariam exprimit poteſtatem. Viuos & mortuos iudicabit, quia tam electis quàm reprobis vel pœnam vel præmium pro meritis reddet. Quia enim iuſtus ex fide viuit, & iniquitas mors quædã animæ, iuxta illud: *Non mortui laudabunt te Domine, ſed nos qui viuimus benedicimus Dominum*: electos hîc viuos, reprobos appellat mortuos. Vel viuos dicit, quos aduentus ille Iudicis occultus adhuc in corpore viuentes reperiet: ceteros verò, mortuos appellat.

CREDO in Spiritum ſanctum. Quæquidem confeſſio fidei ipſum æquè Deum ſicut Patrem & Filium patenter aſſerit. Alioquin non diceret, *in Spiritum ſanctum*, ſed *Spiritum* tantum: ſicut & conſequenter dicit *Eccleſiam*, non *in Eccleſiam*, *&c.* Sicut ergo dicimus, *Credo ſanctam Eccleſiam*, id eſt eam eſſe ſanctam: ita & dicere poſſumus, credo ſanctum Petrum, vel credo ſancto Petro, & credo ſanctæ Eccleſiæ. Vel Petri tanquam capitis ſumus, ſicut membra Dei exiſtimus. Membra tamen Eccleſiæ tanquã corporis dicuntur, ſed ſolius Dei tanquam capitis. Quod quidem illa innuit propoſitio cùm dicitur, *in Deum*, ſicut iam ſuperiùs expoſitio noſtra præfixit. Græci tamen & *in Eccleſiam*, dicere non verentur: ſicut & Symbolum illud continet, quod ad cautelam fidei orthodoxæ Leo tertius inſtituit, & in tabula argẽtea deſcriptum Romæ altari ſancti Pauli affixit. *Catholicam*, id eſt vniuerſalem, & non in aliqua mundi parte, ſicut ſunt hæreticorum conuenticula, concluſam: ſed vbique dilatatam, ſicut & Iacob in ſi-

Digitized by

gura Christi promissum est, cùm dicitur, *Dilataberis ad Orientem & Occidentem.*

SANCTORVM communionem. Hoc est illam, qua sancti efficiuntur, vel in sanctitate confirmantur, diuini scilicet sacramenti participatione: vel communem Ecclesiæ fidem, siue caritatis vnionem. Possumus & *sanctorum* dicere neutraliter, id est sanctificati panis & vini in sacramentum altaris. *Remissionem peccatorum*, tam per pœnitentiam, quàm per virtutem Ecclesiasticorum sacramẽtorum. *Carnis resurrectionem*, tam in electis videlicet quàm in reprobis, & in corporibus vtrorumque deinceps nulla dissolutione interueniente. *Vitam æternam*, siue ad gloriam, siue ad pœnam. *Amen*, hoc est, verum est. Quod quidem iuxta Apostolum, vt suprà meminimus, dicere non debemus, nisi quæ præmissa sunt intelleximus. Vnde ad paruulorum eruditionem, hanc quantulamcumque necessariam duximus expositionem.

EIVSDEM MAG.

PETRI ABAELARDI

EXPOSITIO FIDEI,

In Symbolum Athanasij.

QVICVMQVE *vult saluus esse.* Voluntate quippe propria, non coactione saluamur aliena. *Ante omnia opus est*, subaudis, illi, hoc est necessarium. Ante omnia, hoc est ante spem & caritatem, vel cetera bona, quibus ad vitam æternam peruenitur. *Vt teneat*, non solùm habeat, sed habitam custodiat, tanquam bonorum omnium fundamentum atque originem. *Sine fide* quippe, vt ait Apostolus, *impossibile est placere Deo. Catholicam*, id est vniuersalem, & omnibus fidelibus communem, atque ita cunctis necessariam, vt nec antiqui iusti tam ante legem, quàm sub lege, absque illa saluarentur. *In Trinitate*, hoc est in tribus personis existentem, & tres personas in vno Deo non solum credamus, sed etiam veneremur. Qualiter autem hæc Trini-

tas iuxta proprietates perſonarum, & hæc vnitas ſecundum naturam diuinæ ſubſtantiæ credenda ſit, ſtatim determinat, dicens: *Neque confundentes perſonas.* hoc eſt, permiſcentes ad inuicem perſonas, vt videlicet eandem dicamus perſonam Patris, quæ Filij, vel Spiritus ſancti; ſicut illa hæreſis aſſerebat, quæ de Patre dicebat, quia quando vult Pater eſt, quando vult Filius. *Neque ſubſtantiam ſeparantes*, hoc eſt, diuerſas ſubſtantias in Deo credentes, ſed vnã tantum. Sicut enim diuerſitatem perſonarum in Deo debemus credere, ita etiam vnitatem diuinæ ſubſtantiæ. Quod ſtatim exponens, ait: *Alia eſt enim perſona Patris, &c.* Et rurſum, *Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt Deitas. Aequalis gloria*, id eſt reuerentia exhibenda. *Maieſtas*, id eſt dignitas. Quare? quia, *qualis Pater*, id eſt quantus dignitate. Quam dignitatem ſtatim proſequitur, dicens: *Increatus Pater, &c. Immenſus Pater*, non mole, ſed poteſtate omnia concludente. Vel *immenſus*, id eſt incomprehẽſibilis. *Æternus*, tam principio quàm fine carens. *Et tamen non tres omnipotentes.* Teſte Auguſtino, nullũ nomen eſt Dei, cuius ſingulare ita de ſingulis dicatur perſonis, vt eius pluralitas illis ſimul conueniat, præter hoc nomen perſona. Pater quippe perſona eſt, & Filius perſona, & hi duo ſunt perſonæ. At verò cùm Pater ſit Deus, & Filius Deus, vel Dominus, vel Creator, ſeu principium, aut lumen, vel omnipotens: non tamen Pater & Filius aut dij plures ſunt, aut Creatores, aut plura principia, vel lumina, ſiue omnipotentes. Quippe cùm dicitur pluraliter perſonæ, diuerſitas proprietatum oſtẽditur, non rerum numero, vel eſſentialiter differentium. Econtrà autem, ſi diceremus Deos vel Creatores, &c. Ipſam quoque rerum eſſentialiter diuerſarum multitudinem monſtraremus, quarum vnaquæque eſſet Deus, &c. *Prius* tempore vel exiſtentia præcedens. *Maius*, prolatione dignitatis. *Vnitas*, ſcilicet ſubſtantiæ in tribus perſonis. *Trinitas* econuerſo perſonarum, in vnitate videlicet ſubſtantiæ. *Sentiat*, id eſt credat ſalutem ſubſtantiæ obtinendam. Vt credamus & confiteamur, iuxta illud, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Non duo ſubſtantiâ Chriſti ſunt, ſed vnus tantum in perſona Chriſtus. Etſi ergo in Chriſto diuerſæ ſunt naturæ, diuina ſcilicet atque humana; non tamen ideò diuerſæ perſonæ. Quod ſtatim congrua ſimilitudine

Digitized by Google

confirmat, dicens: *Nam ſicut anima*, hoc eſt, ſicut in vno homine diuerſæ ſunt naturæ, ſpiritalis & corporalis; nec tamen ideò duo homines vel duæ perſonæ: ita in Chriſto duæ, vt dictum eſt, ſunt naturæ, non tamen duo Chriſti, imò vel duæ perſonæ. Perſona quippe quaſi per ſe vna dicitur, non rei alij in vnam rationalem ſubſtantiam ſociata. Diuinitas itaque humanitati in Chriſto conjuncta per ſe ibi perſona vna non eſt dicenda, & humanitas altera, ſed duæ ſimul vna ſunt perſona, quæ propriè Chriſtus dicitur. *Omnes homines reſurgent*, etiam illi qui tunc reperientur viui. Hi namque dum rapientur obuiam Chriſto in aera, in ipſo raptu, quo Iudici occurrent, morientes, ſtatim reuiuiſcent; & hoc ipſum erit eis reſurgere quod reuiuiſcere. Quòd ſi opponatur de quibuſdã, quorum reſurrectio iam completa creditur, veluti de his qui Dominicæ reſurrectionis teſtes ſua quoque reſurrectione fuerunt; ita intelligendum eſt tunc omnes reſurrecturos eſſe, vt tunc omnium reſurrectio ita compleatur, vt neminem deinceps reſurgere contingat, ſicut nec morte diſſolui. *Cum corporibus ſuis.* Hoc eſt, reſumptis eiſdem corporibus, quæ priùs habuerant cùm in mortem corruerunt. Non enim reſurget niſi quod cecidit. At verò vtrum hi, qui paruuli moriuntur, vel qui diu vixerunt, illud ſolùm, vel illud tantùm ibi ſint habituri de quantitate ſuæ corpulentiæ, quod hîc habuerunt, nonnulla eſt quæſtio. Quicquid tamen de hoc æſtimemus, illud proculdubio conſtat, reſurrectionẽ dici non poſſe abſq; illa corporis ſubſtantia, quæ pertulit caſum in morte. *Et reddituri ſumus.* Si hoc quoque generaliter de omnibus intelligatur, quærendum videtur quomodo paruulis morientibus id conueniat, vel perfectis iuſtis, qui potiùs ſunt ibi iudicaturi quàm iudicandi. Quippe quæ ratio de ſuis tunc ab eis exigenda eſt, vel diſcuſſio eſt facienda, qui in tanta perfectione beatitudinis apparebunt; vt cum ipſo Domino reſideant iudicantes, nec tam pro ſe rationem reddituri, quàm à ceteris exacturi. Denique paruuli, quibus nulla imputanda ſunt opera, quam ibi habent rationem reddere de proprijs factis? Sed profectò, quemadmodum diximus omnes homines ibi reſurgere, non vt de ſingulis tunc reſurrecturis id cogamur intelligere; ſed ita tunc omnium reſurrectionem cõpleri, vt nulla vlteriùs fiat: ita & hoc loco omnes tunc red-

dere rationem dicuntur, vt tunc de omnibus ita sit consummatum iudicium, vt nulla deinceps discussio restet, ne de quoquam ampliùs dubitetur, vtrum prẹmio vel pœna dignus sit. Et hoc est eos ibi de proprijs operibus reddere rationem, manifestari omnibus quid horum meruerint. Quæ duo statim determinat, tam præmium scilicet, quàm pœnam, dicens: *Et qui bona egerunt*, hoc est in proposito bonorum operum vitam consummauerunt, qualiacumque præcesserint opera. *Vitam æternam*, hoc est beatitudinem indeficientem. *Ignem æternum.* Hoc est summum atque indeficientem cruciatum, siue ille ignis corporeus tantùm sit atque materialis, siue quicumque interior animæ cruciatus, qui nomine ignis maximè nos cruciantis, & validiùs consumentis, cùm sit acutius elementum, & penetrabilius cæteris, quo minus ei resisti queat, exprimitur. Et attende nihil hîc de paruulis qui nihil habent meritorũ, dictum videri; quamuis eos quoq; non minus adultos saluari constet aut damnari. Sicut enim tam hæc scriptura quàm ceteræ nonnisi adultis, & qui capaces sunt rationis, ad eruditionem fiunt: ita satis visum est hoc loco tantùm de his eos instruere, quæ ad ipsos pertinent.

HELOISSÆ PARACLITENSIS DIACONISSÆ PROBLEMATA,

Cum Mag. Petri Abaelardi Solutionibus.

EPISTOLA HELOISSÆ AD PETRVM ABAELARDVM.

BEATVS Hieronymus sanctæ Marcellæ studium, quo tota feruebat, circa quæstiones sacrarum literarum maximè commendans, ac vehementer approbans, quantis eam super hoc præconijs laudum extulerit, vestra meliùs prudentia, quàm mea simplicitas nouit.

Digitized by

uit. De qua, cùm in Epiſtolam Pauli ad Galatas commentarios ſcriberet, ita in primo meminit libro: *Scio quidem ardorem eius, ſcio fidem, quam flammam habeat in pectore, ſuperare ſexum, obliuiſci homines, & diuinorum voluminum tympano concrepare, rubrum hoc ſæculi pelagus transfretare. Certè cùm Romæ eſſem, nunquam tam feſtina me vidit, vt de ſcripturis aliquid interrogaret. Neque verò, more Pytagorico, quicquid reſponderem rectum putabat, nec ſine ratione præiudicata apud eam valebat auctoritas: ſed examinabat omnia, & ſagaci mente vniuerſa penſabat, vt me ſentirem non tam diſcipulam habere quàm iudicem.* Ex quo vtique ſtudio in tantum eam profeciſſe nouerat, vt ipſam cæteris eodem ſtudio diſcendi feruentibus magiſtram præponeret. Vndè & ad Principiam virginem ſcribens, inter cætera ſic meminit documenta: *Habes ibi in ſtudio ſcripturarum & in ſanctimonia mentis & corporis Marcellam & Aſellam; quarum altera te per prata virentia & varios diuinorum voluminum flores ducat ad eum, qui dicit in Cantico: Ego flos campi, & lilium conuallium: altera ipſa flos Domini tecum mereatur audire: vt lilium in medio ſpinarum, ſic proxima mea in medio filiarum.* Quorſum autem iſta, dilecte multis, ſed dilectiſſime nobis? Non ſunt hæc documenta, ſed monita: vt ex his quid debeas recorderis, & debitum ſoluere nõ pigriteris. Ancillas Chriſti, ac ſpiritales filias tuas in Oratorio proprio congregaſti, ac diuino mancipaſti obſequio; diuinis nos intendere verbis, ac ſacris lectionibus operam dare, plurimùm ſemper exhortari conſueuiſti. Quibus ſæpius intantum ſcripturæ ſacræ doctrinam commendaſti, vt eam animæ ſpeculum dicens, quo decor eius vel deformitas cognoſcatur, nullam Chriſti ſponſam hoc carere ſpeculo permitteres, ſi ei, cui ſe deuouerit, placere ſtuduerit. Addebas inſuper ad exhortationem noſtram, ipſam ſcripturæ lectionem non intellectam, eſſe quaſi ſpeculum oculis non videntis appoſitum. Quibus quidem monitis tam ego quàm ſorores noſtræ plurimùm incitatæ, tuam in hoc quoque quoad poſſumus implentes obedientiam, dum huic operam ſtudio damus, eo videlicet amore literarum correptæ, de quo prædictus Doctor quodam loco meminit, *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis*, multis quæſtionibus perturbatæ, pigriores efficimur in lectione: & quod in ſacris verbis magis ignoramus, minùs diligere cogimur, dum infructuo-

ſum laborem ſentimus, cui operam damus. Proinde Quæſtiunculas quaſdam diſcipulæ Doctori, filiæ Patri deſtinantes, ſupplicando rogamus, rogando ſupplicamus, quatinus his ſoluendis intendere non dedigneris, cuius hortatu, immò & iuſſu hoc præcipuè ſtudiũ aggreſſæ ſumus. In quibus profectò Quæſtionibus, nequaquam ordinem ſcripturæ tenentes, prout quotidie nobis occurrunt, eas ponimus & ſoluendas dirigimus.

Problema Heloiſſæ I.

QVID eſt quod Dominus in Euangelio Ioannis de Spiritu, quem miſſurus erat, promittit dicens, *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio: De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de iuſtitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio autem, quia, princeps mundi huius iudicatus?*

Solutio Abaelardi.

ARGVET per Apoſtolos, quos replebit, nõ vnam partem mundi, ſed totum, de peccato ſcilicet perſeuerante vel retento ab hominibus, propter hoc, quia non crediderunt in me. Arguet de iuſtitia, ſcilicet per meipſum præſentem oblata, & non ſuſcepta tunc cùm præſens eſſem, quem iam recuperare non poſſunt euntem ad Patrem, & iam vltra hîc non videndum. De iudicio ſcilicet præcedentium, in quo erant, hoc eſt peccati ſiue iuſtitiæ: cum ea videlicet quæ reos vel iuſtos faciunt in operibus magis quàm in intentione conſtituant, & merita non tam ſecundum animum, quàm ſecundum operationem diiudicent, ſicut maximè Iudæi faciunt, neminem arbitrantes dãnari, quicquid velit, dũmodo illud opere non cõpleat. Vndè & Apoſtolus ad Romanos, *Iſrael*, inquit, *ſectãdo legẽ iuſtitiæ, in legẽ iuſtitiæ non peruenit.* Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Quãuis ergo lex concupiſcentiã quoque interdicat: non tamen hoc peccatum eſſe tantum arbitrantur, vt ad damnationem ſufficiat. Quem quidem errorem arguendum eſſe Dominus nunc dicit, ex eo quod princeps huius mundi iudicatus eſt. Ipſe quippe diabolus, qui carnalibus & amatoribus mundi dominatur, & totius auctor

Digitized by

eſt & origo peccati, non de hoc quod fecerit, ſed quod præſumendo voluerit, ſtatim damnatus tam grauiter corruit.

Problema Heloyſſæ II.

QVID eſt illud in Epiſtola Iacobi, *Quicumque autem totã legem ſeruauerit, offendat autem in vno; factus eſt omnium reus? Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit, & non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem: factus es tranſgreſſor legis?*

Solutio Abaelardi.

OMNIA ſimul legis præcepta, non ſingula ſunt lex ipſa. Qui ergo totam legem præter vnum mandatum cuſtodierit, fit reus omnium: hoc eſt, ex eo damnandus eſt, quòd non omnia cuſtodit præcepta, quæ ſimul, vt dictum eſt, accepta, ſunt lex ipſa. Ac ſi apertè dicat. Quamuis impletor legis nemo eſſe poſſit, vnum eius obſeruando mandatum: tranſgreſſor tamen legis efficitur, ſi vel vnum eius tranſgrediatur præceptum. Vndè & ſtatim Apoſtolus exponens quod dixerat, *Omnium reus:* ſubjecit, *factus eſt tranſgreſſor legis*, ex eo videlicet quod vnum prætermiſit præceptum, quod æquè, vt cætera, fuerat iniunctum. Alioquin ex eo quod ſubiungit, *Qui enim dixit, non mœchaberis, &c.* nequaquam comprobaret illud præmiſſum, *factus eſt omnium reus.* Cùm igitur ait, *Qui enim dixit, &c.* tale eſt, ac ſi diceret: Ideò rectè dixi, quia vnum tranſgrediendo, factus eſt omnium reus: hoc eſt, ex hoc dãnandus eſt, quia non omnia ſeruando Deũ contempſit. Quia ipſe Dominus, qui legem tradidit, tam hoc mandatũ, quàm illud obſeruari iuſſit: hoc eſt, omnia, non aliquod vnum ex omnibus. Ac per hoc ſicut tranſgreſſor fit legis, vel vnum tranſgrediendo præceptum: ita fit reus omnium, ſicut eſt expoſitum, ex hoc etiam damnandus, quòd non omnia compleuerit.

Problema Heloiſſæ III.

QVID eſt quod ſæpè Dominus ab aliquibus interrogatus, reſpondens illis ſigillatim dicat, *Tu dixiſti*, vel, *Tu dicis*, nonnunquam etiam pluribus ſimul interrogantibus reſpon-

deat, *Vos dicitis*, tanquam hoc eos dixisse assereret, quod quasi quæ dubitantes quærebant? Sic quippe Iudæ interroganti *Nunquid ego sum Rabbi*, qui te scilicet sum traditurus? Respõdit, *Tu dixisti*. Et interrogatus à Pontifice, an sit filius Dei, similiter respondit. Populo etiam quærenti, *Si tu es Christus, dic nobis palam*. Vel, *Tu ergo es filius Dei?* Respondit: *Vos dicitis, quia ego sum*. Denique & à Præside, id est Pilato, inquisitus an sit Rex Iudæorũ. Respondit, *Tu dicis quia Rex sum ego*. Quæ profectò responsiones non immeritò dubitationem excitare videntur. Qui enim quærit vtrùm hoc sit vel illud, nequaquam enuntiando dicit, quòd hoc sit, vel illud: sed quasi dubitando quærit vtrùm ita sit.

Solutio Abaelardi.

RE vera difficilem vel prorsus insolubilem hæ responsiones Domini mouerent quæstionem, si quod Dominus ait, *Tu dixisti*, vel, *Vos dicitis*, vel, *Tu dicis*, ad præcedentium interrogationum verba referret: vt in eis scilicet hæc dicta fuisse assereret, quod nequaquam conuenit. Cùm ergo Iudæ interroganti, an ipse sit, qui eum tradat, respondit, *Tu dixisti*, potiùs quàm, *Tu dicis*: ad pactum illud respexit, quod iam ille cũ Iudæis inierat promittẽs se illis eum tradere cupiditate promissæ pecuniæ. Quod verò Principi sacerdotum interroganti an Christus sit filius Dei, respondit, *Tu dixisti*, sic est accipiendum, quod ille, qui eo tempore Christum, quem videbat, esse filium Dei negabat, sæpius olim legem ac Prophetas recitando id confessus fuerat. Cùm autem Iudæis interrogantibus an sit Christus, vel an sit filius Dei, respondit, *Vos dicitis*, verbo scilicet præsentis temporis vtens ad eos sicut & ad Pilatum, præsentem iam adesse diem significat, in quo id fateantur. Vbi enim illudentes ei dicebant, *Prophetiza Christe, quis est qui te percussit?* vel, *Aue Rex Iudæorum*, eum profectò Christum esse, hoc est vnctum quacumque intentione detestabantur, in hoc fortassis prophetiam Caiphæ imitãtes dicentis: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo, & non tota gens pereat*. Sed & turbæ testimonio eum cum ramis palmarum suscipientis ipse & filius Dauid est, iuxta Matthæum: & in ipso regnum Dauid venit, secundum Marcum: & benedictus

Digitized by

eſt Rex qui venit, ſecundum Lucam: & denique, ſecundum Ioannem, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael. Quod nequaquam iſti, per illuſionem, ſicut ſupradicti, ſed ex fide dicebant. Tale eſt ergo quod Iudæis ait, *Vos dicitis*, ac ſi diceret: Multi adhuc inter vos ſunt, qui hoc non ſolùm ore proferant: ſed & corde teneant. Etſi enim illi, qui hoc interrogabant, nequaquam id dicerent, vel crederent: cùm tamen dixit, *Vos dicitis*, non ad perſonas illas, quæ aderant, ſed ad populum ipſum reſpexit. Sic & alibi cùm ait Iudæis de Zacharia, *Quem occidiſtis inter templum & altare*, nequaquam de illis, qui tunc erant, Iudæis, ſed de populo ipſo, de quo erant, accipiendum eſt. Sic & Ioſue cùm dicitur filios Iſrael ſecundò circũcidiſſe, non hoc in eiſdẽ perſonis, ſed in eodẽ populo conſtat eum feciſſe. Legimus quoq; in hoc die paſſionis, quòd centurio, & qui cum eo erant cuſtodientes Dominum crucifixum, cùm expiraſſet, & viderent velum tẽpli ſciſſum, & terræ motum, & monumenta aperta, dixerunt: *Verè filius Dei erat iſte.* Et omnis turba eorum, qui ſimul aderãt ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. Tale eſt ergo, vt diximus, quod Iudeis quærentibus, an eſſet Filius Dei, reſpondit, *vos dicitis*: hoc eſt iam præſens dies vel tempus adeſt, in quo id de me confiteamini. Similiter Pilato quærẽti, an ſit rex Iudeorum, reſpõdit, *Tu dicis*, potius quàm, *Tu dixiſti.* Homo quippe gẽtilis prophetias ignorabat, non ea legerat verba, vbi Chriſtus fuerat promiſſus, & regnum eius prophetatum iuxta illud, *& regni eius nõ erit finis*, vel illud, *Dicite filiæ Siõ, Ecce rex tuus venit*: quod tamen ipſo die Pilatus ſæpius verbis aſſeruit, & in ipſo titulo crucis ſcripto meminit, Iudæis ait. *Vultis dimittam vobis regem Iudæorum?* & iterum: *Regem veſtrum crucifigam?* Qui etiam cùm ſuperius quæſiſſet à Domino, *Tu es rex Iudæorum?* & ille reſpõdiſſet, *A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* Rurſum ait Pilatus: *Nunquid ego Iudeus ſum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi.* Ecce quoties & quàm manifeſtè Pilatus eum Regem profiteatur Iudæorum, & ipſum populum Iudæorũ gentem eius appellet: cui cùm Dominus dixerit, *A temetipſo hoc dicis, &c.* tale eſt, ac ſi diceret. Quæris hoc pro teipſo vt veritatem cognoſcas, an dolo Iudæorum, tanquam vnus ex ipſis, vt me interficiendi occaſionem hinc ſumas? Denique

Digitized by Google

& titulum Pilatus ſcribens, hoc quod dixerat verbis, ſcripto confirmauit trium linguarum, vt ab omnibus Hieroſolymam conuenientibus legi poſſet, & verus intelligi Rex Iudęorum. Erat quippè ſcriptum, *Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Vbi quidem cùm adiecit, *Nazarenus*, diligenter hunc Ieſum diſtinxit à cæteris, qui in antiquo populo, hoc quoque nomine, non tam propriè quàm nuncupatiuè fuerant inſigniti: vt pote Ioſue, Ieſus Sacerdos, vel Ieſus filius Sirach. De hoc autem honore tituli, Pontifices Iudæorum vehementer indignati tanquam in damnationem ſuam conſcripti, regem proprium crucifixiſſent, dixerunt Pilato: *Noli ſcribere Regem Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum.* At verò quoniam prophetatum fuerat, *Ne corrumpas Dauid in tituli inſcriptione*, tanquam hoc ad ſe dictum Pilatus intenderet, reſpondit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Tanquam ſi diceret. Quod ſcribendum prouidi ſine vlla correptionis retractatione firmaui: tanquam in eius mente hoc ſcriptum primitus eſſet, quod ſecũdo literis exhiberet. Hæc ergo geminatio verbi, *Quod ſcripſi ſcripſi*, perſeuerantiam vel incommutabilitatem ſignificat facti, ſicut illud: *Euntes ibant.*

Problema Heloiſſæ IIII.

QVOMODO ſtare poteſt quod Dominus Iudæis ſigna quærentibus reſpondit de tempore ſepulturæ ſuæ, *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus?* Conſtat quippe Dominum ſexta feria de cruce depoſitum eſſe ſepultum, & ſabbato quieuiſſe in ſepulchro, & ſequenti nocte Dominicæ diei reſurrexiſſe quarta vigilia. Vndè certum eſt per vnam tantùm integram noctem præcedentem ſabbatũ, & per integram ipſius ſabbati diem eum in ſepulchro fuiſſe, quem quarta vigilia noctis Hieronymus in Epiſtolam ad Galatas dicit reſurrexiſſe.

Solutio Abaelardi.

QVOD ait Dominus, *tribus diebus & tribus noctibus*, non eſt accipiendum, quòd per tres dies integros & noctes ibi fuerit:

Digitized by

ſed quòd in tempore continente tres dies cum noctibus ſuis ſepultus quieuerit. Vndè & bene cùm dicitur, *tribus diebus & tribus noctibus*, adiunctũ eſt, *ſicut Ionas*, quem tertio die piſcis euomuit in aridã; ac per hoc per vnã tantùm noctẽ integrã, & vnũ tantũ integrũ diẽ in ventre ceti fuerit. Tempus itaq; cõtinens tres dies cũ noctibus ſuis, accipe à principio noctis paraſceuem ſequentis vſque ad finem Dominicæ diei: & inuenies in illo temporis ſpatio, quamuis non per totum tempus, Dominum tribus diebus & tribus noctibus iacuiſſe in ſepulchro. Non enim quod in tempore aliquo fit per totum illud tempus fieri neceſſe eſt. Fortaſſis & quod dicitur, *in corde terræ*, non tam de ſepultura Domini accipi videtur, quàm de cordibus hominum eo tempore intantum de Chriſto deſperantium, vt diſcipuli quoque necnon & mater ipſius in fide grauiter titubauerint. Vnde Auguſtinus quæſtionum veteris & nouæ legis Capitul. *Etiam Maria, per quam myſterium geſtum eſt incarnationis Saluatoris, in morte Domini dubitauit; ita vt in reſurrectione Domini firmaretur: Omnes enim in morte dubitauerũt, & quia omnis ambiguitas à reſurrectione Domini receſſura erat, pertranſire dixit gladium.* Cor itaque terræ quaſi cor terrenũ adhuc & carnale nondum ſpiritale factum ex firmitate fidei, vel ardore caritatis, dicit cor humanum: quandiu homines in illo temporis articulo Chriſtum carnem magis, hoc eſt hominem, quàm Deum æſtimarent, & terrenũ potiùs quam cæleſtem. Quod ergo Iudæis ſignum potentiæ requirentibus tanquam per hoc eum recognoſcerent Deum, reſpondit ſe potiùs eis daturum ſignum Ionæ, tale eſt, quod potiùs infirmitatem in eo cognoſcere digni ſint: ſicut Ionas in mare miſſus plus iniuſtitiæ quàm religionis æſtimatus eſt habuiſſe, & hoc ei ex propria culpa contigiſſe, vt damnari etiam mereretur.

Problema Heloiſſæ V.

MAXIMAM dubitationem de apparitionibus Domini reſurgentis, quæ mulieribus factæ ſunt, nobis Euangeliſtæ reliquerunt. Marcus quippe & Ioannes eum inſinuant primò apparuiſſe Mariæ Magdalenæ, quæ venit mane, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento: & poſtquam hoc nuntiauit Petro &

Digitized by Google

Ioanni,& illi cucurrerunt ad monumentum, & inde reuerſi ſunt, vidit duos Angelos, & deinde Ieſum quẽ putauit hortolanum. Et hæc apparitio prima illi ſoli dicitur facta. Matthæus verò refert eam cum altera Maria veniſſe ad ſepulchrũ, & tunc terræmotu facto Angelum deſcendiſſe, & lapidem reuoluiſſe, & nuntiaſſe Dominum reſurrexiſſe, & illis duabus Ieſum occurriſſe : cuius pedes tenuerunt. Marcus verò refert quòd Maria Magdalene & Maria Iacobi, & Salomæ valde mane venerunt ad monumẽtum orto iam ſole, cõquirentes ad inuicem, quis reuolueret eis lapidem ab oſtio monumẽti: Quem cùm reſpicientes viderunt reuolutũ, & per Angelũ eis loquentẽ, & per ſepulchrum vacuum cognouiſſent Dominum reſurrexiſſe : exeuntes de monumento fugerunt tremefactæ, nemini quicquam de hoc præ timore dicẽtes. Vbi & ſtatim annectitur: *Surgens autem Ieſus manè prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ. Illa vadens nuntiauit his, qui cum eo fuerant, & non crediderunt.* Lucas autem refert, quòd Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & quæ cum eis erant, valde diluculo venerunt ad monumentum, & inuenerunt lapidem reuolutũ à monumentó, & ingreſſæ non inuenerũt corpus Ieſu: & edoctæ ab Angelis de reſurrectione Domini, nuntiauerunt hoc diſcipulis, & non credebant illis. Poſitis itaque verbis Euangeliſtarum, primò quærimus quomodo, iuxta Ioannem, Maria Magdalene veniens ad monumentum manè cùm adhuc eſſent tenebræ, vidit lapidem ſublatum, & poſtea, vt Marcus dicit, ipſa & Maria Iacobi & Salomæ valde manè veniunt ad monumentum orto iam ſole dicentes ad inuicem; *Quis reuoluet nobis lapidem?* Si enim Maria Magdalene iam viderat lapidem reuolutum cùm adhuc tenebræ, id eſt nox eſſet: quomodo nunc orto iam ſole ipſa cum cæteris queritur de lapide reuoluendo, quæ iam antea ſublatum viderat? Secundò etiam quærendum videtur quomodo in Marco mulieres dicuntur nemini præ timore reſurrectionem Domini nuntiaſſe, cùm cæteri Euangeliſtæ afferant econtrario? Denique Ioannes Mariam Magdalenam, non aliquam cum ea, refert antequam Ieſum videret, nuntiaſſe Petro & Ioanni eum de monumento ſublatum, & eos ſtatim illuc cucurriſſe. Lucas verò refert eandem Mariam & alias cũ ea plures feminas, poſtquam didicerunt Dominum reſurrexiſſe,

xiſſe, hoc diſcipulis nuntiaſſe:& tunc Petrum ad monumentum cucurriſſe.

Solutio Abaelardi.

SOLVS quidē Ioannes de Maria Magdalene, & non cæteris mulieribus in reſurrectione Domini cōmemorat,nō quòd ea ſola his,quæ tunc facta ſunt, affuerit: ſed quod eius deuotionem cæteris maiorē plurimùm ipſe commendaret,cuius hortatu & exemplo cæteræ feminæ incitarentur maximè. Sicut ergo cæteris in dilectione feruentior erat,& de gaudio reſurrectionis magis ſollicita, venit prior & intrepida, cùm adhuc nox eſſet,ad monumētum:& reuerſa eſt iterum ad ſuos,quærendo ſtudiosè ſi quis adhuc de reſurrectione Domini certificatus eſſet. Quod cùm minimè reperiſſet,iterum ad monumentum orto iam ſole cum alijs venit,& tunc reuolutio lapidis facta eſt,quamuis Ioannes hāc reuolutionē quaſi priùs factā per anticipationem dicat à Maria viſam fuiſſe. Prior ergo Maria quàm cæteræ,quibus ſolicitior erat,lapidē reuolutum cōperit,& ſublatū Dominū credens,feſtina redijt,& hoc Petro nuntiauit,& Ioanni. Deinde reuerſa cū illis admonumētū poſt diſceſsū eorū à monumento, ſtabat ad ipſum monumentū foris plorans,cæteris,quę aderant,nō ſic accedere audētibus,tunc Angelos, ac deinde Dominū prima vide remeruit: ac deinceps altera Maria, quæ iuxta Matthæum, cum ea venerat priùs, accedens, & metuens adhuc cuſtodes, qui aderant, conſolatæ ſunt ambæ, cùm ad terræmotum, & ad appatitionem Angeli ſedentis ſuper lapidem,quem reuoluerat,exterriti ſunt cuſtodes & facti ſunt velut mortui. Quibus duabus euntibus nuntiare diſcipulis quod Angelus præceperat,occurrit Ieſus illis ſimul ſecundo apparens. Aliæ autem, quæ timidiores & infirmiores fuerant in fide, nequaquam tunc Dominum meruerunt videre: ſed & tantùm Angelis nuntiantibus,eum audierant reſurrexiſſe. Et ideo cùm non omnes æqualiter ſuper hoc priùs eſſent certæ, priùs omnes tacuerunt, & diſtulerunt illud diſcipulis nuntiare, pauidæ adhuc & obſtupefactæ de Angelica viſione, & verentes ne ſibi ſtatim non crederetur,donec pluribus ſibi aggregatis cōfidentiùs diceretur. Vndè poſtea, vt Lucas meminit, ipſa Magdalene,& Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ, quæ cum

Digitized by Google

eis erant, dicebant ad Apoſtolos hæc. Quibus Petrus in fide firmior cæteris hoc non credentibus, iterum cucurrit ad monumentum: & cùm nec Angelos, nec Dominum vidiſſet, redijt vehementer admirans. Qui cùm vehementer ſtuperet de apparitionibus Angelorum, ſiue Domini, quæ factæ fuerant mulieribus potiùs quàm ei vel diſcipulis, ne diu in dubitatione & mœſtitia perſiſteret, vel credimus tunc ei Dominum apparuiſſe, ſicut Lucas refert Apoſtolos dicere, quòd *ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Quod autem Matthæus & Lucas dicunt, *Veſpere Sabbati*, finem eius, id eſt noctem ſequentem vſque ad lucem Dominicæ diei intelligunt. Hoc veſperum luceſcit in prima Sabbati, cùm ad lucem diei ſequẽtis perducitur. Quod verò ait, *quæ luceſſit*, feminino ſcilicet genere vtens, ad ſignificationem reſpexit: quia, vt diximus, in veſpere noctem intellexit, vt tale ſit, *Quæ luceſcit*, tanquam diceretur, Quæ nox ad claritatem pertingit. Veſperum itaque ſeu veſpera diei, dicitur extrema eius hora: veſper verò totum tempus noctis ſequentis.

Problema Heloiſſæ VI.

QVID eſt quod Dominus ſacramenta corporis & ſanguinis ſui diſcipulis tradens & commendãs, non ait de corpore ſuo, *Hoc eſt corpus meum noui teſtamenti*, cùm de ſanguine dixerit, *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*, tanquam magis ſanguinem commendaret, quàm carnem? Quid eſt etiam illud, *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei?*

Solutio Abaelardi.

CORPVS Chriſti in ſacramento ſuſceptum, humanitas eſt, quam naſcendo de Virgine ſuſcepit: quando, ſicut ſcriptum eſt, *Verbum caro factum eſt.* Sanguis eius in poculum datus, paſſio eſt ipſius, cui communicare debemus, quicumque membra eius ſumus. Vndè & ſcriptum eſt. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Cùm enim Gregorius dicat, *Nihil enim naſci profuit, niſi redimi profuiſſet, atque in eius paſſione noſtra redemptio conſummetur; quod*

Digitized by Google

& ipſe moriens profitetur dicens, Conſummatum eſt, non incongruè ſanguis effuſus præfertur conceptæ carni, hoc eſt, paſſio eius natiuitati. Qui etiam magis quàm caro eius dicendus fuit noui teſtamenti, hoc eſt confirmatio Euangelicæ prædicationis: quia, ſicut dicit Apoſtolus, *teſtamentum in mortuis confirmatum eſt*. Quid Euangelium niſi teſtamẽtum eſt amoris, ſicut lex fuerat timoris? Vndè & Apoſtolus conuerſis Iudæis ait: *Non enim ſubditi eſtis iterum in timore*. Et rurſum. *Finis præcepti caritas de corde puro*. Et per ſemetipſam Veritas, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat*? Hoc igitur teſtamentum amoris in hoc maximè Dominica paſſio confirmauit, cùm pro nobis moriendo, illam nobis dilectionem exhibuit, qua maior eſſe non poſſit. Vndè & ipſemet ait, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. In hoc etiã teſtamentum hoc confirmauit, quòd pro doctrina Euangelicæ prædicationis vſque ad mortem perſtitit, & moriendo monſtrauit, quod naſcendo non potuit: ſicut & ille qui teſtamentum aliquod ſuis hæredibus componit, dum in priſtina voluntate perſeuerat moriens, teſtamentum ſuum confirmat, quod nequaquam delens, vel in aliquo corrigens, ipſum omnino tunc roborat. Vnde benè ſanguis Domini potiùs quàm corpus eius noui teſtamenti, vt diximus, fuerat dicendus. Illud autem quod ait, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vſque in diem illum cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei*, ſic intelligo, tanquã ſi diceret. Non celebrabo vlteriùs in ſacramento paſſionem carnis meæ, donec id faciam vobiſcum tanquam nouum in regno Patris mei. Sacramentum quippe Chriſti tunc quaſi nouum ſumitur, cùm ipſum ſumentes plena fide, accedentes ipſos innouat, & à veteri homine, quem per tranſgreſſionem imitantur, in nouum tranſmutat, dum ipſum per obedientiam vſque ad mortem ſequi ſunt parati. Quales nequaquam tunc aderant diſcipuli in fide adhuc maximè, & à temporis articulo potiſſimum infirmi, nec adhuc in regno Dei traditi, vt in eis videlicet regnaret Deus, cui nõdum ſoliditate fidei adhærebant, eius Dominio penitus ſubditi. Quaſi ergo vetus & non nouum tunc acceperunt ipſum ſacramentum, & tanquam adhuc extra regnum Dei manentes: quia nondum in Deo ſic eos conſtantia fidei confirmauerat, vt hoc percipien-

do noui iam facti, mererentur in nouitate illa ita ſicut poſt reſurrectionem confirmari. Bibet tunc Chriſtus de hoc genimine vitis cum eis, id eſt, de ſanguine ſuo, qui eſt vitis eorũ tanquam palmitum, cùm illis dignè ſacramenta ſuæ paſſionis communicantibus, ſic inde ſitim ſuam in ipſis reficiet. Qui enim ſalutem hominum ſitit vel eſurit, tunc de ipſa reficitur, cùm eam impleri lætatur. Fortaſſis & ex hoc ſacramentum Dominicæ paſſionis quaſi vetus ante reſurrectionem extitit, & poſtmodum nouum fuit: quia cùm adhuc paſſibile corpus & corruptibile vel mortale geſtaret, veteri homini per hoc ſimilis fuit, antequam reſurgendo de hac vita pœnali ad nouitatem futuræ perueniret. Dum ergo mortalis fuit, & ſe talem, qualis tunc erat, in ſacramento dedit: quodammodo vetus & non nouum fuit illud ſacrificium comparatione videlicet noui, quod nunc in humanitate ſumimus immortali iam & incorruptibili. Lucas verò ait, *hic calix nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo*, id eſt pactum vel promiſſio vobis à Deo facta, de veſtra ſcilicet redemptione in mea paſſione. Vbi enim nos habemus teſtamentum, in Hebræo habetur pactum. Qui enim legem Domini ſuſcipiunt, cum eo quoddam ineũt pactum, ſiue ille cum ipſis: cùm ipſi videlicet legis obedientiam, ille promittat remunerationem.

Problema Heloiſſæ VII.

QVID eſt etiam quod in Luca legimus duos calices, vel eundem bis Dominum dediſſe diſcipulis? Sic quippe ſcriptum habetur. *Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo. Et ait illis. Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo, donec illud impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit, Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicẽs: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic eſt alix nouum teſtamentum in ſanguine meo,*

Solutio Abaelardi.

PASCHA, quod ſecundum legem parare diſcipulos miſerat, vetus eſt Paſcha, in eſu videlicet agni vel hœdi cum lactucis agreſtibus. Quod etiam Paſcha dicit ſe deſideraſſe, vt hoc cum diſcipulis manducaret, antequam pateretur: quia ante paſſionem, non poſtea voluit in figuris celebrari vetera, quæ ſuperuenientibus nouis eſſent proijcienda. Quod & ipſe Dominus patenter inſinuat, cùm de nouo ſacramento tantùm dixerit, *hoc facite in meam commemorationem*, tanquam vetus iam finiens, & ſolummodo nouũ deinceps ſtatuens. Cùm enim dixiſſet, *hoc eſt corpus meum, quòd pro vobis tradetur*, ſtatim adiunxit, *hoc facite in meam commemorationem*. Vnde & Apoſtolus: *Quotienſcunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Eſt igitur Miſſæ celebratio, Dominicæ Paſſionis commemoratio, ad quam vnuſquiſque fidelium tanta compaſſionis deuotione debet accedere, quanta eum pro ſe crucifixum debet conſpicere. Vt ergo hæc Dominicæ Paſſionis memoria noſtris mentibus inhæreat, & in eius amorem ſemper accendat, quotidie in eius altari hoc eius ſacrificium debet immolari. *Hoc*, inquit, *facite*, hoc eſt ipſum corpus meum, non iam pro vobis traditum, ſed tradendum in memoriam tantæ meæ dilectionis cõficite, vt inde quoque tantæ dilectionis flamma ſitis accenſi, vt communicare poſſitis paſſioni. Bis eundem calicem dare voluit, vt per hoc exprimeret nos calicem eius non ſolùm in ſacramenti perceptione, verumetiam in paſſionis imitatione accipere debere. Vnde & Pſalmiſta: *Calicem ſalutaris*, hoc eſt veri Ieſu, *accipiam*, eum videlicet per paſſionis quoque virtutem imitando. Et quia mortem tolerare non eſt humanæ infirmitatis, ſed collatæ nobis à Deo virtutis: ipſe eſt inuocandus, à quo iſta ſperanda eſt virtus, in qua non tam noſtrã vtilitatem, quàm eius gloriam quærere debemus, quæ per nomẽ eius ſignificatur. Sicut enim ignominioſa dicuntur, quæ nomine digna non videntur: ita econtrario quæque glorioſa nomine digna ſunt & fama. Nomen igitur Dei inuocamus, cùm ea quæ facimus ad gloriam eius intendimus, vt ille potiùs in nobis, quàm noſipſi, glorificetur atque laudetur, à quo in his virtutem accipimus, ad quæ infirmi ex nobis ſumus.

Digitized by Google

Hinc & Apoſtolus. *Qui glorificatur*, inquit, *in Domino glorietur*; hoc eſt, qui in ſe aliquid virtutis vel pretij recognoſcit, non ſe inde, ſed Deum quærat honorari: nec id virtuti ſuæ, ſed diuinæ aſcribat gratiæ, non à ſe, ſed à Deo id recognoſcens eſſe. De hoc calice, quem Chriſti paſſionem imitando ſumimus, illud eſt quod filijs Zebedæi ait: *Poteſtis bibere calicẽ, quem ego bibiturus ſum?* Hoc eſt, me per paſſionem imitari poſſe confiditis? Benè autem de hoc calice primo, & non de ſecundo, diſcipulis ait: *Accipite, & diuidite inter vos.* Calicẽ quippe Chriſti ab eo accipientes inter nos diuidimus, cùm eum diuerſis generibus paſſionum imitamur. In perceptione verò ſacramenti non eſt diuiſio: quia ibi eſt vna ipſius capitis non membrorum oblatio, quæ à malis æquè vt à bonis Sacerdotibus virtute diuinorum verborum conficitur. *Accipite*, inquit *calicem*, hunc à me, quem poſtea inter vos diuidatis: *quia deinceps non bibam de generatione vitis*, hoc eſt, non celebrabo hãc hoſtiam meæ paſſionis, *donec regnum Dei veniat*, hoc eſt, vita cœleſtis, in qua ſolus Dominus, non peccatum, regnat, per paſſionem meam fidelibus patefiat. Bene calicem imitationis calici præmiſit ſacramenti: quia hi ſoli condigni ſunt Dominicæ menſæ cõmunicare, qui paſſionẽ eius imitari, & crucem eius parati ſunt tollere. Vnde & ſcriptum eſt. *Ad menſam magnam ſediſti, ſcito quoniam talia oportet te præparare.* Nouum, non vetus teſtamentum tradens, tam panem quàm calicem accipiens, gratias agit: innuens per hoc hîc eſſe completum, quod ibi fuerat præfiguratum, & de veritate potius quàm de vmbra Deum eſſe glorificandum. Superius tamen ſe deſideraſſe dixit vetus quoque Paſcha cum diſcipulis celebrare, ne ſic ab ipſo noua ſacramenta ſuſciperent, vt à Deo tradita vetera non æſtimarent. Quæ etiam vetera eis adhuc veteribus tunc maximè congruebant, vt hoc præcipuè Dominus deberet cum eis celebrare quod eis potiſſimùm videbat conuenire, tanquam in hoc ſuo deſiderio id ſe innuere intenderet, quod hoc eorũ arguendæ vetuſtati videbat potiſſimùm conuenire. De qua vt ad nouitatem eos transferendos eſſe innueret, vel admoneret, nouum veteri teſtamentũ ſtatim ſubjunxit, vt ſic quodammodo illud quoq; vetus in nouũ tranſiret: dũ illi ſcilicet vetuſtatẽ deponentes, de regno peccati in regnum tranſirent Dei, & in veteri Paſcha non iam literã, ſed

Digitized by Google

ſpiritalem intelligentiam ſequerentur: & ſic de vetuſtate literæ ad nouitatem ſpiritus deferrentur: quod eſt Chriſtum nunc etiam cum eis vetus paſcha manducare,& ipſum in nouum commutare, cùm ibi illud figurari perpendimus, quod in nouo conſummari credimus. Vnde & ipſe poſt reſurrectionem ſtatim incipiens à Moyſe & interpretans in omnibus ſcripturis, vetus ſacramentum in nouum conuertit, dum illud per intelligentiam huic applicuit, & quaſi rotam in rota concluſit, & aquam legis in vinum Euangelij conuertit. Et iam etiam vetus Paſcha tanquam mutatum in nouum nobiſcum manducat: quia tunc cum reficimus ac delectamus, dũ ſic iſtud ſumimus, ſicut in illo ſumendum edocti myſticè ſumus,in eſu videlicet agni & hœdi, & agreſtibus lactucis, vel cæteris ſibi conſtitutis. Vetus Paſcha non nouum cum diſcipulis Chriſtus manducat:ipſe quippe ipſum eſt Paſcha nouũ, iuxta illud Apoſtoli, *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, quando noſtra hoſtia ipſe eſt factus, & ipſum in ſacramento quotidie ſumimus. Rectè quoque hinc vetus Paſcha cum diſcipulis celebrauit, cùm ipſe adhuc in veteri homine eſſet ex corporis mortalitate, ſicut illi ex morum ſimilitudine. Sic ecotrariò quaſi nouus cum nouis nouum genimen vitis nunc bibit, dum ipſe per immortalitatem,& iſti per morum diuerſitatem, depoſito veteri homine, veri ſacrificij delectantur nouitate: & tanquam ipſe cum eis bibit,dum caput in membris agit. Vetus Paſcha calicem non habuit;quia lex ad perfectum nihil adduxit,ideóque in eius ſacrificio perfecta non debuit eſſe refectio.

Problema Heloiſſæ VIII.

QVOD Dominus pro adultera liberanda Iudæis reſpondit, *Qui ſine peccato eſt veſtrum,primus in eam lapidem mittat*, & ſic eã eruit, nonnihil habet quæſtionis. Cùm enim eã lapidari non permittit, niſi ab eo qui peccato careat,omni homini vindictam exercere videtur interdicere: cùm nemo mundus ſit à ſorde, nec infans, cuius vnius diei vita ſit ſuper terram.

Solutio Abaelardi.

DOMINVS Ieſus ex Iudæis ſolus inter eos fuit ſine peccato: hic adulteram lapidat, & feminam ſeruat, dum miſericorditer ei parcit, & ſic à flagitijs ſuis pœnitentẽ conuertit. Tale eſt ergo quod ait: *Qui ſine peccato eſt veſtrũ, primus in eam lapidem mittat:* ac ſi aperte dicat: Ei lapidandam dimittite, qui ex vobis ſolus eſt à peccato immunis. Ipſe primus in lapidandam dirigit lapidem, cùm ei priùs pœnitentiam inſpirat; & illa poſtmodum per ſatisfactionem ſe macerat, & carnem ne ſpiritui ampliùs reluctetur, domat: vt iam mortificata mundo, deinceps viuat Deo, & mactentur vitia, conſeruata natura. Denique & Dominus ait: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Tunc quippe Deo vindictam reſeruamus, quando ipſe in nobis potiùs, quàm noſipſi, hanc operatur. Vnde & homini, nõ Deo, dictum eſt, *Non occides.* Ab ipſo vtique nobis hoc interdicitur, qui ſub nullo præcepto concluſus, id ſibi deberi patẽter profitetur. *Ego occidam*, inquit, *& ego viuere faciam.* Ipſe in nobis occidit & parcit, cùm tanquam adminiculo quodam nobis vtens, nos præceptis ſuis reos occidere vel innocentibus parcere facit, vt ei potiùs quàm nobis iſta debeant imputari. Nam cùm aliquis potens per operarios ſuos aliquid agit, non tam iſtorum quàm illius opus illud eſſe dicitur, hoc eſt, non illorum, qui operando faciunt, ſed illius magis, qui per illos fecit hæc fieri. Homo itaque prohibetur occidere, non Deus in homine. Tunc autem occidit homo, & non in eo Deus, quando propria malignitate id agit, non præceptione Dei: hoc eſt, quando id ex ſe, non ex lege facit, & ſuæ malitiæ magis quàm diuinæ obedit iuſtitiæ. Tunc gladium accipit non ad exercendam iuſtitiam, vt vindicet iniquitatem: ſed vt ſuam compleat impietatem. De qualibet Veritas ait: *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Qui acceperit, inquit, per ſe, non cui traditus fuerit à poteſtate, iſte gladio perdendus eſt iuſtè, qui gladio vti præſumpſit iniuſtè. Cùm autem quaſi gladium miles ſibi à rege traditum exercet ad vindictam, Rex in eo id agit, cuius ille operarius in hoc exiſtit. Vnde Auguſtinus de Ciuitate Dei libro primo: *Non occides, his*, inquit, *exceptis, quos Deus occidi iubet ſiue data lege, ſiue pro tempore ad perſonam expreſſa iuſſione. Non autem ipſe occidit, qui miniſterium debet*

Digitized by

debet iubenti, ſicut amminiculum gladius vtenti. Idem in quæſtionibus Exodi. *Iſraelitæ furtũ non fecerunt ſpoliando Ægyptios, ſed Deo iubenti miniſteriũ præbuerunt: quemamodũ miniſter iudicis occidit eum quem lex iuſſit occidi. Profectò ſi id ſponte faciat, homicida eſt, etiamſi cum quem occidit, ſcit occidi à iudice debuiſſe.* Item in quæſtionibus Leuitici. *Cùm homo iſte occiditur, lex eum occidit, non tu.* Ex his profectò verbis patenter docemur nec homicidium, nec furtum propriè dici, quod ex obedientia cõmittimus, cùm id rectè geramus, in quo Dei iuſſionem implemus. Quicquid ad Domini poſſeſſionem pertinere videtur, Dei potiùs quàm hominis eſſe dicendum eſt. Nec quiſquam eorum Dominus eſt, ſed diſpenſator, quandiu hoc habet Domino permittente: nec quiſquam hoc ei ſurripit iniuſtè, qui hoc accipit Domino iubente. Cuius tantùm ſunt illa à quo quandiu vult nobis ſunt commiſſa, atque in diuerſos, prout voluerit, diſpenſatores tranſitura: qui tantò minùs hæc diſpenſare & habere digni ſunt, quantò minùs eum recognoſcunt, à quo hæc ei ſunt commiſſa. Quales vtique infideles erant Ægyptij, hæc magis amittere quàm habere digni.

Problema Heloyſſæ IX.

DOMINVS leproſum, ſicut Matthæus refert, tactu ſuo mundatum ad ſacerdotis iudicium miſit, & offerre id iuſſit, quod lex talibus offerendum præcipit. Vnde ſuper hoc quæſtione mouemur, qua ratione Dominus in hoc facto legi contraire ſimul & obtemperare videatur. Leproſum quippe tetigit, quod lex prohibet: & mundatum ad ſacerdotem miſit, & ad offerendam hoſtiam, ſicut lex iubet.

Solutio Abaelardi.

SICVT ipſe Dominus ait, *Vſque ad Ioannem lex & Prophetæ*: hoc eſt vſque ad tempus gratiæ, tam legis quàm Prophetarũ præcepta etiam iuxta literam fuerunt implenda. In nullo ergo iam Dominus legi contradicit, cui iam nullus obedire ex præcepto conſtringitur Dei: præcipuè cùm lex ipſa in manu mediatoris, vt Apoſtol' ait, poſita, hoc eſt in eius poteſtate cõſtituta ſit, vt qui eã ad tempus inſtituerat, ceſſare pro arbi-

trio faceret, cùm oporteret: vt iam perfecta caritas in tempore gratiæ timorem foras mitteret. Pertinet autem ad tempus gratiæ misericordiam maximè circa quoslibet exhibere, & ad pietatem, quos possumus, exemplis inuitare, nec quicquã in hominibus immundum, præter peccatum, abhorrere. Vnde Dominus in leproso cuncta hic misericorditer agit, cùm & eum tangere propter infirmitatem corporis non est dedignatus, & ei id facere præcepit, sine quo in conuersationem hominum nequaquam fuerat suscipiendus. Ad hoc enim à sacerdote aspectus, ipsius iudicio & legis sacrificio fuerat commendandus.

Problema Heloyssæ X.

QVID est illud in Euangelio Lucæ, quod diuiti damnato Abraham dicit, *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare?* Quomodo enim aliqui excæcati sunt, vt de refrigerio tantæ quietis ad pœnas damnatorum transire velint, vel eis aliquod impendere beneficium iam omnino inaniter affectent, quos à misericordia Dei penitus excluſos vident?

Solutio Abaelardi.

ABRAHAM, in cuius sinu Lazarus est susceptus Deus est, qui fideles suos de huius vitæ miserijs ad futuræ vitæ refrigerium nobis adhuc occultũ tanquã in quoddam secretũ quietis susscipit. Ad hunc anima damnata loquitur quasi supplicãdo, dum eum sui desideret misereri. Abraham ei de sententia sua constituta respondet, cùm eum intelligere facit inaniter eum desiderare, quod nullatenus eidem potest euenire. Hoc est autem quod eum intelligere facit, quod subjungit, *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, &c. In his omnibus*, hoc est, in vtrisque prædictis, de consolatione scilicet iustorum & cruciatu malorum, *chaos magnum firmatum est*, & hoc est impedimentum tantum diuino iudicio perenniter constitutum: *Vt qui volunt ad vos hinc transire non possint.* Trãsire hoc loco de refrigerio iustorum ad pœnas malorum intelligimus velle his quoque subuenire, qui damnati sunt &

Digitized by

quaſi hoc beneficium iuſtorum illis afferre; vel inde huc illos educere, ſicut fideles quotidie faciunt in hac vita, dum orationibus vel eleemoſynis ſuis his quoque ſubuenire nitũtur, quos in pœnis purgatorijs eſſe putant, cùm omnino ſint damnati. Non ergo de illis, qui in illo refrigerio ſunt, intelligimus, vt hanc de damnatis compaſſionem habeant: ſed de viuentibus adhuc, ſicut dictum eſt, fidelibus. Non enim Abraham dixit, vt hi de iſtis, qui ſunt hic, volunt ad vos hinc tranſire: ſed ſimpliciter dixit, *Hi qui volunt*, ſiue adhuc viui, ſiue iam defuncti. Nos autem, vt diximus, propter viuentes hoc dictum accipimus, qui parabolicè dicuntur de refrigerio iuſtorum tranſire ad loca pœnalia damnatorum, vel inde huc tranſmeare: quæ videntur eiuſdẽ eſſe ſententiæ. Tale quippe eſt eos de refrigerio iuſtorum tranſire ad pœnas damnatorum, vel huc meare: tanquam illis quoque, qui damnati ſunt, ita compati, vt bonis operibus ſuis hoc refrigerium velint illis impertiri, & quodammodo tranſportare, vel eos inde huc educere, vt eadem ſententia in diuerſis videatur verbis.

Problema Heloiſſæ XI.

QVID eſt quod in eodem Euangeliſta legimus Dominũ dicere, *Dico autem vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia?* Multo quippe melius eſt ac perfectius peccatum cauere, quàm commiſſum emendare, & multos quàm vnum bene agere: Vndè hoc magis quàm illud Deo conſtat placere. Quid eſt ergo quòd Deus vnius peccatoris pœnitentiam plus approbat, quàm multorum iuſtorum perſeuerantiam?

Solutio Abaelardi.

QVO quiſque ampliùs de peccato alicuius dolet, magis de correptione ipſius gaudet; & quo dolor damni maior extiterat, & de reparando commodo minùs ſperandum videbatur, & grauius vt eueniret, maiore cum lætitia ſuſcipitur, & maiori ſolicitudini de damno maius gaudium ſuccedit de commodo. De iuſtis autem quos in bono perſeuerare confi-

dimus, & ideo minùs illi intendimus, de quibus ſecuriores ſumus, minore gaudio hinc accendimur, quàm de conuerſione peccatoris, quæ difficillima videbatur. Non tamen ideo plus valet huius conuerſio, quàm illorum perſeuerantia: ſed plùs inde gaudemus cùm acciderit, vnde plurimùm ſoliciti fueramus vt accideret. Quod ergo dicitur, *Gaudium erit in cælo*, in Eccleſia præſenti fidelium intelligitur exultatio, quæ nonnunquam etiam regnum cælorum à Domino nuncupatur.

Problema Heloiſſæ XII.

ILLVD quoque nonnihil quæſtionis habet quod in Matthæo legimus de operarijs in vineam miſſis: quorum priores tantùm nouiſſimis inuidiſſe videntur, & aduerſus patrem familias murmuraſſe vt tale mererentur reſponſum. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* In futura quippe vita, ita cuique beatorum ſufficiet brauium ſuſceptum, vt nemo plus ibi habere appetat, quàm accipiet: vbi erit tanta omnium caritas, vt vnuſquiſque alterius bonum diligat tanquam ſuũ, nec à voluntate Domini quiſquam diſcrepare poſſit, nec per malum inuidiæ aduerſus aliquem, poſſit nequam oculum habere: maximè cùm inuidia hos, in quibus eſt, tantùm affligat & cruciet, vt de ipſa Poeta dixerit.

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum ——— *& alibi*
Inuidus alterius rebus macreſcit opimis,

Solutio Abaelardi.

SCIENDVM verò in omni parabola non tam rei veritatem expreſſam eſſe, quàm ex parte aliqua rei ſimilitudinem inductam eſſe: & ſæpe hiſtoriæ veritati ſimilitudinem quaſi rem geſtam adiungi. Cùm enim de diuite & Lazaro geſtum eſſe creditur in duabus perſonis, vel ſæpius in multis, quòd huius anima ſit ſaluata, illius damnata: nequaquam iuxta literam accipi poteſt, quod diues Abrahæ dicit, *Mitte Lazarũ, vt extremum digiti ſui intingat in aquam & refrigeret linguam meã.* Non enim animarum eſt digitum vel linguam in ſe habere, ſed corporum tantùm. Quod ergo de his dicitur, non ad

Digitized by

veritatem pertinet rei geſtæ ſecundum proprietatem literæ, ſed ad ſimilitudinem inductam ex aliqua parte. Sic & hoc loco, cùm murmurare dicuntur quidam & tanquam indignari alios ſibi adæquari; murmuratio iſta non indignationis, ſed admirationis eſt accipienda. Qui enim murmurant, mirantur id fieri, quod non credebant. Vnde murmuratio illa, nũc dicitur multorum fidelium admiratio, quòd ſibi videbunt in præmio adæquari, quos pauciori tempore nouerant operari. Similiter oculus nequam per ſimilitudinem dicitur hominũ inuidorum, qui inde aduerſus alios commouentur, quòd quaſi contra rationem factum, quod non crediderant, mirãtur. Tale eſt ergo, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* tanquam ſi diceret. Nunquid ex eo quod vides per meam bonitatem factum commoueris more mundi ex iniquitate ad indignationem? Ac ſi diceret. Nequaquam ſic conuenit. Hoc autem Dominũ cuiquam dicere, eſt ipſum facere, hoc intelligere, quòd non hinc debeat indignari, ſed magis laudare Deum.

Problemá Heloyſſæ XIII.

QVAESTIO illa de peccato in Spiritum ſanctum irremiſſibili nos quoque ſicut multos commouet. Quomodo enim quis in Filium Dei, & non in Spiritum ſanctum peccare poteſt, cùm vnus offendi nequaquam ſine alio queat, & vnius offenſam in vtrumque redundare ſit neceſſe: cùm nequaquam cuiquam poſſit eſſe placatus, cui fuit ille offenſus?

Solutio Abaelardi.

ANTEQVAM ſolutionem, prout poſſumus, ponamus: præmittenda ſunt, & ex diuerſis Euangeliſtis colligenda huius ſententiæ verba, & vnde ipſa pendeat præmittendum, vt faciliùs ad ſolutionem ſit perueniendum. Sicut ergo Matthæus refert, cùm dæmoniacum quendam Dominus curaſſet, & inuidi Phariſæi dicerent eum id facere per ſpiritum nequam, non per Spiritum ſanctum: Dominus ait, *Si ergo in Beelzebub eĳcio dæmones, filĳ veſtri in quo eĳciunt? Si autẽ in Spiritu Dei eĳcio dæmones: igitur peruenit in vos regnũ Dei.* Et poſt aliqua: *Ideo dico vobis, Omne peccatũ & blaſphemia remittetur homini-*

bus: Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Marcus verò ſic ponit: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blaſphemiæ, quibus blaſphemauerant: qui autē blaſphemauerit in Spiritū ſanctū, non habebit remiſſionē in æternū; ſed reus eſt æterni delicti. Quoniā dicebāt immundū ſpiritum habet.* Lucas verò ſic ſcribit Dominū dicere. *Quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi. Ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur.* His itaque præmiſſis, primò diſtinguendum eſt, quid ſit peccatum blaſphemiæ in filium hominis, & quid in Spiritum ſanctum. Quātum verò æſtimo, ille peccat blaſphemādo in Filium hominis, qui Chriſto detrahit eum denegando Deum non tam per malitiam quàm per errorem, ex aſſumpta noſtræ infirmitatis natura, quam in eo conſpicit. Hoc enim innuit, cùm dicit Filium hominis potiùs quàm Filium Dei: vt propter infirmitatem hominis, quam ex matre naſcendo ſuſcepit, non credatur in eo fortitudo Dei. Quod quidem peccatum ex ignorantia tanquam inuincibili, plurimùm excuſabile videtur: cùm hoc nequaquam humana ratione, ſed Deo tantùm inſpirante percipi poſſet, vt videlicet Deus homo fieret. Vnde & ipſemet Chriſtus profiteur, *Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit illum:* quia non eſt humanæ rationis hoc in Chriſto percipere, quod ſolummodo fit Deo inſpirante. Blaſphemare verò in Spiritum ſanctum, eſt manifeſtè bonitati Dei, qui Spiritus ſanctus intelligitur, ita ſcienter ex inuidia detrahere, vt beneficia, quæ per Spiritum ſanctum, hoc eſt diuinæ bonitatis gratiam non dubitant fieri, per inuidiam tribuant maligno Spiritui, ſicut Phariſæi faciebant, dum turbam credentem his, quæ videbant, miraculis, à Chriſto per inuidiā auertere niterētur. Quorū peccatū ſi diligentiùs conſideremus, grauius eſſe videtur quo diabolus corruit. Etſi enim Phariſæi Chriſtum non credebant Deum: hominem tamen iuſtum ex vita & operibus eius ignorare non poterant, nec iſta, quæ faciebat, per Spiritum ſanctum facta eſſe. Cùm ergo contra conſcientiam

Digitized by

ſuam hæc dicerent per malignum ſpiritum, quæ fieri non dubitabant per Spiritum ſanctum : profecto ſcienter mentientes ipſum Spiritum ſanctum aſſerebant, eſſe ſpiritum malignum. In quo longè magis præſumpſiſſe videntur mentiendo, quàm diabolus ſuperbiendo. Diabolus quippe quamuis appetierit Deo ſimilis eſſe, & per ſe regnum obtinere: non tamen intantum ibi exceſſiſſe credendus eſt, vt in tantã prorumpere blaſphemiam auderet, vt Deum mentiri eſſe malũ ſuſtineret. Vnde blaſphemia iſtorum non minor ſuperbia illorum, ſed etiam magis execrabilis videtur, vt omnino à venia excludi ſit digna. Nequaquam tamen dicimus quòd pœnitentia talium, ſi eſſet, indulgentiam non impetraret: ſed ex ſententia Domini omnes tales credimus ita Spiritum Dei exacerbaſſe, vt in ſua obſtinati malitia, penit° excluſi fuerint à gratia. Hanc autem manifeſtam gratiam Dei, quæ ſe in Chriſto per effectum miraculorum reuelat, Lucas ſuperiùs per digitum Dei deſignat, ipſo dicente Domino, *Porro ſi in digito Dei eĳcio dæmonia*: Manus quippe ſiue dextera, vel brachium Dei Filius eius dicitur: in hac manu digitus eſt manifeſta quælibet ſancti Spiritus operatio. Digito quippe maximè vtimur in demonſtratione corporalium rerum : vnde digitum Dei Spiritum eius dicit, cùm gratiam ſuam per aliquem effectum beneficij patenter exhibet, vt non niſi Dei opus illud credatur, etſi nonnulli per inuidiam more Phariſæorum illud calumnientur. Et hoc eſt hoc peccatum blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, per quem remiſſio fit peccatorum, irremiſſibile permanere. Quod autem dictum eſt, *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei*: ſic accipe, quòd nullus, qui, vt dictum eſt, non per malitiam, ſed per errorem detraxerit honori Chriſti, propter hoc damnabitur: cùm hæc ignorantia inuincibilis ſimilem eum faciat illis pro quibus Dominus in paſſione ſua ſiue Stephanus orauerit. Pietati quippè atque rationi conuenit, vt quicunque lege naturali creatorem omnium ac remuneratorem Deum recognoſcentes, tanto illi zelo adhærent, vt per conſenſum, qui propriè peccatum dicitur, eum nitantur nequaquam offendere, tales arbitremur minimè damnandos eſſe: & quæ illum ad ſalutem neceſſum eſt addiſcere, ante vitæ terminum à Deo reuelari ſiue per inſpirationem, ſiue per aliquem dire-

ctum quo de his instruatur, sicut in Cornelio factum esse legimus de fide Christi ac perceptione baptismi. Quod & patenter illa videtur astruere sententia. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*: & cùm Dominus dicat, *maiorem hac dilectionem nemo habet*, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, nequaquam de his diffidendum videtur qui zelo legis, quamuis Christum non nouerint, mori pro Deo sustinent: cùm sit facile Deo talibus statim inspirare quid de Christo sit credendum antequam de corpore recedat anima, ne infidelis transeat ex hac vita.

Problema Heloissæ XIIII.

QVID est quod fidelium mentes Dominus componens, & ea computans bona, quibus beatitudinem promereri possunt, modò in singulis dicit eos beatos, in quibus sunt, tãquam vnum quodque facere sufficiat beatum sicut esse declaratur ex remuneratione eorum subjecta? Sic quippe dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et similiter in cæteris singulis remuneratio supponitur, ex qua vnaquæque gratia sufficere videtur ad salutem. Quas etiam distingui petimus diligenter, quò meliùs appareat, vtrùm singulæ sufficiant, si non in eodem homine simul occurrant.

Solutio Abaelardi.

SEPTEM sunt bona tanquam septem beatitudinibus distincta, quibus ad supernæ gaudia vitæ meremur pertingere. Nam illa, quæ quasi octaua supponitur, probatio magis est præcedentium beatitudinum, quàm illis tanquam diuersa, connumeranda; vbi videlicet dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Nam quia fidelibus beatis persecutiones maximè cõstat imminere, nequis eos propter hoc crederet minùs esse beatos, ideo prædictis beatitudinibus istud supposuit tanquam si diceret. Nec minùs isti tales beati sunt, cùm persecutiones sustinent; sed magis hinc probantur, cùm in eis non deficiũt. Tres autem fidelium ordines constat esse; vnum videlicet cõtinentium, alterum rectorum, tertium coniugatorum. In tribus

bus autem præcedentibus beatitudinibus continentes diligenter deſcribi arbitror: poſt has autem tres, duas proximas ad rectores maximè referendas arbitror, ſicut duas vltimas ad coniugatos, & eſt ordo congruus ſecundum meritorum gradus. Ordo quippe continentium, perfectione vitæ prior eſt cæteris. Secundus eſt rectorum, qui, quamuis ſint poteſtate ipſis quoque continentibus digniores; gratior tamen extitit patriarchæ pulchra Rachel & ſterilis, quam Lia lippa & fœcũda: & melior pars Mariæ tanquam in otio vacãtis, quàm Marthæ cibum miniſtrantis. Vltimus ordo eſt coniugatorum: qui longè à continentibus diſtant, & rectoribus æquari non merentur quamuis vtrique in actiua ſint occupati. Nam, vt poſtmodum Veritas ait, *Qui docuerit & fecerit legem* (quod eſt doctorum, & Eccleſiæ Prælatorum) *magnus vocabitur in regno cælorum*, ſicut continens, maximus, & coniugatus minimus. Ab his ergo, qui virtute ſunt maximi, & priores apud Deum dignitate religionis, inchoans, in tribus eorum ſanctitatem cõprehendit: cùm eos videlicet pauperes ſpiritu, mites, ac lugentes deſcribit. Beatus dicitur, quaſi bene actus, hoc eſt in bonis moribus compoſitus. Pauperes ſpiritu dicuntur, qui paupertatẽ non neceſſitate ſuſtinent, hoc eſt Dei, quo feruẽt, edocti ratione, hanc appetant, diuitias contemnentes, & eas tanquam nociuas fugientes, attendentes quod Dominus ait: *Facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum.* Spiritum itaque hoc loco rationem dicit, ſicut & Apoſtolus id ſecutus ait, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnem.* Quis enim neſciat concupiſcentiã animæ potiùs quàm corporis eſſe? Sed tunc caro aduerſus ſpiritum concupiſcit, cùm in eadem anima ſenſualitas, hoc eſt delectatio ex infirmitate carnis veniens, rationi repugnat, vt, iuxta eundem Apoſtolum, ſæpe victi faciamus, quæ nolumus; hoc eſt quæ facienda eſſe non approbamus. Cùm ergo ſpiritus, hoc eſt ratio, ſuggeſſerit nos facere quod debemus, & nos inde carnalitas retrahit; in quo perficiendo nonnulla difficultas incumbit: vincitur ſpiritus dominante carne, & ei ſubijcitur, vt homo iam carnalis vel animalis ſit dicendus, deſiderijs carnis more pecudum deditus. *Quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Inde pauperes ſpiritu probat eſſe beatos; quia qui rationabiliter terrena contemnunt, cœleſtia

promerentur. Pauperes itaque ſpiritu ſunt, qui tam poſſeſſionis quàm honoris ambitionem propter Deum poſtponũt, & nihil ad voluptatem appetunt: ſed contenti neceſſarijs, à licitis quoque abſtinent, ne voluptatibus terrenis capiantur, & Deo magis quàm ſæculo dare operam contendunt. Tales ſunt, qui à tumultuoſa ſæculi vita tranſeunt ad quietem monaſticam, vt tanto puriùs Deo & ſibi vacent, quantomagis remoti ſunt à curis ſæculi: & tanto faciliùs ad cœlos euolent, quanto magis terrenis ſarcinis exonerati ſunt. Quod & Hieronymus in illo principe Monachorum præfiguratum attendens, quodam loco ait: *Helias ad cælorum regna feſtinans, melotem reliquit in terris.* Hi tales cùm pauperes ſpiritu facti fuerint, mites ac manſueti neceſſe eſt fiant. Qui enim in terrenis nihil ambiunt, nequaquam de amiſſione rerum, vel illatis iniurijs in iram accenduntur. His benè ſe poſſidentibus, & impetus carnis regendo frangentibus, terra viuẽtium, hoc eſt vera ſtabilitas beatorum in prẽmium ſupponitur, cùm ait: *Quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Iſtam in talibus manſuetudinis & patientiæ virtutem Hieremias deſcribens, ait: *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit: quia leuauit ſe ſuper ſe. Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs: quia non repellit in ſempiternum Dominus.* Iugum Monaſticæ ab adoleſcentia ſua portat, cum quis hoc ſuſcipere non differt, quouſque in ſenio viribus exhauſtus hoc præſumat tollere, quod non poſſit portare: & quietem corporis magis quàm pacem animæ quærens, voluptates ſæculi, quas fugere ſe mẽtitur, in Monaſterio quærit. Et nihil iam valens operari, tanquam inter apes burdio factus, quod illæ congregant, deuorat impudenter. Et iam conſumptis viribus corporis, quas, quoad potuit, in ſeruitio diaboli expendit, occaſione ſenilis infirmitatis, luxurioſo vacat otio, quando eum tanto reſtrictiùs viuere decuit, & contra vitia dimicare, quanto ſe minùs victurum nouit, & ad percipiendam brauij ſui palmam citiùs peruenturum, ſi hanc meruerit. Iſte talis miſer ab adoleſcentia ſua iugum portare non aſſuetus, ſub ipſo, quod non poteſt ferre, cogitur ſuccumbere. Sedet ſolitarius & tacet profeſſor Monaſticæ diſciplinæ, cùm & nomen Monachi & vitæ perfectionem ſibi vendicat. Monachus quippe, ſolita-

Digitized by Google

rius interpretatur, quem beatus increpans Hieronymus, ait: *Quid facis in turba, qui ſolus es?* Quem omni tempore debere ſilentio ſtudere beatus aſſerit Benedictus, cultum iuſtitiæ ſilentium ex teſtimonio comprobans Eſaiæ. Et Apoſtolus hanc præcipuè virtutem commendans, ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Leuat ſe ſuper ſe, cùm ſe ipſum regens, & opprimens, carnem ſpiritui ſubdit: & voluntatem propriam voluntati ſubijciens Dei, de ſeipſo gloriosè triumphat, attendens quod ſcriptum eſt, *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.* Tunc autem maximè tacere debet, cùm alij virtutem eius diuulgant: ne ipſe ſui præco factus, in leuẽ euaneſcat auram, & quanto altior in virtutibus videtur, grauiorem ſuperbiendo caſum perferat. Taceat ergo quia leuauit ſe ſuper ſe, ne videlicet hæc ſi fecerit recognoſcat, & pauidus oret ne corruat; quia in hac vita, nulli ſecura eſt victoria. Quòd ſi fortè de ſe lo qui præſumat: non virtutem ſuam, ſed infirmitatem prædicet.' Vnde & ſubditur. *Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Quod eſt dicere: Tanquam puluerem tentationibus dæmonum agitatum, & in operibus non conſtantem, ſed diſſolutum profiteatur: & ſi quando mentis elatio titillauerit, ſtatim ſe obiurgans dicat, *Quid ſuperbis terra & cinis?* Quid præſumis leuiſſime puluis, quem proijcit ventus à facie terræ? hæc dicens, & de ſe pauens, cum terrore cogitet, ſi fortè ſit illi ſpes, ne nouiſſimè ſuperbia vincatur, quæ nõ niſi de virtutibus triumphat. Et ne virtutibus extollatur, perſecutionibus eſt humiliandus: vt per patientiam virtus eius probata coronetur, quæ ſpiritu pauperes facit veros mites. Dabit igitur percutienti ſe maxillam, & ſaturabitur opprobrijs: quia ſiue factis, ſiue verbis iniurietur, his tanquam quadam dulcedine ſaporis oblectatus reficietur. Dat percutienti ſe maxillam, qui pro Deo gaudet iniuriari. Subtrahit econtrario maxillam, qui iniurias refugit, vel inuitus patitur. Cur autem iuſtus libenter hæc toleret, & in paſſionibus gaudeat, iuxta illud, quod de Apoſtolis dictum eſt, *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati?* Et etiam ſupponitur. Et Propheta ait, *Quia non repellet in ſempiternum Dominus.* Repulſus à gratia Domini, & miſerijs in vita hac expoſitus videtur iuſtus: vnde & de ipſo

Digitized by Google

iuſtorum capite ſcriptum eſt: *Deſideranimus eum deſpectũ & nouiſſimum virorum, & putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* De hoc deſpectu vel repulſione Dei, cùm nos in aduerſis non protegit, ſcriptum eſt: *Deus repuliſti nos.* Sed quia hic, vt dictum eſt, repellit nos, vt probemur, quos poſt victoriam aſſumit, vt coronemur: ſpes afflictorum, qua triumphant, exponitur cùm dicitur, *Quia non repellet in ſempiternum Dominus*: hoc eſt, pœnas finiet afflictorum, qui pœnas non finiet affligentium. Et notandum quòd Dominus Apoſtolis nouum teſtamentum tradens, cùm in exordio ſtatim ad paupertatem admonet, vt fœcunditatem terrenorum cœleſti commutemus felicitate: patenter remunerationem Euãgelij à remuneratione legis diſtinguit, cùm ibi cœleſtium, hic terrenorum tantùm promiſſionem in remunerationem obedientiæ conſtituat. Carnalis quippe populus Iſrael terrena magis quàm cœleſtia deſiderans, hoc in remuneratione accepit, quod magis concupiuit, & per ea ad magis obediendum trahendus magis fuerat, quæ concupiſcebat, vt hac ſaltem promiſſione à peruerſo retraheretur opere, ſi nondum animus mundari poterat ab iniquitate. Vt enim Apoſtolus ait, *Nihil ad perfectum adduxit lex*, nec perfectionem habuit in promiſſis, ſic nec in præceptis. *Beati qui lugent.* Luctus ſalubris propriè conuenit Monachis, ſiue ille ſit pœnitentiæ de peccato, ſiue dilationis à regno. Quę duo lachrimarũ genera, in Axa filia Caleb prefigurata ſunt; cui conquerenti ad patrẽ, quòd ei terram aridam dediſſet, & irriguã poſtulanti, ei pater dedit tã ſuperius irriguũ quàm inferius. Quantum autem de peccatis tam ſuis quàm aliorum lugere conueniat monachũ, Hieronymus huius profeſſionis maximus profitetur dicens: Monachus non doctoris, ſed plangentis habet officium, qui ſe & mundum lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduentum. Quid enim vita monaſtica, niſi quædam eſt diſtrictioris pœnitentiæ forma? Lugeant ergo monachi ſiue hoc, vt dictum eſt, ſiue illo modo: vt riſum mereantur conſolationis de quo verè dicitur, *Quoniam ipſi conſolabuntur*: attendentes illud, quod Apoſtolis Dominus promiſit. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Vnde & econtrario reprobis ait. *Væ vobis, qui nũc ridetis: quia plorabitis.* Con-

Digitized by

trariæ quippe vitæ contrarios ſtatus & exitus habent: cùm nunc iuſti flentes poſtea rideant, & iniqui modò ridentes, e-contrario fleant. Iuſti ſiue de perpetratione peccati, ſiue de dilatione regni conſolationem accipiunt: quando ad vitam illam, quæ à dolore penitus eſt immunis, perueniunt. *Beati qui eſuriunt.* Poſt vitam continentium ad ordinem tranſit rectorum, ita iſtos inſtituens in duobus, ſicut illos fecerat in tribus. Rectores in populo Dei, non ſolùm Eccleſiaſticæ ſunt poteſtates in Sacerdotibus, verumetiã ſæculares in Regibus. Et notandum quòd cùm binarius numerus, qui coniugatis conuenit teſte Hieronymo, immundus ſit, vnde & opera ſecundæ diei laudem habere non meruerunt, & bina & bina de immundis animantibus in archam iuſſa ſunt mitti, non incongruè continentes per ternarium, qui impar numerus eſt, magis quàm binarium deſcribendi eſſe videntur. Cæteris verò, vbi continentiæ virtus omnino non præminet, magis conuenire binarius videtur. Eſuries vel ſitis iuſtitiæ, deſiderium magnum eſt in rectoribus debitæ vindictæ: vt videlicet mala commiſſa tantùm vindicare velint, quantum ſe debere cognoſcunt, & ſi non tantùm quantùm illi meruerint, qui deliquerunt. Alioquin miſericordia in eis locum non haberet, ſi videlicet nihil de pœna, quam rei meruerunt, relaxarent. Nam & cœleſtis iudex, quem terreni debent imitari, ita iuſtitiam temperat per miſericordiam, vt non tantùm reos puniat, quantùm illi merentur, ſed quantùm ipſi conuenit, cuius miſerationes ſuper omnia opera eius. Hinc enim de ipſo ſcriptum eſt: *Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Et rurſum, *Et cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Superexaltat quippe miſericordia iudicium, & magis iudicem commendat quàm vindictam. Hęc ergo duo in iudice ſemper eſſe debent coniuncta, vt & reum puniat per iuſtitiam, & minùs quàm meruerit per clementiã, quam hic dicit miſericordiam. Miſericordia quippe à miſeris dicta, humana compaſſio eſt ex miſerijs aliorum progreſſa, qua ex infirmitate animi magis quàm ex virtute pœnas abhorremus, ex hoc vno quòd patiẽtem affligunt, tam eas, quæ ſunt iuſtæ, quàm quæ iniuſtæ. Talis eſt animi compaſſio naturalis, ſiue rationalis ſit ſiue minimè, miſericordia propriè dicitur, teſte Seneca. Clementia autem, quæ hoc loco dicta

eſt miſericordia, rationabilis tantùm dicitur compaſſio, per quã videlicet eis ſubuenire volumus, quibus debemus. Quiſquis iuſtitiam habet ſine miſericordia, vt videlicet vindicare velit, nec pœnam relaxare: crudelis eſt. Sin autem è conuerſo, remiſſus eſt. Vndè bene Dominus hoc loco rectorũ mores inſtruens, nunquam iuſtitiam ſine miſericordia exerceri approbat: ideóque hoc loco tanquam inſeparabiles comites eas ſibi ſociat. Poteſt autem remiſſio pœnæ in his etiam, qui occiduntur, nonnulla eſſe: ſi videlicet eas abbreuiare, vel genus mortis leuius eligere ſtudeamus. Alioquin illam incurrimus ſententiam, *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam.* Contraria quippe contrarijs conueniunt, vt videlicet quemadmodum miſericordes miſericordia ſunt digni: ita immiſericordes hac mereantur priuari. Denique poſt continentes & rectores ad coniugatos veniens, ait: *Beati mundo corde.* Cùm ait corde & non corpore, vitam coniugatorum voluptati carnis plurimùm indulgentem, & concupiſcentiæ libidini cedentem inſinuat. Etſi enim admixtio coniugum habeat indulgentiam, cùm in ea incontinentiæ ſuæ remedium quærunt, non ob voluptatẽ & carnis delectationẽ more pecudum hanc appetunt: caro tamen ex labe luxuriæ nonnullum trahit contagium & immunditiam vel fœtorem maculæ. Mundi tamen corde ſunt, ſed non corpore, qui hãc tantùm appetunt non ad voluptatem, vt diximus, ſed ad neceſſitatem: ne fornicando Deum offendant. Et hi quoque ſaluandi, non carebunt viſione Dei, in qua veræ beatitudinis ſumma conſiſtit. Hi quoque pacifici dicuntur, qui pugnam carnis maximam per indulgentiam coniugij vitantes, ſic eo rationabiliter ac mediocriter vtuntur, vt ad Deũ quoque pacem habeant, quem per intemperantiam non offendunt. Vnde & filijs Dei ſunt aggregandi, qui nunc per vinculum matrimonij ſeruire inuicem coguntur carni. De qua quidem ſeruitute Hieronymus Apoſtolum dixiſſe intelligit, *Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ. Qui enim poſitus in coniugio, conuerſus eſt ad fidem Chriſti, tanquam ſeruus Deo inſpirante eſt vocatus & tractus.* Quippe quæ maior ſeruitus eſt dicẽda, quàm vt proprij corporis vir aut vxor poteſtatem non habeat, nec ab vſu carnis abſtinere, vt vel orationi vacent, niſi ex cõſenſu, queant? Hi tamen tales filij Dei vocabuntur, cùm de hac

Digitized by

ſeruitute ad libertatem venerint ſupernæ vitæ, vbi neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli in cœlo. Hæc ad diſtinctionem prædictarum beatitudinum, hoc eſt virtutum, vel donorũ diuinæ gratiæ, quibus beati efficimur, nunc à nobis vtcunque breuiter dicta ſufficiant: ſupereſt autem qualiter ex ſingulis donis beati ſint dicendi, qui vnum ſine cæteris habuerint, cùm vnum mandatum Dei obſeruare nequaquam ſufficiat, immo qui omnia præter vnum impleuerit, ex vno etiam prætermiſſo damnationem incurrat. Sed, quantùm mihi videtur, qui primùm dixit, *Beati pauperes*, & adiecit, *ſpiritu*: eandem adjectionem in cæteris ſubintellexit, tanquam mites ſpiritu, vel lugentes ſpiritu diceretur: vt hæc quoque vel cætera, quæ ſequuntur, per ſpiritum Dei, quæ caritas eius intelligitur, in iſtis, quæ hîc memorantur, fideles non ſolùm eſſe, ſed etiam alios aliorum operatione faciat præminere atque abundare. Sicut enim quæ de quatuor elementis conſtare certum eſt, ex obtinenti vocabula ſortiũtur, hoc eſt ex illo elemento, quod in eis abundat, eſſe maximè dicuntur: ita & hic fidelium gratiæ diſtinguntur ſecundum hoc quod in eis abundare probatur. Illos quippe pauperes caritas Dei facere dicitur, quos in contemptu diuitiarum vehementiores ac perfectiores facit. Similiter mites, quos in virtute patientiæ reliquis præfert: ac ſimiliter de cæteris nobis ſentiendum videtur. Omnes tamen beatos vel beatitudine dignos caritas Dei facit, cum qua nemo perire poteſt, quamuis in donis Dei iſtos illis perfectiores faciat. Diuerſa autem verba, quæ in remuneratione ſupponuntur, cùm dicitur, *Quoniam ipſorũ eſt regnum cælorum*, vel, *Quoniam ipſi poſſidebunt terram, &c.* Nequaquam in ſignificatione percipiendi præmij videntur diuerſa: ſed identitatis faſtidiũ fugiens, hoc Dominus variauit quadam conuenientia, quam habent ad præmiſſa iuxta proprietatem ſermonis, & ſimilitudinem rei. Quod in ſingulis leue eſt intueri. Congruè quippe pauperibus regnum cœlorum promittitur, vt qui terrenas diuitias propter Deum contemnunt, cæleſtes mereantur. Mitibus, qui ſe bene gerendo poſſident, poſſeſſio terræ viuẽtium, lugentibus conſolatio conuenit. Eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam, ſaturitas, hoc eſt impletio deſiderij ſui apud Deum obtinendi; cuius amore plurimùm intendunt exerci-

tio iuſtitiæ in vindictam malorum. Sic & in cæteris remunerationis verbis quædam concinnitas ad beatitudines præmiſſas aſſignari poteſt. Non ergo Dominus tam beatitudines ipſas haberi præcipit, quàm in eis illos abundare admonet, qui in ſingulis ordinibus deſiderant eſſe perfectiores. Nam ad perfectionis abundantiam, ipſe conſequenter nouum ſe tradere teſtamentum hîc Deo profitetur, dicens, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Problema Heloyſſæ XV.

QVID eſt quod poſtmodum Dominus ait, *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem*, cùm Ioannes dicat, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere*: quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum, ſed etiam patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo?

Solutio Abaelardi.

CVM dixit, *Non veni ſoluere*, & poſtmodum addidit, *ſed adimplere*, in moralibus ſcilicet præceptis potiùs quàm figuratiuis, ſicut ſequentia continent ex adimpletione quam ſuppoſuit: innuit quam ſolutionem mandatorum legis priùs intellexerit, in moralibus ſcilicet præceptis. Moralia quidem præcepta ſunt agendæ vitæ, ſicut figuralia figurandæ. Et moralia quidem quæ naturaliter ab omnibus ſemper complenda fuerunt, & antequam lex ſcripta daretur, mores hominum ita neceſſariò componunt: vt niſi impleatur quod in eis præcipitur, nemo vnquam ſaluari meruerit. Qualia ſunt, diligere Deum & proximum, non occidere, non mœchari, non mentiri, & ſimilia, ſine impletione quorum nemo vnquam iuſtificari poteſt. Figuralia verò ſunt legis præcepta, quæ iuxta literam accepta, nihil iuſtitiæ conferunt ex operatione ſua: ſed ad tempus inſtituta fuerunt, ad aliquid figurandum iuſtitiæ, vt obſeruatio Sabbati, circunciſio, quorundam ciborum abſtinentia, & his ſimilia. Ad moralia itaque tantùm legis præcepta referendum eſt quod Dominus ait, ſe non veniſſe ſoluere legem, ſed adimplere: hoc eſt nequaquam ceſ-

ſare

Digitized by Google

ſare facere quod in moralibus præceptis lex continet, ſed in eis per Euangelium ſupplere quod legi deeſt. Lex quippe Moyſi nequaquam inimicum diligi præcipit, ſed amicũ: nec peccatum in mente conſummati docet, ſed opera magis quã intentionem interdicit. Etſi enim concupiſcentiam quoque lex prohibeat, non tamen ex ea reum ſtatuit eſſe putandum: nec concupiſcere prohibet, niſi res eius, quem, iuxta literam, proximum definit, hoc eſt eius, qui de populo ſuo nunquam eſt alienigena. Non enim omnem hominem, iuxta literam, lex proximum dicit: ſed patenter alienigenam à proximo diſtinguit, cùm dicit Iudæum nequaquam fœnerari proximo, ſed alieno.

Problema Heloiſſæ XVI.

QVOMODO etiam Euangelij abundantiam præfert imperfectioni legis, dicẽs, *Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra plus quã Scribarum aut Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum?* Aut quomodo, vt Apoſtolus ait, reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem? Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Cùm enim Dominus diuiti quærenti, quomodo vitam æternam poſſideret, reſpondit de duobus mandatis dilectionis, quæ in lege ſunt: *Hoc fac, & viues*, & Apoſtolus dicat, *Qui diligit proximũ, legẽ impleuit. Nam, non adulterabis, non occides, &c.* Et iterũ, *Dilectio proximi malũ non operatur. Plenitudo ergo legis, eſt dilectio.* Quomodo ad perfectionẽ mandatorũ deeſt aliquid legi, cùm illa etiã duo præcepta dilectionis Dei & proximi ſufficere omnino videantur, nec aliquid perfectionis deeſſe?

Solutio Abaelardi.

CVM ait Dominus, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quã Scribarum & Phariſæorum*, ſubaudis iuſtitia: non ait, iuſtitia legis. Vnde & in ſequentibus ait, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, nequaquam hoc in lege reperiri poteſt, ſed magis in traditionibus Scribarum & Phariſæorum legi ſuperadditis, de quibus Dominus ait, *& irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Præſertim cùm de dilectione inimici, vel etiam de beneficijs ei impendendis, lex ipſa præcipiat dicens: *Si occurreris boui ini-*

mici tui aut asino erranti, reduc eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed leuabis cum eo. Et in Psalmista: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Et Salomon in Prouerbijs. *Ne dicas, Reddam malum pro malo: expecta Dominum, & liberabit te. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei, reddam vnicuique secundum opus suum.* Item. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Et beatus Iob. *Si gauisus sum*, inquit, *ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quòd inuenisset eum malum: Non enim ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.* Non ergo antiquis hoc iussum vel concessum fuit in lege, vt odio haberent inimicum: sed magis, vt dictum est, in traditionibus hominum, quàm in præceptis Dei habebatur. Cùm ergo dicit Dominus, *Plus quàm Scribarum & Phariseorum*, non plus quàm legis: nequaquam hinc cogimur fateri Dominũ hanc abundantiam Euangelij præferre imperfectioni legis. Non tamen ideò minus concedimus legem in præceptis suis ita imperfectam fuisse, vt ei necessarium esset Euangelium succedere: sicut & Apostolus, vt suprà meminimus, patenter profitetur. Sed nec præceptum de dilectione proximi, ante aduentum Christi perfectum esse potuit, quod ipse veniens, & proximus noster factus, tam susceptione carnis, quàm exhibitione dilectionis, perfectum fecit: vt iam quilibet eum tanquam proximũ diligens, ex hac perfectus dilectione fiat. Vnde & eidem diuiti requirenti quis esset proximus eius, parabolicè respondens, se illum proximum esse significauit, quõ ille Samaritanus expressit, qui vulnerati misertus est: & quem ex affectu compassionis ipse quoque diues verè proximum fuisse professus est. Siue ergo in lege habeatur, *Diliges amicum tuum*, siue *proximum*, vt eum videlicet ibi proximum intelligamus, qui vel cognatione, vel amore est nobis coniunctus: nemo rectiùs proximus noster, quàm Christus est dicendus, vt in eo nunc dilectio proximi perfecta sit facta, quæ antea fuerat imperfecta, quandiu videlicet statum suum lex habuerit, quæ vsque ad Ioannem vigorem suum custodiuit. Priùs ergo imperfecta, quandiu lex propriè fuit dicẽda, vt ei

obediendum eſſet per omnia: pro hac ipſa imperfectione ſui reprobata eſt, Euãgelicæ doctrinę ſuperuenienteperfectione, vbi quicquid eſt neceſſariũ, liquidè magis, quàm parabolicè eſt expreſſum. Nam etſi diligenter legis literæ inſiſtamus, quæ ſoli populo Iudæorum data eſt, nequaquam proximus niſi eorum eſt intelligendus. Vnde nec per Chriſtũ illud præceptũ de dilectione proximi, ad alios pertinere videtur, cùm ipſi ſoli ſub lege continerentur. Quapropter neceſſariò ſuccedere legi Euangelium debuit, omnibus generaliter iniunctum, vt omnes debeant ſaluari per ipſum. Ad prædictum itaque proximum, id eſt Chriſtum Apoſtolus reſpexit, cùm eo premiſſo, *Qui diligit proximum, legem impleuit*: ſtatim hoc tanquam pro probatione adiunxit: *Nam non adulterabis, non occides, &c.* Si enim Iudæus hunc inter proximos ſuos cõprehenſum diligat, ſicut ipſe ait, *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit*, in nullo adulterio, in nullo peccabit homicidio: & omnia ſimilia, quæ in lege ſunt, euitabit, & iuſtitias eius complebit.

Problema Heloiſſæ XVII.

QVID eſt etiam, quod in ſequentibus Dominus ait, *Neque per caput tuum iurabis: quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum*: tanquam ſi hoc facere poſſet, iurare per caput liceret?

Solutio Abaelardi.

REPLICANDA ſunt, quæ in proximo ſunt præmiſſa, vt ex illis, & de hoc faciliùs iudicemus. *Dico*, inquit, *vobis, non iurare omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas magni regis eſt; neque per caput tuum, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum.* Quatuor itaque ſunt, cœlum ſcilicet, terra, Hieroſolyma, caput noſtrũ, per quæ iurare prohibemur: quia hæc maximè in iuramento ponimus, quæ venerabiliora æſtimamus, vt ex his ampliùs nobis credatur. Hæc autem veneratione digna maiore videntur, quę ad Deũ maximè conſtat pertinere: vt cœlum, quod dicitur thronus Dei, hoc eſt anima Chriſti, cui ſpecialiter diuinitas inſidet,

&in ea plenius per gratiam inhabitat. Terra ,quæ ſcabellum Dei dicitur,humanitas eſt Chriſti, tanquam terrena & inferior in Chriſto creatura. Hieroſolyma ciuitas Dei, ſancta eſt Eccleſia:cuius caput ipſe eſt Chriſtus. Capilli adhærentes capiti,& ipſum adornantes vel protegentes,eloquia ſunt diuina quibus Chriſtus commendatur,& per fidem in nobis conſeruatur: horum quædam alta, quædam nigra dicuntur, cùm aliorum intelligentia clara ſit, & manifeſta: aliorum obſcura, ſicut illorum maximè quæ ſunt allegoricè dicta. Quorum quidem nullum ſiue album ſit,vt dictum eſt,ſiue nigrum,noſtrum non eſt facere: quia eloquia Dei non ſunt inuentionis humanæ,nec noſtra ſunt documenta,ſed diuina. Quod ergo ait, *Non iurabis per caput tuum: quia non potes* &c. tale eſt: Non debes Chriſtum in iuramento ponere, quòd eius ſolius ſummæ Dei ſapientiæ ſit hęc inuenire, quorum alia, vt diximus, alba ſunt,alia nigra. Similiter cùm iubet vt nec iuremus per cœlum, quod thronus Dei eſt,ſic accipe: vt non ideo per ipſum iurare eligamus, quia tantæ dignitatis eſt, quòd cæteris eminet creaturis. In his itaque verbis negatiuum aduerbiũ præpoſitum orationi,cauſam ipſam excludit,non interpoſitũ ipſam relinquit atque conſtituit. Aliam quippe vim negatiua particula habet toti orationi præpoſita, vt totam ſcilicet ſimul neget, aliam interpoſita, vt vni tantùm illius orationis parti appoſita. Aliud quippe eſt dicere, Non quia hoc feciſti, peccaſti:aliud dicere,Peccaſti, quia hoc non feciſti. Ibi nanque cauſa remouetur peccandi, vt videlicet non propter hoc peccauerit, vt hinc eum certum ſit non peccaſſe, vbi cauſa ad hoc interceſſerit: ibi verò non oſtenditur quòd non peccauerit, ſed hoc tantùm quòd non propter hoc peccauerit, vt videlicet cauſa peccati potiùs quàm peccatum ipſum remoueatur. Tale eſt ergo quod de iuramento Dominus præcipit vel adhortatur, vt, quia periculoſum eſt iurare, ne periuremus, omnino, quantum poſſumus, hoc caueamus, ne aliqua dignitate, quam res habeat, per ipſam iurare appetamus, ſiue ipſa ſit Deus, vt pote Chriſtus, ſeu quæcumque creatura ex Deo præ cæteris aliquid dignitatis adepta. Iurare autem per aliquid, eſt nos ei cui iuramus cõcedere, vt nihil vtilitatis in ea re, per quam iuramus, habeamus vlteriùs, niſi hoc, quod iuramento firmamus, verum ſit.

Digitized by Google

Cùm autem in Eccleſiaſticis cauſis omnis controuerſiæ, vt Apoſtolus ait, finis ſit iuramentum; non hoc loco Dominus præcipit non iurare, ſed magis adhortatur. Quædam nanque præcipiuntur, quædam prohibentur, quædam ſuadẽtur, quædam permittuntur. Præcipiuntur illa ſiue prohibentur, ſiue quibus vel cum quibus nos ſaluari dffidimus. Mala itaque prohibentur omnia, & bona præcipiuntur, non omnia, ſed illa tantùm, quæ ſaluti neceſſaria vidẽtur: vt credere in Deum, & diligere non tam ipſum quàm proximum, non adulterari & ſimilia. Illa berò bona, quæ non ita neceſſaria ſunt, ſiue quia ſtrictioris, vel laxioris ſunt vitæ, & tanquam nimis alta, vel nimis infima, ſub præcepto non clauduntur: ſed vel perſuaſionem conſilij habent, vt virginitas, vel indulgentiæ permiſſionem, vt nuptiæ. Quippe ſi præceptum ad virginitatem cogeret, damnarentur nuptiæ: vel ſi ad nuptias, damnaretur virginitas. Conſilium itaque ſiue perſuaſio, eſt de potioribus bonis: permiſſio verò, de minoribus, hoc eſt, quæ minoris ſunt meriti, quando conſilium de melioribus aliqua diffidentia vel diſpenſatione non ſuſcipitur. Quæ ergo tam fieri, quàm dimitti licet, præceptum non habent: ſed admonitionem, vt omnino non iurare, vel permiſſionem, vt hoc fiat pro neceſſitate: veluti cùm ad inquiſitionẽ veritatis, teſtibus opus eſt. Permiſſio autẽ eſt, cùm dicitur, *Vnuſquiq; habeat vxorẽ ſuam propter fornicationem*: præceptio verò, cùm dicitur, *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem.* Perſuaſio verò conſilij, cùm ſtatim ſupponitur, *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorẽ.*

Problema Heloiſſæ XVIII.

QVID eſt in eodem Euangeliſta, *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, Quid manducabimus?* Et rurſum, *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſolicitus erit ſibi ipſi. Sufficit enim diei malitia ſua.* Nunquid enim prouidentiam prohibet futurorum? Nunquid & ipſe Dominus eum qui turrem vult ædificare, de ſumptibus cogitare admonet? Et Apoſtolus, *Qui præeſt*, inquit, *in ſolicitudine*; ſicut & ipſe faciebat, de ſeipſo dicens, *Inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.*

Solutio Abaelardi.

SOLICITVDINEM propriè Dominus dicit ſuperfluam curam de futuris, quando videlicet pro aliquibus præparandis, magis neceſſaria dimittuntur: vt ſi pro apparatu craſtinorũ ciborũ, prætermittamus orando quærere à Deo regnũ ſuũ, hoc eſt tales nos facere, vt in nobis ipſe, nõ peccatum regnet. Craſtinus enim vt tanquam ſi diceret, ne affligatis vos ſuperfluis curis, pro tempore futuro, antequam veniat: quia cùm ipſum venerit, ſatis ſolicitudinis afferet ex ſe ipſo, illis, qui de neceſſarijs minùs in Dominico confidunt, non attendentes illud Prophetæ: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Sufficit enim diei, &c.* Hoc eſt, vnicuique tempori vitæ huius ærumnoſæ, ſuæ ſolicitudinis pœna ſufficere debet, quam videlicet affert nobis ex ſuperfluis curis pro tẽporalibus, dum pro his æternorum obliuiſcimur. Solicitudinem verò in bono, vel in his, quæ ad æternam pertinent vitam, dicit Apoſtolus prouidentiam, hoc eſt, rationabilem de futuris, vel profuturis curam: ſi videlicet temporalia prouideamus propter æterna, vt his ſuſtententur quodam viatico neceſſario qui ad illa feſtinant.

Problema Heloyſſæ XIX.

QVID illud eſt, quod ſequitur, *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini?* Quid enim ſi iniuſtum fecerimus iudicium? nunquid ſimile recipiemus?

Solutio Abaelardi.

NOLITE iudicare, hoc eſt, ne præſumatis, de incertis, aliquem certa ſententia grauare. Cùm enim iratus patet, de ſe ipſa res iudicat, non tu. Hinc & Apoſtolus: *Nolite ante tẽpus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita cordium.* Venit Dominus occulta reuelando, cùm eius diſpoſitione, quæ latebant, apparent, vel cùm ſecundum legem eius aliquid diſcutiendum inueſtigamus, vel de probatis pœnam inferimus: & tunc potiùs ipſe iudicat, vel punit,

Digitized by

quàm nos. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Ac ſi diceret. Ideo non debetis in iudicio præſumere, vt alios appetatis grauare: quia conſimile iudicium grauaminis incurretis apud Deum. Non ait denique, ne iudicetis; ſed, *Nolite iudicare*, vt non hoc ſcilicet ſponte appetamus, quod tamen nonnunquam facere cogimur, officio iudicis nobis cõmiſſo.

Problema Heloyſſæ XX.

QVAERIMVS & illud, quod in ſequentibus adiungit, *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & prophetæ.* Si quis enim vult vt in malo ſibi quiſquam conſentiat, nunquid debet illi præbere conſenſum in re conſimili?

Solutio Abaelardi.

DVO legis naturalis præcepta ſunt circa dilectionem proximi, vnum ſcilicet, quod hoc loco ponitur, alterum, quod in Tobia legimus, ipſo ad filium dicente: *Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias.* Sicut ergo id de malis, ita illud de bonis accipiendum eſt. Vt videlicet, ſicut mala nolumus nobis inferri, ſic nec alijs inferamus: & econtrario, bona, quæ nobis ab alijs volumus conferri, alijs impendere ſimus parati. Cùm ergo dicitur, *Quæ vultis vt faciant vobis homines*, tale eſt: Quod approbatis in conſcientia veſtra vobis ab alijs debere fieri. Nullus enim in conſciẽtia approbat ſibi conſentiendum eſſe in malo, ſed in his, quæ bona æſtimat, & fieri digna. Sic & Apoſtolus, cùm ait, *Non quod volo, hoc ago: volo* dixit, pro fieri approbo. Sed quid eſt, quod ait, *Omnia quæcunque vultis?* Multi quippe pro dignitate, vel diuerſitate perſonarũ, multa ſibi debere fieri cenſent, quæ nequaquam alijs ſe debere recognoſcunt: vt in prælatis videmus & ſubiectis, cùm iſti multa exigant ab illis, vt ſibi fiant, quæ nequaquam illis facere debent. Sed profectò ſic eſt accipiendum, vt quæcunque fieri debere nobis ab hominibus credimus; parati eſſemus & illis facere, non quidem quibuſcunque, ſed noſtri ſimilibus, hoc eſt, qui hæc à nobis ſuſcipere digni eſſent, ſicut nos ab illis. Illud quoque Tobiæ, *Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri*

Digitized by Google

tu aliquando facias, nonnihil habet quæstionis, cùm is scilicet, qui alium propter iustitiam occidit, nunquam ab alio id sustinere velle possit. Sed quia cùm quis iustitiam propter Deũ exercet; Deus potius id quàm ille facit, sicut dudum superius diximus, præcipitur vt quod odit fieri sibi, ipse alteri ne faciat: quia cùm aliquem rectè punit, Deus hoc potius, vel lex, quàm homo facit.

Problema Heloyssæ XXI.

QVID est, vt ait Apostolus, sine intermissione orare?

Solutio Abaelardi.

NVLLVM tempus, quo debeamus orare, prætermittere.

Problema Heloyssæ XXII.

QVID est illud in Matthæo de fide Centurionis roganti pro seruo, *Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel?* Non enim aliquid mirari dicuntur, nisi qui insperatũ aliquid accidere vident, quod nullatenus euenturum antea sciebant, vel credebant.

Solutio Abaelardi.

MIRATVS esse dicitur, quia similẽ miranti se fecit; quia mirari alios fecit de fide Centurionis, quem in tãtum extulit.

Problema Heloyssæ XXIII.

QVID est illud in Luca, *Omnipotenti tribue, & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas?*

Solutio Abaelardi.

CVM ait, *tribue*, non subiunxit, illud quod petit: sed in hoc innuit neminem petentem nos vacuum à dono dimittere, vt saltem in nostra responsione nos conuenienter excusando, non illum exacerbare, sed caritate in eo studeamus ędificare: vt blanda vel conueniens responsio, aliquod sit gratiæ donum.

Digitized by Google

num. Tua ne repetas, hoc eſt, quia tua ſunt, vt in te videlicet potiùs quàm in Deo repetitionis finem conſtituas. Non enim religioſus excedit, ſi qua ſibi oblata, quæ propter Deum poſſidebat, propter ipſum repetat, & illa in bonos vſus expendat, & violentum liberet à rapina. Nam & cùm in proximo ſupponit, *Et ſi diligitis eos qui vos diligunt, & ſi benefeceritis eis qui bene faciunt vobis: quæ vobis eſt gratia?* Cùm dicit, *qui vos diligunt*, ſimile eſt ei, *Ne repetas quæ tua ſunt*, hoc eſt, quia vos diligunt ſicut, quia tua ſunt. Alioquin iniquum eſſet non nos diligere eos à quibus diligimur, cùm omnes diligere præcipiamur: nec ipſum etiam, qui nos diligit, Deum, ſicut ipſemet ait, *Ego diligentes me diligo*, Quem potiùs propter ipſum, quia ſummè bonus eſt, quàm quòd nobis vtilis eſt, ſummo amore debemus diligere. Hæc eſt ordinata caritas, vt vnumquemque, prout melior ac dignior eſt, ob hoc amplius diligamus; hoc eſt, vt ei meliùs ſit deſideremus, ſicut & iuſtum eſt.

Problema Heloyſſæ XXIIII.

QVOMODO dicit Dominus, *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore*? Nunquid qui comedit de rapina, vel quod illicitum credit, etſi licitum ſit, vel qui ſacrificium indignè accipit, ex his peccati maculam non incurrit? Dicit Apoſtolus de quibuſdam Iudæis ad fidem conuerſis, & adhuc propter legem quoſdam cibos ab alijs diſcernentibus, tanquam immundos. Dicit inquam: *Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Dicit & de his, qui pro reuerentia idoli veſcebãtur idolothytis, *Quidam vſque nunc conſcientia idoli, quaſi idolothytum manducant; & conſcientia ipſorum cùm ſit infirma, polluitur.* Quomodo ergo nunc dicit Dominus, quia quod in os intrat, non coinquinat hominem: ſed magis quod de ore procedit?

Solutio Abaelardi.

EX hoc loco præcipuè in quo ſit peccatum accipiendum Dominus diligenter diſtinxit: & Iudæos redarguens ſuper hoc, nos inſtruxit. Illi quippe ad opera magis quàm ad ani-

mum reſpicientes, ex his, quæ fiunt exteriùs, magis ex hoc, quod in mente habetur, tam bona, quàm mala dijudicant. Dominus verò ad intentionem cuncta reducẽs, ex his potiùs, quæ in corde ſunt, quàm ex his quæ apparent, in opere, damnari hominem cenſet: nec animam pollui iudicat, niſi ex his, quæ in ea ſunt, & ipſam contingunt, vt ſint animarum maculæ ſpiritales, ſicut corporum ſunt ſordes corporales. Vnde & conſequenter exponens quod dixerat, *Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*, ait: *Quæ autem procedunt ex ore, de corde exeunt: & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Ac ſi apertè dicat: Sordes manuum corporales animam non attingunt, vt eam polluere peccato poſſint. Cogitationes, quæ inquinant, de corde exeunt, cùm ad hoc perpetrandum conſentimus, quod cogitauimus. Vbi autem non eſt ſenſus, non poteſt eſſe conſenſus, ſicut in paruulis, aut ſtultis: Qui ſic faciunt, quod non debent, nullum in hoc eis peccatum imputatur; nec homicidium, vel adulterium, nec aliquod peccatum Dominus dicit, niſi quod ex corde procedit, hoc eſt, niſi cùm hæc illicita recognoſcimus, ad quæ nos inclinat conſenſus. Sicut ergo cogitationes exeunt de corde, cùm per cõſenſum ad opera tendunt, ita homicidiũ, & adulteriũ & cætera peccata de corde docet exire, nec aliter peccata eſſe, niſi per conſenſum priùs fuerint in corde, quàm exhibeantur in opere. Poſtquã enim his agendis, quæ ſcit ſibi non licere, aliquis conſentit, is conſenſus propriè peccatum dicitur: & homicida ſeu mœchus, ex hoc vno apud Deum tenetur. Vnde & Veritas ipſa, *Qui viderit*, inquit, *mulierem, ad concupiſcendum eam*, hoc eſt qui inſpecta illa, venerit ad concupiſcentiæ conſenſum: *iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, hoc eſt, peccatum habet in animo perfectum, etſi nondum ſit in opere conſummatũ. Cùm aliquid manducandũ malè ſumimus, quia hoc nobis illicitũ credimus, nequaquam cibus ille, qui in os intrat, animam polluit: ſed iam hoc fecerat præcedens conſcientia noſtra, nec quicquam ad peccatum refert, quod nunc ore ſumimus, ſed quod ad ſumendum conſenſeramus.

Digitized by Google

Problema Heloyſſæ XXV.

QVID eſt illud in Matthæo, quod Dominus quibuſdam ciuitatibus improperans, ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim pœnitentiam egiſſent in cilicio & cinere?* Saluare quippe Dominus homines venerat, vnde & Ieſus, id eſt, Saluator proprio dictus eſt vocabulo. Cur ergo Tyro & Sidoni ciuitatibus gentilium illa beneficiorum miracula ſubtraxit, per quæ ſaluarentur, & ea illis exhibuit, quibus nocitura magis, quàm profutura ſciebat? Sed inquies: quia ſicut ipſemet profitetur, non erat miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Sed dico: Cur ad eas, niſi vt ſaluarentur? Si autem vt ſaluarentur, quid eis profuit ea ſibi fieri, per quæ grauius damnarentur: nec ſunt ad pœnitentiam conuerſi, ſed in ſua obſtinatione permanentes? Vnde & ipſemet Dominus ſupponit: *Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis.* Denique & Samaritanorum multos refert Ioannes ad verbum eius credidiſſe, & eum nonnulla miraculorum beneficia gentilibus etiam tam in viris, quàm in feminis exhibuiſſe, per quæ illi crederent, vel in fide firmarentur: ſicut eſt illud de puero Centurionis, & de filia Syrophœniſſæ, de ipſius Tyri finibus egreſſæ.

Solutio Abaelardi.

REVERA Dominus Ieſus ad ſolos Iudæos in perſona propria miſſus fuit. Quod ergo circa Gentiles miſericorditer egit, non ex officio miſſionis fecit, ſed ex gratia, debito ſuperaddidit, attendens quod & ipſemet ait: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Ac ſi apertè dicat: Ne pro magno habeatis, ſi obedientiæ debitum impleatis, niſi inſuper aliquid gratiæ debitis adiungatis, ſicut illi faciunt, qui virginitati vel continentiæ ſtudent, virtuti nequaquam ſub præcepto comprehenſæ. Denique nec illa beneficia Gentilibus præſtita, tam miſſus facere venit, quàm inuitatus, & quaſi precibus ad hæc agenda tractus. Quòd verò illis prædicationem ſubtra-

Digitized by Google

xit,quos ad pœnitentiam ſic fuiſſe conuertendos teſtatur,nequaquã cogimur per hoc fateri eos in hac pœnitẽtia perſeueraturos vt ſaluarentur. Multi quippe leues ſunt homines,qui ad pœnitentiæ compunctionem facilè cõmouentur, & eadẽ facilitate,quaſi ad vomitũ reuertentes,in mala,quæ fleuerãt, relabuntur: & cùm auditum verbum prædicationis auidè ſuſceperint, firmitatem non habent radicis, vt in eo perſeuerent,quod cœperint. Quòd ſi etiam ponamus illos ad prædicationem Domini fuiſſe conuertendos, atque ſaluandos, quibus ipſe tamen prædicationis gratiam ſubtraxit: penes ipſum eſt, cur hoc facere non decreuerit, qui nihil ſine ratione facit; ſicut de Eſau, cui ſubtracta eſt gratia, quæſtionem Apoſtolus mouit,& eam indiſcuſſam reliquit.

Problema Heloiſſæ XXVI.

QVAERENDVM etiam videtur,quo myſterio,vel qua ratione Dominus in ficulnea quærens fructum, & non inueniens,quando,vt Marcus ait,non erat tempus ficorum:eam tamen ſua maledictione percuſſam, continuò effecit aridam, vt deinceps arefacta permaneret, tanquam ex culpa quacunque arboris,hanc maledictionem in eam intorſiſſet?

Solutio Abaelardi.

ARBOR ſine fructu reperta, Iudæa eſt pro ſua nequitia tunc à Domino reprobata, vt boni operis fructu priuari mereretur, nequaquam recognoſcens ſuæ viſitationis tempus. Culpa autem eius accidit, quòd tunc tempus fructuum eius non fuerit: quando videlicet dominicæ prædicationis gratiam ſibi oblatam repulit.

Problema Heloyſſæ XXVII.

QVID eſt, *Oratio eius fiat in peccatum?*

Solutio Abaelardi.

ITA in reprobum ſenſum tradatur, vt magis eligat orare

Digitized by Google

nociua,quàm profutura,& obtinere precibus ea, quæ ad peccatum magis pertrahant,quàm ad ſalutem perducant.

Problema Heloiſſæ XXVIII.

EX Epiſtola prima Pauli ad Teſſalonicenſes: *Ipſe autem Deus pacis ſãctificat vos per omnia,vt integer ſpiritus veſter,& anima, & corpus ſine querela in aduẽtu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Quid eſt ſpiritus & anima, tanquam anima non ſit ſpiritus, aut duo ſpiritus ſint in vno homine?

Solutio Abaelardi.

SPIRITVM pro ratione, hoc eſt animi diſcretione hoc loco ponit Apoſtolus,ſicut & ibi,*ſpiritus aduerſus carnem.* Tale eſt ergo, Integer ſit ſpiritus veſter, hoc eſt, ratio ita perfecta vel incorrupta, vt in nullo per errorem exorbiter à veritate. Animam verò dicit voluntatem,iuxta illud: *Qui amat animam ſuam perdet eam.* Hoc eſt, qui ſuam hic voluntatem ſequitur,poſtmodum ſua voluntate priuabitur:vt qui hic voluntatem ſuam impleuerit, quod voluerit in futuro non habeat. Anima itaque noſtra, id eſt voluntas, integra eſt: quando à diuina non diſcrepat.Corpus quoque integrum ſeruatur, cũ exercitium corporalium ſenſuum nõ corrumpitur illecebris carnalibus, nec oculus noſter animam noſtram deprædetur, neque mors intret per feneſtras noſtras. In his verò tribus per omnia ſanctificamur, cùm nec in diſcretione rationis, nec in exæſtuatione noſtræ voluntatis,nec in oblectatione ſenſuum excedimus,vt caro ſpiritui dominetur. Sic tunc profectò ſine querela, hoc eſt,ſine reprehenſione ſeruamur vſque in aduentum Domini:cùm tales perſeueramus vſque ad extremam iudicium,vel tales tunc inueniri meremur.

Problema Heloiſſæ XXIX.

QVID eſt illud ad Epheſios,*Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo,longitudo,ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ caritatem Chriſti: vt impleamini in omnem plenitudinem Dei?*

Solutio Abaelardi.

POSSITIS comprehendere, hoc eſt, in vobiſmet ipſis experiri, quanta ſit latitudo ipſorum, ſcilicet ſanctorum, in caritate, per quam ſe vſque ad inimicos etiam dilatant. Longitudo, id eſt longaminitas perſeuerantiæ, caritatis, vel patiẽtiæ in aduerſis, per ipſam ſcilicet caritatem, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, ſublimitas eorundem & profundum, hoc eſt, quàm magni ſint ex his duobus apud Deum per meritorum quantitatem, & quàm parui vel infirmi apud ſe per humilitatem. Profundum quippe imum dicit vel humile. Quàm magni verò ſint ac ſublimes Deo, in remuneratione ſua experientur, vbi tanto ampliùs merentur exaltari, quanto hîc humiliores extiterint: & tanto plus à Deo recipere, quanto minùs hîc ex ſe recognoſcunt habere. Hæc autem quatuor, latitudo ſcilicet Sanctorum, vel Eccleſiæ, quæ corpus Chriſti eſt, in ipſa eius cruce, cui eius corpus affixum eſt, præfiguratum eſſe intelligunt. In latitudine quidem crucis, ad dexteram & in ſiniſtram, vbi manibus affixis extenſus eſt: latitudo caritatis inimicos etiam amplectentis, qui nobis tãquam in ſiniſtra ſunt, hoc eſt, in aduerſitate, ſicut amici in dextera, deſignatur. Manus affixæ in dextera & ſiniſtra crucis parte, opera ſunt caritatis, ad inimicos pariter & amicos in beneficijs dilatata. Quam profectò latitudinem caritatis de ipſa cruce Dominus nobis exhibuit, cùm & curam matris gerens, eam diſcipulo commendauit, & pro crucifigentibus exorauit. Sicut autem latitudo dextrorſum & ſiniſtrorſum tendit, ita longitudo ſurſum & deorſum reſpicit, in qua ipſe Dominus à capite vſque ad pedes in cruce ſtetit erectus. Ex qua quidem longitudine, illa eius perſeuerantia patientiæ figuratur, vſque ad conſummationem vitæ ipſius, ſiue redẽptionis noſtræ. De qua ipſemet ait: *Conſummatum eſt.* Et Apoſtolus, *factus*, inquit, *obediens vſque ad mortem.* Sublimitas crucis, additio illa eſt, in qua titulus ſcriptus eſt ſuper caput Domini. In quo certè titulo nomen eius præſcriptum, quod eſt, Ieſus, illud eſt excellentiſſimum, de quo idem Apoſtolus adiecit. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* In electis quoq; illa ſuperior pars ad-

Digitized by Google

dita, ſignificat illud in remuneratione Sanctorũ, quod ſupra merita ipſis eſt collatũ ex gratia, iuxta illud eiuſdẽ Apoſtoli: *Non ſunt cõdignæ paſſiones huius tẽporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis.* Profundũ, hoc eſt, inferior pars crucis, per quam terræ affixa ſtat, humile eſt, & abiectũ crucis patibulum, ſiue genus mortis ignominioſum, quo maxima Chriſti humilitas cõmendatur, & ipſe ampliùs exaltari meruit, ſicut ſuprà meminimus ibi, *Propter quod & Deus exaltauit illũ, &c.* De hoc genere mortis prædictum fuerat ex perſona impiorum: *Morte turpiſſima condemnemus eum.* In electis etiam illa pars inferior crucis, qua terræ infixa tenetur; virtutem exprimit humilitatis, qua ipſi ſe pulueri & terræ comparantes quanto ſe ampliùs hic humiliant, & minores reputant, tanto poſtmodum exaltari merentur. Et hæc quidem humilitas eorum, firmos & erectos eos tenet in culmine virtutum: ſicut illa pãrs terræ affixa firmam eam, & erectam tenet. Poſt caritatem ſanctorum, tranſit ad ſummam Chriſti caritatem, quam nobis exhibuit, & nos eam ſcire, ac ſemper attendere admonet, vt eius comparatione humiliores ac feruentiores in eius dilectione teneamur. Hanc vtique Chriſti caritatem ſupereminentem ſcientiæ noſtræ dicit: quia longè maior eſt, quàm nos comprehendere intelligentia, vel experientia poſſimus. Cùm autem hanc Chriſti caritatem conſiderantes, eam noſtræ conferemus incomparabiliter ſuperiorem: tunc, vt dictum eſt, humiliores ac feruentiores effecti, implebimur omni perfectione virtutum à Deo nobis collata.

Problema Heloiſſæ XXX.

QVID eſt illud in primo libro Regum, quod de Helchana dicitur, *Et aſcendebat vir ille ſtatutis diebus, vt adoraret?* Qui, vel à quo ſtatuti ſunt dies iſti?

Solutio Abaelardi.

RABANVS Maurus in libris Regum, ex ſententia cuiuſdam Hebræi, quem in pleriſque ſequitur ſecundum literam: *Quod autem dicit, ſtatutis diebus, hoc eſt, tribus feſtiuitatibus, Paſcha videlicet, Pentecoſte, & ſolemnitate Tabernaculorum.* Vnde

Dominus in Exodo præcepit, dicens: *Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis.* Et item: *Ter*, inquit, *in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Ergo in Silo cùm eſſet eo tempore arca Domini, ibi hic Helchana, cùm eſſet ipſe Leuita, poſt oblatas victimas, cum vxoribus, & filijs, atque filiabus pariter veſcebatur.

Problema Heloiſſæ XXXI.

QVID eſt poſtmodum, quod Anna reſpondit Heli ſacerdoti, *Nequaquam*, inquit, *Domine mi: nam mulier infœlix nimis ego ſum, vinúmque, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi: ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Ne reputes ancillam tuã, ſicut vnam de filiabus Belial?*

Solutio Abaelardi.

INFELICEM ſe dicit, quaſi probroſam; quia maledicta ſterilis, & quæ ſemen non reliquit in Iſrael. Vnde & illud eſt Elizabeth, *Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.* Vnde & illud eſt Deuteronomij cap. 24. quod Dominus inter cætera promittit populo, pro præceptorum obſeruantia: *Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.* Quod verò ait, *Vinum, & omne, quod inebriare poteſt, non bibi*: magnam laicæ feminæ vel coniugatæ perfectionem exprimit. Quam profectò abſtinentiam ſi tunc agebat, vt eius orationem faciliùs exaudiret Dominus, de partu, quem poſtulabat quanto magis virgines Chriſti, quæ ſpiritali, ac longè meliori fructui ſtudent, iſta decet abſtinentia? filias Belial ſpecialiter appellat, quas ſibi Diabolus, tanquam propriam prolem generat. Ebrietas quippe ſtatum mentis euertit; & quicquid imaginis Dei per rationem habemus, extinguit; vt iumentis inſipientibus comparandi, efficiamur ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Antiquus hoſtis, & diabolus dicitur, hoc eſt, deorſum fluens: & Zabulus, ſiue Satanas, quod in Latinum ſonat aduerſarius, ſiue tranſgreſſor; & Belial, hoc eſt, abſque iugo. Quod quidem nomen hoc loco propter ebrios rectè poſitum eſt: cùm ebrij, tanquam inſani, nulli Dei, vel diſciplinæ

Digitized by

disciplinæ iugo subjaceant. Tales ergo dicit filias Belial, quales furibundæ Bacchi Sacerdotissæ describuntur.

Problema Heloyssæ XXXII.

QVID est etiam illud de Anna, *Vultúsque illius non sunt amplius in diuersa mutati?*

Solutio Abaelardi.

HILAREM tantùm faciem, & non mæstam vel flebilem deinceps exhibuit.

Problema Heloyssæ XXXIII.

QVID & illud est, *Orauit Anna, & ait: Exultauit cor meum in Domino? &c.* Hoc quippe Canticum verba gratiarum, vel prophetiæ potiùs habet, quàm orationis.

Solutio Abaelardi.

QVANTVM æstimo, ante Canticum orationem præmisit: quò eius Canticum, vel actio gratiarum acceptabilius Deo fieret. De oratione itaque præmissum est, *orauit*: & de Cantico subjunctum, *Et ait, exultauit cor meum, &c.* Nam & mos Ecclesiæ est in singulis horis orationem præmittere his, quæ in laudibus Dei decantanda sunt. Plura autem Cãtica sanctarum feminarum legimus, vt Debboræ, Iudith, & istud Annæ matris Samuelis, sicut & Mariæ matris Domini, de partu sibi à Domino commisso, illi quidem sterili, vt mater fieret tanti prophetæ, isti verò virgini, vt mater fieret Saluatoris. Et hoc profectò canticum Annæ, sicut & illud Virginis summæ, Ecclesia maximè frequentare consueuit, non solùm pro sanctitate matris, vel dignitate partus ei concessi in Samuele, scilicet à quo specialiter Prophetæ dicuntur incœpisse, & qui primus à matre Domino est oblatus: verumetiam quia nullus ante Prophetarum tempus tam manifestè Christum, & eius imperium in suis Canticis, sicut nunc Anna, prophetasse videtur. Sic quippe ait de patre Christi, &

Digitized by Google

ipſo: *Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.* Nondum quippe Rex in Iſrael erat conſtitutus, ad quem hæc prophetiſſæ gratulatio pertineret. Ipſa primo Chriſtum, hoc eſt Meſſiam verum patenter exprimere meruit: ipſa manifeſtè prænuntia futurum, quod Maria decantat completum tanquam fidem virginis, tam prophetia, quàm partus inſtrueret ſterilis.

Problema Heloyſſæ XXXIIII.

ILLVD etiam mouet, quod hîc dicitur, *Donec ſterilis peperit plurimos.* Et ſi enim Scriptura poſtmodum referat, quòd poſt Samuelem adhuc tres filios, & duas filias Anna peperit; nondum tamen, dum hoc diceret Cãticum, niſi Samuelem habuiſſe refertur. Quomodo etiam de filijs ſuis dicit, *plurimos* & de filijs æmulæ ſuæ Fenennæ, dicit multos, tanquã ipſa plures habuerit, quàm illa? Quamuis enim ſcriptura non definiat, quot filios habuerit Fenenna: nonnulli tamẽ aſtruũt eam plures habuiſſe, quàm Annam, hoc eſt, ſeptem.

Solutio Abaelardi.

NON eſt neceſſe vt plurimos hoc loco, pro plures cõparatiuè accipiamus, reſpectu pauciorum: ſed plurimos dicit abſolutè, ſicut & multos, verbis in eodem ſenſu variatis. Nec impedit, ſi iam multos filios habuiſſet Anna, quando Canticum iſtud Domino perſoluit, quamuis ſcriptura nondum retulerit eam habuiſſe niſi Samuelem. Sæpe namque ſeries ſcripturæ non tenet ordinem hiſtoriæ; ſed nonnulla narrat præpoſterè. Potuit etiam iſtud per prophetiæ ſpiritum Anna dicere, cùm ſolum adhuc haberet Samuelem. Denique nec incongruè dicere potuit pro ſolo Samuele, vt ipſe ſcilicet pluris eſſet in pretio, quàm filij Fenennæ, licet vnus in numero. Hoc enim modo nonnunquam contingit, vt illum dicamus plus habere quàm alium, qui pauciora numero, ſed pretioſiora poſſidet.

Digitized by

Problema Heloiſſæ XXXV.

OBSECRAMVS & quid illud ſit, *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod lineo, & tunicam paruam faciebat mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, vt immolaret hoſtiam ſolemnem.* Siue enim Leuita, vt probabilius eſt, ſiue Sacerdos Samuel fuerit: nequaquam ætas pueritiæ miniſterio eius conuenire ſecundum legem poterat, vt videlicet ephod accinctus tãquam Leuita, vel Sacerdos vitam tenera ætate miniſtraret. Quærimus & quam tunicam vel quibus temporibus ſtatutis mater puero afferret.

Solutio Abaelardi.

MINISTRARE puer in aliquibus officijs minoribus poterat, ephod quoque lineo accinctus. Vnde & illud eſt Rabani ſecundum Auguſtinum: *Samuel accinctus ephod bad, hoc eſt ſuperhumerali lineo, quod diſtat ab illo ephod, quod induebatur Pontifex: quia iſtud tantummodo lineum fuit, & conceſſum minoribus gradibus ad vtendum. Illud enim, quod veſtiebat pontificem, ex quatuor coloribus, id eſt, hiacinto, biſſo, cocco, purpura, & ex auro habebatur contextum.* Statutos dies patet eſſe ſupradictos trium feſtiuitatum ſecundum legem, vt in ſingulis illis præcipuis ſolemnitatibus anni, mater ſolicita filio nouam tunicam afferret, in qua ipſe Domino mundiùs vel honeſtiùs miniſtraret, ſuperhumerale lineum deſuper habens, quo accinctus, & non oneratus, expeditiùs miniſtrare poſſet. Quem, ni fallor, habitum Monachi nunc imitantur, cùm opera manuum in tunica & ſcapulari deſuper accincto ſoleant exercere. Quid enim aliud ſcapulæ quàm humeri? Aut quid ſcapulare niſi ſuperhumerale? Denique, quis improbet Samuelem, licet puerum, in officio Leuitarum, pro neceſſitate miniſtrare, hoc etiam Heli iubente, cùm nullus tunc in domo Heli reperiretur hoc officio dignus? Notum quippe prouerbium eſt. Neceſſitas non habet legem.

Digitized by Google

Problema Heloiſſæ XXXVI.

ROGAMVS quippe & quærimus, quis fuerit ille vir Dei à Domino miſſus ad Heli, vt eum corrigeret, & mala domui eius ventura prædiceret? Quid & illud ſit, quod inter cætera dicitur, de ſacerdote meliore ſucceſſuro Heli, *Suſcitabo*, inquit, *mihi ſacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciat: & ædificabo ei domũ fidelem, & ambulabit corã Chriſto meo cunctis diebus. Futurum eſt autem, vt quicunque remanſerit in domo, veniat, vt oretur pro ea, & offerat nummũ argenteum, & tortã panis, dicátq;. Dimitte me, obſecro, ad vnam partem Sacerdotalẽ, vt comedam buccellã panis.* Scimus quidem Samuelem, qui Heli ſuperuixit, fideliſſimum extitiſſe Domino. Sed quòd Leuita potiùs quàm Sacerdos extiterit, communis opinio eſt, nec domum eius fidelẽ extitiſſe, cuius filij reprobati ſunt. Quod etiã dicitur, *Ambulabit coram Chriſto meo*, vtrùm de ipſo Sacerdote, an de domo eius accipiendũ ſit, & quis ille Chriſtus ſit quærimus. Denique quod ſupponitur de oblatione nummi argentei, & tortæ panis, tanquam oblatione noua, quam lex non habuit, & cæteris, quæ adduntur, exponi poſtulamus.

Solutio Abaelardi.

VIR ille Dei, creditur Angelus fuiſſe apparens in humana ſpecie. Sacerdos ſucceſſurus Heli, non tam Samuel, qui Leuita fuerit, nec fidelem, ſed reprobam domum habuit, quàm quicunque alius vir ſanctus, qui in ordine Sacerdotij Heli ſucceſſerit, intelligendus eſſe videtur, qualis fortaſſis Aminadab fuit, in cuius domum arca Domini Cariathiarim reducta eſt à Philiſtæis, vel Eleazarus filius eius ſanctificatus ibi ad cuſtodiendam arcam, vel denique ipſe Achimelec, quẽ cũ alijs Sacerdotibus Saul interfecit in Nobe ciuitate ſacerdotum. Quod verò dictum eſt, *Ambulabit coram Chriſto meo*, non de Sacerdote, ſed de domo eius accipe ſub ipſo miniſtrãte. Denique quod additur, *Futurum eſt enim, &c.* ita Hebræum quendam audiui exponentem. Nummus argenteus, ſiclus argenteus eſt, quo vnuſquiſque redimebat ſe à Sacerdote. Torta panis, quicar id eſt quarta panis pars, quæ pauperum oblatio erat. Pars Sacerdotij armus dexter, & pectuſculum, id eſt ſuperior pectoris pars, maxillæ, ventriculus, &

Digitized by Google

cauda, (Quæ tamen non ſemper eadem erat) quia ſecundũ diuerſos ſacrificiorum ritus, vt in Leuitico legitur, pars Sacerdoti dabatur. Nuntiatur itaque Heli, quòd domus eius ad tantam ventura ſit paupertatem: vt qui modò redemptionum & oblationum ſuſceptores erant, quibus etiam propter ipſum Heli pars Sacerdotalis dabatur, ab alijs ſe redimendos Sacerdotibus, alimoniã petant, orãtes, vt eis quantulacumq; Sacerdotij particula, & buccella panis, quæ torta ſuperiùs appellata eſt, dimittatur.

Problema Heloiſſæ XXXVII.

QVID eſt illud in exordio Marci Euangeliſtæ, quod ait, *Sicut ſcriptum eſt in Eſaia: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto, &c.* Cur enim dicit in Eſaia, cùm primum teſtimonium, quod ſtatim addit, ſit Malachiæ, ſecundum Eſaiæ? Sin autem econuerſo feciſſet, ſtare veritas poſſet; ita ſcilicet, vt illud, quod præmiſerat, *Sicut ſcriptum eſt in Eſaia*, ad primũ tantùm pertineret teſtimonium.

Solutio Abaelardi.

SED quia eadem ſententia in verbis vtriuſque Prophetæ continetur: breuiloquus Euangeliſta idipſum, quod Malachias dixit, Eſaiæ aſcripſit, qui maioris erat auctoritatis, & à quo fortaſſis ille hoc didicerat. Miſſio quippe Angeli, ad parandam viam Domini, vel ipſa eius præparatio, & vox clamantis in deſerto, Ioannis eſt prædicatio. Quem etiam diligentiùs Eſaias deſcribit, cùm eum nõ Angelum appellat, ſed clamantem in deſerto prænuntiat, Vnde & bene Euangeliſta poſt teſtimonium Eſaiæ, quod poſterius poſuit, ſtatim adjecit: *Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans.* Quod quidem cùm ait, *in deſerto, & prædicans*, apertiùs verbis conſonat Eſaiæ dicẽtis, ſcilicet, *Vox clamantis in deſerto.* Prouidè quoque Marcus cùm præmiſerit, *Scriptum eſt in Eſaia*, addidit, *Propheta.* Tanquã Eſaias teſtimonij quoque Malachiæ Propheta potiùs eſſet, quàm ille: qui hoc, vt arbitror, teſtimoniũ ex Prophetia Eſaiæ, quã legerat, nõ hac ſola inſpiratione ſpiritꝰ acceperat. Ad hũc etiã modũ illud poſſe ſolui arbitror teſtimoniũ,

quod Matthæus inducit de duobus Prophetis collectum, Zacharia ſcilicet & Hieremia, cùm ipſe totum tribuat Hieremiæ dicens, *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrũ figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Cùm igitur tam primum teſtimonium Zachariæ, quàm ſecundum Hieremiæ, in eadem de Domino ſententia ſint coniuncta: Hieremiæ tamen, qui maioris erat auctoritatis, & à quo Zacharias illud quod dixit accipere potuit, Matthæus totum Hieremiæ tribuit.

Problema Heloiſſæ XXXVIII.

ILLVD quoque teſtimonium Zachariæ Prophetæ, quod Dominus in Matthæo inducit de ſe ipſo dicens, *Scriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis*, nonnullam generat quæſtionem. Hoc enim Zacharias de pſeudopropheta potiùs quàm de Domino dicere videtur. Sic quippe in eo ſcriptum eſt. *Et erit, cùm prophetauerit quiſpiam vltrà: dicit ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum. Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit. Et erit in die illa, confundentur propheta, vnuſquiſque ex viſione ſua, cùm prophetauerit, nec operientur pallio ſaccino, vt mentiantur: ſed dicet. Non ſum propheta: homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. Et dicetur ei. Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicit. His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute paſtorem, & diſpergentur oues.*

Solutio Abaelardi.

QVAMVIS Zacharias illud pro pſeudopropheta dixerit, Dominus verò pro ſe ipſo induxerit: tamen tale eſt illud Domini teſtimonium ex Zacharia ſumptum, quod tam bono paſtori, quam málo conueniat. Siue enim bonus paſtor, ſiue malus, aliqua aduerſitate percuſſus, à cura illa paſtorali, quã acceperat, præpediatur: ab eius regimine grex, quem aduna-

Digitized by Google

uerat, diſpergitur, & diſgregatus in diuerſa vagatur, ſine paſtore & duce factus. Quia ergò perſecutio aduerſariorum, tã in bono paſtore, quàm in malo hanc diſperſionem gregis operatur, non incommodè Dominus, quod generaliter de paſtoribus dicitur, ad ſuam etiam paſſionem applicuit: tanquã ſi diceret. Quod generaliter de paſtoribus verum eſt, hoc etiam in ſe complendum eſſe, & ſic etiam in ſe futurum, ſicut in pſeudopaſtore fuerat prædictum: vt in hoc etiam cum iniquis ſit reputatus, quòd eis etiam in hoc aſſimilatus.

Problema Heloyſſæ XXXIX.

QVAERIMVS etiam quomodo illud, quod de galli cantu Dominus Petro prædixit, tam variè ſcriptum ſit ab Euangeliſtis. Matthæus quippe ita ſcribit: *Ait illi Ieſus, Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Marcus verò, qui Euangelium ſuum ipſo Petro dictante dicitur ſcripſiſſe, ſic ait. *Amen dico tibi, quia hodie in nocte hac priuſquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.* Lucas verò ita: *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.* Ioannes verò ſic. *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Quid ergo ſibi vult tanta verborum diuerſitas, ſi ſemel vnum ex his Dominus Petro dixerit? Quid eſt etiam quod dicit Marcus, *Hodie in nocte hac:* cùm nequaquam nox in die ſit, & in cãtu galli addiderit, *bis*, quod cæteri tacent.

Solutio Abaelardi.

CONSVETVDO eſt Scripturæ, nomine diei pariter diem & noctem comprehendere: veluti cùm dicimus, quia ille vixit, vel ſedit tot annis & tot diebus, vel quia ibi fuit per tot dies. Sic & cùm Marcus dixit *hodie*, noctem etiam cum ſuo die comprehendit. Quod verò adiunxit, *in nocte hac*; noctem non tempus, ſed imminentis noctis aduerſitatem dixit. Vt verò vtraque ſoluamus de galli cantu dicta, ponamus Dominum ita temperatè Petro dixiſſe priùs, vt Marcus refert, antequam gallus ſcilicet bis vocem dederit, & poſtea, tanquam Petrus conſtantiam ſuam promitteret, adjeciſſe, quòd etiam illud faceret, antequam gallus cantaret. Nam & Marcus

Petrum quaſi nimiùm confidentem ſæpiùs verbis Domini quaſi procaciter contraire commemorat, dicens. *Petrus autẽ ait: Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego. Et ait illi Ieſus Amen dico tibi, quia hodie in nocte hac, priuſquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. At ille ampliùs loquebatur, Etſi oportuerit me ſimul commori tibi: non te negabo.* Qui priùs dixerat ſe non eſſe ſcandalizandum, plus aliquid nunc addit, dicens, ſe etiam paratum commori antequam neget. Ad quam maiorẽ ſuæ cõſtantiæ præſumptionem, & ipſe Dominus plus aliquid adjeciſſe non incongruè creditur, dicẽdo ſcilicet, quòd priuſquam etiam gallus cantet, ter ſit negaturus, vt diximus. Sed illud plurimùm quæſtionis generat, quod negationes Petri, & cantum galli Marcus ſic ordinat, vt poſt primam negationẽ, gallus primo cãtaret, & poſt duas alias, ſecundò; ex quo videtur nequaquam poſſe ſtare, quòd, ſicut dicunt cæteri Euangeliſtæ, Petrus ter negaret, antequam gallus cantaret: niſi fortè in verbis quoque ipſorum ſubaudiatur, bis, quod Marcus ponendo ſubaudiendum innuit, & quòd Dominus tantummodo dixerit. Cùm enim aliquid vno loco magis determinatè, quàm in alio dicitur: ſæpe determinationem ſubaudiri oportet, vbi etiam ipſa non ponitur, vel quod alibi eſt exceptum, diligenter annotandum, ne falſitas confundat ſenſum. Quod nec ipſos etiam latet infideles. Vnde cùm Iudæis nonnunquam opponimus, *Ad vſuram non accommodaueris*, tanquam nec nobis etiam fœnerare debeant: dicunt, *proximo tuo*, ſubintelligendum eſſe, quod alibi legitur determinatum eſſe. Sed & cùm veritas habeat Euangelica, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei*, ſubintelligendum eſt, vel ſua paſſione ſanctificatus. Cùm alibi quoque de Martyribus generalem habeamus ſententiã, Domino dicente, *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Auguſtinus verò lib. 3. de conſenſu Euangeliſtarum, hanc diuerſitatem de negatione Petri ita diſſoluit, vt quod Marcus ait, ad prolationem vocis referat negantis; quod cæteri dicunt, ad propoſitum animi iam tanta formidine percuſſi, atque perturbati: vt paratus eſſet tertiò negare, antequam omnino gallus cantaret. Quòd ſi quis fortè requirat, cur dixerit Dominus, ter, & non quater, vel ampliùs, quod ſimiliter ex magnitudine formidinis facere paratus eſſet: videtur

tur mihi nonnulla etiam ratio in hoc negationis haberi ternario, quo comprehenſu intelligatur omnis negatio. Omnis quippe Chriſtum negans, vel per errorem id facit, vel timore aliquo, ſiue cupiditate compulſus id præſumit. Ter igitur negaturus Petrus cùm à Domino prædicitur, ad omnem paratus eſſe negationem inſinuatur. Neque enim dubitandum eſt ex his, quæ iam in Domino geſta conſpexerat, antequam primùm negaret, in deſperationis ſcandalum vnà cum cæteris ipſum corruiſſe: à quo poſtmodum liberatus, Domino eum reſpiciente, amaro pœnitentiæ fletu deleuit, quod commiſit. Nec illud fortaſſis abſurdè dici poteſt quòd ille prior cantus galli, poſt primam negationem Petri, naturalis non fuit: ſed ex aliquo ſtrepitu, vel Petri de atrio foras exeuntis, vel quorumcunque illic deambulantium, gallus aliquis propè aſſiſtens, excitatus ante horam, primò cantauerit: vt non eſſet ille prior cantus naturaliter factus, ſed vi quadam extortus. Nec tamen ſine ratione id Dominus ordinauit, vt ad primam ſtatim negationem Petri, ſtatim gallus, quaſi Petrum arguendo, cantaret, nec ſic Petrus negãdo deſiſteret, vt veritas ipſa appareret. Cùm itaque Dominus prædixerit Petrum ter negaturum, antequam gallus cantaret: horam naturalis cantus galli intellexiſſe videtur. Marcus verò qui ſolus appoſuit bis; tam naturalem, quàm accidentalem cantum galli indifferenter accepit.

Problema Heloiſſæ XL.

QVID eſt quod ſolæ beſtiæ, vel aues commemorantur adductæ eſſe in Paradiſum ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: & non etiam reptilia terræ, vt ſerpentes, vel reptilia aquæ, vt piſces?

Solutio Abaelardi.

BENE quidem, quantum ad myſterium, hoc credimus actum. In Eccleſia namque præſenti, continentes, qui ſe maximè per deſiderium ad cœleſtia ſubleuant, & quaſi volucres in altum volant, auibus comparantur. Boni verò coniugati beſtijs, quæ terram ex parte contingunt, pedibus videlicet, & ex parte ab ea ſeparantur, cùm corpore in ea non volutentur.

Qui enim matrimonio coniunctus est, diuisus est; partim Deo seruiēs, partim sæculo intentus, propter instātes cōiugij necessitates. Quasi ergo pedibus, hoc est, inferiori parte sui terram contingit; quia terrenis curis, propter occupationem matrimonij, quod lapsioris vitæ est, deseruit. Reptilia verò, quæ toto corpore in imo iacent, nec se vllatenus erigere possunt, reprobi sunt terrenis desiderijs penitus vacantes, & in profundo vitiorum commorantes. De qualibus scriptum est: *Peccator cùm in profundum vitiorum venerit, contemnit.* Vnde nec pisces vnquam in sacrificio Dei permissi sunt offerri. Rectè igitur volatilibus tantùm & gressibilibus animantibus in Paradisum adductis, non etiam reptilibus, Adam nomina imposuisse dicitur: quia de toto præsentis Ecclesiæ populo, in qua granis paleæ adhuc sunt permixtæ, soli continentes, & boni coniugati ad verum cælestis patriæ Paradisum sunt peruenturi, & Dei vocatione digni: quorum nomina iam in libro vitæ sunt scripta. De qua quidem vocatione Dei, illud est Apostoli. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, illos & iustificauit.*

Problema Heloissæ XLI.

QVAERIMVS quis illud addiderit in fine Deuteronomij librorū scilicet quinque Moysi nouissimi, quod de morte Moysi & deinceps narratur: vtrùm videlicet ipse Moyses id quoque prophetico spiritu dixerit, vt etiam id libris eius cōnumerari possit, an ab alio postmodum sit superadditum.

Solutio Abaelardi.

SICVT Beda super Esdram meminit, ipse Esdras, qui non solùm legem, sed etiam, vt communis maiorum fama est, omnem sacræ scripturæ seriem, quæ pariter igni absumpta est, prout sibi videbatur legentibus sufficere, rescripsit: tam hoc quàm pleraque alia scriptis veteris testamenti adjecit. Sic & nonnulla scriptis etiam Euangelicis superaddita videmus à translatoribus: quale est illud in Matthæo. *Heli, Heli, lamasabathani? hoc est Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Sic & in cæteris Euāgelistis, quæ nō Hebraicè, sed Græcè scripta

Digitized by Google

ſunt, ſimul expoſitio iſtorum Hebraicorum verborum addita reperitur. Libro etiam Hieronymi de illuſtribus viris, vbi ſe ipſum in fine operis poſuit, eius vitæ quantitas & finis à quodam addita reperitur.

Problema Heloyſſæ XLII.

VTRVM aliquis in eo quod facit à Domino ſibi conceſſum, vel etiam iuſſum, peccare poſſit, quærimus.

Solutio Abaelardi.

QVOD ſi, vt oportet, verum concedatur; quæſtione grauì pulſamur, quomodo coniuges, vel in antiquo populo, vel in nouo, carnalem concupiſcentiam exercentes, in eo peccare dicantur, vnde in poſteros peccatum originale trãsfundunt. Priorem quippe populum ad procreationem filiorum Dominus ex præcepto, & legis maledicto in eos, qui ſemen in Iſrael non relinquerent, conſtringebat. Vnde non ſolùm primis parentibus ante peccatum dixit, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*: verumetiam hoc ipſum Noe & filijs eius poſt diluuium iniunxit. De ſupradicto autem legis maledicto, quo ad propagationem filiorum homines cogebantur; illud eſt Hieronymi contra Heluidium de perpetua virginitate ſanctę Mariæ. Quandiu lex illa permanſit, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, &, *Maledicta ſterilis, quæ non facit ſemen in Iſrael*, nubebant omnes, & nubebantur. Hinc & illud eſt beati Auguſtini in libro de bono coniugali. *Continentiam Ioannes & in opere, Abraham verò in ſolo habitu habebat. Illo itaque tempore, cùm & lex dies Patriarcharum ſubſequens, maledictum dixit, qui nõ excitaret ſemen in Iſrael, & qui poterat non promebat, ſed tamen habebat.* Idem ad Iulianum de viduitate ſeruanda. *Nec quia dixi Ruth beatam, Annam beatiorem, cùm illa bis nupſerit; hæc vniuira citò viduata diu vixerit, continuò etiam te meliorem putes eſſe quàm Ruth: alia quippe propheticis temporibus ſanctarum feminarũ diſpenſatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiſcentia compellebat, vt propagaretur populus Dei, ex quo naſceretur etiã caro Chriſti.* Vt ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis ſententiam, qui non ſuſcitaret ſemen in Iſrael. Vnde &

ſanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, ſed pietate pariendi, vt rectiſſimè credantur coitum non fuiſſe quæſituræ, ſi proles poſſet aliter prouenire. Et viris vſus plurimarum viuarum concedebatur vxorum. Proinde ſancta Ruth quale cum ſemen illo tempore neceſſarium fuit in Iſrael non haberet in mortuo viro, quæſiuit alterum de quo haberet. Ad hoc vtique legis maledicto, quod prædictus cõmemorat doctor, & quaſi ſummo fidelium opprobrio, intantum etiam ipſa lex illi prouidebat populo, vt poſteriores fratres, etſi de vxoribus ſuis proprium ſemen haberent, ad ſemẽ quoque priorum fratrum ſuſcitandum, vxores eorum ducere compelleret, & illis iam defunctis potiùs quàm ſibi filios generare, vt vel ſic à maledicto legis illos abſolueret, qui prole priuati non eſſent. Ipſe etiam Dominus obſeruatoribus legis id quoque in remuneratione conſtituit, vt ſteriles apud eos non permaneant, tam in hominibus, quàm in iumentis. Sic quippe ſcriptum eſt in Deuteronomio: *Si poſtquam audieris hæc iudicia, cuſtodieris ea, cuſtodiet te Dominus, diliget & multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & terræ tuæ armentis, gregibus ouium. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus quàm in gregibus tuis.* Vnde & nullos ſanctorum Patrum legimus ſemine priuatos, quamuis ſteriles haberent vxores, quas non ad voluptatem concupiſcentiæ carnalis exercendam, ſed ad populũ Dei propagandum ducebant: vt non tam ſibi quam Deo filios procrearent. Quale & illud eſt Thobiæ. *Et nunc, Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meã, ſed ſola poſteritatis cauſa, in qua benedicetur nomen tuum in ſæcula ſæculorũ.* Hac intentione Abraham matrimonio copulatus, de vxore ſterili prolem ſuſcipere meruit. Sic quoque Iſaac, Manue pater Samſonis, Helchana de Anna, Zacharias de Elizabeth optatam adepti ſunt prolẽ, ne maledictum legis vel opprobrium incurrerent matrimonij. Quod inde matrimonium eſt dictum, quòd ad matrem familias faciendam ſit initum. Hoc maledictum legis Iepte filia conſiderans, virginitatem ſuam deflebat: quòd virgo moritura, ſemen in Iſraël non eſſet relictura. Ab hoc opprobrio ſe liberari Helizabeth exultabat, dicens. *Quia ſic fecit mihi Dominus, in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.* Hæc omnia ſuprà memoratus doctor diligenter attendens, illum coniugatorum concubitum, qui

Digitized by

fit propter filios non tam generandos,quàm in Chriſto regenerandos, ita commendat, vt illum magis à peccato immunẽ dicat, quàm eum qui fit cauſa vitandæ fornicationis: quam tamen ſolam Apoſtolus cauſam conſtituit, ad continentiam plurimùm nos adhortans: *De quibus*, inquit, *ſcripſiſtis mihi, bonũ eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem, vnuſquiſque ſuam vxorem, & vnaquæque ſuum virum habeat.* Tanquam ergo melius ſit, concubitum quoque coniugalem Deo magis quàm nobis impendi; vt ei ſcilicet filios generare magis quàm vtilitati noſtræ intendamus prouidere. Adeo prædictus doctor illam intentionem iſti præponit, vt nequaquam illum concubitum ad indulgentiam referat, quem à culpa penitus alienat: vt non ſolùm tanquam culpabilis non vitetur, ſed tãquam laudabilis expetatur. Qui etiam nuptiarum bonum commendat, vt ſi cauſa qua conuenit, ineantur, procreandi videlicet filios: illos etiam concubitus excuſent, qui non hac intentione, qua conuenit, fiunt: atque in ſeipſis, magis quàm in operationem vitandæ fornicationis, nuptias eſſe bonas cõuincit. Vnde & in prædicto Libro, de bono ſcilicet coniugali, ſic ait. Bonum ergo coniugij, quod etiam Dominus in Euangelio confirmauit: non ſolum quia prohibuit dimittere vxorem niſi ex cauſa fornicationis, ſed etiam quia venit inuitatus ad nuptias, cur ſit bonum merito quæritur. Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiã naturalem in diuerſo ſexu ſocietatem. Item: Tantum valet illud ſociale vinculum cõiugum, vt cùm cauſa procreandi colligitur, nec ipſa cauſa procreãdi ſoluatur. Poſſet etiam homo dimittere ſterilem vxorem, & ducere aliam, de qua filios habeat, & tamen non licet habere. Item. Sanè videndum eſt alia bona Deum nobis dare, quæ propter ſeipſa expetenda ſunt, ſicut eſt, ſapientia, ſalus, amicitia: alia quæ propter aliquid ſunt neceſſaria, ſicut doctrina, cibus, & potus, ſomnus, coniugium, concubitus. Horum enim quædam neceſſaria ſunt propter ſapientiam, ſicut doctrina: quædam propter ſalutem, ſicut cibus, & potus, & ſommus: quædam propter amicitiam, ſicut nuptiæ vel concubitus. Hinc enim ſubſiſtit propagatio generis humani, in quo ſocietas amicabilis magnum bonum eſt: his itaque bonis, quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc vtitur, propter quod inſtituta

ſunt, peccat, aliàs venialiter, aliàs damnabiliter. Quiſquis verò eis propter hoc vtitur, propter quod data ſunt, benefacit. Item. Mihi videtur hoc tempore ſolos eos, qui ſe non continent, coniugari oportere, ſecundum illam eiuſdem Apoſtoli ſententiam, Quòd ſi ſe non continent: nubant. Melius eſt enim nubere, quàm vri. Nec ipſis tamen non peccatum ſunt nuptiæ. Qui ſi in operationem fornicationis eligerentur, minus peccatum eſſet, quàm fornicatio; ſed tamen peccatum eſſet. Nunc autem quid dicturi ſumus aduerſus euidentiſſimam vocem Apoſtoli dicentis, Quod vult faciat, non peccat ſi nubat, &, Si acceperis vxorem, non peccaſti, &, ſi nupſerit virgo, non peccat? Hinc certè iam dubitare fas non eſt, nuptias non eſſe peccatum. Non itaque nuptias ſecundum veniam concedit Apoſtolus. Nam quis ambigat abſurdiſſimè dici non eos peccaſſe, quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi: quem nuptiæ non cogunt fieri, ſed ignoſci impetrant: ſi tamē non ita ſit nimius, vt impediat, quæ ſepoſita eſſe debent tempora orandi, nec immutetur in eum vſum, qui eſt contra naturam. De quo Apoſtolus tacere non potuit, cùm de corruptelis nimijs immundorum & impiorū hominum loqueretur. Concubitus enim neceſſarius cauſa generandi, inculpabilis & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem, qui vltra iſtam neceſſitatem progreditur, iam non rationi, ſed libidini obſequitur. Et hunc tamen non exigere, ſed reddere coniugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad perſonam pertinet coniugalem. Si autem ambo tali concupiſcentiæ ſubiguntur, rem faciunt non planè nuptiarum. Verūtamen ſi magis in ſua cōiunctione diligunt quod honeſtum, quàm quod inhoneſtum eſt, id eſt, quod eſt nuptiarum, quàm id quod non eſt nuptiarum, hoc eis, auctore Apoſtolo, ſecundum veniam conceditur. Item. Ille naturalis vſus, quando prolabitur vltra pacta nuptialia, id eſt vltra propagandi neceſſitatem, venialis fit in vxore, in meretrice damnabilis: iſte, qui eſt contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, ſed execrabiliùs in vxore. Tantum valet ordinatio creatoris & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum conceſſis, etiam cum modus exceditur, longè ſit tolerabilius: quàm in eis, quę con-

Digitized by Google

ceſſa nõ ſunt, vel vnus vel ratus exceſſus: & ideo in re cõ ceſſa, immoderatio coniugis, ne in rem non conceſſam libido prorumpat, toleranda eſt. Hinc eſt etiã quòd longè minùs peccat quãlibet aſſiduus ad vxorem, quàm vel rariſſimus ad fornicationem. Cùm verò vir membro mulieris non ad hoc conceſſo vti voluerit, turpior eſt vxor ſi in ſe, quàm ſi in alia fieri permiſerit. Decus ergo coniugale eſt caſtitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides; hoc eſt opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apoſtolus, dicendo, Et ſi acceperis vxorem, non peccaſti, & ſi virgo nupſerit, non peccat: &, quod vult faciat: non peccat, ſi nubat. Exigendi autem debiti ab alterutro ſexu immoderatior progreſſio, propter illa, quæ ſuprà diximus, coniugibus ſecundum veniã conceditur. Quod ergo ait, Quæ innupta eſt cogitat ea, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore & ſpiritu, non ſic accipiendũ eſt, vt putemus non eſſe ſanctam corpore Chriſtianam coniugem caſtam. Omnibus quippe fidelibus dictum eſt, Neſcitis quoniam corpora veſtra templum in vobis eſt Spiritus ſancti, quem habetis à Deo? Sancta ſunt etiam corpora coniugatorum, fidem ſibi & Domino ſeruantium. Cui ſanctitati cuiuſlibet eorum, nec infidelem coniugem obſiſtere, ſed potiùs ſanctitatem vxoris prodeſſe infideli viro, aut ſanctitatem viri prodeſſe infideli vxori: idem Apoſtolus teſtis eſt, dicens, Sanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore fideli: & ſanctificata eſt mulier infidelis in fratre fideli. Proinde illud dictum eſt ſecundum ampliorem ſanctitatem innuptarũ quàm nuptarum. Item. Manet vinculum nuptiarum, etiam ſi proles, cuius cauſa initum eſt, manifeſta ſterilitate non ſubſequatur: ita vt iam ſcientibus coniugibus non ſe filios habituros, ſeparare ſe tamen, vel ipſa cauſa filiorum atque alijs copulare non liceat. Quod ſi fecerint, cum eis, quibus ſe copulauerint, adulterium committunt; ipſi autem coniuges manent. Planè vxoris voluntate adhibere aliam, vnde comunes filij naſcantur vnius commixtione, ac ſemine, alterius autem iure ac poteſtate, apud antiquos patres fas erat: vtrùm & nunc fas ſit, non temere dixerim. Non eſt enim propagandi neceſſitas, quæ tunc fuit: quando & parientibus coniugibus alias propter copioſiorem poſteritatem, ſuperducere licebat, quod nũc certè non licet. Item. Quod eſt cibus ad ſalutem hominis,

hoc eſt concubitus ad ſalutem generis, & vtrumque non eſt ſine delectatione carnali. Quæ tamen modificata,& temperantia refrænante in vſum naturalem redacta,libido eſſe non poteſt. Quod eſt autem in ſuſtentanda vita illicitus cibus, hoc eſt in quærenda prole fornicarius vel adulterinus concubitus. Et quod eſt in luxuria ventris & gutturis illicitus cibus,hoc eſt in libidine nullam prolem quærente illicitus concubitus. Et quod eſt in cibo licito nonnullus immoderatior appetitus,hoc eſt in coniugibus venialis ille concubitus. Sicut ergo ſatius eſt mori fame,quàm idolothytis veſci:ita ſatius eſt defungi ſine liberis, quàm ex illicito coitu ſtirpem quærere. Vndecunque autem naſcantur homines,ſi parentũ vitia non ſectentur, & Deum rectè colant, honeſti & ſalui erunt. Semen enim hominis ex qualicunque homine, Dei creatura eſt, & eo malè vtentibus malè erit, non ipſum aliquando malum erit. Sicut autem filij boni adulterorũ, nulla defenſio eſt adulteriorum: ſic mali filij coniugatorum, nullũ crimen eſt nuptiarum. Idem ſupra. Sunt viri vſqueadeo incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant. Quicquid ergo inter ſe coniugati immodeſtum,inuerecundum, ſordidumve gerunt, vitium hominum eſt,non culpa nuptiarum. Iam in ipſa quoq; immoderatiore exactione debiti carnalis, quã eis non ſecundũ imperium præcipit,ſed ſecundũ veniam concedit Apoſtolus,vt etiã præter cauſam procreãdi ſibi miſceantur: & ſi eos praui mores ad talẽ concubitũ impellunt, nuptiæ tamẽ ab adulterio ſeu fornicatione defendunt.Neq; enim illud propter nuptias admittitur, ſed propter nuptias ignoſcitur. Debent ergo ſibi cõiugati non ſolùm ipſius ſexus ſui cõmiſcendi fidẽ, liberorũ procreandorũ cauſa,quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas: verumetiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos, mutuam quodam modo ſeruitutem: vt & ſi alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit. Et ad hoc enim vxor non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis,ſed mulier: vt & quod non filiorum procreandorum,ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſa expetit,vel ille de matrimonio,vel illa de marito, non ſibi alterutrum negent:ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas,tentãte

Satana

Digitized by Google

Satana propter incontinentiam, vel amborum, vel cuiuſquam eorum. Coniugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam. Item. Reddere debitum cõiugale, nullius eſt criminis: exigere autem vltra generandi neceſſitatem culpæ venialis. Idem ad Valerianum Comitem, de nuptijs & concupiſcentia, libro primo. Quis autem audeat dicere donum Dei eſſe peccatum? Anima & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis, naturaliter inſita etiam peccatoribus, dona Dei ſunt: quoniam Deus, non ipſi, iſta fecerunt. De his quæ faciunt dictum eſt, omne quod non eſt ex fide, peccatum eſſe. Abſit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter verum Deum, fidem connubij ſeruat vxori. Copulatio itaque maris & fœminæ, generandi cauſa, bonum eſt naturale nuptiarum. Sed iſto bono malè vtitur, vt ſit ei intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Hac intentione cordis, qui ſuum vas poſſidet, id eſt coniugem ſuam: proculdubio non poſſides in morbo deſiderij, ſicut gens quæ ignorat Deum, ſed in ſanctificatione & honore, ſicut fideles qui ſperant in Deum. Illo quippe concupiſcentiæ malo vtitur homo, non vincitur, quando eam inordinat aut indecoris motibus æſtuantem frænat & cohibet: neque niſi propagini conſulens relaxat atque adhibet, vt ſpiritualiter regenerandos carnaliter gignat, non vt ſpiritum carni ſordida ſeruitute ſubijciat. Item de coniugio Ioſeph & Mariæ. Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Ieſum. Fidem, quia nullum adulterium. Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat, ſine illa carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati: vt hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati: quandoquidem, ſola quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati. Quamuis coniugalis concubitus, qui fit intentione generandi, non ſit ipſe peccatum: quia bona voluntas animi ſequentem ducit, nec ducentem ſequitur corpus voluptatem, nec humanum arbi-

trium trahitur ſubjugante peccato: cùm iuſtè redigitur in vſum generandi plagâ peccati. Item de eo quod dicit Apoſtolus, Hoc autem dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium. Vbi ergo danda eſt venia, aliquid eſſe cúlpæ nulla ratione negabitur. Cùm igitur culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptijs imputandus eſt; quid ſecundum veniam concedit Apoſtolus, niſi quod coniuges, dum ſe non continent, debitum ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias raditin culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hic ſunt laudabiles nuptiæ; quia & illud, quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe. Neque etenim iſte concubitus, quo ſeruitur concupiſcentiæ, ſic agitur, vt impediatur fœtus, quem poſtulant nuptiæ: ſed tamen aliud eſt non concumbere niſi ſola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis voluptatem appetere concumbendo, ſed non propter coniugem, quod venialem habet culpam. Item libro ſecundo. Panem & vinum ſic non reprehendimus, propter luxurioſos & ebrioſos, quo modo nec aurum propter cupidos & auaros. Quocirca commixtionem quoque honeſtam coniugum non reprehendimus propter pudendam libidinem corporum. Illa enim poſſet eſſe nulla præcedente perpetratione peccati, de qua non erubeſcerent coniugati. Hæc autem extorta eſt poſt peccatum, quam coacti ſunt velare confuſi. Vnde remanſit poſterioribus coniugatis, quanuis hoc malo bene & licitè vtentibus, in eiuſmodi opere humanum vitare conſpectum, atque ita confiteri quod pudendum eſt: cùm debeat neminem pudere quod bonum eſt. Sic inſinuantur hæc duo, & bonum laudandæ coniunctionis, vnde filij generentur; & malum pudendæ libidinis, vnde qui generantur, regenerandi ſunt ne damnentur. Proinde pudenda libidine qui licitè cõcumbit, malo bene vtitur: qui autem illicitè, malo male vtitur. Rectius enim accipit nomen mali quàm boni, quoniam erubeſcunt boni & mali. Meliuſque credimus ei qui dicit, Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum; quàm huic, qui hoc dicit bonum, vnde ſi confunditur,

Digitized by

confitetur malum: si autem non confunditur, addit impudentiam peius malum. Rectè ergo diximus ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur non potest accusari: sicut adulterorum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Quoniam natura humana, quæ nascitur vel de coniugio vel de adulterio, Dei opus est; quæ si malum esset, non esset generanda, si malum non haberet, non esset regeneranda.

MAGISTRI PETRI ABAELARDI NANNETENSIS,

ADVERSVS HÆRESES LIBER,

EX VETERI MS. VIRI ILLVSTRISSIMI Franciſci Amboſij Equitis, &c.

CAP. I.

HÆRETICI dicunt & credunt, Mundum iſtum, & omnia quæ in eo videntur, videlicet Cœlum quod videmus, & Solem, & Lunam, & Stellas, & Terram, & omnia Animalia, & Homines, & ea quæ in ea videntur; Mare, Piſces, & omnia quæ in eo videntur vel ſunt, dicunt in abſconditis ſuis ab omnipotenti Deo non eſſe facta; ſed à Principe malignorum Spirituum. Quibus hæreticis, & eorum iſti malitioſo errori, plurimæ noui Teſtamenti auctoritates ſunt contrariæ. Habetur in Euangelio beati Ioannis, qui contra Hæreticos talem errorem affirmantes ſcripſit, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* In hoc manifeſtum eſt quòd Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus creauit & fecit omnia viſibilia & inuiſibilia. Et beatus Apoſtolus Paulus in Epiſtola ad Hebræos teſtatur, dicens: *Fide intelligimus ſecula aptata eſſe verbo Dei.* Itẽ in eadem Epiſtola: *Qui omnia creauit*

Digitized by Google

Deus eſt. Itē in Actibus Apoſtolorum inuenitur, quòd omnes Apoſtoli & diſcipuli in vnum congregati vocē ſuam vnanimiter leuauerunt, dicentes: *Domine Deus tu qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, &c.* Itē & quod Ioannes in Apocalypſi dicit: *Et Angelus quem vidi ſtantem ſupra mare, & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cælum, & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum: qui creauit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, &c.* Item in eodem: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, & fontes aquarum.* Item Paulus in Epiſtola ad Hæbræos dixit: *Et tu in principio, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Item in Euangelio ſecundum Matthæum; *Confitebor tibi, Domine, Pater cæli & terræ.* Item Ioannes de eodem: *Et mundus per ipſum factus eſt.* Et iſtæ auctoritates noui Teſtamenti vobis ſufficiant. Quamuis multæ auctoritates in nouo & in veteri Teſtamento, & in Prophetis eadem teſtificantes; quòd Deus creauit & fecit omnia viſibilia & inuiſibilia, inueniuntur. Item in Actibus Apoſtolorum Paulus & Barnabas: *Viri fratres, annunciamus vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum & verum, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt; dans pluuias de cælo, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda veſtra.*

CAP. II.

HOc quod Hæretici dicunt, duos eſſe Deos, vnum omnipotentem, & alium malignum, contra omnem diuinam Scripturam ſentiunt: quia omnis Scriptura diuinitus inſpirata, noui videlicet & veteris Teſtamenti, & omnium Prophetarum, vnum Deum ſolūmodò affirmat. Dicit enim beatus Paulus, *Vnus eſt Deus, & pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus nobis.* Item Marcus in Euangelio: *Quidam de Scribis interrogauit Dominum Ieſum, quod eſſet primum omnium mandatum. Ieſus autem reſpondit ei quia primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Et, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et ait illi Scriba: *Benè, magiſter, in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum.*

Digitized by Google

CAP. III.

DICVNT Hæretici, Legem Moysi, quam veterem dicimus, ab omnipotenti Deo non esse datam, sed à Principe malignorum Spirituum. Cui errori plurimæ auctoritates diuinarum Scripturarum contradicunt. Dicit enim Dominus in Euangelio secundum Mathæum: *Nolite putare quia veni Legem soluere, aut Prophetas. Non veni Legem soluere, sed adimplere.* Ipse, qui Filius Dei est, si lex à diabolo data fuisset, non dixisset se eam adimplere, immò destrueret. Item secundū Lucam: *Postquam consummati sunt dies purificationis Mariæ secundum Legem Moysi, tulit Iesum in Hierusalem, vt sisteret eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini, &c. & vt darent hostiā secundum quod scriptum est in Lege Domini.* Et iterum. *Et vbi fecerunt per omnia secundum Legem Domini, reuersi sunt in ciuitatem Galilæam suam Nazareth.* Et hoc certum est, & sine dubitatione: Christus, qui verus Deus & verus homo est, non consentiret diabolicæ Legis præcepta in se seruari vel impleri. Item in Euangelio secundum Ioannem Dominus dicit: *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui vos accuset Moyses, &c. Si ergo crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Ac si dicat: Qui non credit verba veteris Legis, & in fide sua non recipit verba Euangelij, ad suam salutem credere vel recipere non potest. Item in Euangelio secundum Lucam: *Dominus dixit cuidam legisperito se interroganti, quid facere deberet vt vitam æternam possideret: quærens ab eo quid esset scriptum in Lege. Ille perito respondens dixit ei, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Dixitque illi Iesus, r. res. hoc fac, & viues.* Si enim lex Moysi à Deo data non fuisset, nunquam Christus pro ea obseruanda vitam promisisset. Item in eodem Dominus testatur: *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* In hoc apparet quod obseruatio Legis & Prophetarum non permittit hominem ire ad pœnarum loca inferni. Item in eodē: *Cùm Christus resurrexisset à mortuis, duobus discipulis euntibus in castellum Emaus apparens legem testificans dixit: Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis*

Digitized by Google

quæ de ipſo erant. Si enim data eſſet lex à Diabolo Moyſi, nũquam Chriſtus ſuis diſcipulis eam doceret & interpretaretur. Item in eodẽ Veritas dixit: *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Item in Euangelio ſecundum Matheum, Dominus Phariſæis quærentibus quare diſcipuli eius traditiones ſeniorum tranſgrediuntur, dicit: *Et quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam. Et quicunque maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Et certum eſt hoc teſtimonium de Lege Moyſi, & Chriſtus dixit hoc teſtimonium à Deo eſſe dictum & datum. Ergo Lex à Deo data eſt. Item in actibus Apoſtolorum Paulus ait: *Annuncio vobis Deum, qui fecit cælum, mundũ, & omnia quæ in eo ſunt.* Hic cœli & terræ cum ſit Dominus. Item Paulus in eodem, excuſans ſe aduerſus Iudæos de his, de quibus accuſabatur ante Felicem Præſidem Cæſareæ, dicit: *Confiteor tibi hoc, quòd ſecundum ſectam, quam Iudæi dicunt hæreſim, ſic deſeruio modo Patri, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt.* Item Paulus in Epiſtola ad Romanos, Capitulo VIII. *An ignorans dicis, lex peccatum eſt? Abſit, lex quidem ſancta & bona, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.*

CAP. IIII.

ETIAM ſunt quidam Hæretici, qui Moyſen magum fuiſſe aſſerunt, & omnipotentem Deum non ei fuiſſe locutum, nec ei dediſſe Legem. Contra quem errorem Paulus in Epiſtola ad Hebræos ſcripſit dicens: *Multifariè, multiſque modis olim Deus locutus Patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Sed Moyſes eſt vnus ex Prophetis, quibus Deus locutus eſt. Dicitur & fidelis in Domino, cui Deus locutus eſt. Item in eodem: *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creauit Deus eſt.* Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus in teſtimonium eorum verborum quæ dicenda erant. Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua. Quæ domus ſumus nos ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Apoſtolus vero non eum magum, ſed fidelem in domo Dei eſſe famulum teſtatur. Item Moyſes in multis ſcriptis

noui & veteris Teſtamenti, ac Prophetarum, amicus & fidelis Dei dicitur. Sicut beatus Paulus in Epiſtola ad Hebræos de eo commemorauit, dicens: *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem: maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum Imperium Chriſti. Aſpiciebat enim in Dei remunerationem.* In hoc apparet certiſſime quoniam beatus Paulus de Moyſe, & de Lege Moyſi, & de Deo Hebræorum non diffidebat. Sed Moyſen ſanctum & bonum, & legem ſanctam & bonam, & Deum Hebræorum omnipotentem Deum verbis aſſerebat, & corde credebat.

CAP. V.

HÆRETICI ſecundum Tacianum hæreticum, qui matrimoniũ damnabat, omne matrimoniũ maris & feminæ adinuicẽ commiſcentes, nullo modo poſſe ſaluari dicunt & credunt. Sed huic errori multa teſtimonia diuinarũ ſcripturarum noui & veteris Teſtamenti ſunt contraria. Habetur in Euangelio ſecundum Mathæum, quòd Dominus Phariſæis ſe interrogantibus dixit: *Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacumque ex cauſa?* Qui reſpondens ait illis: *Non legiſtis, quia qui fecit ab initio, maſculum & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam nõ ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet, & feminam ſimiliter.* Sed omne quod impedit hominem à vita æterna malum eſt, ſed ſi malum eſſet matrimonium, nunquam Chriſtus prohiberet ſeparari, nec etiam conſentiret, qui nullum malum conſentit. Item in Marco de eodem: *Ab initio autem creaturæ maſculum & feminam fecit eos Deus, &c.* Item in Lucam: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, &c. Erant autem ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela.* Sequitur: *Itaque cùm iuſti erant, ſaluabantur, & non erat filius illis, eò quòd eſſet Helizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.* Et eſt notandum quòd non ſtetit per virum quòd non haberet filium; ſed per mulierem, quia ſterilis erat. Et Angelus Domini apparens Zachariæ in tẽplo, dixit ei: *Ne timeas Zacharia,*

vxor

Digitized by Google

vxor enim tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, &c. Erit enim magnus coram Domino, &c. Item, *Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis.* Et nota quia hoc dixit, non credens verbis Angeli propter vxoris senectutem, quia ipsa præcesserat conceptiuam ætatem. Item, *Innuebant patri eius quo vocabulo vocaret eum.* Euangelista non vocaret eum patrem nisi filium haberet. Nemo enim potest esse pater naturalis, nisi filium naturalem habeat. Item, *Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto.* Ecce trina paternitatis affirmatio, & Euangelium non aufert eis, quin sint iusti ambo ante Deum pro generatione filij, si incedant in omnibus mandatis Domini; nec in veteri Testamento, & in nouo. Itẽ in Epistola ad Corinthios prima. Apostolus dans consilium fidelibus Christianis dixit. *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum. Vir vxori suæ debitum reddat, similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*: id est, Nolite continere, altero nolente. Item in eodem, *Dico autem non nuptis & viduis, Sic permaneant sicut ego. Quòd si non continent, nubant. Melius est nubere, quàm vri. His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Item sequitur. *Si quis ergo vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & econuerso, &c. Alioquin filij vestri immundi essent. Nunc autem mundi sunt.* Non credidit Apostolus viros & vxores si sint fideles pro redditione maritalis debiti amittere suam sanctitatem, si cetera eorum opera sint bona. Item Apostolus in eodem: *Si acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit.* Item in eodem Apostolus ait: *Qui matrimonio coniungit virginem suam, benè facit: & qui non coniungit, melius facit.* Hæc præcepta supradicta Apostolus suis discipulis non daret, & hæc verba non scriberet eis, si propter hoc coniugale factum crederet eos esse damnandos. Item Apostolus in Epistola prima ad Timotheum: *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide; attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.* Et nota quòd Spi-

ritus ſanctus apertè manifeſtauit quoſdam à fide diſcedere,& eos adhærere doctrinis dæmoniorum, & mendacium in hypocriſi loqui, & illi tales nubere prohibent. Item in eodem: *Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſarij maledicti gratia.* Et nota quòd Apoſtolus non credidit pro hoc facto eſſe aliquam damnationis occaſionem in coniugatis. Item habemus in Epiſtola prima beati Petri. Beatus verò Petrus Apoſtolus,qui Princeps omnium Apoſtolorum à Deo conſtitutus fuit, & etiam totius Eccleſiæ caput, vt in Euangelio Chriſtus ait, *Tu vocaberis Cephas.* Et in eodem. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Poſtquam viris fidelibus Chriſtianis doctrinam ſuam ſcripſiſſet, ſcripſit mulieribus, qualiter proprijs viris ſuis ſubjectæ eſſent, humilitatem ſeruantes, & modeſtiã, dicens: *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt & ſi qui non credunt verbo, per mulieris conuerſationem ſine verbo lucrifiant. Sic aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe ſuis viris; ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Cuius eſtis filiæ benefacientes,&c.* Hîc innuit beatus Petrus viros ab vxoribus & vxores à viris non diſcedere:quia Abraham à Sara vxore ſua non diſceſſit niſi per mortem, ſed nutu cognouit eam, & filium genuit ſicut Elcana Suſannam, & Ioachin Annam. Itẽ beatus Paulus in Epiſtola adCorinthios,*Volo vos ſcire quòd omnis viri caput eſt Chriſtus,caput autem mulieris eſt vir,caput verò Chriſti eſt Deus. Non vir ex muliere eſt,ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem,ſed mulier propter virum. Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino.* Item habetur ſecundum Ioannem, quòd Ieſus Saluator noſter, & mater eius, & diſcipuli eius vocati venerunt ad nuptias; & in eiſdem nuptijs initium ſignorum ſuorum coram diſcipulis ſuis fecit, ſcilicet de aqua vinum. Propter hoc certiſſimum eſt nuptias eſſe bonas, quia non eſt credendum,niſi bonæ eſſent, Chriſtum veniſſe, nec tantum miraculum feciſſe. Item Paulus in Epiſtola ad Corinthios: *Mulier alligata eſt legi viri, quanto tempore eius vir viuit. Quòd ſi dormierit vir vir eius, liberata eſt à lege viri, & cui viro vult nubat; tantum in Domino.* Item Paulus ad Thimotheum: *Saluabitur mulier per generationem filiorum*, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.

Digitized by Google

CAP. VI.

ITEM Ioannem Baptiſtam non à bono Angelo, ſed à dæmoniaco nunciatum fuiſſe dicunt, nec bonum eum eſſe credunt. Sed contra hunc errorem multa in Euangelijs teſtimonia inueniuntur, vt in Euangelio beati Ioannis, ipſe Ioannes ſcripſit dicens: *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, &c.* Item idem in eodem teſtatus eſt de Chriſto, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Item teſtimonium perhibuit Ioannes de ipſo: *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum Dei deſcendentẽ, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto, &c.* Item in eodem, *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit, &c. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Item in Euangelio ſecundum Mathæum Chriſtus ipſum Ioannem commendat, dicens: *Amen dico vobis, inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Item, *Quid exiſtis in deſertum videre? Prophetam. Etiam dico vobis plus quàm Prophetam. Hic enim eſt de quo ſcriptum eſt; Ecce mitto Angelum ante faciam tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Qui de Ioãne ſentit malè vel peruersè, contra Chriſtum, & contra Apoſtolos, & contra Catholicam fidem eſt. Habemus in Euangelio quòd ipſe Ioannes Baptiſta in flumine Iordanis Chriſtum baptizauit, & Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſuper eum deſcendentem vidit, & vocem Patris dicentis audiuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Si ipſe eſſet à maligno ſpiritu nunciatus, vt hæretici dicunt, nunquam Chriſtus ab eo ſe permitteret baptizari, nec tantum ſacramẽtum ab eo vellet initiari. Item in Matthæo ipſe Chriſtus approbat eum, dicens Phariſæis: *Amen, amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim Ioannes Baptiſta ad vos in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei. Publicani, & peccatores, & meretrices crediderunt ei. Vos autem eum vidẽtes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea vt credereris ei.* Ecce Chriſtus de Ioanne Baptiſta aſſeuerat, dicens, quòd in viam iuſtitiæ, in qua itur ad regnum Dei, ipſe Ioannes ambulabat in ea, & eam prędicabat. Quod non ageret, ſi malignus, vel à maligno ſpiritu fuiſſet nunciatus. Item in Euangelio ſecundum Ioannem, de

commendatione Ioannis Baptiſtæ: *Vos miſiſtis ad Ioannem, ipſe teſtimonium veritati perhibet. Ego autem non ab homine teſtimoniũ acipio: ſed hoc dico, vt vos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Voluiſtis autem vos exultare ad horam in luce eius.*

CAP. VII.

DE Incarnatione Chriſti ſunt quidam hæretici inter iſtos Condonianã hæreſim ſequentes, qui dicunt Chriſtũ nõ ex femina natum, nec habuiſſe veram carnem, nec verè mortuum, nec quicquam paſſum; ſed ſimulaſſe paſſionem: nec credunt eum manducaſſe, nec bibiſſe, & quaſi fantaſticum corpus habuiſſe, nec eum reſurrexiſſe. Contra hunc errorem hæreticorum, qui non credunt Chriſtum de vera virgine femina fuiſſe natum, deſtruendum; teſtimonium habemus in Mathæo. *Cùm natus eſſet Ieſus in Bethleem Iudæ, &c. Videntes ſtellam Magi, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum inuenerunt Puerum cum Maria matre eius, &c.* Item in eodem. *Apparuit Angelus Domini in ſomnis Ioſeph, dicens; Surge, & accipe Puerum cum Maria matre eius.* Item in Euangelio ſecundum Lucam. *Aſcendit autem Ioſeph à Galilæa in Bethleem ciuitate, vt profiteretur ibi cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. Et impleti ſunt dies vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Itẽ in eodẽ. Angelus Domini eius natiuitatem Paſtoribus nunciauit, dicens: *Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus in carne Dauid: & hoc vobis ſignum. Inuenietis puerum Ieſum poſitum in præſepio.* Item in eodem: *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo, vt puer circumcideretur, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in vtero conciperetur.* Item in eodem. *Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cùm redirent, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & non cognouerunt parentes eius, &c. Et Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia, & Spiritu ſancto apud Deum & homines.* Item in Epiſtola ad Galatas, Paulo atteſtante Chriſtum fuiſſe natum ex muliere, cùm dixit: *At vbi venit plenitudo temporis m. d. f. ſ. natum ex muliere factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret.* Hæretice, ecce plura teſtimonia de Chriſti conceptione, nati-

Digitized by Google

uitate,circumciſione, pueritia, ætate, adoleſcentia, & etiam natum eſſe Chriſtũ ex muliere,& eſſe factum ſub lege. Item Ioannes de natiuitate Chriſti. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum,vt teſtimonium perhibeam veritati.*

De Incarnatione Chriſti teſtimonia aduerſus hæreticos, qui non credunt Chriſtum habuiſſe veram carnem,ſed aeriũ corpus eum dicunt aſſumpſiſſe. Sed contra hunc errorem Ioannes Euangeliũ ſuum ſcripſit,dicens: *In principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Itẽ in eodem. *Iudæi rogauerunt Pilatum, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent corpora in cruce Sabbato, vt eorum crura frangerentur. Et milites quidam primi fregerunt crura latroni, & alteri qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent,vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.* Item Ioannes in Epiſtola prima dicit: *Omnis ſpiritus,qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt:& omnis ſpiritus, qui ſoluit Chriſtum,ex Deo non eſt*: id eſt, qui negat eum carnalem eſſe hominem, & hic eſt Antichriſtus. Item in eodem: *Et ſcimus quoniam filius Dei venit, & induit carnem pro nobis, & mortuus eſt, & reſurrexit à mortuis pro nobis.* Item idem Ioannes in ſecunda Epiſtola. *Quoniã multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Hic eſt ſeductor & Antichriſtus. Omnis qui præcedit,& non manet in doctrina Chriſti,Deum non habet. Qui permanet in doctrina*, id eſt in doctrina Apoſtolica,*hic Filium & Patrem habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ſed Chriſtum in carne veniſſe negat, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dicatis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis.* Item Paulus in Epiſtola ad Romanos, *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Spiritu ſancto,dicens: Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in verbo.* Item Petrus in Epiſtola prima: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Quia qui paſſus eſt in carne deſiit à peccatis.*

Item contra eoſdem hæreticos, qui non credunt Chriſtum paſſum, nec fuiſſe mortuum. Contra hunc errorẽ Mathæus in Euangelio ſcripſit,dicẽs:*Ieſum flagellatũ Pilatus tradi-*

Digitized by Google

dit Iudæis ve crucifigeretur. Tunc milites Præſidis ſuſcipiẽtes Ieſum in Prætorio, exuentes chlamydem coccineã circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextra eius, & genu flexo illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, &c. Item in eodem, *Tunc crucifixerunt, &c.* Item in eodem: *Tunc vnus militum accepta lancea punxit latus eius, & exiuit ſanguis & aqua. Ieſus autem iterum clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Hæc de Chriſti paſſione & eius morte. Cæteri Euangeliſtæ in Euangelijs ſuis hac eadem teſtificantur. Item in Actibus Apoſtolorũ, Petrus ſtans cum omnibus Apoſtolis inter Iudęos, dixit illis: *Viri Iſraelitæ audite verba hæc. Ieſum Nazarenum, virum approbatum à Deo, etiam verbis, virtutibus, & prodigijs, & ſignis; quæ fecit per illum Deus in medio veſtri, ſicut vos ſcitis. Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis, quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni.* Et hoc teſtimonium de paſſione & morte Chriſti, & etiam de reſurrectione, quod omnes Apoſtoli in eodem loco manentes teſtificati ſunt. Item Petrus de paſſione Chriſti in Epiſtola prima. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, &c. Cùm pateretur non comminabatur, qui peccata noſtra ipſe tulit in corpore ſuo ſuper lignum, cuius morte ſanati ſumus.* Item Paulus ad Romanos de morte eius dixit: *Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Item in eodem: *Chriſtus Ieſus qui pro nobis mortuus eſt, imò qui & reſurrexit.* Et de his plura teſtimonia habentur.

De reſurrectione Chriſti contra hæreticos qui non credunt Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis. Mathæus in Euãgelio de reſurrectione Chriſti dicit: *Angelus dixit mulieribus, Nolite timere, ſcio quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. Non eſt hic. Surrexit enim ſicut dixit vobis.* Hoc idem teſtantur Marcus & Lucas in Euangelijs ſuis. Item Ioannes in Euangelio ſuo dicit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, &c.* Item in Euangelio ſecundum Lucam, humanam carnem Chriſtum habere teſtimonium affirmans: *Videte manus meas & pedes meos, quia ipſe ego ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non*

Digitized by Google

habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes, & latus. Item Ioannes in Euangelio de carnis reſurrectione: *Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.*

SVNT quidam hæreticorum qui non credunt quòd Chriſtus manducauit & bibit, dum erat cum ſuis diſcipulis ante paſſionem. Sed contra hunc errorem deſtruendum, habemus in Euangelio ſecundum Mathæum teſtimonium, quòd ipſe Chriſtus, qui eſt Veritas, protulit dicens: *Venit enim Ioannes Baptiſta neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicunt: dæmonium habet. Venit enim Filius hominis manducans, & dicunt: Ecce homo vorax eſt, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Item Lucas in Euangelio teſtimonium perhibet quòd ipſe manducauit, dicens: *Rogabat autem quidam de Phariſæis vt manducaret cum illo.* Certiſſimum eſt eum manducaſſe, aliter non inuitaretur ab aliquo ad manducandum. Item in eodem Lucas. *Rogabat quidam Phariſæus illum vt pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit.* Idem in eodem teſtatur. *Et factum eſt, cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato, manducare panem.* Item Ioannes in Euangelio: *Rabi, manduca.* Hoc dixerunt ei diſcipuli ſui, cùm veniſſent à Samaria, cibos afferentes quos emerant, & viderunt eum cum muliere Samaritana loquentem. Si aliquis obijciat eum illis dixiſſe: *Habeo alium cibum manducare quem vos neſcitis.* Verum eſt, quia ipſe Chriſtus duobus cibis vtebatur, ſcilicet carnali & ſpirituali. Hoc de ſpirituali dixit. Nec tamen minus eſt credendum, quoniam cæteri Euangeliſtæ teſtificantur eum vſum fuiſſe cibo temporali. Item in Euangelio ſecundum Mathæũ quando interrogauerunt eum diſcipuli dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* dixerunt *tibi*, non ſibi parere Paſcha, quod certificat eum manducaſſe cibum temporalem dum erat cum illis. Item in eodem teſtimonio quod ipſe Chriſtus dixit: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Non eſt credendum quòd ipſe Chriſtus manum in paropſide intingeret, niſi manducaret. Hoc idem Marcus & Lucas teſtificantur in Euangelijs ſuis. Hæc teſtimonia ſunt de Chriſti comeſtione antequam pateretur. Poſt paſſionem verò ſuam teſta-

tur Lucas in Euangelio eum coram Diſcipulis ſuis manducaſſe, dicens: *Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.* Iſdem Lucas in Actibus Apoſtolorum teſtatur, dicens: *Et conueſcens præcepit eis ab Hieroſolimis ne diſcederent.* Et ita certiſſimum & firmum eſt, antequam pateretur omnibus actibus humanis vti; excepto peccato, & Paulus in Epiſtola ad Philippenſes teſtatur, dicēs: *Hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo; ſed ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, & inuentus eſt vt homo. Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem.* Et hæc de Chriſti humanitate ſufficiant.

CAP. VIII.

DE Eccleſiarum inſtitutionibus legitur, quòd Duminus Moyſi tabernaculum non manu factum in monte oſtendit, dicens: *Vade, & fac tabernaculum non manufactum ſimile huic, in quo habitem inter illos quando loquar ad te, in quo offerantur à Sacerdotibus dona, & libamina, & ſacrificia, & hoſtiæ, & oblationes allatæ cum populo Iſraelitico.* Tunc Moyſes ſecundum præceptum Domini fideliter peregit, & poſt Moyſen, quando populus Iſrael intrauit terram promiſſionis detulit illud ſecū in Sylo, in quo erat Arca Teſtamenti, infra quam erat vrna aurea continens manna, & tabulæ Teſtamenti, & virga Aaron quæ fronduerat. Deinde poſt multum tempus, Salomon filius Dauid iuſſu Domini ædificauit templum manu factum in Hieruſalem, in quo omnis populus Iſraeliticus adorandū & ſacrificandum conueniebat. Sicut & patres eorū in priori tabernaculo venire conſueuerant; ita obſeruantes legalia præcepta dominica vſque ad aduentum Chriſti. Veniens autē Chriſtus, nolens deſtruere legem, ſed adimplere; à ſuis parentibus voluit in eo præſentari: & ſecundum legem datam à Deo ſicut mos erat offerri. Inuenitur poſt hæc eum veniſſe in templum in adoleſcentia cum parentibus ſuis, cùm XII. eſſet annorum. Poſt triginta verò annos ſuæ ætatis venit in Hieruſalum, ſicut inuenitur in Euangelio ſecūdum Mathæū, & intrauit templum, & omnes ementes & vendentes eiecit de templo, dicens: *Scriptum eſt, domus mea domus orationis vocabitur.*

Digitized by Google

tur. Nam & ipſe Chriſtus teſtificatus eſt templum domũ Dei eſſe orationis. Itẽ Marcus idẽ teſtimoniũ ijſdẽ verbis protulit in Euãgelio ſuo. *Et etiam prohibebat vt quiſquã non ferret vas per templum.* Item Lucas his verbis teſtatur in Euangelio ſuo. Item Ioannes in Euangelio ſuo ſcripſit dicens: *Et Ieſus inuenit in templo vendentes boues & oues, & columbas, & nummularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. Oues quoque & boues, & nummulariorũ effudit æs, & menſas ſubuertit; & his qui columbas vendebant dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negociationis. Recordati ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.* Inuenitur in Euangelijs quòd Chriſtus multotiens venit in templum, ibique docebat populum, & in eo multa ſigna & miracula in curationibus infirmorum faciebat, vt Mathæus Euangeliſta narrat. *Et acceſſerunt ad Ieſum in templo cæci, & claudi, & ſanauit eos.* Habemus in Euangelijs, dum Ieſus prædicando perambulaſſet ciuitates Iſraeliticas, intrabat potius Synagogas Iudæorum, ibique docẽs populum de regno Dei, & in eis multa ſigna & mirabilia peragebat: vt dicitur in Mathæo, *Et circuibat Ieſus ciuitates omnes & caſtella, docẽs in Synagogis eorum & prædicans Euangelium, & curans omnem languorẽ, & omnẽ infirmitatẽ.* Item in Euangelio Mathæi ipſemet teſtatur dicens vobis. *Quotidie apud vos ſedebam in templo, dicens;* Iiſdem verbis teſtatur Lucas in Euangelio. Item Ioannes teſtatur in Euangelio, *Ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* Si obijcitis nobis, quòd ſæpiùs prædicabat in alijs locis quàm in templo, vel in Synagogis; verum eſt. Sed propter multitudinem venientium, ne eſſent impedimentum miniſtris templi & Synagogarum: ne minus redderent vota ſua, & ea quæ ſibi iuncta erant, in montibus & in alijs locis diſcedebat.

Post aſcenſionem verò eius diſcipuli Chriſtum magiſtrũ ſuum & Saluatorem imitari cupientes, quamdiu in Hieruſalem morarentur, cotidie in templum orare veniebant, vt in Actibus Apoſtolorum inuenitur dicens: *Cotidie erant Apoſtoli perdurantes, & orantes vnanimiter in templo.* Et iterum: *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum vt orarent ad horam orationis nonam.* Item in eodem, Cum Annas princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt illos in cuſtodia publica. Angelus autem Do-

mini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit: *Ite & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.* Vnde habuit initiũ domus orationis manufacta, quã nos vocamus Eccleſiam.

CAP. IX.

CVM Apoſtoli, & eorum diſcipuli ab Hieruſalem eſſent expulſi, & per diuerſas mundi partes volũtate Dei eſſent diſperſi, & in ciuitatibus vniuerſis Iudæorum vidiſſent ædificia Synagogarum, tranſeuntes ad gentes diuerſorum templa idolorum intra ciuitates eorum inuenientes, in quibus ſua vota & ſua ſacrificia dæmoniorum idolis offerentes, & ad hęc perſoluanda aſſiduè erant cõuenientes; habuerunt Apoſtoli conſilium à Spiritu ſancto, vt à tanto errore & malicia faciliùs poſſent euellere, & à diabolicis vinculis eos eruere; vt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti domus manufactas ædificari iuberent, & ad inſtar templi eas ædificare oſtenderent: in quibus fidelis populus ad baptizandum, & ad orandum & ſacrificandum, & ad verbum Dei audiendum, & ad omnia Chriſtianitatis ſacramenta percipiẽda fideliter ac deuotè conuenirent; & in eas domos, quas propter congregationem populi in eis Eccleſias vocamus, Apoſtoli miniſtros, videlicet Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ad Chriſti myſterium perficiendum conſtituerunt. Sicut in Actibus Apoſtolorum legitur: *Et cùm conſtituiſſent per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino in quem crediderunt.* Et hoc habemus, quòd ab Apoſtolis Preſbyteri primitus in Eccleſia Dei fuerunt ordinati Diacones. Habemus in Epiſtola ad Corinthios, quòd Apoſtolus eos redarguens, domum in qua erant fideles congregati vocauit Eccleſiam dicens: *Nunquid non habetis domos ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.* Item Paulus in Epiſtola ad Corinthios: *Mulieres in Eccleſiis taceant. Nõ enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe ſicut lex dicit. Si quid autem volunt dicere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* In hoc & multis alijs dat Apoſtolus intelligendum, quod omnem domum vbi fideles congregati ſunt ad participandum Chriſti ſacramenta conſtituta, Eccle-

Digitized by Google

ſia Dei nominetur. Item Ioannes in Epiſtola comminando Diotrepi ſcripſit, dicens: *Propter hoc ſi venero, commoneam eius opera quæ facit verbis malignis garriens in nos. Et quaſi non ei iſta ſufficiant, neque ipſe ſuſcepit fratres, & eos qui ſuſcipiũt prohibet, & de Eccleſia eiẽcit, &c.* Item Paulus ad Timotheum: *Si autem tardauero, vt ſcias quomodo oporteat te conuerſari in domo Domini, quæ eſt Eccleſia Dei viui.* In his teſtimonijs Apoſtolorum ſupra ſcriptis, & in alijs multis in hoc Tractatu non ſcriptis planè oſtenditur, quòd domus Dei domus orationis Eccleſia manufacta dicitur & intelligitur, in qua Chriſti ſacramẽta à miniſtris ordinatis ad ſalutẽ fideliũ Chriſtianorũ perficiuntur.

CAP. X.

ET quoniam hæretici Eccleſiam manu factam, & altaria quæ in eis ſunt, & ſacramenta quæ in his à miniſtris Dei fiunt, & omnia ornamenta Eccleſiaſtica ad nihilum deputant, & ad ſalutem animarum nihil proficere dicunt, & deſpiciunt: Ad hunc tantum errorem & tam nepharium deſtruendum teſtimonia breuiter proferemus, & primùm de altari, ſine quo Eccleſia manu facta eſſe non debet, in quibus munera, oblationes & hoſtiæ pro peccatis offeruntur. Habemus in Euangelio ſecundum Mathæum quod ipſa Veritas offerentem docet, & qualiter offerre debeat inſtruit dicens: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Hic innuit ipſe Chriſtus vt fideles habeant in Eccleſijs altaria, in quibus munera offerant. Iterum in Euangelio ſecundum Lucam, quando Chriſtus voluit offerri à parentibus ſuis in templo ſecundum legem Domini, & offerri pro ſe hoſtias ad altare quod erat in templo, ſcilicet par turturum aut duos pullos columbarum, hîc datur intelligi, quia ſicut Chriſtus offerri voluit, & pro ſe hoſtiam dari, vt omnes fideles qui ſunt in partibus mundi vniuerſis altaria habeant, in quibus pro ſuis peccatis Deo munera & oblationes offerãtur. Item Paulus de eodem in Epiſtola ad Corinthios diſcipulos ſuos inſtruens, vt habeant altaria, & his Deo ſeruiant, & de altariorum donis Deo ſeruientes fiant participes ita ſcripſit: *Qui altari deſeruiũt, cum altari participentur.* Itẽ Paulus

vbi ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum, *Obtulit in templo pro ſe & pro ceteris qui cum eo erant purificati hoſtias ad altare nolentes deſpicere vel ad nihilum deputare altaria, ſed exemplificauit.* Item in Apocalyſi Ioannes teſtificatur ſe vidiſſe altare in cœlo in quo incenſa multa quæ ſunt orationes Sanctorum ab Angelo offerebantur. Vnde beatus Ioannes quia in cœlo coram Deo altare aureum vidit, in terra in Eccleſijs manufactis altare manufactum, mundum & purificatum ædificari voluit. Contra iſtos ſupradictos errores quaſi maximam nubem teſtium veteris teſtamenti, ſcilicet Legis, Prophetarũ, Pſalmorum poſſumus inducere. Sed quoniam Hæretici reſpondere, nec rationem reddere ad objecta ſibi teſtimonia veteris Teſtamenti, Legis, & Prophetarum nolunt, videlicet quia ignorant, ſed ſtatim conuicti eſſent, propterea in his laborare nolumus, niſi tantum in his teſtimonijs, quæ de libris noui Teſtamenti decerpſimus, quibus reſpondere & nullam rationem reddere poſſunt, nec iuſtam occaſionem habent.

Item hæretici improbant Eccleſiæ cantũ, & laudes quas Clerici de nouo & veteri Teſtamento reddunt creatori ſuo. Contra hunc errorem proferimus teſtimonium Pauli dicentis in Epiſtola ad Epheſios: *Et impleamini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis & Hymnis, & Canticis ſpiritalibus cantantes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & Patri.* Item de eodem Paulus ad Coloſſenſes dicens: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, & commonentes vosmetipſos Pſalmis, Hymnis, Canticis ſpiritalibus, & gratia cantantes in cordibus veſtris Domino.* Item Ioannes in Apocalypſi vidit XXIIII. ſeniores, & ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorũ, & cantabant quaſi canticum nouũ dicentes: *Dignus es Domine ſoluere librũ, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es & redemiſti nos Deo in ſanguine.* Item in eodem Ioannes dicẽs: *Et vocem quam audiui ſicut cytharizorum cytharizantium in citharis ſuis; & cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem.* Et in alio loco, *Habentes cytharas Dei, & cantantes cãticum Dei ſerui Moyſi, &c.* Item Ioannes in eodem: *Audiui vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium, Alleluya, laus & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia eius ſunt.*

Digitized by Google

CAP. XI.

POSTQVAM de domo Domini quæ eſt Eccleſia, aliqua & nō omnia quæ nobis occurrunt perſtrinximus teſtimonia, de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, quod omnibus Sacramentis eſt dignius, à quo & cuius cōſecratio in domo Domini quæ eſt Eccleſia Dei viui Paulo atteſtante celebratur, contra hæreticū prauitatem, diuinam auctoritatē in mediū proferamus. Chriſtus videns imminere ſibi mortē, volens cōmendare nobis Sacramentū corporis & Sanguinis, accipiens panem, & gratias agens benedixit & fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & calicē ſimiliter. Vnde Mathæus Euangeliſta: *Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panē, & benedixit ac fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meū. Et accipiens calicē gratias egit, & dedit illis dicēs: Bibite ex hoc omnes, hoc eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorū.* Item de eodem Marcus: *Et manducantibus illis, accepit Ieſus panē, & benedicens fregit, & dedit eis & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes; & ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Item Lucas: *Et accepto pane gratias agens fregit & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic eſt enim calix noui Teſtamenti in ſanguine meo qui pro vobis effundetur.* Euangeliſtæ nāque aſſerunt quòd Dominus accepit panem & benedixit, & dedit diſcipulis ſuis dicens: *Hoc eſt corpus meum.* Nota ſingula: *Accepit panem, benedixit & fregit, & dedit.* Non habetur in Euangelio quòd Dominus acceperit corpus ſuū, & benedixerit, quòd fregerit, quòd dederit diſcipulis ſuis: ſed teſtantur Euāgeliſtæ quòd acceperit panē, & benedicens fregerit, & dederit eis dicens: *Hoc eſt corpus meū:* ſed, *hic eſt calix noui Teſtamēti, in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur.* Sed hæretici dicunt, quòd hoc demonſtratiuū pronomen non refertur ad panem quem in manibus tenebat, & quem benedicebat, & quem frangebat, & ſuis diſcipulis diſtribuebat, ſed refertur ad corpus ſuum quod hæc omnia perficiebat. Vnde eorum error tam nequiſſimus originem & initium habuit ignorantes, pronomen nominis *hoc* non

Digitized by Google

poteſt relatiuè referri, niſi his de quibus ſit facta mentio. Sed in traditione huius ſacramenti de corpore ſuo, mentio nulla tunc facta fuerat. Ergo falſiſſimum eſt quod autumant. Sed ſicut farina & aqua & ſal cum his ita fuerint commixta & decocta, quòd ſcilicet non ſunt farina, nec aqua, nec quæ ante fuerant, ſed verè panis purus eſt & dicitur: ita panis quē poſt cœnam Ieſus Chriſtus manibus ſuis accepit, poſtquam hunc benedixit & fregit, corpus Chriſti non panis intelligitur eſſe, & creditur quod Chriſtus Saluator ac Redemptor in cœna ſuis Diſcipulis dedit dicens: *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Eandem rationem & de calice, per quem gratias agēs, & dedit Diſcipulis ſuis dicimus, etiam dixit eis: *Bibite ex hoc omnes; hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in redemptionem peccatorum.* Et addidit: *Quotienſcunque feceritis hoc, facite in meam commemorationem.* Hæc verba quæ à Chriſto in cœna ſuper iſtud Sacramentum prolata fuerunt, maximè quaſi vltimum Teſtamentum notari debent. Sed cum dixit: *Quotienſcunque feceritis hoc, facite in meam commemorationem*; in his verbis indicatur quòd Chriſtus iſtud tantum & tam ſanctiſſimum Sacramentum noluit vt ibi finem haberet. Sed Apoſtolis ſicut ſuis cohæredibus & eorum ſucceſſoribus hoc Sacramentum poſt ſuam paſſionem & reſurrectionem, & aſcenſionem ſuam in ſempiternum facere præcepit, in memoriam ſuæ paſſionis & in ſpe æternæ ſalutis. Cùm Dominus Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos congregaſſet, carnem ſuam in ſpecie panis, & ſanguinem ſuum in ſpecie vini ſe daturum illis promiſit, vt in Euangelio beati Ioannis continetur, & dicit: *Panis quem ego dabo vobis caro mea eſt pro mundi vita.* Iudæi autem hoc audientes inter ſe litigabant dicentes: *Quomodo poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Propter hanc litigationem, & quia intellexit eos ſpiritualem intellectū non habere ſub certa aſſertione, dixit eis: *Amen amen dico vobis, niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: & qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habebit vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* In his verbis notandum eſt, quòd nemo poteſt habere vitam æternam, niſi manducauerit carnem ipſius, & biberit eius ſanguinem: ſecundum hoc quod ipſe dixit. Sed ipſe Chriſtus noluit diſcipulos ſuos fallere, nec ſuum

Digitized by Google

promiſſum inaniri. Carnem ſuam verò & ſanguinem ſuum in ſpecie panis & vini, in vltima cœna vt manducarent ſine oris abhorritione ſuis diſcipulis dedit. Sed quæcunque verba Chriſtus dixit, certiſſima & veriſſima ſunt, neque in aliquo fallunt. Multa enim dixit quæ vera ſunt, quæ ſi alius dixiſſet, nec vera eſſe viderentur nec crederentur. Ille enim dixit: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: Ego ſum paſtor bonus: Ego ſum panis, &c. Ego ſum vitis vera & vos palmites: Ego ſum via, veritas, & vita.* Tanta enim eſt vis verbi Dei atque virtus, vt omnia quæcunque dixit quod nunquam fallit nec præterit ſicut dixit Pſalmiſta: *Dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt.* Et hoc notandum eſt, quòd Euangeliſta non poſuit præteritum, ſed præſens, quamuis poſt paſſionem ſuam ſcriberet, intelligens & credens hoc quod Chriſtus dixit ſe eſſe, & eſt, & ſemper erit, ita ea verba quæ Chriſtus in cœna protulit coram ſuis diſcipulis, & eos docuit, in ſe retinent quam habuerunt in Apoſtolis in Sacramento panis & vini, ſcilicet corporis & Sanguinis Domini, & eandem vim & virtutem, & efficaciam in Dei minſtris retinebunt vſque in finem ſeculi. Poſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro Iudæorum litigio, quod faciebant de carne ſua audiuit & dixit eis, Niſi manducauerint carnẽ filij hominis & biberint eius ſanguinem non habebunt vitam æternam; ſed qui manducauerint & biberint eius ſanguinem, habebunt vitam & æternam reſurrectionem, promiſſio manducationis eius Sacramenti non videatur illi eſſe difficilis & inutilis, ſed certa & vtillima, & in præſenti tempore ſuſceptibilis, in ſpecie panis & vini, quam eis in cœna dedit, & corpus ſuum diſtribuendo aſſeruit, addit: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Sed ſunt quidam hæretici qui credunt audiendo verbum Dei manducare carnem filij hominis, & eius ſanguinem bibere, quaſi Chriſtus neſciret dicere qui omnia ſcit: *Verbum meum verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*; aliud verbum pro alio ponens. Sed cum hoc dixit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, non dixit, Caro mea verè eſt auditus & intellectus, ſed operante ſpirituali gratia, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Et hoc propriè Chriſtus dixit. Et certiſſimum eſt de Sacramento panis & vini quod in cœna eius tribuit. Et quotidie à miniſttis Dei ordi-

natis hoc Sacramentum ſuper altare in Eccleſia Dei conſecratur cum ipſius commemoratione. Sed quia vim manducationis huius Sacramenti & vtilitatem bene percipientibus oſtendere voluit, addidit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Et qui mãducat me, ipſe viuet propter me;* & hæc virtus huius Sacramẽti & vtilitas bene percipientis quod conſequitur fidelis, ſcilicet eum in Deo manere, & Deum in eo: & hic talis affert fructum multum, vt Ioannes teſtatur: *Quia ſine me*, vt dicit ipſa Veritas, *nihil poteſtis facere.* Beatus verò Apoſtolus Paulus, huius tanti & tam certiſſimi Sacramenti vim & vtilitatem audiens, & cognoſcens ſuos diſcipulos inſtruere verbis & actibus, volens nihil vtile ad eorum ſalutem eis ſubtrahere, vt ſuis ſemper ſubſequentibus in memoria haberetur, in Epiſtola directa ad Corinthios ſcripſit dicens: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: Quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* Et hoc notandum eſt quòd Chriſtus iuſſit ſuos diſcipulos hoc Sacramentum in ſui memoriam facere, & vt illi ſuis diſcipulis traderent, ſicut ipſi ab eo accipiebant, vt memoria ipſius paſſionis per hoc Sacramentum in ſeculum ſeculi in fidelibus haberetur. *Item Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens: Hic calix noui Teſtamenti eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcunque biberitis in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Sed ſi, vt hæretici dicunt, panis & vinum conſecratum: nullam haberent dignitatem, quare Apoſtolus poneret indignum accipientem panem conſecratum corporis & ſanguinis Domini eſſe reum? Quia ſi quis panem ſimplicem comedat, reus eſſe corporis & ſanguinis Domini non dicitur nec creditur. Et ideo Apoſtolus aut quiſlibet hoc Sacramentum videlicet panis & vini percipere voluerit, probet ſeipſum, id eſt purget ſeipſum à peccatis ſuis, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Item ipſe Apoſtolus reddit cauſam quare percipiens purgatus à peccatis eſſe debet cum dicit: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi*

manducat

Digitized by Google

manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Item non eſt in merito conſecrantis, ſed in virtute & veritate Spiritus ſancti ſpiritus approbans, confirmans hoc Sacramentum panis & vini eſſe corpus Domini, quod Corinthijs oſtenderat verbo & facto, cùm in Epiſtola eis tranſmiſſa ſcripſit dicens: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participãtur*.* In hoc capitulo manifeſtat Apoſtolus Paulus quòd ipſemet Sacramentum quod à Domino acceperat faciebat. Similiter & cæteri Apoſtoli. Item Paulus Apoſtolus in eadem: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius ebrius eſt.* Sed conuenire in vnum & ſua cibaria propria comedere, & nihil alijs largiri, ſed inebriari. Hæc facta non ſunt Dominicam cœnam manducare. Apoſtolus reprehendendo Corinthios interrogans dicit: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* ſcilicet cibaria ſimplicia, *aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Laudo vos* in hoc quod ſimul conuenitis in vnum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti: *non laudo vos* in hoc quòd comeditis veſtra propria cibaria, & confunditis eos qui non habent, ſed eſuriunt. Non enim habent quod manducent. In hoc apertè manifeſtum eſt quod diſcipuli Apoſtolorum ipſos imitantes, huius Sacramenti traditionem per vniuerſum mundum memoriter peregerunt, & nos dicimus & credimus, & omnis Romana Eccleſia à beato Petro & Paulo primum fundata hoc dicit & credit, quòd nullus homo qui in hoc Sacramento fidem non habet, & in cæteris Apoſtolorum traditionibus, ſicut in Baptiſmo, in Confeſſione, in Pœnitentia, cæteriſque Apoſtolicis inſtitutionibus, quæ fiunt in Eccleſia præſenti, alienus eſt ab vnitate ſanctæ Eccleſiæ, & Catholicæ fidei, & ſegregatus à conſortio ſanctorum fidelium, videlicet præteritorũ & huc* degentium, & eſt damnatus in ſecula ſeculorũ.

* f. participamus

* f. hic

CAP. XII.

POSTQVAM expediuimus, licèt indigni, de corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti tractatu in Catholica Eccleſia per

vniuerſum mundum extenſa vniuerſaliter celebrato, de baptiſmo incipiamus, & contra hæreticorum errores baptiſmi aquæ inficiantiũ ſacramentum, teſtimonia quæ Spiritus ſanctus adminiſtrauerit nobis infringendos, auctoritates noui Teſtamenti proferamus. Dicunt enim quidam hæreticorũ, quòd hoc ſacramẽtum baptiſmi aquæ ſine eorum manus impoſitione recipienti ad ſalutem perpetuam conſequendam nihil prodeſt adultis, nec etiam paruulis. Et hic error inter ceteros errores maximus eſt. Habemus in Euãgelio Ioannis, quòd Ioannes Baptiſta vt eſſet præcurſor Chriſti & ver⁹ præco, ab omnipotenti Deo miſſus eſt baptizare in aqua, vt ipſemet baptiſta teſtatur dicens: *Qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritũ Dei deſcendentem, & manentẽ ſicut columbam, ipſe eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Item in baptiſmate Chriſti aperti ſunt cœli, & vox Patris audita eſt, Spiritus ſanctus apparuit. Vide magnum diuinæ pietatis ſacramentum. Tota enim Trinitas in baptiſmate Chriſti operata eſt, & dignata eſt intereſſe. Pater auditur, Filius baptizatur, Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbæ. Filio Dei baptizato cœli aperti ſunt. Et quoniam tantæ dignitatis eſt inſtitutio & ſacramentum baptiſmatis, ideò Dominus ait Nicodemo, ſicut Ioannes in Euangelio ſuo teſtatur: *Non poteſt homo quicquam accipere, niſi datum ei fuerit de cœlo. Amen, amen dico tibi, niſi qui natus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu ſancto ſpiritus eſt.* Audi hæretice. Duas oportet nos habere natiuitates, carnalem ſcilicet & ſpiritualem, atteſtante diuino eloquio. Qui ſpirituali caret natiuitate, nõ poteſt videre regnum Dei, nec intrare in illud. Sed ſpiritualis natiuitas non poteſt haberi, niſi carnalis habeatur. Quomodo tu dicit malam eſſe carnalem natiuitatem, quam ſequitur ſpiritualis natiuitas, quæ confert videre regnum Dei, & intrare in illud, cùm ſpiritualis ſine carnali haberi non poſſit? Nunquam enim poteſt renaſci. Habemus in Euangelijs, quòd Ioannes Baptiſta Spiritu ſancto afflatus in deſertum abijt, & pœnitentiam & baptiſmum aquæ ſibi aduenientibus prædicauit & docuit. Vnde Chriſtus Baptiſtæ Ioanni aquam ſanctificare & confirmare volens, ad eum veniens, ab eodem baptiſmum aquæ in ſe accipere dignatus eſt, præbens omnibus fidelibus exem-

Digitized by

plum, ſacramentum baptiſmi aquæ ad animarũ ſalutem percipiendam debere recipere; in quo ab omnibus peccatis tam ab originalibus tam actualibus mundantur; & ſine quo non eſt fides vniuerſalis Eccleſiæ, quòd omnis deſpiciens hoc Sacramentum, & accipere nolens, æternam vitam nullo modo mereri, nec conſequi poteſt, vt Saluator noſter Ieſus Chriſtus in Euangelio beati Ioannis teſtatur, dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Habemus in Euangelio quòd diſcipuli eius eo iubente ante paſſionem credentes in Filium Dei baptizabant, vbi dicit: *Cùm audiſſet Ieſus quòd Phariſæi dicerent, Plures facit diſcipulos quàm Ioannes, & baptizabant: quanquam ipſe non baptizaret, ſed eius diſcipuli, reliquit Iudæam, &c.* Sed ſciendum eſt quòd Baptiſta Ioannes in nomine Domini, qui eum miſerat, baptizabat. Sed Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui à Patre de cœlis miſſus fuit, humano generi æternam ſalutem ſecum afferens, huius Sacramenti baptiſmi formam diſcipulos ſuos docens, per vniuerſum mundum mittens, iuſſit eos prędicare regnum Dei, & baptizare, addens: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, vt in fine beati Mathæi Euangeliſtæ inuenitur. Apparens Diſcipulis ſuis in montem dixit eis. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, &c. & adiunxit. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ex hac authoritate intelligere poſſumus, quòd nulli huius ſacramenti baptiſmi incredulitas, etſi ſuſceperit, ad ſalutem proficit.

DICVNT etiam Hæretici, quòd nulli, niſi proprio ore & corde hoc ſacramentum petat, poteſt prodeſſe. Inde adducentes hunc errorem, quod paruulis baptiſmus aquæ nihil prodeſt. Sed nos habemus in Euangelio beati Marci, quòd Dominus Ieſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis apparuit, & dixit eis: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* In hoc loco non fecit aliquam exceptionem magnorum vel paruulorum, ſeu maſculorum vel feminarum, cùm dicit omni creaturæ. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et ideò fides eſt Catholicæ Eccleſiæ per vniuerſum mundum, in quacumque parte nomen Chriſti celebratur & creditur, ſiue ſint paruuli ſiue magni, ſiue viri ſiue mu-

Digitized by Google

lieres, ſi hoc ſacramentum baptiſmi receperint, ſine dubio ſaluantur, & ab omnibus peccatis ſiue ab originalibus, ſiue ab actualibus, cooperante gratia Spiritus ſancti nundantur & purificantur, niſi in corruptione peccati ceciderint poſt lauacum baptiſmi antequam moriantur. Quod dicunt de paruulis hæretici, in baptiſmo non poſſe ſaluari; contra hunc errorẽ beatus Paulus in Epiſtola ad Corinthios: *Si quis fidelis frater habet mulierem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat illum. Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem, & mulier infidelis per virum fidelem. Alioquin filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Apoſtolus dicit filios fidelium parentum eſſe mundos & ſanctos; multomagis etiam credendũ, quòd immerſione aquæ facta à miniſtris, & inuocatione nominis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, paruuli baptizati in fide patrinorum creduntur mundari & ſaluari. Vnde habemus in Euangelio Matthæi, quòd filia mulieris Chananææ fide matris ſuæ ſalua facta eſt. Item habemus in Euangelio, quòd quidam deferentes Paralyticum ad Ieſum iacentem in lecto, non potuerunt eum adire præ turba, & ſummiſerunt Paralyticum per tegulas ante eum vt eum ſanaret. Ipſe verò reſpiciens deponentes Paralyticum, fide illorum ægro reddidit ſanitatem. Item poteſtas diaboli expellitur. Et inuenitur in Euangelio beati Mathæi de quodã Centurione pro ſanitate pueri adeunte, quòd à Domino audiuit: *Vade, ſicut credidiſti fiat tibi.* Et ſanatus eſt puer illius ex illa hora. Item filia Principis Synagogæ defuncta, rogatu patris à Domino ſuſcitata eſt. Item filius cuiuſdam mulieris viduæ, dum extra portam ciuitatis ad ſepeliendum deferretur, fletu & vlulatu matris Dominus miſericordia motus eum ſuſcitauit, & matri ſuæ reddidit. Et ideirco his Euangelicis auctoritatibus, & alijs quamplurimis teſtimonijs, quæ in Apoſtolicis ſcripturis continentur, vniuerſalis Eccleſia per vniuerſum mundum credit & tenet, quòd fide patrinorum per inuocationem ſanctæ Trinitatis factam à miniſtris Eccleſiæ, infantibus & pueris ſpiritalis gratia à Deo omnipotenti in baptiſmo donatur, vt Paulus teſtatur dicens: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementũ dedit. Itaque neque qui plãtat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementũ dat*

Digitized by Google

Deus. Et quia Apoſtolus dixit, *dat Deus incrementum*; vnuſquiſque fidelis credere debet, vt qualiſcumque ſit qui baptizat eum inuocatione facta, ſcilicet, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Deus dat incrementum, videlicet ſpirituale hoc ſacramentum recipienti, etiamſi ſit paruulus vel magnus. Vnde Petrus in Actibus Apoſtolorum dixit: *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & accipietis donum Spiritus ſancti.*

ITEM dicis hæretice, quia peccator baptizare non poteſt. Quomodo ergo baptizant Apoſtoli, qui peccatores erant, atteſtante Ioanne & dicente: *Si diximus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* Item dicis quia per miniſterium Sacerdotis non datur Spiritus ſanctus, quem te dare mentiris. Et quomodo dicis te dare Spiritum ſanctum, cùm ipſe Spiritui ſancto in quantum potes contradicis, & cùm ſit ſolius Dei dare Spiritũ ſanctum? Item in Actibus Apoſtolorum habetur, quòd Apoſtoli imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Non dicitur quòd darent, ſed per impoſitionem manuum eorum accipiebant homines Spiritum ſanctum. Item in Actibus Apoſtolorum: *Et deſcenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus. Et baptizauit eum, & deſcendit Spiritus ſanctus ſuper eum.* Item de infantibus ſiue paruulis in Euangelijs inuenimus, quia Deus noſter Ieſus Chriſtus talem paruulorum ætatem probauit, vt diceret diſcipulis offerentes ad ſe paruulos prohibentibus: *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum.* Quicumque ergo non crediderit paruulorum baptiſmum atque infantium ad ſalutem vitæ æternæ valere, cõtra Euangelium credit, & eſt quaſi qui contradicat paruulos ad Chriſtum venire. Item habemus in Epiſtola beati Pauli ad Corinthios, quòd in primitiua Eccleſia diſcipuli Apoſtolorum pro mortuis baptizabantur, credentes eis conferre ad eorum ſalutem animarum. Dicit etiam Apoſtolus: *Si mortui non reſurgunt, vt quid etiam baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora?* Si ergo fides primitiuæ Eccleſiæ erat, quod baptiſmus viuorum pro mortuis ſalutem æternam illis mortuis conferebat*; quod illi non audierant nec acceperãt, & ideò pro illis baptizabantur: Quantomagis fideles credere debent modò, quòd fide patrinorum baptizati paruuli ſa-

* *Hic erran non enim Eccleſia hoc tenet.*

Digitized by Google

lutem æternam & gratiam ſpiritualem in baptiſmo conſequuntur? Et iſta de baptiſmo ſufficiant.

CAP. XIII.

DIXIMVS de ſacramento Baptiſmi, qui eſt prima tabula poſt naufragium, id eſt poſt immerſionẽ peccatorum. Et quia pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium, ideò ſecundo loco poſt baptiſmum dicendum eſt de pœnitentia, quam autenticè contra hæreticam prauitatem confirmare nos oportet. A pœnitentia incipit prædicatio Ioannis. ait enim: *Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et Petrus in Actibus Apoſtolorum ad eos, qui prædicatione ſua compuncti fuerant corde: *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Item Petrus: *Pœnitemini igitur, & conuertimini vt deleantur veſtra peccata.* Sed quia in pœnitentia neceſſaria eſt interior cordis contritio, & oris confeſſio, & digna ſatisfactio iniuncta à Preſbytero; de vnoquoque exẽpla proferamus.

QVOD interior cordis contritio ſit neceſſaria, habemus ex auctoritate Ezechielis, qua dicitur: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Et etiam ex auctoritate Pſalmiſtæ dicentis: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Contritio enim eſt compunctio cordis, quæ naſcitur ex recordatione præteritorum malorum, vt in Euangelio: *Et recordatus Petrus verbi Ieſu, quod dixerat, Priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit amarè.* Ecce quomodo compunctus eſt corde. Recordatus enim mali præteriti ad lacrimas recurrit.

ITEM neceſſaria eſt oris confeſſio, quæ duobus modis dicitur, ſcilicet confeſſio Dei, & peccatorum. Confeſſio Dei eſt, de qua Dominus in Euangelio loquitur: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Confeſſio peccatorum eſt, de qua Dauid Pſalmo ait: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.* Bonum dixit Dominum & miſericordem, quia ſi quis confiteatur paratus eſt miſereri. Eius namque miſericordias præuidebat de longinquo per Spiritum ſanctum cùm dicebat: *Miſericordias Domini in æternum cantabo tibi Domine.* Item, *Miſeri-*

Digitized by Google

cordiæ tuæ multæ Domine. Item Dauid, *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam,* Confessio enim est proprij actus cum sui accusatione execratio. Vnde illud : *Iustus in principio sermonis accusator est sui.* Et Iacobus in Epistola Canonica : *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.* Et Paulus Apostolus : *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ecce habemus ex auctoritate Iacobi, quòd peccata nostra confiteamur. Et non dixit soli Deo, sicut dixit hereticus; sed, *confitemini alterutrum.* Et quòd Sacerdotibus debeamus confiteri, dicit Dominus in Euangelio: *Vade, ostẽde te Sacerdoti.* Et Iacobus, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, &c.*

Qvod item satisfactio sit necessaria, habetur in Euangelio vbi Ioannes ait. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Nam facite fructus dignos pœnitentiæ, nihil aliud est, quàm dignam agere satisfactionem iniunctam à Presbytero. Satisfactio est sententia vel iudicium quod à sacerdote datur pœnitenti super peccatum. Et hoc est iudicium de quo dictum est: *Non iudicabit Dominus in idipsum.* Et Paulus? *Si nos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Et Petrus: *Quoniam tempus est vt incipiat iudicium de domo Domini.* Et hæc est potestas, quam Dominus dedit omnibus, scilicet potestas ligandi, & soluendi. Dicit itaq; ipsa Veritas: *Quorumcumque remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Sicut enim in veteri Testamẽto leprosi iubebantur ostendere se sacerdotibus, vt discernerent qui essent mundi vel immundi : ita & nunc pro officio suo Sacerdos, cùm audiret peccatorum varietates, sciat qui ligandus sit, vel qui soluendus. Item, postquam Christus Lazarum suscitauit, ait Discipulis: *Soluite eum*, voluit Dominus, vt quem suscitauerat ipsi soluerent, & solutum ostenderent .....Deus dimittit peccata per ministros. Cùm enim Deus dimittat peccata, & homo dimittat ; aliter Deus, & aliter homo. Deus ex semetipso, quia per semetipsum quando vult peccata dimittit; homines non ex se, sed ex gratia in eis & per eos operante. Et ita verum est quòd solus Deus peccata dimittit, sicut ipse Dominꝰ ait in Propheta. *Ego solus deleo iniquitates & peccata populi.* Item, *Tu es solus qui facis mirabilia.* Et non negatur, quin & homines mirabilia faciant; sed non ex se, sicut & Deus, Item, *Nemo bonus, nisi solus Deus,* quia ex se bo-

Digitized by Google

nus. Nec tamen negamus bonos homines esse. Et sic homines peccata dimittunt non ex se, sed Deus dimittit per ministerium eorum.

Sed dicis aliquem posse saluari sine confessione, & obijcis illam auctoritatem qua dicitur: *Quacumque hora peccator ingemuerit, saluus erit.* Ad quod dicendum est, quòd verè vniuersalis Sacerdos, scilicet Deus, qui vult confiteri, sed non potest, soluit à debito pœnæ æternæ per cordis cõtritionem. Sed quamdiu potest nisi ore confiteatur non absoluitur. Est namque certum, quòd ille, qui habet cor contritum, vult cõfiteri. Sed istam bonam voluntatem potest deserere. Non enim vult homo dum est in hac vita quod non possit nolle. Et si hac voluntate amissa nollet confiteri, & tunc moreretur; nulli dubium est tum damnari pro illo peccato quod confiteri noluit. Nullum enim peccatum impunitum. Aut enim homo punit, aut Deus. Apparet igitur quòd solus Deus dimittit peccata viuificando intus per gratiam; & quòd Sacerdos dimittit non intus viuificando, sed à debito æternæ pœnæ absoluendo per eam quam iniungit satisfactionem. Quod verò dicis peccatorum, *Quacumque hora ingemuerit peccator, saluus erit*, de his dictum est, qui instante periculo mortis tempus satisfactionis habere non possunt. Ac si diceret: Peccator quacumque hora verè pœnituerit, in futura vita non peribit vel de omnibus potest dici, *Qua hora ingemuerit, saluus erit*, quia tunc peccantis saluus incipit. Sed postquam diximus de eis, quæ in pœnitentia consideranda sunt, dicendum est quid sit pœnitentia. Pœnitentia enim est perpetrata mala plangere, & plangenda non committere. Nam qui sic acta deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Item irrisor est non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnituit, nec videtur Deum quærere subditus, sed subsannare superbus. Isaias peccatoribus dixit: *Lauamini, mundi estote.* Lauatus & mundus est qui præterita plangit, & plangenda iterum non committit. Et hæc est vera pœnitentia, de qua dicit Dominus in Euangelio: *Maius gaudium est in Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouẽ iustis qui non indigent pœnitentia.* Non quòd sit aliquis adeò iustus, qui non indigeat pœnitentia, sed qui non indigent, id est qui æstimant non indigere. Et hoc

est

eſt quod adhuc retinẽt hæretici de ſupercilio Phariſæorum. Ipſi ſunt, de quo Salemon ait: *Lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peßimis.* Hæc quæ diximus ad præſens negotium de pœnitentia ſufficiant.

CAP. XIV.

POST Tractatum pœnitentiæ ſequitur de manuum impoſitione: quoniam hæretici manuum impoſitionem, quod conſolamentum vocant, contra Dominica præcepta, & Apoſtolorum conſtituta agere vſurpant. Quomodo, & à quibus perſonis fiat, & ..... ſentiant, primum eſt dicendum. Modus conſolamenti talis eſt ..... populo vel Epiſcopus, vel Diaconus, nominatus Rector aliorum hæreticorum ſibi ſubjectorum. Et quando volunt facere conſolamentum alicui viro vel mulieri; ille qui Maior & Ordinatus dicitur, ablutis manibus; & omnes ſimiliter illi, qui ibi adeſſe volunt, lotis manibus, Librum Euangeliorum in manibus ſuis tenens, eum vel eos, qui ad recipiendum conſolamentum adueniunt, admonet, vt in eo conſolamento omnem ſuam fidem & ſpem ſalutis animarum ſuarum in Deo & in illo conſolamento ponant. Et ſic ſuper capita eorum Libro poſito, orationem Dominicam ſepties dicunt. Et deinde beati Ioãnis Euangelium ab *In principio* incipientes, vſque ad hunc locum Euangelij, *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: omnibus audientibus dicit, & ſic finitur illud conſolamentum. A quibus perſonis fit dicamus, ſcilicet ab illis, qui inter eos Ordinati dicuntur. Si ipſi defuerint; ab alijs qui Conſolati dicuntur, ſuppletur: & ſi viri non aſſint, mulieres tantum infirmis faciunt. Quid de eo ſentiant dicamus. In illo enim generaliter omnes ſaluandi fidem ſuam & ſpem habent, & omnium remiſſionem ſuorum peccatorũ, & emundationem ſuorum delictorum abſque ſatisfactione aliqua in eo conſequi credunt ſi ſtatim morte deficiunt: & non ſolum veniam de venialibus peccatis quę commiſerunt, ſed etiam de criminalibus perpetratis dari in eo ſibi credunt. Dicunt etiam, quòd nemo magnus vel paruus vir ſiue mulier, niſi illud conſolamentum ab ipſis conſolatis receperit, cœleſte regnum & Angelorum ſocietatem aliquo opere vel beneficio, vel contemplatione religionis, nec etiam martyrio: &

etiam ſi ab omnibus, quod eſt impoſſibile, peccatis & delictis ſe abſtineat, conſequi poteſt. Credunt etiam hoc, quòd ſi ille qui facit illud conſolamentum in aliquo peccatorum, quæ ipſi criminalia vocant, lapſus fuerit, ſicut eſt comedere carnem, vel ouum, vel caſcum, vel interficere auem, vel aliquod animal, præter repentia: vel etiam in illa peccata quæ Eccleſia Romana nominat, veluti homicidium, adulterium, fornicatio, immunditia, furtum, falſum teſtimonium, periurium, rapina, conſolamentum illius accipientibus nihil prodeſt. Dicunt enim eum talem ſic lapſum Spiritum ſanctum non habere, & quod non habent credunt non poſſe alicui dare. Imò eundem credunt iterum oportere illud conſolamentum recipere ab alio, ſi ſaluari deſiderat. Et hoc vniuerſaliter de omnibus tam viris quàm mulieribus lapſis ita oportere fieri vt dictum eſt.

ROMANA verò Apoſtolica Eccleſia omnia ita præfata, quæ ab hæreticis conficiuntur, peſſimos & mortales errores multis auctoritatibus iudicat; quia non ſunt à talibus perſonis facta, à quibus fieri debent. Neque à Ieſu Chriſto inſtitutum eſt, neque ab Apoſtolis, neque in tempore eorum factum eſt. Habemus etiam in Euangelijs quod Dominus Ieſus Chriſtus & Saluator noſter paruis ad ſe delatis, & etiã ægris, imponebat manus ſuper eos; & benedicebat eis, & ſanabantur: & hoc ..... non inuenimus vt alicui diſcipulorum ante paſſionem, quouſque à mortuis reſurrexit; ſed poſt reſurrectionẽ poteſtatem baptizandi, & manus imponendi in nomine Domini tantum Apoſtolis dedit, & ..... ordinati fuerint, eamdem poteſtatem baptizandi & manum imponendi habeant, videlicet quos Deus elegerit, & ipſi dignos iudicauerint. Vnde habemus in Actibus Apoſtolorũ, quòd beatus Petrus Simoni Mago offerenti pecuniam ſibi, & petenti Spiritum ſanctum talem poteſtatem dari ſibi, vt cuicumque ipſe imponeret manus Spiritum ſanctum acciperet; reſpondit, *Non eſt tibi ſors neque pars in ſermone iſto, quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Sed roga Dominum, & age pœnitentiam ab hac tanta nequitia tua, quæ in cor tuum aſcendit.* Et ita illum indignum huius diuini officij reſpuendum eſſe iudicauit. Habemus etiam in eodem libro, quod Apoſtoli per omnes ciuitates, in quibus nomẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti

Digitized by Google

celebrabatur, & Christiani fideles persistebant, Presbyteros & Diaconos ad eadem sacramenta peragenda eis ordinabãt. Verbi gratia, *Cùm constituissent per singulos Ecclesias Presbyteros.* Item in eodem, cùm Paulus vellet ab Asia ire Hierosolimam transiens per Ecclesias in quibus Presbyteros & Episcopos ordinauerat, venit Miletum; & mittens Ephesum vocauit maiores natu Ecclesiæ, dixítque eis, *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisiuit sanguine suo.* Et postquàm Dominus noster Iesus Christus Apostolos elegit, & post eius ascensionem populi per vniuersas Ecclesias Episcopos, & Presbyteros & etiã Diaconos ad peragenda omnia diuina mysteria constituerunt; & eandem potestatem & traditionem quam ipsi à Christo acceperant, illi à se ordinatis concedebant. Quisquis contra hanc Apostolicam....facit & credit, multum errat, & mortem sibi operatur. Vnde & Iacobus ait: *Qui totã legem seruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus.* Item Paulus: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et contra personas hæreticorum ista sufficiant.

ITEM contra modum consolamenti eorum. Hæretici dant illud consolamentum tam magnis quàm paruis, viris ac mulieribus: quod nunquam ab Apostolis, neque inter discipulos eorum factum fuit, neque mandatum fuisse ab eis inuenitur. Quia Apostoli quos ordinare volebant Prædicatores, Presbyteros, vel Diaconos super populum, manus tantũ imponebant. De alijs non inuenimus in diuina Scriptura, nisi quòd prædicabant, & baptizabant eos cum inuocatione Spiritus sancti, vt Dominus noster Iesus Christus eos docuerat, & eis mandauerat, vt dicit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* & formam & modum dedit eis, qui vsque hodie in Ecclesia assiduè retinetur. Vnde valde mirandum est, à quo talis consuetudo consolamenti hæreticorum habuit initium, vel sumpsit exordiũ: quia neque à Prophetis, neque à Christo, neque ab Apostolis neque ab Apostolicis viris Apostolorum successoribus initiũ habere videtur: quia multum discrepat à dictis & à factis, & etiam à scriptis istorum omnium. Et ideò credendum est vt sint de illis, de quibus Apostolus Paulus in Epistola ad Timotheũ scripsit. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustine-*

Digitized by Google

cha cum diſcipulis meis manducem, &c. Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis. Et parauerunt Paſcha. Et cùm facta eſſet hora diſcubuit, & duodecim cum eo, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Et etiam ceteri Euangeliſtæ ſimilia verba his ſcripſerunt, quòd Chriſtus comedit Paſcha, & illud Paſcha, quod neceſſe erat occidi, erat Agnus Paſchalis, de quo præceperat Dominus Moyſi. Et Chriſtus comedit agnum Paſchalem, & ille agnus erat caro, ergo Chriſtus comedit carnem. Item Apoſtolus dicit in Epiſtola ad Corinthios: *Omne quod in macello venditur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis infideliũ vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Si quis autem dixerit vobis de immolatis etiam idolis, nolite comedere propter illud quod indicauit, & propter conſcientiam; conſcientiam non tuam, ſed alterius.* Item Apoſtolus ad Timotheum: *Omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et nos ſcimus & credimus quòd Chriſtus, qui eſt Verbum, & ſapientia Dei Patris, ad nihil aliud venit in mundum carne aſſumpta de vtero Virginis, niſi ad ſalutem animarum. Hæc ſupra ſcripta non feciſſet, nec fieri iuſſiſſet, ſi eſſet iudicium & damnatio animarum fidelium. Nec.... Apoſtoli ſpirituali ſapientia imbuti, imitatores Chriſti ..... ſcripſiſſent neque comederent comeſtionem carnis ..... ciborum, ſi ſcirent eſſe damnabile peccatum manducare. Item Paulus ad Romanos. *Infirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus curationum. Alius enim credit manducare ſe omnia, qui autem infirmus eſt olus mãducet. Is qui manducat, non manducantem ſpernat, & qui non mãducat manducantem non iudicet. Deus enim illum aſſumpſit. Tu qui iudicas alienum ſeruum. Suo Domino ſtat, aut cadit. Stabit autem. Potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat. Qui ſapit Domino ſapit, & qui manducat Domino mãducat. Gratias enim ago Deo. Nemo enim ſibi viuit, & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo morimur, ſiue viuimus, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorũ & viuorum domi-*

ducæorum errorem imitantes, corporum mortuorum hominum reſurrectionem non credunt. Et hunc errorem Chriſtus, cum Saducæis loquens de reſurrectione mortuorum, deſtruxit, ita dicens: *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutẽ Dei. In reſurrectione enim neque nubent neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cælo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorũ.* Item in eodem Mathæus: *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Audis hæretice, corpora ſurrexiſſe. Item Dominus in Euangelio ſecundum Ioannem: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei; & procedent qui bona egerunt in reſurrectionẽ vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionẽ iudicij.* Item in eodẽ, *Cùm autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cũ eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem ſicut qui ſegregat oues ab hædis.* Et non ſolum reſurrectio mortuorum ex Euangelicis teſtimonijs confirmatur, ſed etiam in Epiſtolis ſuis Paulus diſputando de reſurrectione multa locutus eſt ad Corinthios: *Si autem Chriſtus prædicatur, qui reſurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum nihil eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides noſtra.* Sed hoc eſt quod hæretici obijciunt, *Quoniam caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Hoc autem non dixit Apoſtolus de ſubſtantia carnis & ſanguinis, ſed de operibus carnis & ſanguinis. Quod exponit Apoſtolus in ſequentibus, dicens: *Neque corruptio incorruptionem poſſidebit.* Apoſtolus videns Corinthios eſſe ſeductos in hoc errore, volens eos de reſurrectione rectificare ſcripſit eis: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriam. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Si eſt corpus animale, eſt ſpirituale, &c.* Item Paulus ad Theſſalonicenſes, dicens: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non cõtriſtemini, ſicut & ceteri qui ſpẽ non habent. Si enim credimus*

MAGISTRI

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS,

COMMENTARIORVM SVPER S.

PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS

LIBRI V.

EX BIBLIOTHECA S. MICHAELIS

DE MONTE.

Digitized by Google

MAGISTRI

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS,

COMMENTARIORVM SVPER S. PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS LIBRI V.

PROLOGVS.

OMNIS Scriptura diuina more orationis Rhetoricæ aut docere intendit aut mouere. Docet quippe, dum quæ fieri vel vitari oportet insinuat. Mouet autem, dum sacris admonitionibus suis voluntatem nostram vel dissuadendo retrahit à malis, vel persuadendo applicat bonis: vt iam videlicet implere velimus quæ implenda esse didicimus, vel vitare contraria. Iuxta hanc itaque rationem tam veteris quàm noui Testamenti tripertita est doctrina. In veteri nempe Testamento lex, quæ in quinque libris Moysi continetur, præcepta Domini primum docet. Deinde Prophetæ vel Historiæ cum cæteris scripturis ad ea quæ iam præcepta erant opere complenda adhortantur, & affectus hominum ad obediẽdum præceptis commouent. Cùm enim Prophetæ vel sancti Patres populum sentirent præceptis minus obedire diuinis, admonitiones adhibebant, vt per promissiones vel comminationes eos ad obediendum traherent. Exempla quoque ex Historijs necessarium erat adiungi, in quibus tam remunera-

tio obedientium quàm pœna tranſgreſſorum ante oculos ponerẽtur. Hi autem ſunt veteres illi panni, qui ad extrahendũ Ieremiam de lacu funibus circumligati ſunt: exempla videlicet antiquorum Patrum, quæ ſacris admonitionibus adhibentur ad extrahendum peccatorem de profundo vitiorum.

SIMILITER & noui Tripertita eſt diſciplina Teſtamenti, vbi quidem Euangelium pro lege eſt, quod veræ iuſtitiæ ac perfectæ formam docet. Deinde Epiſtolæ cum Apocalypſi loco Prophetarũ ponuntur, quæ ad obediendum Euangelio cohortãtur. Actus vero Apoſtolorũ & pleræq; narrationes Euãgelicæ ſacras hiſtorias continent. Ex his itaq; liquet, quod cùm ſit intentio Euãgelij docere, hãc intentionẽ Epiſtolę vel Actus Apoſtolorũ tenent, vt ad obediendũ Euãgelio nos moueant, vel in his quæ Euangeliũ docet nos cõfirment. Nemo itaque poſt Euangeliũ, quod perfectæ eſt doctrinæ, quaſi ſuperfluè Epiſtolas calũnietur, cùm has ad admonitiones potiꝰ quã ad doctrinam ſcriptas eſſe meminerimus; quamuis nonnulla in eis ſalubria documenta ſiue conſilia contineantur, quæ Euangelium non habet. Vnde ad Corinthios ſcribens ait, *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, &c.* Nec non etiam circumciſionem vel ceteras legis carnales obſeruantias ceſſare iam debere docet: quod nondum in Euangelio reuelatum erat. Qui etiam ad Timotheum ſcribens multa de Epiſcopali vel Sacerdotali ſeu leuitica dignitate docet, quæ Euangelium non expreſſerat. Perfectam tamen Euangelij dicimus doctrinam traditam eſſe, quantum ad veræ iuſtitiæ formam, & ad animarum ſalutem ſufficiebat, non ad Eccleſiæ decorem vel ipſius ſalutis amplificationem. Sunt quippe de bonis ciuitatis quædam ad incolumitatem eius pertinentia, quædam ad amplificationem. Sicut & in fine ſecundi libri Rhetoricæ Iulius meminit. Quæ verò ad incolumitatem pertinent, ea ſunt ſine quibus incolumis ac ſalua conſiſtere ciuitas non poteſt, vt ager, ſiluæ, & cætera huiuſmodi quæ valde ciuitati ſunt neceſſaria. Alia vero non ſunt ita neceſſaria, ſed magis egregia: cùm videlicet vltra quàm neceſſe eſt quædam obtinet, quæ eam cæteris ciuitatibus digniorem efficiunt aut tutiorem reddunt; ſicut ædificia pulchra, theſaurorũ copia, dominatio multa, & ſimilia.

Digitized by

Sufficere autem ſaluti fortaſſe poterant ea quæ Euangelium de fide & ſpe & charitate ſeu ſacramentis tradiderat, etiamſi Apoſtolica non addantur inſtituta, neque aliquæ ſanctorum Patrum diſciplinæ vel diſpenſationes, vt ſunt canones; vel decreta, Regulæ Monachorum, & plurima ſanctorum ſcripta ſacris admonitionibus plena. Neque enim aliqua his prætermiſſis imputanda eſſet tranſgreſſio, ſi nulla de eis fieret præceptio. Voluit tamen Dominus & ab Apoſtolis & à ſanctis Patribus quædam ſuperaddi præcepta vel diſpenſationes, quibus adornetur vel amplificetur Eccleſia velut ciuitas ſua, vel ipſa ciuium ſuorum tutius muniatur incolumitas; ſicut in ſingulis promptum eſt aſſignare. Vnde Dominus nonnulla diſcipulis ſuis vel poſteris præcipienda vel diſponenda reſeruauit, vt quibus in miraculis quoq; maiora facere quàm ſibi ipſi permiſit, nonnullam etiam eis præceptorum auctoritatem reſeruaret, quibus eos amplius exaltaret, & Eccleſiæ ſuæ tanto eos efficeret amplius gratos, quanto eos ipſa ſibi magis eſſe cognoſceret neceſſarios. Cùm itaque, vt dictum eſt, Euangeliorum intentio ſit, ea quæ ſunt ſaluti neceſſaria nos docere; hanc intentionem Epiſtolæ tenent, vt ad obediendum Euangelicæ doctrinæ nos moueant, vel nonnulla etiam ad amplificandam & tutius muniendam ſalutem tradant. Et hæc quidem eſt omnium Epiſtolarum generalis intentio. In ſingulis verò proprias intentiones requiri conuenit, ſeu materias aut tractandi modos; ſicut in hac ipſa Epiſtola. Cuius quidem intentio eſt, Romanos ex Iudæis & Gentilibus conuerſos ſuperba contentione ſe alterutrum præponentes ad veram humilitatem & fraternam concordiã reuocare. Id vero duobus modis efficit: tam diuinæ ſcilicet gratiæ dona amplificando, quàm operum noſtrorum merita extenuando: vt nemo iam de operibus gloriari in ſe præſumat; ſed totum diuinæ tribuat gratiæ quicquid valet, à qua quidem recognoſcat ſe accepiſſe quicquid boni habet. In his itaque duobus, tam operibus ſcilicet noſtris quàm diuina gratia, totius materiæ ſumma conſiſtit. Modus vero tractãdi, in attenuationem eſt noſtrorum operum, ſicut dictum eſt, & exaggeratione gratiæ: vt iam nemo de operibus gloriari præſumat, ſed qui gloriatur in Domino glorietur. Gloriabantur autem Gentiles, quòd tam citò Euangelio acquieuerunt,

ſicut ſcriptum eſt, *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu obediuit mihi.* Et minimè antea deliquiſſent in his quæ egerant, qui nulla adhuc lege Dominum cognouerant. Iudæi verò de corporalibus legis obſeruãtijs maximè intumeſcebant. Ad conterendam itaque vtrorumque ſuperbiam alternis inuectionibus modo hos, modo illos, & nonnunquam vtroſque ſimul aggreditur, vt & gentes inexcuſabiles in ſuis fuiſſe peccatis oſtendat; quæ ſi legem ſcriptam non acceperant, naturalem habebant qua & Deum cognoſcere, & mala à bonis poſſent diſcernere: & Iudæos non ex operibus legis iuſtificari, vt æſtimant, poſſe, ſed vtroſque ſola Dei vocantis gratia miſericordiam, qua iuſtificentur, aſſecutos. Quæritur autem de Romanis iſtis, quibus hæc Epiſtola dirigitur, quorum Prædicatione antea conuerſi fuerant. Eccleſiaſtica quidem hiſtoria, & Hieronymus ſiue Gregorius Turonenſis, per Petrum Apoſtolum eos iam conuerſos fuiſſe tradunt. Haymo verò è contra ſentit, dicens eos non à Petro primum de fide fuiſſe inſtructos, vel ab aliquibus duodecim Apoſtolorũ: ſed ab alijs quibuſdam Iudæis fidelibus à Ieroſolymis Romam venientibus. Ait autem Eccleſiaſtica Hiſtoria libro ſecundo cap. decimo quarto. *Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ Petrum ad vrbem Romam deducit. Iſte aduenies primus in vrbe Roma Euangelij ſui clauibus ianuam Regni cæleſtis aperuit.* Igitur cùm Romanæ vrbi clarum verbi Dei lumen fuiſſet exortum, Simonis tenebræ cum ſuo autore reſtinctæ ſunt. Hieronymus quoque ſuper hanc Epiſtolam, vbi ſcriptum eſt, *vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritalis*, ait ſic. *Romanos prædicatione Petri fidem tenẽtes confirmare ſe velle Paulus dicit. Non quo minus accepiſſent à Petro, ſed vt duobus Apoſtolis atteſtãtibus atque doctoribus, eorum corroboraretur fides.* Greg. etiam Turonenſis Hiſtoriarum lib. 1. cap. 25. ita meminit. *Petrus Apoſtolus ſub Imperatore Claudio Romam aggreditur; ibique prædicans in multis virtutibus manifeſtiſſimè Chriſtum eſſe Dei Filium comprobauit. Ab illis diebus enim Chriſtiani apud ciuitatem Romanam eſſe cœperunt.* At vero Haymo in procœmio expoſitionis præſentis Epiſtolæ ita loquitur. *A Corintho ſcripſit Apoſtolus Romanis hanc Epiſtolam; quos non ipſe Petrus, non quilibet duodecim diſcipulorum primùm inſtruxit; ſed quidam Iudæorum credentium, qui ab Ieroſolymis Romam venientes, vbi Princeps orbis reſidebat, cui*

Digitized by Google

erant ipſi ſubjecti, fidem quam apud Ieroſolymã didicerant Romanis euangelizauerunt. Notandum verò, quia ſi diligenter attendamus quæ dicta ſunt, nulla erit ſuperiorum doctorum & Haimonis contrarietas. Si enim integrè ſupra memoratum capitulum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ percurramus, inueniemus Petrum primũ ex omnibus Apoſtolis, non ex omnibus doctoribus Romanis prædicaſſe. Hieronymus quoque cùm dicit Romanos à Petro per prædicationem eius fidem accepiſſe, ſiue tenere, nihil obeſt: cùm per diſcipulos Petri à Hieroſolyma venientes non per ipſum Petrum id fieri potuerit. Haymo verò negat per ipſam Petri perſonam id factum eſſe. Vnde & cùm Petrus ab eo nominatur, additur *ipſe*. Præterea nõ dicit Haymo, quòd eos Petrus non inſtruxit; ſed quòd non primùm id fecerit. Quod vero ait prædictus Gregorius Petrum Romæ prædicaſſe ſub Claudio, non addidit primum eum prædicaſſe, ſed multis miraculorum virtutibus manifeſtè Chriſtum eſſe Dei filium comprobaſſe. Quod autem tunc addidit, ex tunc Chriſtianos eſſe Romæ cœpiſſe; poteſt intelligi, eos tunc per Petrum manifeſtos fuiſſe, qui prius occulti eſſe potuerunt. Hæc autem Epiſtola, quamuis primùm ſcripta fuiſſe non credatur, prima tamen à ſanctis Patribus ordinata eſt, quia contra primum vitium & cæterorum radicem, quod eſt ſuperbia, dirigitur; ſicut ſcriptum eſt, *Initium omnis peccati ſuperbia.* Vel etiam quia ad primę ſedis Eccleſiam deſtinatur. De hoc autem ita Haymo meminit. *Epiſtola autem iſta non illum ordinem tenet in corpore Epiſtolarum, quo eſt conſcripta: ſed cauſa dignitatis Romanorum, qui tunc temporis vniuerſis gentibus imperabant, primatum obtinuit. Hoc autem factum eſt, non ab Apoſtolo, ſed potius ab illo, qui omnes eius Epiſtolas ſub vno corpore curauit colligere.* Item idem. *Interpretantur autem Romani ſublimes, ſiue tonantes: quia illo tempore quo Apoſtolus hanc Epiſtolam eis miſit cunctis gentibus principabantur, & intonabant præcepta.* Creditur autem Apoſtolus præſentem Epiſtolam Romam miſiſſe à Corintho per Phœben, miniſtrum Eccleſiæ Cenchris; qui eſt locus vicinus Corintho, immo portus ipſius Corinthi, ſicut Origenes ſuper hanc Epiſtolam meminit. De qua quidem Phœbe ipſe Apoſtolus in fine Epiſtolæ ait ſic. *Commendo vobis Phœbem ſororem noſtram, &c.* Quem quidem locum Hieronymus exponens ait. *Hic monſtrat Apo-*

Digitized by Google

ſtolus non accipiendam perſonam eſſe viri vel feminæ, quando Romanis per mulierem vt fertur, litteras mittit, &c.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. PAVLVS] More ſcribentium Epiſtolas ſalutationẽ præmittit, qui ad veram eos ſalutem adhortatur. Quam quidem ſalutationem cum quibuſdam quæ annectit quaſi loco proœmij præſcribit. Vbi eos videlicet attentos aut dociles ſeu beneuolos breuiter efficiat. Attentos quidem facit tam à perſona ſua, quàm à perſona Chriſti eum mittentis, quàm etiam ab ipſa re, hoc eſt Euangelica doctrina, ad quam obſeruandam eos adhortatur. A perſona quidem ſua, dum eam commẽdat tanquam in Apoſtolatum ſegregatam, & ad prędicandum Euangelium à Deo vocatam. Cõmendat autẽ & Domini Ieſu Chriſti perſonam, quẽ & Filium Dei nominat, & eum eſſe aſſerit, qui Patribus promiſſus erat tanquã humani generis redemptor, & qui ex Spiritu ſancto conceptus ſit, & mortuorum ſuſcitator magnificus extiterit. Sed nec Euangelij commendationem prætcrit, dum ipſum per ſcripturas ſanctas Prophetarũ Dei promiſſum eſſe commemorat. Docilitas verò in hoc ipſo notatur, quòd per hoc quod ſibi dicit iniunctum Euangelicæ prædicationis officium, de his quæ ad Euangelij doctrinam pertinent ſe ſcripturum eſſe inſinuat. Qui etiam cùm ſe ſeruum Chriſti, & ſe eorum ſeruum eſſe confitetur, tam ex humilitate ſua, quàm ex amore quem illi in Chriſtũ habebant, necnon & ex his quæ ſubjungit de amore quem habet in eos, quòd videlicet per conuerſionem eorũ maximè gratias Deo agat, & ad eos venire deſideret, vt eos amplius inſtruat aut confirmet, ſibi ipſi beneuolos reddit. Nunc litterarum * inſiſtamus. Notandum verò quia iuxta expoſitionem Rufini in hanc Epiſtolam, quæ quidem expoſitio tranſlatio expoſitionis Originis creditur; iſte Apoſtolus antea etiam quàm conuerteretur binomius erat; vt tam videlicet Paulus quàm Saulus antea vocaretur; ſicut ſcriptum eſt, inquit, in Actibus Apoſtolorum; *Saulus qui & Paulus.* Iuxta Hieronymũ & Auguſtinũ ſeu cęteros, ipſe ſibi Apoſtolus nomen mutauit à Paulo Proconſule,

Digitized by Goog

Proconſule, quem per miraculum primum conuertit. In Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, *aſſumens hoc nomen*, vt nunc Paulus ſicut antè Saulus vocaretur, vt poſt eius conuerſionem ſicut nouam vitam vel nouum prædicationis aſſumpſit officium, ita & nouum ſortiretur vocabulum. Sicut & de Apoſtolo Petro Dominus fecit, à quo ipſe poſt conuerſionem Petrus eſt vocatus, qui antea Simon vocabatur. Vnde & Romana Eccleſia iam in conſuetudine duxit, vt quos in cathedram Beati Petri ſublimat, nomina eis mutet. Saulus autem quaſi à Saule antea dictus erat, qui de eadem Tribu, id eſt de Benjamin erat, & in perſecutione fidelium Saulem imitabatur, qui Dauid & ſuos perſequebatur, ſicut iſte Chriſtum atque membra eius. Cui ab ipſo dictum, *Saule Saule quid me perſequeris?* Teſte autem Hieronymo, ſicut Iacob in noſtram linguam trãſlatum Iacobus dicitur, & Ioſeph Ioſephus, ita & Saul nunc Saulus dicitur, tanquam ſit triſſyllabum nomen, cum tamen per diphtongon proferre ipſum biſſyllabum ſoleamus. Videtur etiam quaſi diminutiuum eſſe à Saul Saulus, ſicut à Iulio Iulius. Sicut autem Saul primo humilis, poſtea ſuperbus factus eſt; ita hic è contrario primo ſuperbus & maximus Eccleſiæ perſecutor, nunc Paulus, id eſt per humilitatem iam modicus ſiue quietus appellatur. Nam iuxta Auguſtinum Paulus Latinè modicus ſonat. Vnde & dicimus, *Paululùm expecta*, ideſt modicum. Quantum vero humilis ipſe fuerit, audi ab ipſo. *Ego enim ſum*, inquit, *minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Iuxta Ambroſium verò, ex Saulo Paulum ſe dicit, hoc eſt immutatum; vt quia Saulus inquietudo ſeu tentatio interpretatur; hic cùm ad fidem Chriſti acceſſit Paulum ſe dicit, ideſt quaſi iam quietum: cùm prius tentationes æmulatione legis Dei ſeruis inferret. Quantum verò iam quietus & patiens extiterit, & ne quem ſcandalizaret ſemper ſtuduerit, ipſe quoque docet, qui ne quem grauaret manibus laborabat, non vt cæteri Apoſtoli de Euangelio victitans. A Hieronymo autem in libro Hebraicorum nominum Paulus mirabilis, ſiue electus, interpretari dicitur. Quem & Dominus ipſe vas electionis vocauit, & tam vita quàm doctrina inter Apoſtolos mirabilem fecit. Quem quidem tam virginem eſſe, quàm Martyrem conſtat: vt quæ in magnis Apoſtolis, Petro ſcilicet & Ioanne,

Digitized by Google

diuiſa ſunt merita, in iſto repetiantur coniuncta; & præ ceteris tam prædicationis quàm virtutis gratias aſſecutum; per quem ferè vniuerſus conuerſus eſt mundus; atque ipſe quoque Apoſtolorum Princeps de pernicioſa ſimulatione neceſſario correctus, vt in eo quoque mirabiliter illa veritatis impleretur ſententia, *Erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* In cuius etiam typo Benjamin fratrum ſuorum extremum, & à patre vehementer dilectum fuiſſe non ambigimus. De hoc autem præclaro Chriſti ſignifero & tuba Domini vehemente ipſe humiliter qui ab eo correctus fuerat Petrus, in excellentiæ eius laudem prorumpens, *ſicut & cariſſimus*, inquit, *frater noſter Paulus ſecundum ſibi datam ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut in omnibus Epiſtolis loquens de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum damnationem.* Quam quidem difficultatem, ex nimia ſubtilitate rationum procedentem, & profeſſi & veriti ſunt Doctores ſancti. Vnde & Ambroſius in Epiſtola quadam quæ ſic incipit, *Etſi ſciam quod nihil difficilius ſit, quàm de Apoſtoli lectione diſſerere, cùm ipſe Origenes longe minor ſit in nouo quam in veteri teſtamento, &c.* Auguſtinus Retractationum lib. 1. *Epiſtolæ ad Romanos expoſitionem inchoaueram, ſed huius operis, ſi perficeretur, plures libri eſſent futuri. Quorum vnum ſolum in ſola diſputatione ſalutationis abſolui: ſed deinde ceſſaui ipſius magnitudine ac labore deterritus.* Et Beatus Hieronymus ad Pammachiũ. *Paulũ*, inquit, *Apoſtolum quotieſcumque lego, videor non mihi verba audire, ſed tonitrua.* Idem ad Paulinum. *Paulus nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt, quia plus omnibus laborauit.* Idem ad Euſtochium. *De virginibus*, inquit Apoſtolus, *præceptum Domini non habeo. Quod & ipſe vt eſſet virgo non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Neq; enim audiendi ſunt* inquit, *qui eum vxorem habuiſſe confingunt. Cum ſuadens perpetuam caſtitatem intulerit; volo autẽ omnes eſſe ſicut meipſum.* Quãtus autem & apud Philoſophos habitus ſit, qui eius vel prædicationem audierunt, vel ſcripta viderunt, inſignis ille tam eloquentia quàm moribus Seneca in Epiſtolis, quas ad eum dirigit, his verbis proteſtatus eſt. *Libello tuo lecto, de plurimis ad quoſdam litteris, quas ad aliquam ciuitatem ſeu caput Prouinciæ direxiſti, mira exhortatione vitam mortalem contemnentes vſquequaque refecti ſumus. Quos ſenſus non puto ex te dictos, ſed per te: certè*

Digitized by Google

aliquando & ex te, & per te. Tanta etenim maiestas earum rerum est, tantaque generositate clarent, vt vix confectura puto ætates hominum quibus illustrari perficique possint. Meminit & Hieronymus huius laudis Senecæ erga Paulum in libro de Illustribus viris cap. 12. ita scribens. *Lucius Annæus Seneca Cordubensis Photini Stoici discipulus, & patruus Lucani Poëtæ, continentissimæ vitæ fuit: quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me Epistolæ illæ prouocarent, quæ leguntur Apostoli Pauli ad Senecam, aut Senecæ ad Paulum. In quibus cùm esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit esse eius loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos.* Quod & si Prophetiæ autoritatis laudem Philosophico adiungas præconio, inuenies huius Apostoli excellentiam supra cæteros tam apud Patriarchas quàm Prophetas insigne aliquid laudis specialiter adeptam esse. Hic quippe, sicut ipse ait, de tribu Benjamin exordium ducens, ille est, in typo cuius tam Patriarcha Iacob quàm Prophetarum & Regum maximus Dauid, exultantes præcinerunt. Iacob quidem sic ait: *Beniamin lupus rapax mane rapiens prædam, vespere diuidet escas.* Siue iuxta aliam trãslationem, *vespere spolia distribuet.* Dauid vero futuræ Ecclesiæ Princeps in spiritu præuidens, & quasi hunc ceteris anteponens; *Ibi*, inquit, *Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Ille quippe Benjamin filius Iacob, qui huius typum gerebat de semine suo futuri, inter fratres ordine extremus, primus apud Patrem per gratiã erat, à quo ipse in senio susceptus potissimũ diligebatur. Sic & Paulus inter Apostolos ordine vocationis & conuersionis vltimus, meritis, vt dictum est, apud Deum primus. Beniamin quoque nascens matrem parientem peremit, quæ præ dolore partus moriens Benoni .i. filium doloris appellauit: Pater vero nomine commutato eum Benjamin. i. filium dexteræ appellauit. Paulus quippe in Christo iam renascens, matrem suam Iudæam, quæ eum in doctrina legis genuerat & educauerat, quasi peremisse dicitur, cùm ipse præcipuè carnalium obseruationum præcepta, in quibus ipsi viuebant, euacuauerit, & totam eorum gloriam ad nihilum redegerit, quasi de vtero matris exiens, & à scholis Synagogæ per conuersionem recedens, iuxta quod ipsemet ait, *Qui me segregauit ex vtero matris meæ, & viuificauit per gratiam suam.* Vnde & bene mater eum Bennonim. i. filium doloris sui vocauit, quia

Digitized by Google

quo plus errorem eius Paulus infestauit, amplius eam dolere fecit: & quopræ sapientiæ suæ excellentia gratior ei extiterat, amplius eam contristauit amissus. Benè autem Pater nomen commutare voluit, vt potius eum filium dexteræ. i. prosperitatis seu fortitudinis appellaret, quàm doloris; quia hic vt diximus interitus Synagogæ, qui per Paulum factus est, in prosperitatem potius fidelium, & communem Ecclesię exultationem, quàm in dolorem reputandus. Qui etiam quanta fortitudine animi viguit, innumeræ in eum persecutiones indicant. Quod verò dicitur mane rapere prædam, & vespere escas diuidere, significat eum primitus persecutorem Ecclesiæ fuisse, & postea spiritalis verbi refectionem doctrina suæ prædicationis administrasse. Quod verò iuxta aliã translationem dicitur distribuere spolia, significat eum posteaquã conuersus est multas animas diabolo eripuisse, & quasi spolia fugato hoste hos retinuisse, quos postea per Ecclesiastica officia & quæcũq; fideliũ ministeria ordinauit. Hieronymus vero in prologo libri Hebraicarum quæstionũ in Genesim, asserit secundum Hebræos, quod altare in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte tribus Beniamin erat. Quo quidem conuenienter iste Christiani sanguinis effusor intelligitur, de quo scriptum est, *Spirans minarum & cædis in discipulos Domini, &c.* Vt Christi membra tanquam lupus oues laniaret in terris. Iste est Beniamin adolescentulus, quasi inter Apostolos ipse extremus, mente & ratione cæteris præcellens: vt pote qui raptus est ad tertium cœlum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. A quo etiam ipse primus Apostolorum à pernicioſa simulatione correctus est, & vniuersa Ecclesia spiritaliter instructa, vt inter vniuersa sanctorum scripta eius Epistolæ priuilegium tam vtilitate quàm subtilitate adeptæ sunt. Quarum nunc istam, quæ ad Romanos dirigitur, exponendã suscepimus; quæ omnium eruditissimorum iudicio tam litteræ difficultate quàm rationum subtilitate implicita est.

SERVVS] Cùm dicat Apostolis Dominus; *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*, quare nunc Apostolus se seruum appellauit? At vero vt prætermittamus distinguere duo genera seruorum, id est subjectorum, quorum videlicet alios timor pœnæ subjectos tenet; de qualibet dicitur, *quia seruus non*

Digitized by

manet in domo in æternũ. Et iterum illud, *Cùm feceritis omnia quæcunque præcepta fuerint vobis dicite, Serui inutiles ſumus.* Alios quoque amor obedientes facit. Quibus quidem dicitur, *Euge ſerue bone & fidelis, &c.* Facile eſt, prædictæ quæſtioni etiam hoc modo reſpondere, quod alio modo dicitur ſeruus ſimpliciter, alio modo ſeruus dicitur Chriſti, ſiue ſeruus bonus. Ibi enim quaſi coactio quædam ex ſeruili timore non voluntaria ſubiectio monſtratur, hîc per amorem filialem obedientia deſignatur. Nec fortaſſe neceſſe eſt ex nomine ſerui ſimpliciter prolato coactam ſemper & non voluntariam ſubiectionẽ ſignari: niſi fortè per adiunctũ aliquod amicalis ſubiectio remoueatur, veluti cum dicitur: *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Cùm enim ſubditur, *ſed amicos*, quaſi aduerſando ad illud quod eſt, *ſeruos*; intelliguntur non præmiſſi ſerui illi qui tantum ſunt ſerui, non etiam amici. Alioquin modo generaliter ſerui dicuntur omnes illi tã boni vel mali, quibus talenta ſua Dominus commiſit. Serui itaque generaliter dicuntur, ſiue eos qui præſunt diligant ſiue non, dummodo eis ita ſubiecti ſint, vt in eorum penitus poteſtate tam res eorum quàm ipſi permaneant: vt nec ſeipſos, nec aliquid ij qui ſerui dicuntur poſſideant proprium. Hoc itaque modo ſe hoc loco Apoſtolus ſeruum Chriſti nominat: cui ſe penitus ita ſubiecerat, vt nihil ſuo relinqueret arbitrio; ſed totum ſe Chriſti ſubderet voluntati, dicens illud ei per omnia, *Fiat voluntas tua.* Quis etiam culpet, cùm Dominus per gratiam nolit iam Apoſtolos appellare ſeruos, ipſi tamen per humilitatem ſe ſeruos profiteantur? Non enim ait, Iam non dicetis vos ſeruos, ſed amicos: ſed, *iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Bene autem Apoſtolus, cùm ad obediendum alios inuitet, ſe primitus obedientem profitetur: vt non ſolùm verbo, verùm etiam magis exemplo auditores commoueat, ſectatus quidem eum, de quo ſcriptum eſt, *quæ cæpit Ieſus facere & docere.* Prius videlicet facere, & poſtea docere. Cùm verò præmiſerit nomen Chriſti, quod eſt commune omnium tam in Regem quàm Sacerdotem inunctorum, ſecundum quod ſcriptum eſt, *Nolite tangere Chriſtos meos*; ſubiecit proprium nomen eius, quod eſt Ieſus, vt hunc videlicet Chriſtum à cæteris tam ſingularitate perſonę, quàm dignitate diſtingueret. Solus quippe propriè Ieſus dicitur, qui ſolus verè & in perpe-

tuum ſaluare poteſt. Cùm itaque dicitur Chriſtus .i. vnctus, quoniam tam Reges quàm Sacerdotes inungebantur, oſtẽdit eum à Domino tam in Regem quàm in Sacerdotem nobis eſſe conſtitutum, per quæ duo nos ſaluet, quod ſonat Ieſus. Sacerdos quippe nobis extitit, ſeipſum pro nobis in ara crucis immolando. Rex vero pro fortitudine & potentia dictus eſt: qua poteſt ſibi ſubicere omnia, & tanquam fortior fortem alligare diabolum, vt pote illi cui Pater omnia dedit in manu.

VOCATVS *Apoſtolus.*] Hoc eſt vocatus à Deo & electus in Apoſtolatum, non à ſeipſo veniens ad prædicandum: alioquin fur eſſet & latro, iuxta illud Veritatis, *Omnes quotquot venerunt fures ſunt & latrones. Venerunt*, inquit Hieronymus, *non qui miſſi ſunt.* Vnde & bene Apoſtolus miſſus ſiue legatus interpretatur. Attende etiam humilitatis ſuæ commendationem, cùm dixerit *vocatus* potius quàm electus. Vocatio quippe clamor vocis eſt ad longe poſitos vt accedãt vel audiant. Tanto autem iſte remotior erat à Deo, quantò immanior erat Eccleſiæ perſecutor. Diligenter itaque ait non electus, vel aſſumptus, ſed *vocatus* quaſi à longe à Domino tractus ad Euangelium illius prædicandum.

SEGREGATVS *in Euangelio Dei.*] Ideſt, ſeorſum & per ſe, non cum alijs Apoſtolis electus, non à Chriſto adhuc in terra conſiſtenti mortali, ſed iam in cæleſtibus ad dexteram Patris conſtituto, & tam per reſurrectionem quàm aſſenſionem glorificato. Vnde & ad Galathas ſcribens, vt ſuam commendaret electionem aduerſus eos qui calumniabantur cum cæteris Apoſtolis non eſſe connumerandum, quòd non fuerit à Domino Ieſu Chriſto in terra cum cæteris electus, ait Paulus Apoſtolus, *non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis*: ac ſi diceret Paulus Apoſtolus non per hominem .i. mortalẽ, ſed per Chriſtum iam reſurrectione glorificatum, & nihil iam mortalis naturæ vel corruptibilis habentem. Dicitur etiam ſegregatus in prædicatione Euangelij, dum cæteris adhuc Apoſtolis circa prædicationem Iudæorum occupatis iſte ſpecialiter ad gentes tanquam eorum proprius Apoſtolus deſtinatus eſt. Vnde & doctor gentium ſpecialiter ipſe dictus eſt. Hinc eſt illud in Actibus Apoſtolorum dicente Spiritu ſancto, *Segre-*

Digitized by Google

gate mihi Barnabam & Paulum in opus ministerij quo assumpsi eos. Euangelium bona annunciatio dicitur, eo videlicet quod Euãgelica prædicatio enunciet completum quod antea erat promissum.

QVOD *ante promiserat.*] Commendatio est Euangelij quod olim à Deo nobis promissum dicit. *Per Prophetas suos.*] Nemo enim rem vilem, vt ait Ambrosius, magnis præconibus nunciat. Per Hieremiam Dominus dicit, *Ecce dies veniũt, & consummabo Testamentum nouum, &c.* Suos dicit Prophetas ad differentiam falsorum siue reproborum, sicut Balam vel qui per spiritum malignum nonnunquam futura prædicunt. Propheta quippe est qui futura prædicendo reuelat. Vnde & Propheta quasi à prophetando.i.prædicendo dicitur. *In scripturis.*] Vt non solum verbis hoc Prophetæ annunciarent, verum etiam scripturis confirmarent. *Sanctis.*] Hoc est ad sanctitatis doctrinam & Religionis formam conscriptis, & Spiritu sancto dictante compositis. *De filio suo.*] .i. proprio & substantiali, non adoptiuo. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.*] .i. humanam naturam qui secundum diuinam solummodo est genitus, *Ei.*] s. Deo Patri .i. ad honorem ipsius qui semper in filio glorificatus est & honoratus: cùm ipse dicat filius Dei propriam gloriam se non quęrere, sed eius qui misit eum. *Ex semine Dauid.*] .i. ex Maria, quæ fuit ex stirpe Dauid, cùm tam Abraham quàm Dauid promissio de Christo facta sit; vt videlicet de eorum semine per matrem suam nasceretur. Hîc tamen solum commemorat Dauid, qui grauiter nonnunquam deliquit, non Abraham, qui maximè iustus apparuit: vt videlicet diuinæ gratiæ, non meritis hominum totum huius incarnationis tribuatur mysterium. Sufficit etiã nominare Dauid tacito Abraham, cùm per Dauid, qui de genere Abrahæ est, Christũ de genere Abrahæ esse doceat.

QVI *prædestinatus est secundum carnem.*] s. hoc est diuina præparatus, pro qua & Matri eius dictum est. *Aue gratia plena.* Prædestinatio quippe dicitur diuinæ gratiæ præparatio. Prædestinatus est inquam *Filius Dei in virtute.*] Hoc est, vt esset virtus & fortitudo omnium ei cohærentium per fidem. *Secundum Spiritum sanctificationis.*] Ad duo præmissa duo alia subnectit quasi singula singulis reddens. Ad illud quidem quod primo dixit, *qui factus est ei ex semine Dauid secũ-*

dum carnem, iſtud ſubiungit, *ſecundum Spiritum ſanctificationis*, hoc eſt per operationem diuinæ gratiæ, quæ Spiritus ſanctus dicitur, mundantem prius & ſanctificantem à peccato Matrẽ eius; vt de ſemine peccatoris Dauid ſacroſanctam carnem aſſumeret. Ad illud verò aliud quod ſecundo promiſerat, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, iſtud annectit: *Ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti.*] Ac ſi diceret, ex tunc factũ eſt, vt eſſet virtus ſeu fortitudo omnium per fidem ei cohærentium, ex quo eius reſurrectio completa eſt, teſtificata per reſurrectionem mortuorum eodem die factam, de quibus ſcriptum eſt: Quia *venerunt in ſanctam ciuitatem & apparuerũt multis.* Tunc enim omnis infidelitatis dubitatio abſceſſit, quæ de paſſione quoque Diſcipulis acciderat, quorum quidam iam deſperati dicebant: *Nos autem ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſrael.* Mortuos Ieſu Chriſti dicit .i. ad honorem ipſius, qui ad hoc mortui fuerant, vt eum reſurrectionis ſuæ teſtimonio glorificarent. Poſſumus & reſurrectionem ſpiritalem animæ à vicij accipere, de qua Simeon ait: *Quia poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum.* Solus quippe eſt Chriſtus qui à morte animæ liberare poteſt, Agnus videlicet Dei qui tollit peccata mundi. Notandum verò quod, vt ait beatus Auguſtinus in Enchiridion, cùm dicatur Chriſtus natus ex Spiritu ſancto & Maria, non tamen ideo filius Spiritus ſancti dicitur ſicut Mariæ, cùm videlicet non ſit natus aut conceptus ex ſubſtantia Spiritus ſancti ſicut ex ſubſtantia Mariæ, ſed potius per operationem Spiritus .i. diuinæ gratiæ excellens eius conceptio ſiue natiuitas facta eſt, & ideo ex illo quoque natus, hoc eſt conceptus per illum dicitur. Non enim omne quod ex aliquo naſcitur filius eius dicitur, vt capilli ex capite, vel pediculi ex nobis naſcentes. Ex aqua quoque & ſpiritu denuo renaſcentes nequaquam filij aquæ dicimur. Solent & filij dici eorum, à quibus non naſcuntur vt filij adoptiui, filij diaboli, filij gehennæ, vel filij per doctrinã. Si quis tamen Chriſtum ſecundum hominem filium Dei aut Spiritus ſancti dicat, eo quidem modo quo cæteros fideles per filialem ei amorem ſubiectos, non abſurdum arbitror. Nõ tamen ideo plures habent patres propter Deum, ſcilicet Patrem & Spiritum ſanctum; cùm præſertim nec cæteri electi plures patres Deo habeant propter perſonarum diuerſitatẽ.

Neque

Neque enim ibi plures Patres dicendum eſt, ſicut nec plures Deos aut Dominos; cùm nulla ſit ibi rerum diuerſitas, aut nominũ differentia. Si vero quæratur vtrum homo ille in Chriſto à Verbo aſſumptus ſit adoptiuus Dei Filius ſicut cæteri electi, cùm hoc bonum quoque per gratiam habeat, non puto concedendum. Qui enim adoptantur & ſic filij efficiũtur, vtique prius erant non eo modo filij quo facti ſunt. At vero homo ille à Verbo aſſumptus omnino ſine peccato & natus & conceptus, ſtatim ex quo extitit Filius Dei per gratiam fuit. Nos verò alij qui cum peccato naſcimur, & filij iræ dicimur, renati baptiſmo per adoptionem eſſe incipimus quod non prius eramus. Ille itaq; licet per gratiã ſecundũ humanitatem filius dicatur, non tamen per adoptionem hoc accepit qui hoc ex quo fuit habuit. Vnde Hilarius de Trinitate lib. XII. Et nos qui Filij Dei, ſed per facturã filij, fuimus enim aliquando filij iracundiæ, ſed Filij Dei per adoptionem effecti, & dici id meremur potius quàm naſcimur. Et quia omne quod fit antequam fiat non fuit, nos cum filij non fuiſſemus, ad id quod ſumus efficimur. Ante enim filij non eramus, ſed poſtquam meruimus hoc ſumus. Sumus autem non nati, ſed facti; neq; generati, ſed acquiſiti. Acquiſiuit enim ſibi Deus populum, & per hoc genuit. Genuiſſe autem Dominum filios nunquam cum proprietatis ſignificatione cognoſcimus.

PER *quẽ accepimus gratiã & Apoſtolatũ.*] Cõmendata Chriſti perſona adnectit commẽdationẽ ſuæ, ſiue officij ſui, cùm ſe à tãto auctore mitti perhibet ad prædicandũ, vt ſaltẽ ex authoritate mittẽtis ſuſcipi eius prædicatio debeat. *Gratiã & Apoſtolatũ*, hoc eſt prædicandi officiũ gratis, nõ ex meritis ſuis, ei collatũ; vel primo gratiã in conuerſione ipſius & remiſſione peccatorũ, ſeu collocatione virtutũ, vel miraculorũ aut quorũlibet donorum, & poſtea Apoſtolatum, dum ad prædicandum miſſus eſt. Poſſent Romani Apoſtolo dicere, Etſi ad Apoſtolatum vocatus es, non tamen ſuper gentes; vel ſuper gentes aliquas, non tamen ſuper nos. Ideo ſubdit, *In omnibus gentibus.*] Hoc eſt, vt omnibus vbicumque prædicaret gentilium nationibus. Gentes ſiue nationes dicuntur quaſi tales quales genitæ vel natæ, hoc eſt ſine diſciplina legis quaſi pecudes viuentes. Pagani autem à pago dicti ſunt .i. nulla ſeu quacunque manſione extra ciuitatem, vt ſint pagani quaſi

Digitized by Google

ruſtici,& non vrbani; qui nondum legibus ciuitatis ad rectè aut honeſtè viuendum inſtructi ſunt. Eſt quippe ciuitas conuentus hominum, æquo iure viuendum. Qui ergo à ciuitate Dei penitus alieni erant, nullis adhuc diuinis legibus inſtructi, merito pagani erant appellati, qui nunc ſe Saracenos magis quàm Agarenos vocari volunt, quaſi à Sara libera magis quàm ab Agar ancilla nuncupari ſe gloriantes. *Ad obediendum fidei.*] Hoc eſt, ad ea opera implenda quæ ante crediderint implenda. Primo quippe ſciri oportet quę facienda ſunt quàm opere compleantur. *Pro nomine eius.*] .i. Dei ſiue Chriſti, vt videlicet ipſe cognoſcatur. & ſic ametur ſecundū quod ipſe Chriſtus de ſe & Patre loquitur, vt cognoſcant te ſolum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quælibet res nomine ſuo ſignificari& cognoſci habet, ideóque nomen hic pro notitia ponitur. Cognoſci autem verè tantum bonum non poteſt, niſi & ſtatim diligatur. *In quibus eſtis & vos.*] .i. in quarum gētium vocatione& vosRomani iam eſtis. *Vocati Ieſu Chriſti.*] Hoc eſt ex glorioſo eius nomine Chriſtiani appellati.

OMNIBVS *qui ſunt Romæ.*) Hucuſque littera tota præmiſſa huius ſalutationis ſuſpenſiua eſt, quaſi dicatur repetitis omnibus præmiſſis, Paulus ſeruus, &c. mandat, ſubaudis hoc omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis ſanctis, hoc inquam mandat, *Gratia ſit vobis & pax, &c. Dilectis Dei.*) Ac ſi diceret, Non dico ſimpliciter omnibus qui ſunt Romæ, tam fidelibus ſcilicet quàm infidelibus, tā electis quàm reprobis: ſed his tantum qui per conuerſionem ſuam iam amicitiam cum Deo inierunt, ſubiecti iam ei more Chriſtianorum, .i. ex amore potius quàm timore. Quibus quidem dictum illud conuenit, *Iam non dicā vos ſeruos.* Et iterū, *vos autem dixi amicos.* Vel *dilectis Dei* .i. à Deo, qui eos prior dilexit, vt præueniente gratia eius non meritis eorum ipſos eligeret. *Vocatis ſanctis.*) Hoc eſt vocatis per inſpirationē internam, ſeu prædicationis gratia, ad hoc vt ſancti ſint. Cùm dicit eos vocatos à Deo eſſe potius quàm eos Dominum inuocaſſe; gratiā Dei exaggerat, quæ nonnūquā inuitis vel non petentibus beneficia præſtat.

QVAESTIO. SED cum hæc ſalutatio ad omnes illos pertineat, ad quos Epiſtola dirigitur, quomodo dicit dilectis Dei vel vocatis ſanctis, cùm maximè ad eos vel propter eos corrigendos Epiſtola ſit directa, qui ſuperba contētione, vt dictum eſt, ſe ad alteru-

Digitized by Google

trum præponere volebant? quippe qui ſuperbè agunt, quomodo dilecti Dei dicuntur? Nunquid propter eorum beneuolentiam captandam mentiri aut falſum ſcribere aliquid Apoſtolum oportuerit? Sed profectò ad omnes quidem hęc ſalutatio pertinet, licet non omnes adhuc ſint dilecti Dei: vt cùm videlicet eos tantum ſalutet qui ſunt dilecti Dei, eos tantùm ſalutatione ſua dignos iudicet, alioſque ad imitationem ipſorum inuitet, vt & ipſi .s. dilecti Dei eſſe nitantur. Conuenienter etiam, etſi nonnulli ibi eſſent Dei dilecti, dicere eos dilectos Dei potuit, iuxta eorum opinionem quidem qui hoc de ſe profitebantur, ſicut etiã nonnulli ironicè quandoque loquuntur. Non enim mendacium, beato atteſtante Auguſtino, dicitur, niſi falſa ſignificatio cum voluntate decipiendi. Hîc verò Apoſtolus non decipere, ſed admonere intendit. *Gratia vobis & pax.*) Gratiam dicit donum gratuitũ .i. non ex meritis præcedentibus collatum. Gratia & pax .i. donum pacis, qua ipſi qui contendunt ſuperbè, inuicem & cum ipſo Deo reconcilientur. Qui enim proximum quem videt non diligit, Dominum quem non videt quomodo poteſt diligere? *A Deo Patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.*) Donũ Dei, quod gratiam dicit, Spiritus ſanctus dicitur. Vnde & cùm ſeptiformem ſpiritum dicimus, vel ſeptem Spiritus Dei nominamus, ſeptem diuinæ gratiæ dona demonſtramus. Rectè ergo donum Dei quod Spiritus ſanctus dicitur, à Patre & Filio ſimul dari poſtulat, à quibus ſimul procedere ſpiritus ipſe habet. Sic conſtrue, A Deo Patrè & Domino Ieſu Chriſto, Deo Patre noſtro dico, tam Domini ſcilicet Ieſu Chriſti Patre quàm noſtri. Hinc & ipſe Filius Deum Patrem tam ſuũ quàm noſtrum appellat dicens, *Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum.* Illius quidem per naturam, noſtri vero per adoptionem. Ex quo maximè gratiam Dei erga nos commẽdat, per quam fratres efficimur & cohæredes Domini Ieſu Chriſti. Filij quidem dicimur per amorem, & magis quàm per timorem ſubijcimur. Dominum Ieſum dicit, quia ei aſſidua & perpetua debetur obedientia, ſicut Domino à ſeruis, iuxta quod ſuperius & ſe ſeruum dixit.

PRIMVM *quidem.*) Ne præmiſſa Epiſtolæ ſalutatio magis ex occaſione & conſuetudine ſcribendi Epiſtolas quàm ex affectu caritatis prolata videretur, quanta eos charitate am-

Digitized by Google

plectatur annectit, dicens se primum .i. maximè pro conuersione & fide Romanorum, Deo gratias agere, cùm pro omnibus tamen conuersis id faciendum sit. Oportebat etiam gratiam, quam in eos Apostolus habebat, priùs eum ostendere; vt cùm eos grauiter postmodum reprehenderet, ex amore id factum intelligerent, & libentiùs eius correctionẽ vel admonitionẽ susciperent. Quasi ergo blandiendo more solertis Oratoris priùs eos allicit, vt ad audiendum attentiores ac beneuolos eos magis reddat. Gratias alicui agere, est pro beneficio ab eo gratis collato cum laudare, benedicere, glorificare. *Deo meo per Iesum Christum.*] Hoc est qui mihi propitius factus est, sicut & cæteris peccatoribus per filium suum redemptorem ac mediatorem nostrum. Vel *gratias ago* per Iesum Christum, quia id factum esse de conuersione Romanorum per Christum recognosco, non per nostram virtutem siue cæterorum hominum. Qui etiam in laudem Dei me idoneũ ex me esse non recognosco, sed ex gratia filij eius cui deseruio: de hoc, inquam, gratias ago. *Quia fides vestra annunciatur.*] Hoc est diuulgatur ad laudem Dei, & ad exẽplum conuersionis aliorum in toto mundo.i. vbicunque terrarum vel in maxima parte earum. Quo vero magis notus erat Romanus populus quasi caput totius mundi, magis vbique innotescebant quæ apud Romanos fiebant:& quo superiores erant, magis exemplo sui cæteros ad conuersionem inuitabant. Vnde Quintilianus de cæco. Quo, inquit, ad altiorem quisque honoris gradum extenditur, magis in exemplũ spectantibus patet. Item hæc conditio superiorũ est, vt quicquid faciunt præcipere videantur. Ex his quidẽ & consimilibus Apostoli verbis, quibus dicit se gratias Deo agere per Iesum Christum, Ecclesia ni fallor in consuetudine duxit, vt in celebrationibus Missarum cùm Deo Patri gratiæ referuntur, vel in ipsis orationum petitionibus semper adiungatur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, vel simile aliquid: ac si omne quod agimus recognoscamus Deo Patri minimè placiturum, nisi per ipsum mediatorem qui nos ei reconciliauit, neque nos ab eo aliquod bonum adeptos nisi per eundem qui nobis ipsum pacificauit. *Testis enim.*] Ostendit quasi à causa, quòd pro gratia eis collata maximè Deo gratias agat; quia eos tanto affectu complectitur, vt in suis semper oratio-

Digitized by Google

nibus eorum memor ſit. i. quotieſcunq; pro ſe orat, oret etiam vt ad eos peruenire valeat, vt in ipſis quoque aliquem habeat fructum. Vnde, inquit, mihi teſtis eſt Deus, cui ipſam orationem facio, & decipi non poteſt, & qui ſolus intentionem diſcutere poteſt. Non dicit ſimpliciter, *ſine intermiſſione*; ſed *ſine intermiſſione in orationibus ſuis*, vt videlicet nulla eius oratio ſine memoria eorum fiat. *Cui ſeruio in ſ. m.*] Hoc eſt interiori homine, ex toto videlicet cordis affectu ſicut amicus, non ad oculum ſicut ſeruus qui flagellari timet. *In Euangelio ſ. e.*] Hoc eſt in prædicatione Euangelij, quod Dominus Ieſus ipſe nobis tradidit atque docuit. *Obſecrans etiam ſi quomodo.*] ſiue per tranquillitatem, ſiue per tribulationem, ſiue terra, ſiue mari, ad vos corpore etiam perueniam. Proſperum iter dicit ſecundum Dei voluntatem, non ſuam, qui quælibet ſanctorum pericula cooperatur eis in bonum, & melius eis prouidet quàm ipſi ſibi prouidere queant; cum in omnibus decantat quiſque religioſus: *Fiat voluntas tua*, non .s. mea.

DESIDERO *enim.*] Cauſa eſt cur oret venire ad eos, vt videlicet ſua prædicatione aliquod ſpirituale donum eis impendat, confirmando eos ſuis adhortationibus in ipſa doctrina quam acceperant. Quod videlicet confirmare eos dicit eſſe, ſeipſum ſimul conſolari in eis ſicut & ipſi conſolarentur in eo; hoc eſt, dicit hoc cõmune fore ſolatiũ tam ſibi qui inſtrueret, quàm illis qui inſtruerentur. Illis quidẽ, quia confirmarentur per eius rationes, ſi in aliquibus dubitarẽt ac titubarent; ei verò qui illis cõfirmatis ſecurior eſſet de perſeuerãtia eorũ. Hoc eſt illud commune ſolatium, quod in ipſo hypotheticorum ſyllogiſmorum exordio inter docentes & diſcentes Boetius commemorat, dicens: *Cùm in omnibus Philoſophiæ diſciplinis ediſcendis atque tractandis ſummum in vita ſolatium poſitum eſſe exiſtimem, &c. Spiritalis gratiæ.*] .i. alicuius ſpiritalis, non corporalis doni gratis ab Apoſtolo impenſi, non ſpe temporalis lucri. *Per eam fidem.*] Quam iam habetis mecum communem .i. ad confirmandos vos in ea fide, quæ iam vobis prædicata eſt, non in alia noua. *Quæ eſt inuicem.*] .i. quã inter nos habemus communem, vel quæ omnium communis eſt fidelium. Vnde & Catholica dicitur .i. vniuerſalis, non priuata aut particularis; ſicut hæreticorum, quæ in aliquo eſſe poteſt terrarũ angulo, non vbique dilatatur. Cum ſubdit,

Veſtram atque meam, oſtendit fidem ſuam, quæ omnium eſt fidelium, tam ipſorum Romanorum quàm Apoſtoli eſſe. Poteſt etiam dici tunc eſſe fides inuicem, quando ipſos fideles vicaria caritate ad inuicẽ conſtringit. Hæc eſt enim vera illa fides, quæ, ſicut ipſemet dicit, per dilectionem operatur.

NOLO *autem.*] Ne paruum videatur deſiderium Apoſtoli veniendi ad eos niſi id facere iam aggreſſus eſſet, dicit ſe iã id ſæpiùs ipſo paratu aggreſſum eſſe, ſed adhuc permiſſus non eſt id complere occulta Dei diſpenſatione ita diſponente. *Venire* inquam *ad vos, propter hoc vt aliquem.*] .i. aliquam vtilitatem in vobis conferam. Fructus quippe arboris non ſerenti, ſed accipienti vtilis eſt, & Apoſtolo bonæ voluntatis deſiderium ſufficit ſi effectus deſit, nec quicquam de merito illius minuitur ſi impeditur effectus. *Græcis ac barbaris.*] Ac ſi diceret, Et hoc quidem oportet me velle quia ſecundum prędicationis officium mihi iiunctum omnibus gentibus debitor à Deo conſtitutus ſum. Præter Græcos omnes cæteras gentes barbaras vocat tam à cultu vnius Dei quam à lege Dei penitus alienas. Apud Græcos verò iam vnius Dei fides per Philoſophos innotuerat. Lex per ſeptuaginta interpretes tranſlata nota erat. *Sapientibus & inſipientibus.*] .i. tam fidelibus iam per Chriſtum & Dei ſapientiam illuminatis, ſicut vos eſtis, quàm infidelibus. Illis quidem vt eos confirmem, iſtis verò vt ipſos conuertam. *Ita quidem in me.*] Debitor ſum, inquam, & voluntarius in ſoluendo quæ debeo: & hoc eſt, ita debitor ſum, quod in me promptum eſt euangelizare vobis .i. quantum in me eſt iam pronus ſum & voluntarius in ſoluendo quod debeo ex iiuncto mihi officio, ad prædicãdum ſcilicet vobis, ſicut & cæteris Gentibus prædicaui. Licet enim iam conuerſi eſſent ad fidem, in multis tamen adhuc eis prædicatione vel exhortatione opus erat. Poteſt etiam quantum ad cæteros Romanos id accipi, qui nondum conuerſi fuerãt. Vnde & generaliter dicit vobis qui Romæ eſtis, non qui conuerſi eſtis. *Non enim.*] Ideo promptũ eſt in me, quia non erubeſco prædicare Euangeliũ, licet in eo quædam erubeſcentia digna videantur, quæ videlicet iuxta infirmitatem aſſumptæ humanitatis de Domino Ieſu prædicãtur. Aliter. Nõ erubeſco Euangeliũ .i. prędicationẽ Euangelij .i. cõfutari non poſsũ ſicut illi qui rationibus reddẽdis deficiunt. *Virtus enim.*] Ac ſi

Digitized by Google

diceret, Ideò in me promptũ eſt euangelizare, vel non erubeſco Euangelium propter infirmitatem aſſumptæ humanitatis quia Euangelium omni credenti & ſuſcipienti illud eſt virtus Dei .i. s. hoc eſt collata à Deo nobis ad ſaluandum non tanquam virtus, per quam quiſque proficit. Euangelium .i. bonum nuntium, per excellentiam nouum Teſtamentum dicitur, non ſolum vt ſuperius inſinuauimus, quia completum docet quod in veteri Teſtamento erat promiſſum, verum etiã quia eius perfecta penitus & veræ prorſus iuſtitiæ ſufficiens doctrina eſt; cùm lex vetus, vt ipſe Apoſtolus ait, ad perfectionem nihil adduxerit, opera magis quàm intẽtionem corrigens. *Iudæo primum.*] Tempore, & poſtmodum Græco. Primum enim Apoſtoli ex Iudæis conuerſi ſunt, per quos inde ad Græcos prædicatio Euangelij deſcendit, tandem ad Latinos. Vnde etiam illud quod dictum eſt, primum reſpectu Romanorum ſiue ceterarum gentium ad Iudæos ſimul & Græcos referri poteſt. Vel *primùm* .i. maximè dicamus quod in tempore Apoſtoli Pauli de alijs populis conuerſi iam eſſent.

IVSTITIA *enim Dei.*] Verè in ſalutem, quia ibi totius ſalutis doctrina continetur, vbi videlicet iuſtitia Dei .i. iuſta eius remuneratio ſiue in electis ad gloriam, ſiue in impijs ad pœnam liquidè & perfectè continetur & traditur. Et hoc eſt, *In eo.*] Scil. Euãgelio reuelatur .i. in eius prædicatione docetur iuſtitia Dei .i. iuſta eius in quibuſcunque remuneratio tã electis vt dictum eſt, quàm reprobis. Reuelatur, inquam, ex fide in fidem .i. ex fide pœnarum dirigente nos in fidem præmiorum. Conſequens eſt enim quaſi à contrarijs, vt dum nouerimus quòd pœnam apud Deum mereantur, ſubintelligamus & quòd præmium aſſequantur. Quia neceſſe eſt eum qui mala oderit bona diligere, ſicut ſcriptum eſt: *Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatem.* Maximè autem hæc in Euangelio reuelari & diſtingui arbitror, vbi Dominus cuncta quæ fiunt ſecũdum radicem intentionis examinat, dicens: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si oculus tuus fuerit tenebroſus, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Et hoc quidem eſt examen veræ iuſtitiæ, vbi cuncta quæ fiunt ſecundum intentionem penſantur magis quàm ſecundum operum qualitatõ. Quæ quidem opera Iudæi magis quàm intentionem atten-

debant, cum nunc Christiani naturali suscitata iustitia non tam attendant quæ fiunt quàm quo animo fiant. Habemus etiam ibi in Euangelio manifestè vtramque retributionem, vbi dicitur à Domino, *Ite maledicti*, & *venite benedicti*. Iuxta quod alibi ait: *Eadem quippe mensura*, &c. Cùm dicitur ex fide puniendorum, in fidem glorificandorum, ordinem diei iudicij tenemus, vbi impijs punitis coronabuntur electi.

SICVT *scriptum est in Abachuc*, s. Propheta, *Iustus ex fide viuit.*] .i. secundum quam reuelationem factam, de his videlicet quę credenda sunt, tam de pœnis impiorum, quàm de præmijs iustorum, quilibet electus in sua perseueratus * iustitia, dum hæc videlicet cauet quæ punienda credit, & contraria quæ placitura Deo credit appetit; vt animi terrorem superbis incutiat Romanis, illam partem hîc diuinæ iustitiæ prosequitur, qua punit eos, dicens: *Reuelatur ira.*] Quod dixit iustitiam Dei reuelari ibi ex fide, scilicet iniustorum, vt diximus, puniendorum; nunc manifestè determinat dicens, quia ibi .i. in Euangelio manifestatur ira Dei .i. iusta eius vindicta super iniquos. *Dei de cælo.*] Dicit ad differentiam falsorum Deorum, siue vicariorum Dei in Ecclesia, quibus dicitur, *Ego dixi, dij estis.* Vel reuelatur de cœlo .i. ex ruina superbientiũ Angelorum de cœlo factam, ab æterna scilicet beatitudine irrecuperabiliter alienatorum. Si enim tam precioſas creaturas tam cito pœna irrecuperabili damnare sustinuit, quid de hominibus sperandum est tot peccatis eum offendentibus? Aliter de vindicta illa præuaricationis Angelicæ patenter ostenditur, vnde ad damnandum irascatur, de peruersa scilicet voluntate priusquam de opere. Non enim diabolus hoc quod superbiendo voluit, dicens apud se, *Ponam sedem meam*, &c. opere compleuit. Vnde nequaquam eum effectus operis, qui subsecutus est, sed voluntas damnauit. Sic & Simon Magus donum miraculorum concupiscendo, quod non obtinuit, non ex opere; sed ex infidelitate, quod venalẽ scilicet Spiritum sanctum credidit, damnatus est, sicut & ei Petrus ait: *Quia existimasti*, &c. *Impietatẽ.*] Quantũ ad maiorẽ trãsgressionẽ Iudęorũ, qui lege etiã scripta instructi erant. *Et in iustitiã.*] Quãtũ ad transgressionẽ Gentiliũ, qui sola naturali lege vtebantur. Super omnẽ impietatẽ .i. ad puniendũ omnem, &c. Et bene super esse dicitur, quasi præualere in illis qui

* *f.* perseueran

Prima inuectio in Iudæos & Gentiles.

qui ſe ab eo tanquam ſuperiori defendere nullatenus valent. *Veritatem m. i. i. d.*] Hoc quod de vero Deo ſentiunt fructificare non permittunt, iniuſta deſideria ſua ſectantes, & volũtatem ſuam diuinæ voluntati præponentes.

QVIA *quod notum eſt Dei.*] Nota quoniam Apoſtolus in hac Epiſtola, ſicut ſuprà meminimus, ad reprimendam tam Iudæorum quàm Gentilium ſuperbè contendentium elationem, alternatim in vtroſque, modò in Gentiles, modò in vtroſque ſimul inuehitur. In vtroſque autẽ pariter iam quandam præmiſit inuectionem, cùm ait, *Super omnem impietatem & iniuſtitiam*, oſtendens Dominũ ad vltionem præparatum. Nunc maximè ac ſpecialiter in Gentiles inuehitur, qui iuxta rationes ſuas minus reprehenſibiles videbantur, ac penè omnino inexcuſabiles, quod Deo vero non ſeruierant, quem ſine lege ſcripta vt aiebant, cognoſcere non valebant. Quã quidem excuſationem manifeſtè retundit, etiam ſine ſcripto à Gentibus per naturalem legem Dominum antea notum fuiſſe, ipſo eis de ſeipſis per rationem quam dederat, hoc eſt legẽ naturalem, ac per viſibilia ſua opera notitiam conferente. Et hoc eſt quod ait, *quod notum eſt.* Tãquam diceret: dixi eos detinere quod de Deo vero ſentiunt, & bene dixi quod ſentiũt. *Quia quod notum eſt Dei.*] .i. de natura diuinitatis modo reuelatum eſt mundo per legem ſcriptam, etiam ſine ſcripto per naturalem rationem manifeſtum ante fuerat. *In illis.*] .i. non tantum illis, verum etiam per illos alijs. Vnde & multa de Trinitate teſtimonia aperta in Philoſophorum Libris reperiuntur, qui Gentium magiſtri erant: quæ etiam ſancti Patres in noſtræ fidei commendationem aduerſum Gentilium impugnationem diligenter collegerunt. Quorum pleraque & nos etiam in Theologiæ noſtræ opuſculo contulimus. *Deus enim illis reuelauit.*] Saltem per effecta ſuorum operum. Et hoc eſt quod ſubdit.

Secũda inuectio in Gentiles.

INVISIBILIA *enim, &c.*] Totum hic myſterium Tritatis diſtinguit, vt non ſolùm vnitatem Dei, verùm & Trinitatem ex ipſis operibus perpendere poſſent: quemadmodũ ex qualitate operis cuiuſlibet, qualis & cuius ſolertia fuerit artifex eius conijcimus. Et attende diligenter dictum quod notum eſt Dei illis reuelatum fuiſſe, hoc eſt eos credidiſſe ea quæ nunc credimus de his quæ ad diuinitatem quidem perti-

nent potius quàm ad diuinæ Incarnationis myſteriũ. Myſteriũ quippe Incarnationis ex viſibilibus Dei operibus nequaquã cõcipi humana poterat ratione, ſicut potentia Dei, & ſapiẽtia eius, & benignitas ex his quæ videbant liquidè percipiebantur. In quibus quidem tribus totam Trinitatis diſtinctionẽ conſiſtere credo. Id quippe Deus Pater ſonare mihi videtur quod ſonat diuina potentia diuinam generans ſapientiam, .i. filium, & Deus quidem filius tantumdem quantum diuina ſapientia ex Deo Patre genita, & Deus Spiritus ſanctus quãtum amor Dei ſiue benignitas ex Deo Patre procedens & Filio. Cõtinuatio. Deus illis reuelauit, quia per rationem, quam Deus eis contulit, ex viſibilibus ipſius operibus diuina eius Trinitas innotuit, & per effecta ſua ipſe artifex ſui notitiam eis imperſit. Et hoc eſt quod ait, *Inuiſibilia enim ipſius* .i. Dei, quod eſt dicere multiplex eius ſeu ſeptiformis Spiritus, qui etiam ſeptem ſpiritus nonnunquam dicitur, ſicut ſeptiformis gratiæ dona: ipſe, inquam, ſeptiformis ſpiritus Dei conſpicitur intellectus .i. perpenditur non oculis corporis, ſed intelligentia rationis.

A CREATVRA *mundi p. e. q. f. ſ. i.*) .i. intelligi per effecta mũdanorum operum, quæ tam optimè fieri voluit ac diſponi. *Sempiterna eius.*) hîc ſapientiam eius .i. Dei intelligimus, quæ eſt, vt diximus, Filius Dei: de quo alibi idem Apoſtolus dicit: *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Quã quidem ſapientiam Euangeliſta Verbum .i. mentis conceptum, Philoſophus mentem nominat, quam ex Deo natam affirmat. Virtus quidem Dei ſapientia eius dicitur, ſecundum id quod in ſapientia omnia optimè facit ac diſponit. Debile quippe atque inualidũ opus eſt, quod ſolerter factum non eſt. Diuinitas verò hoc loco pro maieſtate diuinæ potentiæ accipitur, quæ ſpecialiter ex nomine Patris, ſicut reor, innuitur. Deus quippe teſte Iſidoro, θεὸς .i. timor interpretatur, & poteſtas quælibet timor eſt ſubjectorum. Vnde meritò nomine Dei ſiue diuinitatis .i. deitatis, diuina ſpecialiter exprimitur potentia. Quod diligenter maximus Epiſcopus in expoſitione Symboli, quod dicitur Apoſtolorũ, quæ legitur in v. Quadrageſimæ Dominica his verbis inſinuat. *Credis*, inquit, *in Deum Patrem omnipotentem. In Deo natura innaſcibilis, in Patre ingeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis oſtenditur. Eſt namque*

Digitized by

per ingenitam diuinitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater.
De his autem in primo Theologiæ noſtræ prout potuimus ſatis diligenter diſſeruimus. Apparet itaque maximè ex ipſa mundanæ fabricę vniuerſitate tam mirabiliter facta, tam decenter ornata, quantæ potentiæ, quantæ ſapientiæ, quantæ bonitas eius artifex ſit, qui tantum & tale opus de nihilo facere potuit & voluit, & tam ſolerter & rationabiliter cuncta temperauit, ita vt in ſingulis nihil plus aut minus quàm oportuerit actum ſit. Vnde & Plato ipſe ? cum de genitura mundi ageret, in tantum diuinæ potentiæ & ſapientiæ bonitatem extulit, vt aſtrueret Deum nullatenus potuiſſe mundũ meliorem facere quàm fecerit. Non ſolum autem Philoſophi Gentium ex ipſa mundi compoſitione vel ornatu mirabili mirabilem eius artificem perceperunt, verum & ex optima eius diſpoſitione optimam diuinæ gubernationis prouidentiam rationibus congruis aſſignarũt. Quorum vnus Tullius in primo Rhetor. ſuæ, mundum ipſum prouidentiâ, non fortuitu Regi valida ratione monſtrauit ; cùm videlicet ea quæ conſilio ac prouidentia reguntur, melius procedere atque adminiſtrari proponeret quàm alia : ac ſtatim nihil melius & ordinatius adminiſtrari vel diſponi, quàm mundum ipſum aſſumeret, atque hoc quoque illico manifeſta ratione conuinceret, oſtendens ſcilicet quàm vtiliter & rationabiliter ea quæ in mũdo ſunt in ſua ordinatione perſeuerent. Poſſumus & quod ait Apoſtolus, *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, &c.* non ſolum ita exponere, quod ex compoſitione & ex ornatu mundi potuerit per humanam rationem ipſa artificis potentia, ſapientia atque bonitas percipi, ſecundum quæ, vt diximus, tres in Deo perſonæ diſtinguntur: verum & dicere eouſque per ſimilitudinem corporalium rerum humanam rationem conſcendiſſe, vt ipſam Dei vnitatem atque in eo perſonarum Trinitatem, & quomodo ipſæ perſonæ inuicẽ ſe habeant congruis ſimilitudinum exemplis aſſignare valeret, ponendo videlicet ante oculos aliquam mundi creaturã ſicuti æream ſubſtantiã *, & attendendo aliquid quod fiat in ipſa ærea ſubſtantia, vt per imaginem æream, quæ noſtra operatione ipſo ære facta eſt : ita quidem vt ipſum æs & ærea ſtatua, quæ in ære ipſo vel ex ære facta eſt, eadem res ſint eſſentialiter ſiue numero, ſed tamen proprietatibus ſuis diuerſa

* S. Bernardus Ep. 190. hanc ſimilitudinem retulit.

Digitized by Google

sint; cùm videlicet aliud sit proprium æris, aliud æreæ statuæ. Et quamuis idem sint essentialiter æs & ærea statua, ærea tamen statua ex ære est, non æs ex ærea statua. Sic & in diuina Trinitate cùm sit eadem substantia trium personarum .i. Patris, & Filij, & Spiritus sancti, diuersæ tamen sunt in suis proprietatibus personæ; cùm sit aliud proprium Patris, aliud Filij, aliud Spiritus sancti. Et quamuis sit vnaquæque persona idem essentialiter cum cæteris, Filius tamen ex Patre tanquã ærea imago ex ære, nõ Pater ex Filio sicut nec ipsum æs est ex ærea imagine; & Spiritus sanctus à duabus alijs habet esse personis, non illæ ab eo. Sed & de his quidem quantum oportuit in II. Theologiæ nostræ nos tractasse arbitramur. Nunc ad litteram reuertamur.

A CREATVRA *mundi per ea quæ facta sunt in ea.*] .i. per aliquã creaturã mundi, sicuti per ipsum æs, & per illa quæ in ipso ære facta sunt, sicut est imago ærea vel aliquid simile. Cætera in expositione non mutantur. *Ita vt sint inexcusabiles.*] .i. iam non possint se Gentiles per ignorantiam excusare, de notitia scilicet vnius Dei, quamuis legẽ scriptam non habuerint. Et vnde sint inexcusabiles exponit. *Quia cum cognouissent Dominum.*] per humanam scilicet rationem, quæ lex naturalis dicitur. *Non sicut Deum glorificauerunt.*] .i. debitum reuerentiæ cultum ei per humilitatem non exhibuerũt. *Nec gratias egerunt.*] Recognoscentes scilicet ex dono gratiæ eius esse hanc notitiam de ipso habitã quam præ cæteris habebãt, & ob hoc eum laudantes. *Sed euanuerunt in cogitationibus suis.*] More videlicet fumi, qui quò altiùs conscendit, magis deficit atque annullatur. Sic & isti quò magis ex arrogantia intumescebãt propter scientiã quã adepti erant, suo studio vel ingenio, non diuinæ gratiæ eam ascribentes; magis excæcari meruerunt, & in errorẽ amplius deuolui. Et hoc est quod exponens subdit: *Et obscuratũ est insipiens cor eorũ.*] Insipiens fuit, qui sibi, non Deo propriũ ipsius donum tribuerunt: & ex se, non ab ipso hoc se habere crediderunt. Vnde meritò est cor obscuratum, & ipsa in eis naturalis ratio obtenebrata. Verè obscuratum, *Quia stulti facti sunt.*] & illa nobili cognitione priuati. *Dicentes se esse sapientes.*] .i. iactãtes se esse potius sapientes ex seipsis, quàm sapientes esse factos à Domino. Et in quantam stultitiam, immò insaniam proripuit, tam per infidelitatis errorem

Digitized by Google

quàm per ignorantiam vitæ, ſubiungit dicens.

ET *mutauerunt gloriam.*] .i. honorem & ſacrificia, quæ debuiſſent vero Deo exhibere, qui videlicet corrumpi aut mutari in aliquo non poteſt, exhibuerunt falſo homini .i. imaginariæ ſimilitudini hominis corruptibilis & mortalis, idololatræ ſcilicet facti; & non ſolum in ſimilitudinem hominis, verum etiam quorumlibet irrationalium animalium, tam *volucrum*, ſcilicet quàm *quadrupedum & ſerpentum*. Fortaſſe autem credebant quoſdam ſpiritus, quos Deos vocabant, præeſſe hominibus, quoſdam cæteris animantibus. Et ideò eos colebant in formis eorum, quibus præeſſe videbantur. Haymo. Aſſyrij ſimulacrum Beli patris Nini Regis pro Deo colebant, & Babilonij ipſum quem vocant Bel, Sidonij Baal, Indi Belzebuth, & Philiſtæi. Romani colebant anſerem, & Ægyptij accipitrem. Item Ægyptij colebant Apim, hoc eſt vaccam albam, Babilonij draconem, & Ægyptij crocodillum, qui eſt ſerpens aquaticus natans in aqua vt piſcis, paſcens in terra vt bos. *Propter quod.*] videlicet quia à Domino deſipuerunt, vt falſa animalia .i. animalium ſimulachra pro Deo ederent; *tradidit illos Deus.*] .i. permiſit abire poſt immunda deſideria ſua, vt quòd turpiter mente conceperant, turpius etiam opere complerent. *Vt afficiant.*] .i. affligant, & in quandam contrariam naturam cogant, & dedecorent corpora ſua contumelioſis immundicijs ſodomiticis peccati in ſemetipſis commiſſi, vt ſeipſos mutuò polluant.

QVI *commutauerunt.*] ſubmiſſio ſiue repetitio cauſæ, quare id videlicet permiſerit de illis Deus, quia in eum, inquit, maximè deliquerunt. *Commutantes veritatem Dei i. m.*] .i. ſub nomine & honore veri Dei colentes falſos Deos: & ſeruierunt creaturæ .i. demoniacis ſpiritibus, quos inhabitare ſimulacra credebant. *Qui eſt benedictus.*] .i. qui glorificatur, hoc eſt laudabilis apparet ex vniuerſis ſuis creaturis per omnes temporum ſucceſſiones. *Secula.*] quaſi à ſequendo dictæ ſunt ipſæ temporum ſucceſſiones. *Amen.*] .i. verum eſt. Modò enim confirmandi, modò optandi aduerbium eſt hoc. *Propterea tradidit.*] Quia videlicet interim excellentiæ diuinæ derogauerunt, non ſufficit ſemel hoc dicere, vt magis deterreat auditorem à talibus. Paſſiones igno-

minioſas dicit pollutiones non naturalis libidinis. Pati merito dicitur quælibet ſubſtantia, & quaſi quandam ſuſtinere violentiam, quoties cõtra naturam aliquid in ea agitur. Quæ verò ſint huiuſmodi turpitudines ſtatim annectit, tam feminis quam viris eas aſſignando ad maiorem vindictam Dei probandam. Feminæ eorum dicuntur, quas ipſi peſſimi exempli doctrina quaſi ſuas in hoc fecerant. *Qui eſt contra naturam.*] & ideo magis abuſio dicendus eſt quàm vſus. Contra naturã, hoc eſt contra naturæ inſtitutionem, quæ genitalia feminarum vſui virorum præparauit, & è conuerſo; non vt feminæ feminis cohabitarent. *Exarſerunt.*] .i. contra legem naturæ accenſi ſunt in ſuis deſiderijs, vel naturæ voluptatibus. *Et mercedem.*] .i. retributionem, debitã ſui erroris, hoc eſt excæcationis atque idolatriæ. *Recipientes in ſemetipſis.*] mutuo ſcilicet ſe inuicem polluentes in corpore, ſicut animo corrupti erant infidelitate. *Et ſicut non prob.*] hoc eſt laudauerunt atque elegerunt. *Dominum.*] quẽ cognouerant, *Habere in notitia.*] hoc eſt retinere in memoria ei cohærendo. *Tradidit illos i. r. ſ.*] hoc eſt ita penitus excæcari permiſit, vt omninò conſcripſerant, *ita vt faciant.*] .i. opere impleant ea quæ non conueniunt, non ſolum quæ mala ſunt apud Deum, ſed quæ nulli hominum diſciplinæ concordant, aut aliqua ratione excuſari etiam apud impios valeant. Illos dico *repletos omni immunditia.*] Hoc eſt non omnibus ſimul tantùm peccatis, ſed ſingulis repletos; ita ſcilicet vt vnaquæque iniquitas in eis plena & perfecta reperiatur. Vnde ſtatim enumerando ſubdiuidit iniquitatis partes, quibus eos repleri oſtendit.

MALITIA.] Per quam ſtudent alijs damnum inferre. *Fornicatio.*] Quæ eſt omnis illicitus concubitus, extra vxorem videlicet. *Auaritia.*] .i. immoderato terrenorum deſiderio. *Nequitia.*] Qua & alios corrumpere gaudent, quibus non ſufficit vt ſoli moriantur. *Inuidia.*] De bonis alterius dolendo. *Homicidijs.*] Tam opere ſi poſſunt quàm voluntate. *Contentione.*] Apertè veritati contradicendo, *Dolo.*] .i. ſimulatione, quando ſcilicet occultè aliud agitur, & aliud ſimulatur. *Malignitate.*] In ipſos, & benefactores ſuos, *Suſurrones.*] .i. latenter cùm apertè non valent detrahentes, & cùm audent etiam in aperto. *Detractores.*] Et per hoc non ſolum hominibus quibus detrahunt, vel nocere volunt, verum etiam *Deo*

Digitized by Google

odibiles, contumelioſos.] Inferendo conuitia, *Superbos.*] Appetendo eſſe ſuper æquales. *Elatos.*] Appetendo æquari ſuperioribus. *Inuentores malorum.*] .i. cogitantes nouum aliquod peccandi genus in quo delectarentur. *Parentibus non obedientes.*] Et in hoc inhumani,& feris ipſis indomitiores. *Inſipientes.*] Iam ex conſuetudine mali diſcretionem boni non habentes. *Incompoſitos.*] quantum ad exteriorem habitum,qui malè ordinatæ mentis nuncius. *Sine affectione.*] ſcilicet naturalis benignitatis in proximos ſui generis. *Sine miſericordia.*].i. compaſſione alienarum miſeriarum. *Sine fœdere.*] .i. mutuo caritatis vinculo in aliquos, vel alicuius pacti obſeruatione. Qui etiam in tãtam deuoluti ſunt excæcationem, vt non per pœnitentiam redire ſciant, non iam intelligentes .i. non attendentes vel curantes. *Quoniam qui talia agunt digni ſunt morte,)* videlicet æterna,cùm .i. quamuis,iuſtitiam Dei primitus cognouiſſent .i. eius debitam vindictam de ſingulis peccatis. *Sed & qui conſentiunt.)* Conſentire hîc dicit non reſiſtere aliquem peccato alterius cùm poſſit & debeat. Multorum enim fortaſsè Deus reſiſtere peccatis poſſet,diſturbando ſcilicet, ne fierent, nec tamen debet culpis noſtris exigentibus, vel ipſis peccatis,in melius vtendo : ideoque conſentire peccatis nullo modo dicendus eſt. Notandum verò non de omnibus Philoſophis vel naturali lege vtentibus hanc excæcationem vel malitiã prædictam eſſe intelligendam, cùm plerique illorum tam fide quàm moribus Deo acceptabiles extiterint, veluti Iob gentilis, & nonnulli fortaſſe Philoſophorũ Gentium,qui continentiſſimæ vitæ fuerunt ante ipſum Domini aduentum. De qualibus beatus Hieronymus ſuper Mathæum commemorans ait: *Ex eo quod malus ſeruus auſus eſt dicere, Metis vbi non ſeminaſti; & congregas vbi non ſparſiſti, intelligimus etiam, Gentium Philoſophorum bonam vitam recipere Dominum, & aliter habere eos qui iuſtè, aliter eos qui iniuſtè agunt ad comparationem eius qui naturali legi ſeruiat, condemnari eos qui ſcriptam legem negligunt.* Metere itaque Dominum vbi non ſeminauerit, iuxta Hieronymum, intelligimus eos etiam qui per naturalem legem benè agunt ad vitam colligere: in quibus ſcilicet nullum prędicationis verbum ſeminatum eſt. Sed quia fortaſſis inter Philoſophos pauci tales extiterunt, quaſi generaliter ſine aliquorũ exceptione hoc de eis ſupra dictum

eſt, vt ſapientes minus de ſua ſapientia præſumant, quæ magis inflare quàm ędificare ſolet; ipſo alibi atteſtante Apoſtolo. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Sufficiebat enim etiam hoc loco Apoſtolus ad reprimendam ſuperbam Romanorum Gentilium contentionem, & humilitatem conſeruandam, oſtendere per aliquos Philoſophorum Gentilibus notitiam ſiue fidem Dei innotuiſſe, & eoſdem ipſos fidei magiſtros grauiter deliquiſſe; vt vſque & ad idolatriam eorum cæcitas duceretur, & cum ſummo idolatriæ errore ad ſummam etiam ignominiam vitæ deuoluerentur, vt ſupra memorauit. Quæ omnia pœnam eſſe peccati ſuperbiæ docet, vt ſecundum intentionem præſentis Epiſtolæ, quæ tota etiam contra ſuperbiæ peſtem ſcripta eſt, à ſuperbia in ipſo ſtatim Epiſtolæ exordio dehortetur. Pœna præcedẽtis peccati ſequẽs peccatũ dicitur iuſta eius remuneratio ad pœnã, cùm ex præcedenti peccato quod corrigere negligit promeretur aliquis in aliud peccatũ deuolui; vt iuxta illud Apoc. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.*

Quæſtio 1. TRES in hoc loco quæſtiones occurrunt. Quarum quidem vna eſt, Quid ſit quod idolatriam faciat, cum nos etiam Chriſtiani nonnulla in cultu Dei vel Angelorum aut ſanctorum hominum ſculptilia ſiue picturas habeamus.

Quæſtio 2. Alia verò quæſtio eſt, Cur dicitur Deus aliquem pro præcedẽtibus peccatis in alia peccata tradere, atque hoc ex iuſtitia agere; cum ſcilicet ille qui traditur hoc meruit. Vtrum Deus quoque author vel cauſa peccati ſit, cùm ſubtrahendo gratiam ſuam eum compellere ad peccandum videatur, qui ea ſubtracta à peccato ſibi minimè poſſit cauere. Quemadmodum ſi quis ei qui inter fluctus in naui nauim ſubtrahat quacunque de cauſa, & eum ibi dimittat; eum profectò non cõpellit.

Quæſtio 3. Tertia autẽ eſt quæſtio, Quomodo iuſtũ ſit impio Dominũ ſubtrahere gratiam ſuam, qua ſubtracta ille deterior fiat, & ampliùs peccet, niſi etiam iuſtum ſit illum deteriorem fieri, & amplius peccare; hoc eſt ampliùs creatorem ſuum offendere atque contemnere. Quis hoc autem, quod iniquiſſimum eſt, iuſtũ eſſe dicat; cum videlicet potius reſipiſcere peccator debeat quàm augere peccata? Quippe ſi iuſtum eſſet eum amplius peccare, quomodo reus ſtatueretur, aut etiam peccare diceretur id faciendo, quod vtique eum facere iuſtum eſſet? Sed harum quidem trium propoſitarum quæſtionum ſolu-

tiones

tiones Theologiæ noſtræ examini reſeruamus.

PROPTER *quod.*] A ſingulari inuectione in Gentiles ad generalem tranſit, ac ſi ita dicat. Quandoquidem hi ſe excuſare non poſſunt per ignorantiam Dei à peccato. i. à contemptu Creatoris, quibus lex ſcripta non data eſt, ergo nullus, & hoc eſt. *Ergo inexcuſabilis es homo omnis qui iudicas.*] Omnis inquam qui iudicas .i. iudicium rationis & diſcretionem boni habes & mali. Ab hoc quippe contempti paruuli qui nondum diſcretionem habent liberi ſunt. *In quo enim vere inexcuſabiles.*] Quia etiam proprio tuo iudicio condemnandus, cùm in alijs reprehendas eadem quæ facis, aut ſimilia. Hoc autem maximè ſpectat ad ſuperbam Romanorum contentionem, qua ſe alterutrum præponere volebant, & ſeipſos ſinguli defendentes alios criminoſos iudicabant. *In quo enim iudicas.*] .i. de eodem peccato de quo iudicas .i. reprehendis alterum & cenſes damnandum, te ipſum condemnas i. ea operando damnabilẽ facis vel aſſeris, & in teipſum proprio iudicio ſententiam profers, & quare vel quomodo ſupponit dicens. *Eadem verò agis quæ iudicas.*] i. quæ in alijs reprehendis, ſcilicet mala opera quæ contra propriam conſciẽtiam cõmittis. Et dixi quę iudicas reprehendẽdo, ſed bene iudicas hæc arguendo quæ Deus ipſe iudicat puniendo: & hoc eſt, *Scimus enim, &c.*] vel ita. Dixi, te ipſum condemnas. i. dãnabilem facis ea operando. Et verum eſt quidem. Scimus enim nos .ſ. diuina gratia illuminari; quoniam iudicium Dei, quod eſt ſecundum veritatem ipſam rei, non falli poteſt. *Eſt in eos.*] .i. contra illos. *Qui talia agunt.*] Ad ipſos ſcilicet puniendos atque dãnandos. Et cum ita ſit, quòd videlicet Deus tales damnet. *Exiſtimas tu qui iudicas.*] .i. arguis vel accuſas *eos qui talia agunt, & facis ea.*] Exiſtimas, inquam, quia tu effugies iudicium Dei .i. iuſtam eius de talibus vindictam, & nunquid etiã ignoras, quia tanto dãnabilior es quantò maiori patientia Deus te expectat, & expectando diu ad pœnitentiam eius inuitat benignitas, & hanc eius benignitatem patientiæ in contemptum eius conuertis, & tanto minus eum vereris quanto amplius ſuſtinet offenſas tuas, nec ſtatim punit. Et hoc eſt quod ait, *An ignoras.*] Nunquid contemnis diuitias bonitatis eius .i. Dei, hoc eſt diuitem & copioſam eius animi dulcedinem: bonitatis dico, patientiæ & longanimi-

CAP. I.

Digitized by Google

tatis .i. longæ eius patientiæ. *Ignorans quoniam benignitas Dei.*] i. hæc bonitatis eius exhibitio, qua expectat te. *Adducit.*] quãtum in ipſa eſt .i. inuitat, adhortatur ad pœnitentiam peccatorum tuorum potius quàm ad contemptũ expectantis. *Sed tu ſecundum duritiem tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi.*].i. ſtudioſe tanquã precioſas diuitias accumulas tibi. *Iram.*] .i. vindictã exercendã in te. *In die.*].i. in tẽpore iræ, & reuelationis. i. vindictæ Dei in te reuelãdæ, & vt ira illa potius iuſtitiæ quàm crudelitatis intelligatur. Et deliberationis magis quàm præſũptionis addit: *Iuſti iudicis.*].i. iræ dico. i. vindictæ proueniẽtis ex iudicio iuſtæ deliberationis Dei, qui iniuſtè agere non poteſt. Quàm vero iuſtum ſit diuinum iudicium ſupponit dicens.

QVI *reddet vnicuique.*] Quod videlicet meruerit. *Secundum opera.*] .i. qualitatem operum, quæ magis in intentione quàm in actione conſiſtit. Secundum qualitatem operũ eſt qualitas retributionis, quia qualia ſunt opera, talis & retributio, pro bono ſcilicet bonum, pro malo malum; cùm apud Deum voluntas ipſa pro opere facti reputetur. Vnde & ipſe probator cordis & renum in abſcondito videre dicitur. Opus hoc loco pro affectu operis ponit. Ab effectu videlicet ad cauſam vocabulo tranſlato. Alioquin non oſtenderetur æquum eſſe iudicium Dei, cùm opera indifferentia ſint in ſe, ſcilicet nec bona nec mala, ſiue remuneratione digna videantur, niſi ſecundum radicem intentionis, quæ eſt arbor bonum vel malum proferens fructum. Tale eſt ergo quod ait: *Secundũ opera eius*, ac ſi diceret: ſecundum voluntatem eorum quæ fieri vel non fieri appetunt. Alioquin ſuperbia diaboli, vel cupiditas Simonis, quæ non obtinuerunt operis effectum, ad hoc iudicium pertinere non viderentur. Paruuli autem qui intra annos diſcretionis morientes iudicium habere non videntur, ad huius iudicij reuelationem non pertinent, qua videlicet dicitur: *Reddet vnicuique ſecundum opera eius* .i. tribuet ei quod meruerit. Diligenter itaque expreſſit Apoſtolus quid ſit accipiendum iudicium Dei, cùm ait reuelationem iudicij. Nõ enim verbis, ſed exhibitione operis quiſque ibi iudicabitur, i. manifeſtabitur an præmio vel pœna dignus fuerit. Cuius quidem dum viueret occultus etiã ſanctis exitus habebatur. Vtrum videlicet prædeſtinatus eſſet ad vitam vel non. Hoc autem iudiciũ .i. hæc reuelatio ſeu diſcuſſio diuini examinis,

Digitized by Google

& singulariter quotidie fit in exitu singulorum morientium, & generaliter in fine seculi facienda est. Vbi quidem omnes omnibus reuelabuntur, quales videlicet antea fuerint, an præmio scilicet an pœna digni. In illa verò generali discussione bini in electis & reprobis ordines esse dicuntur. Quidã enim electorum .i. prædestinatorum ibi iudicabunt tantum & non iudicabuntur. Sic & reproborum duo erunt ordines cùm alij eorum iudicandi sint tantum, alij minimè iudicandi sint. Quicunque enim electi purgati ante diem iudicij non inuenientur, iudicandi .i. reuelandi ibi erunt: de qualibus alibi ait: *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Qui vero perfectæ vitæ inuenti fuerint, vel ante ipsum iudicium purgati, non erunt ibi iudicandi .i. reuelandi; sed potius cum ipso Christo pariter iudicabunt. Cuius quidem maiestatis & gloriæ participes ita fulgebunt, vt statim ex ipsis appareat sicut ex ipso Christo, quàm bene egerint, qui eis adhæserunt, quàm malè qui eos contempserunt. Et ita ipsi quoque tanquam iudices cum Christo residebunt, securi penitus de se, & alios iudicantes; hoc est, vt dictum est, reuelantes an benè cum eis an in eos malè egerint, vt præmio ex hoc vel pœna digni sint. Reprobi verò, qui in infidelitate sua moriuntur, iam in ipso exitu suo iudicati sunt .i. reuelati, nec vlterius generaliter reuelandi sunt, iuxta illud Veritatis: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ij verò qui fidem habentes dubiam in occulto gesserunt vitam, propter quod eorum incertus est exitus, ibi iudicandi sunt .i. reuelandi.

His *quidem qui secundum.*] Quomodo secundum qualitatem operis sit qualitas retributionis ostendit, vt videlicet pro bono bonum reddatur, & è contrario. Et hoc est hic dicere, *Qui secundum patientiam boni operis.*] Subaudi sunt, vt videlicet ostendat bene agentibus tribulationes non deesse, per quas purgantur aut proficiunt. *Gloriam & honorem.*] .i. gloriosum honorem, cùm nostra videlicet humanitas ad celsitudinem Angelorum peruenerit, & nos pariter hæredes Dei & cohæredes Christi cum ipso regnabimus. Et ne ista gloria ad animam tantum referatur, addit etiam de glorificatis corporibus quæ incorruptibilia erunt, dicens. *Et incorruptione.*] videlicet corporum, his inquam, *quærentibus vitam.*] non transitoriam sicut vidimus, sed æternam sicut Christiani; vt ostẽ-

dat meritò id eos obtinere ad quod toto deſiderio anhelauerunt, nec ſua ſpe eſſe fraudatos, ſicut de quolibet ſcriptum eſt iuſto. *Vitam petijt à te, & tribuiſti ei.* Et item: *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei. His autem quæ ex contentione.*] ſunt ſubaudis .i. qui ſcienter diuinæ repugnant voluntati. Quod ſtatim exponit dicens, *qui non acquieſcunt veritati quam norunt*] vt videlicet operentur ſecundum quod operandum eſſe veraciter credunt. *Sed magis credunt.*] i. acquieſcunt vel aſſentiuntur iniquitati, vt malum quod animo concipiunt opere cõpleant i. adimplere ſtudeant. Reddetur ſubaudis, *Ira & indignatio.*] Quam videlicet meruerunt .i. vindicta Dei ſine eorum patientia. Electi vero ſi qua in ipſis quandoque puniuntur, vt videlicet purgentur patienter ſuſtinent, nec indè iraſcuntur, ſed potius gaudent, atque grates referunt: attendentes quod ſcriptum eſt, *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Et rurſum, *Quos diligit Deus corrigit, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Vnde Hieronymus ad Caſtricianum, *Magna ira eſt quando peccantibus non iraſcitur Deus.*

TRIBVLATIO *& anguſtia.*] Oſtendit ex quibus prædicta ira & indignatio proueniat. Tribulatio enim anguſtia eſt, vbi is qui torquetur omni ſpe euadendi deſtitutus eſt, vt nec ſpes ei ad remedium aliquod ſit relicta, ſed ipſa quoque deſperatione torqueatur. Et quia dixerat his indefinitè, addit generaliter id fieri. *In omnem animam hominis operantis malum.*] Tam Iudæi ſcilicet quàm Gentiles. i. tam ſcripta quàm naturali lege inſtructi. *Operantis.*] inquit non operati .i. perſeuerantis in malitia, non deſiſtentis. Qui etiam inter ipſa tormẽta nec malam voluntatem deponent cum diabolo confirmati, nolentes adhuc ſi liceret eadem agere, atque ideo perpetua erit merito pœna, quia perpetua in animo perſeuerabit culpa. Vnde & beato atteſtante Hieronymo meritò Dominus in die iudicij dicturus eſt, *Diſcedite à me qui operamini iniquitatem* .i. qui non ſolum operati eſtis, ſed adhuc in ipſis cordibus veſtris operamini. Vbi, vt ſuprà diximus, apud Deum voluntas pro opere facti computatur. Benè dicit in animam, non in corpus hominis, vindictam fieri, quia ſolius animæ eſt non corporis dolere ſiue ſentire, & contriſtari vel delectari, iraſci vel gaudere. Et ſi diligenter conſideremus ſola ipſa quæ velle poteſt, apud Deum voluntatis remuneratorem vel præmium

Digitized by Google

vel pœnam ex bona vel mala voluntate promeretur; & ſola propriè dicenda eſt peccare, ſicut & virtutes habere, & ſola beata effici ex viſione diuinæ maieſtatis, quæ oculis tantum mentis non corporis conſpicitur. Quod autem quinque animæ ſenſus corporei dicuntur, cùm ſola tantum eſt, anima ſentiat; vel quod quædam peccata carnalia, quædam ſpiritalia vocentur, cùm ſola tantum anima peccet: quæ ſola rationẽ habet, & velle poteſt: non ita eſt accipiendum, vt corpus ipſum vel ſentiat, vel peccet, ſed quia per ipſum vel ſenſus exercentur vel voluntates implentur, vt ingluuies gula, libido genitalibus. Sola itaque anima ex bona vel mala volũtate præmium vel pœnã apud Deum meretur & obtinet, & ſola beatitudinis vel miſeriæ particeps eſſe poteſt; licet ex corpore reſumpto pœna eius vel gloria augeatur. Vnde duplicem contritionem impiorum, & geminam ſtolam ſanctorum, tam ſecundum animam ſcilicet quàm ſecundum corpus dicimus. Gaudebit amplius bona anima & creatorem magis glorificabit, cùm corpus ipſum, quod hic tam infirmum & paſſibile geſſit, viderit ibi ita aptatum, quod vlteriùs diſſolui non poſſit, nec ipſa ex contractu eius aliquam contrahere læſionem. Et hæc ipſa corporis humani reparatio, corporis glorificatio vel beatitudo dicitur. Sic & pœna corporis dici poteſt, quam anima ipſa per corporea ſuſtinebit membra. Nec tamen cum ex corporibus geminetur animarum gloria vel pœna, ideò geminã iſtam gloriã vel pœnã ſimplici Angelorũ vel dęmonũ gloriæ vel pœnæ præferimus, qui corporeæ non ſunt naturæ. Quod verò, vt dictũ eſt, ſola anima doleat vel sẽtiat, ipſi quoq; aſſerunt ſancti. Vnde Auguſt. de ciuitate Dei lib. 20. c. 11. *Si conſideremus diligentius, dolor qui dicitur corporis magis ad animam pertinet. Animæ eſt enim dolere, non corporis, etiam quando eĩ dolendi cauſa exiſtit à corpore, cùm in eo loco dolet vbi laditur corpus.* Idem ſuper Geneſim, *Sentire non eſt corporis, ſed animæ per corpus.* Item, *Neque enim corpus ſentit, ſed anima per corpus.* Idem ad Dioſcorum in ea Epiſtola, *Tu me innumerabilium quæſtionum. Non igitur accipit animus à corpore vel ſummum bonum vel partem aliquam ſummi boni. Hoc qui non vident cæcati ſunt dulcedine carnalium voluptatum, quam ex indigentia ſanitatis venire non intuentur. Sanitas autem perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim natura Deus fecit animam, vt ex*

eius plenissima beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam quæ est corpus, non beatitudo quæ fruentis & intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis & incorruptionis vigor.

IVDAEI *primum & Græci.*] Iudæũ vocat omnẽ scripta lege edoctũ, Græcũ omnẽ Gentilium more Philosophorũ qui Græci fuerunt, ratione prædictum .i. naturali lege optimè instructum; quorum quo maior est discretio, maior est transgressio. Et ideo ait, *Iudæi & Græci primum* .i. maximè; *operantis malũ.*] i. delinquentis, comparatione scilicet aliorum hominum quasi brutorum. *Gloria autem & honor.*] Repetit iustorum remunerationem, quam præmisit, vt ad eam sæpius memoratã nos accendat ampliùs. Pacem quidem dicit, non solum quietem ab infestatione exteriorum inimicorum, verùm etiam concordiam illam spiritus & carnis, vt in nullo vlteriùs caro spiritui reluctetur, omnibus prorsus finitis carnalium suggestionum molestijs. *Iudæo primum & Græco bonum*, scilicet *operanti.*] Quo enim isti amplius summum bonum Dominũ vel scripto vel ratione cognouerant, amplius eius voluntati sobrie viuendo inhærebant. Primum itaque & hoc loco pro maximè supraponit. *Non est enim.*] Dixi generaliter omni atque differenter, nullam faciens differentiam retributionis ex dignitate personarum. Et meritò, quia non est personarum acceptio apud Deum, hoc est, nunquam diuinum iudicium minus aliquem ibi punit vel magis glorificat pro aliqua dignitate vel excellentia, quam hic habere videbatur, sed æquè omnibus secundum merita reddit tam habentibus quàm nõ habentibus legem, tam ijs qui se esse de genere Israel gloriantur, quàm cæteris. Et quod secundum merita tantum reddat ostendit, cùm secundum quantitatem transgressionũ sit quantitas pœnarum. Vnde similiter de præmijs subintelligendum constat. Sicut itaque maior est transgressio eius, qui legem quoque scriptam accepit, quàm illius qui sola naturali est instructus: ita maiorem eius esse pœnam ostendit, & alterius minorem, dicens: *Qui peccauerunt sine lege,*] scilicet scripta sicut Gentiles .i. non eam habentes qua instruerentur, peribunt quidem .i. damnabuntur, sed sine lege peribunt .i. nullam ex transgressione legis scriptæ pœnam incurrent, sed ex transgressione naturalis legis tantum. *Et quicunque in lege pec-*

Digitized by Google

cauerunt.] .i. per tranſgreſſionem quoque ſcriptæ legis, ſicut Iudæi. *per legem.*] .i. hoc eſt conuinci apertè rei poterunt per profeſſionem legis ſuſceptæ, quam non ſeruauerunt. Sed cum maior ſit iſtorum tranſgreſſio qui legis quoque ſcriptæ tranſgreſſores ſunt, quàm legis naturalis, quare ibi dixit *peribunt*, hîc dixit *iudicabuntur*? Cùm videlicet ea quæ iudicio reſeruantur peccata non tantùm videantur, quantum illa quæ iudicium non expectant, ſed ſtatim damnant, & perire reum cogunt, abſque vllo ſcilicet iudicij examine. Sed profectò vt diximus, *iudicari* dixit, pro apertè conuinci; vt tantò maius peccatum appareat, quantò apertiùs conuinci poteſt, ex trãſgreſſione ſcilicet ſcriptæ legis, quæ apertè à Deo coram omnibus eſt tradita, & miraculis confirmata. Quæ enim publico iudicio damnantur, apertè arguuntur, nec poſt ſententiã iudicij approbatam defenſorem inueniunt. Quæſtio.

NON *enim auditores.*] Incipit inuectio in Iudæos..... Dixi, *per legem iudicabuntur*, tanquam rei ſcilicet, quia licet legem audiant, non ideò iuſti ſunt niſi opera faciant quæ lex videlicet præcipit. Et hoc eſt, *Non enim auditores.*] Hoc eſt non quia ſunt auditores legis iuſti ſunt apud Deum .i. diuino iudicio quamuis humano, *ſed factores.*] .i. quia faciunt quæ lex præcipit. At verò cùm alibi dicat neminem iuſtificari ex operibus legis, quomodo nunc dicit factores legis iuſtificari; niſi hoc loco factores dicat qui amore Dei ad faciendũ ſponte ſunt, ſecundũ quod bona voluntas pro opere facti reputatur vt diximus? Non enim exteriori opere Deo placemus, ſed potius ex voluntate. Hic igitur de voluntate, ibi de exteriori opere loquitur. Poſſumus & hîc naturalem legem accipere, qua ſola vtuntur Gentiles. De quibus verò ait & in ſequentibus illud de lege ſcripta operum intellige, vt videlicet ita intelligatur, quòd non illi tantum qui audiunt verba legis naturalis iuſti ſunt, ſed qui opere complent. Verba autem legis naturalis illa ſunt, quæ Dei & proximi caritatem commendant, ſicuti iſta. *Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.* Et, *Quod vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis.*

CVM *enim gentes.*] Et verè non in auditu ſcriptæ legis, ſed in opere eius, vt dictum eſt, vis iuſtificationis conſiſtit. Quod apparet ex Gentilibus, qui quamuis legem ſcriptam non habeant quam audire poſſint, cùm tamen faciunt ea opera quę

Digitized by Google

lex præcipit, æquè vt Iudæi ſaluantur. Et hoc eſt, *Cum enim Gentiles*] i. Gentiles qui legem ſcilicet ſcriptam non habent, *naturaliter faciunt.*] i. naturali lege inſtructi, hoc eſt cognitione Dei ac diſcretione rationis, quam naturaliter, hoc eſt ex ſua creatione habent, non ex ſcripta alicuius doctrina: ipſi dico non habentes huiuſmodi legem, .i. ſcriptam exterius ſicut habent Iudæi, ipſi ſibi ſunt lex, hoc eſt eandem remunerationem aſſequuntur per ſeipſos ſine lege ſcripta, quam illi per obedientiam ſcriptæ legis. Quippe qui exhibent exteriùs in opere voluntatem bonam quam habent in mente, hoc eſt opus legis ſcriptum in cordibus. Cum dicit *ſcriptum*, perſeuerantiam bonæ voluntatis innuit. Vt enim beatus ait Gregorius, quod loquimur tranſit, quod ſcribimus permanet. Qui itaque legis auditores ſunt, quaſi legem loquũtur quam in membranis ſcriptam, non in cordibus tenent affixam. Sicut è contrario iſti faciunt, *Bonum eis teſtimonium reddente conſcientia ipſorum.*] Hoc eſt ſecuros eos facientes de iuſtitia operum ſuorum, bona ipſorum conſcientia atque recta intentione, quæ illis non alijs cognita eſt. Secundum quam quidem intentionem Deus opera penſat. *Et inter ſe inuicem*] Diuerſa littera hic legi ſolet. Modo enim genitiui plurales ponuntur hoc modo, *cogitationum & accuſantium*, aut etiam *defendentiũ*; modo ablatiui ſic, *cogitationibus accuſantibus, &c.* Vnde Auguſtinus de Ciuitat. Dei lib. 20. *In cogitationibus enim, ſicut ſcriptũ eſt, impij interrogatio erit. Et Apoſtolus, Cogitationibus*, inquit, *accuſantibus*, vel etiam excuſantibus, *in die qua iudicabit Deus occulta hominum, &c.* Idem in Pſal. 118. *Omnia opera vel bona vel mala à cogitatione procedunt. In cogitatione quiſque innocens, in cogitatione reus eſt. Propter quod ſcriptum eſt, cogitatio ſancta ſeruabit te. Et alibi in cogitationibus impij interrogatio erit. Et Apoſtolus, Cogitationibus, inquit, accuſantibus aut etiam excuſantibus, &c.* Idem in Pſal. v. *Decidant à cogitationibus ſuis, dictum eſt decidant accuſantibus ſe cogitationibus ſuis, conſcientia ſua, ſicut Apoſtolus dicit, cogitationum accuſantium ſeu defendentium, &c.* Puto autẽ hanc litteræ narrationem maximè ex conſuetudine Græcæ linguæ contigiſſe; cum videlicet Græci ablatiuo carentes, genitiuo pro ablatiuo vtuntur. Vnde factum eſt, vt ſecundum diuerſas tranſlationes ex Græco in Latinum modo in genitiuis retentus vt in Latino ſicut erat in Græco, modo prout

ſententia

Digitized by Google

ſententia requirebat in ablatiuum apud nos ſit commutatus. Quamuis enim hæc Epiſtola, quæ ad Romanos dirigitur, primo Latine ſcripta intelligatur, etſi in Græcia apud Corinthũ ſcripta fuerit; credimus tamen diuerſos poſtea eius tranſlatores vel expoſitores extitiſſe, qui Græcos, vt dictum eſt, imitarentur, cum illam fortaſſis ſcripturam Latinam ad manũ non haberent, & ideò ad exemplaria Græca recurrerunt. Nunc igitur vtramque litteram exponamus. Cum itaq; præmiſſum ſit, *teſtimonium reddente illis conſcientia*, addit, *& conſcientia cogitationum, &c.* Ac ſi diceret, & tali conſcientia quæ non erret in diſcretione operum, ea ſcilicet diſcutiens ſecundum ipſas animi cogitationes, hoc eſt intentiones. Quæ quidem cogitationes habẽt accuſare vel defendere apud Deum potius quàm exteriora opera. Et hoc eſt, conſcientia dico cogitationum .i. quæ ipſas cogitationes magis attendit quàm opera. Et quare eas maximè penſet annectit, qua accuſant vel excuſant apud Deum. Cogitationum dico inter ſe inuicẽ, ſcilicet habitarum, vt de ipſis videlicet exiſtimaret agendum ſicũt de alijs; iuxta illam videlicet ſuprapoſitam naturalis legis regulam: *Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris.* Et, *quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. In die.*] Hoc eſt in tempore. *Quo iudicabit Deus.*] Per filium ſuum .i. Ieſum Chriſtum, ſecundum quod ſcriptum eſt, *Pater omne iudicium dedit filio. Occulta hominum.*] .i. intentiones potius quàm exteriora opera. *Secundum Euangelium meum.*] .i. ſicut ego prædico, aſſerere videlicet Deum potius intentionem, quàm operum remunerationem. Si vero ſit ablatiuus abſolutus hoc modo, *Et inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, &c.* continuabitur ad præmiſſum alium ablatiuum ſic, *Dixi conſcientia ipſorum reddente illis teſtimonium, & cogitationibus ſuis quas habent inter ſe inuicem* .i. per quas ſeſe ita vt alios penſant vt dictum eſt; ipſis, inquam, ſuis cogitationibus .i. proprijs intentionibus, ſubaudis reddentibus illis teſtimonium. Et eſt quaſi expoſitio eius quod præmiſſum eſt, *conſcientia*, ſcilicet, *ipſorum*. Ac ſi diceret .i. *cogitationibus eorum, &c.* Et quare teſtimonium reddatur eis .i. ſecuros eos faciãt cogitationes ſuæ apud Deum ſubdit, quia videlicet ſolæ, vt dictum eſt, cogitationes apud Deũ habent accuſare vel defendere. Et hoc eſt quod ſupponit, *Accuſantibus aut etiam defendentibus, &c.* Quæritur autẽ quo-

Digitized by Google

modo poſt datum circumciſionis mandatum, *Omnis anima cui caro præputij circumciſa non fuerit, &c.* Gentiles incircumciſi ſaluabantur, ſicut Iob & fortaſſe plerique alij, de qualibus dictum eſt: *Cum enim gentes, &c.* Sed ſi diligenter attendamus verba ipſa ſcripturæ, atque ipſum circumciſionis exordium, quæ primo Abrahæ eſt iniuncta, videbimus præceptum circumciſionis non fuiſſe generale, ſed ad Abraham tantum & ſemen illius pertinere, .i. Iſaac, dicente Domino ad Abrahã, *quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen*, non in Iſmael videlicet. Vnde & cum circumciſionem Dominus Abrahæ præciperet ait, *Hoc erit pactum inter me & te, & ſemen tuum poſt te.* Origenes quoque ſuper hanc Epiſtolam in ſequentibus apertè conuincit ex ipſis alijs ſcripturæ verbis, ſoli populo Iſraeli & vernaculis eorum vel emptis pecuniâ, circumciſionis ſignum fuiſſe præceptum. Expoſito namque illo verſiculo, *Si ſibi præputium iuſtitias legis cuſtodiat, &c.* diligenter circumciſionis mandatum atque rationem diſcutiens ait: *Non importunum videtur circumciſionis* generalem diſcutere rationem. Dixit Dominus ad Abraham. *Tu autem teſtamentum meum ſeruabis, & omne ſemen tuum poſt te in generationes ſuas. Et hoc eſt teſtamentum inter me & vos, & inter me & inter medium ſeminis tui poſt te. Circumcidetur omne maſculinum veſtrum, & puer in octaua die. Circumcidetur in vobis omnis maſculus in generationibus veſtris, vernaculus & pecunia emptus.* Diſcutiamus vtrum mandatum & eos qui ex gentibus crediderant conſtringat. Nunquam fecit proſeliti i. aduenæ mentionem, ſed vernaculum ſeruum, vel pretio mercatum circumcidi iubet, non liberũ? Perſcrutemur ergo Leuitici legem. *Loquere*, inquit, *filijs Iſrael, & dices ad eos: Mulier ſi pepererit maſculum, octaua die circumcidet, &c.* Intuere & hoc quemadmodum de lege circumciſionis tantum ad filios Iſrael Moyſes loqui iubetur, & alienigenarum nulla ſit mentio, cùm in quibuſdam mandatis non ſolum filijs Iſrael, ſed & proſelitis & aduenis loquatur. Neceſſario vtique obſeruanda diſtinctio eſt, quia ſicut ibi dicitur, *loquere ad Aaron*, & alibi, *ad filios Aaron*, & alibi *ad Leuitas*, certum eſt nõ ſubiacere reliquos his legibus; & quæ filijs iubentur, nec alienigenæ memoria vlla fit, non eſt putandum commune eſſe mandatum vbi appellationis habetur exceptio. Si ergo non alius quiſquam circumciſionis lege conſtringitur niſi ex Abraham ori-

Digitized by

ginem trahens, vel vernaculus eorum, vel pretio emptus, vis autem videre quia ſicubi vult etiam alienigenas lege connecti ſignificanter oſtendatur? Audi quid ſcriptum ſit, *Homo ex filijs Iſrael & aduenis, quicunque manducauerit omnem ſanguinem animam illam diſperdã, quia anima omnis carnis ſanguis illius eſt, & ego dedi vobis vt ex ipſo ſuper altare propitiaretur pro animabus veſtris, quia ſanguis pro anima expiabit.* Vides ergo hanc legem, quæ & aduenis data eſt, obſeruari à nobis qui ex gentibus credimus. Ergo legem de obſeruatione ſanguinis communẽ cum filijs Iſrael & Gentium ſuſcipit Eccleſia. Hæc namque ita intelligens in lege ſcripta, tunc beatum illud Apoſtolorum Concilium decernebat decreta, Gentibus ſcribens vt abſtinerent ſe à ſanguine & ſuffocato. Verum requires fortaſſe, ſi etiam de ſuffocato communis filijs Iſrael cum aduenis data ſit lex? Audi, *Homo*, inquit, *ex filijs Iſrael & ex aduenis qui ſunt in vobis, quicunque venatus fuerit feram aut auem quæ manducatur, effundat ſanguinem eius & cooperiat terram, quia anima omnis carnis ſanguis ipſius eſt.* Verum quia inter illa quæ de Leuitico ſuperius protulimus, etiam hoc refertur, *Homo ex filijs Iſrael vel ex aduenis qui ſunt in eis quicunque fecerit holocauſtum aut ſacrificium, & ad oſtium tabernaculi non addixerit facere illud Domino, exterminabitur de populo ſuo.* Et per hoc etiã videtur Eccleſia ex Gẽtibus holocauſtis obnoxia fieri. Non vt faciat iubet, ſed ſi forte fecerit quomodo facere debeat docet. Certũ eſt enim, quòd dum Hieroſolymis templum conſtaret, & religio tradita patribus vigeret, plurimi etiam Gentium veniebant ad templum adorare & offerre ſacrificia. Sed hoc quoniam in loco vno tantummodò fieri præceptum eſt, de quo etiam hîc mandat vt ad oſtium tabernaculi iugulanda victima deducatur, tamdiu potuit legitimè fieri, quamdiu ſtatus loci permanſit incolumis. Denique & Saluator ad decem leproſos, quos mundauerat inquit, *Ite, oſtendite, vos Sacerdotibus, & offerte pro vobis hoſtias ſicut præcipit Moyſes.* Nunc verò quomodo expoſcitur ab aduenis, quod exhibere nec proprijs quidem cultoribus licet? Hæc dicta ſunt à nobis, vt oſtenderemus præcipuè de circumciſionis præcepto, quòd non alijs quàm his, qui ex Abraham genus ducant, vernaculiſque eorum vel precio emptis, eſſet iniunctum. Liberos eſſe ab huiuſmodi legibus eos qui per Chriſtum Deo gentibus cre-

dunt. Item, Recuperent ergo prius ſtatutum templum, &c.

Si *autem cognominaris Iudæus.*] Gentiles, qui à genere ſanctorum Patrum hæreditate remoti, ô Iudæe, tibi videntur, cùm dicat Dominus Abrahæ, *quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen*, & inſuper lege ſcripta non ſunt inſtructi, & ita bene operantur, ſed in te contra eſt. Quod cum in compoſitione quadã, & improperij indignatione proferens exagerat, dicens, *ſi tu cognominaris Iudæus*, hoc eſt, non ille Iudæus exiſtens, imitatione ſcilicet fidelium Patrum, ſed ſolo nomine cognominaris, à Iuda ſcilicet Patriarcha, ſeu à Iuda Machabæo ſic vocaris, &c. Origenes, Non diceres, ſed cognominaris docet in ſequentibus, quia verè Iudæus ille ſit, qui in occulto circumciſus eſt. Qui autem in manifeſto vt videatur ab hominibus, non eſt verè, ſed cognominatur Iudæus. Et in Apocalyp. *Qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt.* Qui verè Iudæus eſt ab illo Iuda vocabulum trahit, de quo ſcriptum eſt, *Iuda te laudabunt fratres tui, &c.* quæ in Saluatore prophetata ſunt. Auguſt. in Pſal. 71. *Iudæi maximè à Iuda Patriarcha appellati ſunt*, quia primò de alia tribu datus eſt Saul & reprobatus, tanquam malus. Rex primus de tribu Iuda Dauid, & ex illo de tribu Iuda ſemper Reges habuerunt. Vnde Iudæi dicti ſunt, & cœperunt Reges alienigenæ ab Herode. Itaque veniente Domino euerſum eſt regnum Iudæorum, & ſublatum eſt ex Iudæis quia noluerunt cognoſcere verum Regem. Iam videte ſi Iudæi ſunt appellandi. Ipſi voce ſua abdicaueruut ſe ab iſto nomine, vt Iudæi non ſint digni appellari, niſi tantùm carne. Sęuiebant in Chriſtum .i. genus Iuda, ſemen Dauid, dicebant: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* O Iudæi, ſi non habetis Regem niſi Cæſarem, defecit iam Princeps ex Iuda, venit cui repromiſſum eſt. Illi ergo veriùs dicuntur Iudæi qui Chriſtiani facti ſunt ex Iudæis. Iudæa vera Chriſti Eccleſia eſt. Credimus in illum qui venit ex tribu Iuda per Mariam. Haymo. Si autẽ tu Iudæus cognominaris, ſubaudis à Iuda Patriarcha, &c. Ambroſ. Iudæo primum & Græco. Iudæi ex tempore Iudæ Machabæi dici cœperunt, qui in cauſa cladis reſtitit ſacrilegis, & fiducia Dei collegit populum, & defendit genus ſuum. Notandum vero quia hoc loco Ambroſius non dicit Iudæos dici à Iuda Machabæo, ſed à tempore eius ſic dici, præſertim cum à cæteris libris veteris Teſtamenti non in-

Digitized by Google

ueniantur ſic appellati ſicut in libris Machabæorũ. Quietiãſi à Iuda Machabæo ſic eſſent appellati, videntur & à Iuda Patriarcha ſic nominari, cum ipſe quoque Iudas Machabæus ab illo Iuda ſic eſſet appellatus.

ET *requieſcis in lege*] Vt non fatigeris erroribus inquirendo quæ facienda ſint tibi, & totum in ea ſtudium habes occupatum, vt non ipſas alias petendas, ad ſcripta ſcilicet Poetarum & Philoſophorum, *Et gloriaris in Deo.*] Iactando ſcilicet te glorioſum de cognitione Dei & lege tibi ab ipſo data, ex qua videlicet lege noſti voluntatem eius, quod videlicet ei fieri placeat. *Et probas.*] i. diſcernis non ſolum vtilia ab vtilibus, verum etiam vtiliora ab vtilibus. *Confidis.*] vt videlicet poſſis oſtendere alijs viam iuſtitiæ in mãdatis Dei. Cæcos ſiue in tenebris exiſtentes, ſiue inſipientes & infantes ideò intelligit, & ſimiliter ducem, & lumen, & eruditorem, & magiſtrum pro eodem accipit: vt ſit quædam verborum inculcatio ad cõfuſionem eorum, non diuerſa ſignificatio. Vnde autem ſe ducem eſſe cæcorum confidat. i. ſufficientẽ ad alios docendos, ſupponit: Te dico *habentem* ex lege *formam ſcientiæ & veritatis*] i. veram ſcientiam quæ inſtruere alios & informare poteſt ad bene agendum. Tu ergo talis ac tantus ſecundum iudicium tuum, qui alios doces .i. corrigis, &c. In quo autem ſe debeat corrigere ſupponit dicens. *Qui prædicas.*] Ex verbis ſcilicet legis, &c. *Qui abhominaris idola.*] i. ſimulachrorum formas propter ſignificatũ, cùm non euitas ſacrilegium propter ipſum, quia in ſeipſum malũ eſt. Sacrilegium dicitur violatio rei ſacræ, ſcilicet eorum maximè quæ ad cultum Dei pertinent, veluti templum, & quæ ad ipſum ſpectant. Templum verò Dei ſiue materiale & figuratiuum, ſiue ſpirituale & verum Iudæi violarunt, in ipſo manufacto templo negociationem exercẽdo, propter quam à Domino indè ſunt expulſi; vel ipſum Dominum crucifigendo, qui de templo corporis ſui loquens, ait: *Soluite templum hoc, &c. Dominum inhonoras.*] .i. facis deſpicabilem alijs quantum in te eſt. Colorem in hoc loco Rhetoricũ facit, qui repetitio dicitur, habens in diuerſis clauſulis orationis idem principiũ, ſicut eſt, qui, quod, quantum eſt repetitum.

NOMEN *enim.*] Cum ſuperius ſingulariter dixerit, *ſi autẽ tu*, nunc verò pluraliter dicat *per vos*, plane inſinuat generalẽ

Iudæi perſonã ſe introduxiſſe, quaſi generaliter rebellẽ redarguens populũ, de quo ſe eſſe gloriabãtur iſti cõuerſi Iudæi, qui Romæ erant. In quo quidem populo alios dicit reos furti eſſe, extitiſſe, vel adhuc eſſe: alios adulterij, &c. Continuatio. Bene dico inhonoras tu videlicet populeIudęorũ, quia per vos blaſphematur inter gentes. i. infideles nomen Dei, & notitia eius quam vos habere gloriamini. Vt enim Tullius meminit, ſæpe ex vitio hominis culpari ſcientia ſolet, quaſi ſcientia illa malè operari doceat. *Sicut ſcriptum eſt.*] In Propheta Ezechiele his verbis, *Nomen ſanctum meum quod polluiſtis in gentibus.* i. cõtemptui vel irriſioni haberi feciſtis, & cum in ſe precioſiſſimũ eſſet viuificaſtis*.

CIRCVMCISIO *quidem.*] Superius abſtulit gloriationẽ legis datæ, per hoc quod non faciunt quæ lex præcipit, & ideò magis à lege arguuntur quàm iuſtificentur. Nunc verò per hoc ipſum quod legi non obtemperant, aufert gloriam circumciſionis. Quia ſicut legis latio nil prodeſt ſuſcipientibus, niſi eam ſeruent; ita circumciſio, niſi legi obtemperent: vt videlicet cætera præcepta impleant ſicut præceptum circumciſionis. Quippe qui in vnum offenderit, vt alius dicit Apoſtolus, reus eſt omnium .i. tranſgreſſor eſt ſeu contemptor totius legis, vniuerſa ſcilicet Dei præcepta continentis. Cùm enim lex omnia ſimul, non vnum tantùm præcipiat, quiſquis vnum tranſgreditur legem non ſeruat. Ac ſic per vniuſcuiuſque præcepti tranſgreſſionem legis violatæ reus efficitur. Nihil ergo circumciſio carnalis ad ſalutem prodeſt ſi lex in cæteris violetur. Sicut & Baptiſmus, cuius locum beato atteſtante Gregorio, circumciſio tenebat, ſi in cæteris tranſgreſſores permaneamus, non ſaluat. Cùm autem circũciſio in hoc tempore iam nullius ſit momenti, iuxta illud ipſius Apoſtoli ad Galatas ſcribentis, *ſi autem circũcidimini, Chriſtus vobis nil proderit.* i. nihil iam vtilitatis vobis ex illo ſigno conferet, apparet hoc loco Apoſtolum ad ſtatum priorem legis ſpectare, in quo vtilis erat circumciſio. De quo quidem ſtatu legis quamuis iam præterito & quãtum ad carnales obſeruantias defuncto, ibi nunc etiam Iudæi conuerſi gloriabãtur. Si vero Apoſtolus ad ſuum nunc tempus reſpiciens dicat, *Circumciſio quidem prodeſt ſi legem obſerues*] tale eſt ac ſi dicat, circumciſio nunc prodeſt, ſi ſit ſpiritualis, potius quàm

Digitized by Google

carnalis, quæ gentili æquè ſicut & Iudæo communis eſt. Cuſtodia igitur legis ſpiritualem circumciſionem facit .i. ſeparationem à vitijs, quæ per carnalem circumciſionem figuratur. Tale eſt ergo ſi legem cuſtodias, ac ſi diceret: ſi ſit ſpiritualis circumciſio cordis potius quàm corporis, quia ſuperfluum eſt ſignum vbi deeſt per negligentiam ſignatum.

SI *autem præuaricator.*] .i. tranſgreſſor, &c. *Præputium*] vocatur illa particula genitalis membri, quam de ſummitate illius præcidebant circumcidentes. Et dicitur præputiũ quaſi amputando .i. præſcindendo, quamuis putare modo pro incidere non ſit in vſu, ſicut amputare. Dicitur tamen in Canticis, *tempus putationis aduenit* .i. amputationis. Quemadmodũ autem circumciſio carnis circumciſionem cordis .i. ſeparationem à carnalibus vitijs ſignificat, ita præputium retentum immunditiam carnalium deſideriorum demonſtrat. Vnde & Iudæi & Gentiles, qui præputium habebant, non præputiatos .i. immundos, verum ipſum præputium .i. ipſam immunditiam vocabant. *Circumciſio tua.*] In ſola videlicet carne tua, inquam, quam approbas, quam facis, non Deus. *Præputium facta eſt tibi.*] .i. quodammodo immundicia, quoniam magis reus conuinceris poſt ſuſceptum circumciſionis ſacramentum & profeſſionem obſeruandæ legis, ſi eam non obſerues, quàm ſi hoc non feciſſes. *Si ergo.*] Quaſi à contrarijs infert, Quandoquidem tua circumciſio .i. carnalis, præputium fit tibi .i. magis te inquinat & damnat ſi legem non obſerues. Igitur præputium Gentilis, ſi ipſe lege naturali quod ſcriptũ eſt impleat, *reputabitur ei à Domino in circumciſionem.*] i. ipſi corporale præputium habentes æſtimabuntur diuino iudicio eiuſdem eſſe meriti, cuius ſunt & ſpiritualiter circumciſi. Nõ enim hic repetit circumciſionem tuam, vt carnalem intelligat, ſicut ſuperius poſuit: ſed ſimpliciter dicit circumciſionem, vt ſpiritualem inſinuet à Deo factam. Qui etiam cum dicit *præputium illius*, ſicut ſuperius *circumciſionem tuam*, carnaliter intelligit præputium, corporis .ſ. particulam, non cordis immunditiam. Alioquin non diceret reputari præputium in circumciſionem. Si præputium .i. ipſa præputiata Gentilitas, quam vos ſcilicet Iudæi quaſi ad ignominiam præputium vocatis. *Cuſtodiat legis iuſtitias*] potius quàm figuras .i. impleat moralia caritatis præcepta, quæ vnumquemque iuſtificant,

nonne præputium illius .i. ipſa Gentilitas proprium habens præpucium, carnale videlicet cum quo ipſa naſcitur, reputabitur à Deo digna præmio? Verè & ſpiritaliter, vt dictum eſt, circumciſorũ & ipſum præpucium legem conſumans. i. adimplens. Plenitudo enim legis, vt poſtea dicitur, eſt dilectio. Quod videlicet conſummare legem, eſt ei ex natura .i. ex inſtructione legis naturalis illa, quæ duo dicimus, continentis præcepta caritatis, *quod tibi non vis, &c. Iudicabit te.*] .i. reum manifeſte conuincet, qui lege etiam ſcripta inſtructus, de qua gloriaris, bene agere negligis. Te dico Iudæe, *Qui præuaricator es legis.*] .i. tranſgreſſor per litteram occidentem .i. literalem ſenſum, carnale ſignum in quibus confidis ſignificantibus maximè non ſignificatis adhærens .i. figuris potius quàm rebus ipſis, & ſimilitudini potius quàm veritati.

Non *enim qui.*] Bene dico præputiũ per bonorũ operũ exhibitionẽ reputari in circũciſionẽ, & bene dico circũciſionẽ per mala opera tranſire in præputiũ. Nã illi carnaliter circumciſi etſi in manifeſto dicantur Iudæi, non tamen verè .i. corde ſunt Iudæi, ſed potius illi ſupradicti Gentiles, quanquam nullo modo reputarentur Iudæi vel circumciſi. Manifeſti Iudæi dicuntur, qui ſolo nomine & natione Iudæ Iudæi nuncupantur, foris Dominum voce confitentes, & mente ab eo recedentes. De quibus dicitur, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Sed qui in abſcondito Iudæus eſt.*] Confitentes Deum in corde vbi Deus videt, & qui Deo ſeruire ſatagant, non ad hominum aſpectum. *Neque quæ in manifeſto eſt circumciſio.*] .i. quæ manufacta eſt, *In carne.*] .i. in carnis ablatione, non eſt circumciſio .i. non vera vitiorum damnatio & concupiſcentiæ deſtructio, ſed vera circumciſio eſt illa quæ eſt cordis, .i. per quam ab animo vitia & concupiſcentiæ amputantur. Circumciſio, dico, in ſpiritu, non littera .i. iuxta ſpiritualem & myſticum, non literalem ſenſum facta. *Cuius.*] .ſ. Iudæi vel circumciſionis ſpiritualis, *Laus eſt ex Deo*] quia Deus eam approbat, non homines, .i. carnales, qui videlicet legem carnaliter tantùm, non ſpiritualiter intelligunt, & opera magis quàm animum penſant, videntes in facie, non in corde.

Cap. iii. Quid *ergo amplius.*] Oppoſitionem quam poſſent Iudæi facere

facere contra prędictam rationem obijcit ſibi Apoſtolus, vt eam ſoluat. Dicerent enim Iudæi. Tu dixiſti circumciſionem tranſire in præputium, & præputium tranſire in circumciſionem. Ergo quid amplius Iudæo quàm Gentili eſt? quæ maiora beneficia contulit Iudæis quàm Gentilibus, qui dicebantur canes & immundi? aut quæ vtilitas circumciſionis .i. circumciſorum? Hoc quidem, quaſi expoſitio præcedentis ſubditur. Poterant quippe cum ait, *Iudæo ſoli*, intelligi illi qui ad Tribum Iudæ pertinent, à quo dicti ſunt Iudæi. Et quod dicitur, *quid amplius*, poterat tam ad bonum quàm ad malum ſe habere, & fortaſſe magis ad malum, cùm Iudæos in proximo maximè vituperaſſet. Eſt autem conſuetudo Apoſtoli ſicut per præpucium gentes, ita per circumciſionem Iudæos accipere. *Multum*] videlicet amplius vtilitatis Iudæo quàm Gentili olim à Domino collatum eſt. *Per omnem modum.*] .i. modis omnibus, lege ſcilicet eos inſtruendo, & miraculis innumeris, & beneficijs confirmando, & ad amorem ſuum prouocando. *Sed hoc primum*] .i. maximum illud fuit inter bona Dei; quod legem eis dedit; vt non ſolum naturali ſicut Gentiles, verum inſuper ſcripta lege inſtruerentur. Et hoc eſt quod ait *primum* .i. maximum fuit illud beneficium quod ſunt illis *credita.*] .i. cõmiſſa, *eloquia Dei in lege & Prophetis.*] Quod quidem donum & eos erudire, & in perpetuum retinere poteſt. Nota tamen quod non ait commiſſa, ſed credita, quaſi ad tempus eis ſit hæc doctrina accommodata. Quæque ad nos per ſpiritualem & rectam eius intelligentiam tranſitura erat, & in carnalibus eius obſeruantijs, in quibus maximè confidebant Iudæi, ceſſatura. Quaſi & creditor eloquiorum ſuorum Deus dicitur, pro quibus ab his quibus ea credit, quaſi pretium obedientiam requirat. Verba Dei eloquia dicit, quaſi extra alia locutionum genera per excellentiam, *Propter eorum.*] .i. obedientiæ fructum & ſalutiferam doctrinam.

QVID *enim.*] Quæ cauſa, diceret aliquis, de eloquijs diuinis datis illi populo, tamen propter incredulitatem eius bona ipſi promiſſa Deus non compleuerit, ſiue de reparatione humani generis per filiũ ſuũ, ſiue de quibuſcũq; promiſſionibus. Quod quidẽ duobus modis refellit Apoſtolus oſtẽdendo non omnes in populo fuiſſe incredulos, vt penitus illi populo promiſſa negarẽtur, nec Deũ quia verax eſt, promiſſiones ſuas

Digitized by Google

poſſe ceſſare. Sic lege, Bene dixi maximum illud eſſe de eloquijs diuinis, per quæ ſibi alliceret populum ſuum. Nam quid impedit propoſitum diuinum? *Si quidam illorum non crediderunt.*] illis eloquijs, hoc eſt his quæ ibi promittebãtur vel prædicebantur. *Nunquid incredulitas illorum.*] Qui videlicet non crediderunt, *Fide Dei.*] .i. per quam Deo crediderunt, *Euacuauit*] vt videlicet non euenerit quod ipſe Moyſes, Ioſue & cæteri fideles crediderunt? *Abſit,*] vt ſcilicet eorum fides ſit euacuata .i. fruſtrata in his promiſſis ibi prædictis quæ crediderunt. *Eſt autem Deus.*] Dixi abſit, nec inconſideratè, ſed prouide, cum ſit *Deus verax*] .i. ſtabilis ſeu immobilis, in his quæ promittit aut prædicit.

OMNIS *autem homo mendax*] .i. mutabilis in ſuo propoſito, vt videlicet facilè eius conſilium aut voluntas mutari queat. Forte quęritur ſi homo in Chriſto vnit⁹ diuinitati mẽtiri aut peccare potuerit, quamuis in eo quod præmiſſum eſt, *eſt autem Deus verax*, & ſtatim ſubiunctũ eſt, *omnis autem homo mendax*, Deus homo excluſus videtur; vt de puro homine tãtũ accipi debeat quod dictũ eſt, *omnis homo mẽdax*, nõ de homine qui Deus eſt. Nemo autẽ ambigere debet hominẽ illum Deo vnitũ, poſtquã ei vnitus eſt, aut dũ ei vnitus eſt, nullaten⁹ peccare poſſe: ſicut eum qui prędeſtinatus eſt, poſtquã prędeſtinatus, vel cũ prædeſtinatus ſit, damnari non poſſe. At verò ſi ſimpliciter dicitur hominem illũ, qui vnitus eſt, nullo modo peccare poſſe, poteſt quilibet ambigere. Si enim penitus peccare non poteſt, aut malè facere, quod meritum habet, cauendo peccatum quod nullo modo poteſt committere, aut quo etiam cauere id dicitur quod nullatenus incurrere poteſt. Vnde Boetius contra Eutichen & Neſtorium de homine quem Deus aſſumpſit. Quando, inquit, fieri poteſt, vt talem aſſumpſerit hominem, qualis Adam fuit ante peccatum, cùm in Adam potuerit eſſe peccandi voluntas atque affectio? Scriptum præterea eſt in laude iuſti, *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit, iſte in excelſis habitabit, &c.* Et hoc quidem ad liberum hominis arbitrium pertinet, vt in eius ſit poteſtate agere bene & male. Quod ſi Chriſtus non habuit, libero videtur priuatus arbitrio, & neceſſitate potius quàm voluntate peccatum cauere, & ex natura potius quàm ex gratia id habere. Quippe quod per gra-

Digitized by Google

tiam cuiuis collatum eſt, ex dono ei potius quàm ex naturæ ſuæ proprietate venit, non tam naturale quàm gratuitum eſt dicendum, quod ex dono alterius potius quàm ex nobis habemus. Quis etiam neget hominem illum ex anima & carne conſiſtere, qui Deo vnitus eſt, in vnam videlicet perſonam; etiam ſine illa vnione, ſicut ceteros homines, in ſua natura cõſiſtere poſſe? Alioquin minoris valitudinis eſſe videretur, ſi per ſe ipſe ſubſiſtere non poſſet, ſicut cæteri homines; non & magis accidentis quàm ſubſtantiæ natutam habere. Quòd ſi per ſe etiam exiſtere poſſet, cur non & peccare ſic poſſet vt cæteri? Videtur itaque nobis vt in hac quoque, ſicut in cæteris rebus vires propoſitionum diligenter attendamus, quando videlicet cum determinatione poſſibile aut neceſſe ponit, & quando ſimpliciter prædicatur .i. ſine appoſita determinatione. Verum quippe eſt ſi ſimpliciter dicatur, quòd eum qui prædeſtinatus eſt, & qui ſaluandus eſt, poſſibile eſt damnari, cùm omnino poſſibile ſit eum fuiſſe non prædeſtinatum, nec ſaluandum: non tamen cum determinatione verum eſt dicere, quod eum poſſibile eſt damnari, cùm ſit prędeſtinatus, vel cùm ſit ſaluandus. Sic & eum, qui curtatus eſt, poſſibile eſt habere duos pedes, cùm ſit omnis homo bipes, & eum qui cæcus eſt poſſibile eſt videre; non tamen poſſibile eſt poſtquàm curtatus eſt, vel poſtquam cæcus. Alioquin poſſibile eſſet regreſſionem de priuatione ad habitum fieri, quod penitus falſum eſt. Sic & fortaſſe non eſt abſurdum nos concedere ſimpliciter, quòd cum hominem, qui Deo vnitus eſt, poſſibile ſit peccare, non tamen poſtquam vnitus vel dum vnitus eſt. Chriſtum verò .i. Deum ſimul & hominem modis omnibus impoſſibile eſt peccare, cùm videlicet ipſum Chriſti nomen Dei & hominis exprimat vnionem. Ac ſic quod dictum eſt, *omnis homo mendax*, modis omnibus vera videtur eſſe enũciatio.

SICVT *ſcriptum eſt, vt iuſtificeris.*] Probat per authoritatem Pſalmi, quàm verax ſit Deus in promiſſis ſuis complendis, & ſtabilis in ſuo propoſito. Promiſerat quippe Dominus ad Dauid, quòd de ſemine eius Chriſtus naſceretur. Quæ quidem promiſſio poſt adulterium Dauid caſſanda omninò videbatur, & omninò incongruum videbatur vt vlterius de ſemine tam peccatoris hominis Filius Dei car-

nem ſuſciperet, & ita Deum qui hoc ei promiſerat, mendacem fieri oporteret. Quod nequaquam poſſe contingere, idem qui tam grauiter deliquerat attendens aiebat: *Tibi ſoli peccaui* .i. ad honorem tui tãtum, qui etiam iniquitatem bene ordinas, & ad gloriam tuam omnia conuertis, *Et malum coram te feci.* i. te ſciente, quem nihil latet: vt per hoc appareat quàm iuſtus ſis, qui videlicet cum ſcias me promeruiſſe, vt non mihi promiſſa cuſtodias; tamen quia iuſtus es & verax, non potes promiſſionem tuam fruſtrare. Si enim peccatum hoc Deum lateret, non videretur cauſa quare promiſſionem non impleret. Nunc autem cùm ſciat peccatum committi, & peccantem meruiſſe contrarium, ſeruat tamen immobilem ſuæ veritatis conſtantiam, adimplendo ſcilicet promiſſa. *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.*] .i. vt exequendo ſermones tuos, de promiſſionibus quas mihi feciſti iuſtificeris, i. iuſtus & verax appareas. *Et vincas.*] ſcilicet humanum iudiciũ, *cùm iudicaris*] ab hominibus, i. argueris mendacij, tanquam qui non poſſis vlterius propter delicta mea tuam promiſſionem adimplere.

SI *autem.*] Oppoſitionem ad præmiſſa ipſe inducit Apoſtolus, quaſi diceret: Dictum eſt Deum iuſtificari .i. iuſtum & veracem maximè apparere ex peccatis; cùm illam ſcilicet, promiſſionem illius impedire nequeant, immò etiam ipſa ad gloriam ſuam conuertat. Sed ſi peccata mea ita vt dictum eſt in præmiſſo exemplo de Dauid, *Iuſtitiam Dei commendant.*] .i. ad laudem & gloriam veritatis eius proficiunt: *Quid dicemus*] i. quid poterimus reſpondere objectioni ſequenti, quæ ait, *Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram?*] .i. vindictam propter peccata, quę eius, vt dictum eſt, iuſtitiam commendant. i. eum maximè laudabilem oſtendunt de incommutabili ſuæ veritatis propoſito. Et quoniam non ex perſona hoc ſua Apoſtolus obijcit, quaſi non ei videretur vt in hoc ageret iniquè, addit, *Secundum hominem dico.*] .i. ſecundum animalem, qui non ſapit ea quæ Dei ſunt; non ſecundum ſpiritualem, qui diiudicat omnia, tam in diuinis quàm in humanis æquum rationis iudicium tenet, & ideò, *Abſit.*] vt hoc ſcilicet recipiamus, Deum iniquè agere, puniẽdo peccata, quæ etiam ad eius proficiũt gloriam; vt quamuis peccata non ſint bona, bonũ tamẽ ſit eſſe peccata. Vnde eſt illud Auguſt. in Enchirid. *Non fit aliquid niſi Omnipotẽs fieri velit vel ſinẽdo vt fiat, vel ipſe faciẽdo. Non dubitandũ eſt Deum facere bene, & ſinendo fieri quæcunq; fiunt male. Non enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit. Et profectò bonum eſt omne quod*

Digitized by Google

iuſtũ. Itẽ, *Nã niſi eſſet hoc bonum vt eſſent mala, nullo modo eſſe ſineretur ab omnipotẽte bono. Alioquin.*] .i. ſi aliter eſſet quã dicimus, hoc eſt, ſi iniq; faceret Deus, inferẽdo vindictã pro peccatis; quomodo mundũ .i. vniuerſos, tã bonos ſcilicet quã malos iudicaret, eis videlicet pro meritis vel gloriã vel pœnã retribuendo?

SI *enim veritas.*] Ad ſuprapoſitã obiectionẽ iterũ redit, quaſi eam cõmendãs, quod .ſ. benè iniquus videtur Deus puniendo peccata, ſi ipſã iuſtitiã eius cõmendãt, quia nec iam pro peccatis reputari debẽt, ſed pro bonis quæ eius veritatẽ cõmendãt. Et hoc eſt, *ſi enim veritas Dei abũdauit in gloriã eiº ex meo mẽdacio*] i. immobilitas ſuæ veritatis laudabilior efficitur ex mutabilitate & incõſtantia meæ profeſſionis, qui licet ei mentiar, ipſe tamen mihi mentiri non poteſt. *Qui diiudicor.*] Adhuc dũ videlicet id quod facio ad eius gloriã proficit, tãquã peccator. i. qua ratione ea quæ facio pro peccatis reputanda ſunt. *Et cur non potius faciamus mala vt veniãt bona.*] .i. peccemus, vt ex noſtris peccatis glorificetur Deus? *Sicut blaſphemamur*] à quibuſdã, & ſicut *aiunt nos dicere.*] Me .ſ. & cæteros ſpiritales, qui dicimus etiã mala tã bene ordinari, vt ad gloriã Dei proficiãt. Vnde & ipſe etiã prædictus Doctor in XI. de Ciuit. Dei, cũ de bonitate & malitia diaboli loqueretur, ait: *Deus ſicut naturarũ bonarũ optimus creator eſt, ita malarũ voluntatũ iuſtiſſimus ordinator.* Itẽ ibidẽ de diabolo, *Deus cum eũ cõderet, futuræ malignitatis non erat ignarus, & præuidebat quæ bona de malis eius eſſet ipſe facturus.* Itẽ poſt aliqua. *Neque enim Deus vllũ non dico Angelorũ vel hominũ creaſſet, quem malũ eſſe futurũ præſciſſet; niſi pariter noſſet quibus eos bonorũ vſibus cõmendaret.* Idẽ in Enchiridion, *Neq; enim Deus omnipotens cum ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis; niſi vſq; adeo eſſet omnipotens & bonus, vt bene faceret & de malo. Quorũ*] .ſ. nos blaſphemantiũ. i. non tã pro exiſtimatione ſua quàm propter nos blaſphemãdos id dicentium. Adeo nãq; mala quoq; à Deo bene ordinari datum eſt, vt hoc etiam Gentilis ille Philoſophus Plato manifeſtè profeſſus ſit, dicẽs: *Nihil enim fit, cuius ortũ non legitima cauſa & ratio præcedat.*

QVID *ergo.*] Dixi talium nos blaſphemantiũ iuſtam eſſe dãnationem, ex quo nos maximè cõmendaſſe videmur, quaſi tales ſimus ex noſtris meritis, in quibus nihil ſit blaſphemãdũ. *Quid ergo* .i. num quid poteſt dici quia præcellimus tales iuſtè dãnandos. i. ex proprijs meritis & noſtra virtute digniores ſumus illis? *Nequaquã*] ſed potius ex Deo quã ex nobis eſt,

ſi quid boni habemus,ſicut & in ſequentibus ait. Quia nõ eſt volentis neque currentis,ſed miſerentis Dei,quia eius miſericordia ſufficiens eſt ad ſalutem potius quàm noſtra valitudo, quoniam ex nobis omnes ſimul culpabiles ſumus, ſicut ſuperius oſtendimus tam de Iudæis quàm ex Gentibus , omnes inexcuſabiles eſſe. Et hoc eſt, *Cauſati enim ſumus.*] .i. quaſi in cauſam accuſando traximus tam Iudæos quàm Græcos, quos ſapientiores eſſe conuenit. *Omnes ſub peccato eſſe.*].i. & reos eſſe & pœnæ debitos, tanquam tranſgreſſores. Et hoc quidem ad generalem reuertitur inuectionem , colligens ex ſcripturis teſtimona,quibus oẽs pariter reos & inexcuſabiles cõuincat.

SICVT *ſcriptum eſt.*] In Pſal. videlicet XII. *Quia non eſt iuſtus quiſquam, &c.* Pſalmus hic vbi teſtimonia hæc apud nos continentur, quaſi generalem inuectionem facit in omnes, qui tempus ſuæ viſitationis non cognoſcentes,quaſi pro abominatione habuerunt Dominum .ſ. pro humana redemptione incarnari & pati. Vnde & alibi idem Appoſtolus, *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Ait itaque Pſalmus, *Dixit inſipiens* .i. animalis homo,qui non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei , de arcano videlicet illo noſtræ reparationis myſterio,cùm infirmitatem aſſumpti hominis inſpiceret. *Non eſt Deus*, Dixit hic quidem non verbis negando tantummodo, ſicut Petrus eum negando: ſed & corde,quia etſi credidit,hoc eſt,pauciſſimi & quaſi nulli ſunt qui iuſti ſunt .i. vnicuique reddentes quæ ſua ſunt. Abſit enim , vt credamus Eccleſiam à primo electo vſque ad nouiſſimum in aliquibus ſaltem fidelibus non perſeueraturam , quæ & ante legem multos & poſt legem plures: ſicut & ipſum qui hunc Pſalmum compoſuit , & ſub gratia colligit multos. Vnde & in ipſo aduentu Domini iam ex maxima parte in Iſrael facta cæcitate nonnullos legimus ſupereſſe,velut Simeonem,Annam, atque ipſam Domini Matrem cum ſponſo ſuo Ioſeph , & patrem & matrem Ioannis Baptiſtæ cum ipſo. Sæpe autem cum dicitur *omnis*, vel *nullus*;non generaliter,ſed ad maximam partem dicitur. Veluti ſi dicatur de ciuitate , in qua pauci ſunt boni, Omnes mali ſunt qui in ea habitant: vel , Nulli boni ſunt in ea. Hinc eſt illud Hieronymi ad Damaſum Papam de filio prodigo ; *Fili tu ſemper mecũ es, & omnia mea tua ſunt.* Nunquid Angeli Throni? Omnia ergo, intellige Prophetas, eloquia diuina,ſecundum illud

Digitized by Google

quod ſæpe expoſuimus, nõ omnia ad totum eſſe referendum, ſed ad partem maximam: vt, *Omnes declinauerunt*; & Omnes qui ante me venerunt fuerunt fures & latrones. Et, *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem.* Et, *Omnes quæ ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Quare autem non ſit iuſtus quiſquã, ſupponit. *Quia non eſt intelligens Dominum aut requirens ipſum*] Non eſt intelligens Dominum .i. non curat eius promiſſis vel minis attẽdere, quia animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed eſt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Et quia non eſt intelligens Dominum, neſcit requirere eum per pœnitentiam, quem amiſit per negligentiam. Quam quidem negligentiam annectit, dicens, *Omnes declinauerunt.*] Hoc eſt ſtudium ſuum relicto Deo conuerterunt ad ſeculum, vt pro temporalibus contemnerent æterna, atque ita omnes pariter tam Iudæi .ſ. quàm gentes, *Inutiles ſibi facti ſunt.*] Nemo quippe tam iniquus eſt, vt omninò inutilis fiat: cùm ipſis etiam malis Deus, vt dictum eſt, optimè vtatur, ſicut nequitia Iudæ ſiue diaboli. In vno quippe & eodẽ facto, & Deus Pater, & Filius, & Iudas cooperati ſunt. Quia Pater Filium, & Filius ſeipſum, & Iudas tradidit Dominum. Traditio illa, quam & Iudas operatus eſt, communem omnium redemptionem eſt operata. Per prædicationem quidem Petri Apoſtoli aliqui conuerſi ſunt & ſaluati. Iudæ verò nequitiam in ſalutem omnium Dominus conuertit. Ad maiorem vtilitatem nobis malo iſtius quàm illius bono diuina vſa eſt gratia. Diaboli quoque nequitiam quis dubitet à Deo ſemper benè ordinari, cùm & ipſe nihil niſi Deo permittente faciat, vel puniendo reos, vel probando iuſtos, vel quidlibet agendo? Vnde & poteſtas illius non niſi iuſta eſſe poteſt, ſicut voluntas illius non niſi iniuſta: qui à Domino poteſtatem, à ſe vero habet voluntatem. Non eſt enim poteſtas ipſo atteſtante poſtea Apoſtolo, niſi à Deo. Vnde & Veritas iniquo Præſidi ait: *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* Qui itaque malè agunt, ſibi potiùs inutiles quàm omninò inutiles intelligendi ſunt; cùm in ordine rerum nihil inutiliter aut ſuperfluè agi diuina, vt oſtendimus, diſpoſitio permittat. Quomodo autem declinauerunt omnes, aut à quo declinauerunt? à bono .ſ. opere, ſupponit, dicens: *Non eſt qui faciat bonum,*] Qui bene operetur, & quod debet impleat. Quamuis enim bona videatur traditio Domini, quæ à Iuda

facta eſt,& ſimul vt dictum eſt à Patre ſiue à Filio, non tamen id Iudas benè fecit, quod peruerſa intentione .i. ex cupiditate pecuniæ commiſit. Omnia quippe opera ex intentione penſanda eſſe Dominus docuit, dicens : *Si oculus tuus ſimplex fuerit, &c.* Alioquin Iudæ quoque opus, in quo tam Pater quàm filius miſericorditer ſunt operati , bonum dicendum eſſet. *Non eſt vſque ad vnum.*] Repetitio eſt præmiſſi illius, videlicet quòd dictum eſt, *non eſt qui faciat bonum*, vt determinatio ſubderetur, ne generaliter dictum putaretur. Tale eſt itaque ac ſi diceret: Non eſt qui faciat bonum, inquam, vſquequo veniat credendo & per amorem ſe copulando ei qui verè vnus eſt, & immutabilis per naturam, & ſingularis per eminentiam.i. Deo ſiue Chriſto, qui eſt vnus Dei& hominum mediator, per cuius fidem in ſequentibus ſaluari nos aſtruet ſine operibus legis. Poteſt etiã ita intelligi. *Non eſt qui faciat bonum vſque ad vnum*, ac ſi diceret, Vix eſt qui faciat bonum .i. ferè nullus eſt qui faciat. Fere enim nullus eſt, nec vnus tãtùm ſupereſt. *Sepulchrũm patens.*] Tres iſti ſequentes verſiculi, qui in noſtro Pſalterio habentur, in Hebræo, teſte Origene ſiue Hieronymo, minimè ita continuè leguntur. Vnde Origenes ſuper hanc Epiſtolam: In nonnullis, inquit, exemplaribus Latinorum, ea quæ ſubſequuntur in XIII. Pſalmo conſequenter inueniuntur, in Græcis autem penè omnibus in XIII. Pſal. ſcriptum eſt, *vſque non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnũ.* Sed & quod dixit Apoſtolus, ſicut ſcriptum eſt, *Quia non eſt iuſtus quiſquam, quoniam vſque non eſt qui faciat bonum , non eſt vſque ad vnum*: Sed & quod dixit Apoſtolus, *ſicut ſcriptum eſt, quia non eſt iuſtus quiſquam , non eſt intelligens , non eſt requirens Deum.* Et quod dixit, *Non eſt iuſtus quiſquam*, puto ex eo ſumpſerit, *non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Quod vero dicit, *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant*, in quinto Pſalmo reperies. *Venenum aſpidum, ſub labijs eorum*, ex quodam Pſalmo aſſumptum puto immutatis ſermonibus. *Quorũ os maledictione & amaritudine plenum eſt*, ex nono Pſalmo videtur acceptum. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinẽ*, vel in Iſaia inuenies, vel in Prouerbijs. *Sed contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non agnouerunt*, non quidẽ ad integrũ recordor, vbi ſcriptum ſit, ſuſpicor tamen in vno Propherarum inueniri poſſe. In Pſalmis autem ſcriptum eſt,

Non

Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Hæc autem teſtimonia videtur congregaſſe vt oſtenderet, quia quod cauſatur Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, non tam ſua quàm ſcripturæ ſententia pronunciat, omnes ſub peccato eſſe quos vel naturali vel ſcripta lege ne peccent conſtat edoctos. Hieronym. in Præfat. lib. XVI. in Iſaiam ad Euſtochium, Quæſtiunculam detuliſti, quod VIII. verſus, qui leguntur in Eccleſijs, & in Hæbraico non habentur, tertijdecimi Pſalmi Apoſtolus vſurparet. *Sepulchrum patens, &c.*] Animaduerti hoc teſtimonium de Pſalmis in Iſaia eſſe contextum. Nam duo primi verſus, *ſepulchrum patens eſt, &c.* quinti Pſalmi ſunt. Illud autem quod ſequitur, *venenum aſpidum ſub labijs eorum.* 139. Pſal. Rurſum quod dicitur: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum*, de nono Pſalmo ſcriptum eſt. Tres autem verſiculi qui ſequuntur, *veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis*, non in Iſaia reperiuntur. Vltimus verſus. i. octauus, *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, in triceſimi Pſalmi quinti principio eſt. Item denique omnes Græciæ tractatores qui nobis eruditionis ſuæ in Pſalmos commentarios reliquerunt, hos verſiculos ..... annotant atque prætereunt, liquido confitentes in Hæbraico nec haberi, nec eſſe in 70. Interpretibus, ſed in editione vulgata quæ Græce ἐκδόσει dicitur, & in toto orbe diuerſa eſt. Nunc autem literam perſequamur. Dictum eſt, *Omnes declinauerunt & non eſt qui faciat bonum.*] & non ſolum declinauerunt, verum etiam vt alios faciant declinare, & plurimũ noceant nituntur. Quaſi eis non ſufficiat vt ſoli damnentur, ſed quaſi ad defenſionem ſui ſociam quærunt multitudinẽ. Guttur quoniam formandæ vel proferendæ vocis inſtrumentum eſt, ſermonem ſignificat, qui per guttur emittitur. Sermo itaque eorum ad malum perſuadens, quaſi ſepulchrum patens eſt ex concepta mente nequitia, quaſi ex fœtore incluſi cadaueris alios corrumpens atque aſtantium nares offendens .i. naturalem eorum diſcretionẽ perturbans, ac vicians. *Linguis ſuis.*] Quaſi expoſitio eſt præmiſſi parabolicè dicti, cùm dicit eos in dolo loqui .i. contra conſcientiam ſuam ea cõmendare ad quæ perſuadent, vel vituperare à quibus dehortantur.

VENENVM *aſpidum.*] Quod & ipſe Moyſes inſanabile dicit, ac per hoc cæteris pœnis teſtatur eſſe mortifera .i. cri-

Digitized by Google

minalia peccata ſignificat,quæ quaſi venenum ſuis perſuaſionibus infligunt alijs. Hæc autem videlicet peccata, ad quæ perſuadent, ſub labijs eorum eſſe dicuntur .i. callidis eorum ſermonibus ita occultari,vt animaduerti ab audientibus non poſſint. Poſſumus & per venenum aſpidum inſanabile, illud in Spiritum ſanctum irremiſſibile peccatum accipere, quando quis videlicet per inuidiam vel cupiditatem aliquam opera illorum, quæ à Deo fieri non dubitat, diabolo tribuit: ſicut nonnulli Iudæorum faciebant, qui vt populum à Chriſto auerterent, opera eius tanquam diabolica vituperabant: quæ tamen ſpiritu Dei .i. diuina gratia fieri non dubitabant, & ideò in Spiritum Dei .i. diuinæ gratiæ donum peccare dicebantur, cùm ſcienter diabolo tribuerent vnde glorificare Deum deberent, contra propriam mentientes conſcientiam. Quod quidem peccatum etſi per pœnitentiam deleri poſſet, ita tamen diuino ſancitũ iudicio, vt nullus in hoc lapſus reſipiſcendo redeat, atque ideò irremiſſibile dicitur. Hoc autem peccatum ſub labijs eorum latebat, non in labijs apparebat; quia dum ſic contra propriam conſcientiam delinquerent, aliud in corde habebant quàm ore proferebant. *Quorum os.*] i. tam ſibi ipſis quàm acquieſcentibus, maledictionem acquirit à Domino, & amaritudinẽ illã, videlicet de qua per Prophetam dicitur, *Vox diei illius amara, tribulabitur ibi fortis.* Tale eſt *maledictione & amaritudine*, ac ſi diceretur amara illa maledictione, qua dicetur reprobis in damnationem eorum, *Ite maledicti in ignem æternum.* Eſt quidem alia maledictio quaſi dulcis & paterna, quãdo aliquibus anathematis maledictionem inferimus ad correctionem potius quàm ad damnationem.

VELOCES *pedes.*] i. affectus habent pronos ad homicidia, etſi opere non permittantur implere. Pes enim, quo incedimus, affectum .i. voluntatem ſignificat, quo ad operationem perducimur. *Contritio & infelicitas.*] .i. infelix contritio eſt, *in vijs eorum*] .i. in operibus, per quæ ad mortem præparantur æternam, alios etiam ſecum conterentes, ac per exempla etiam corrumpentes, vt ſint quaſi puluis diſſoluti, quem proijcit ventus à facie terræ .i. diabolica tentatio, quæ huc & illuc impellit & deijcit à ſtabilitate terræ viuentium. *Et viam pacis*] .i. omnino in vijs ſuis damnatione conterentur, quia

Digitized by Google

viam Dei non cognouerunt .i. Christum, per quem tanquam mediatorem Dei & hominum Deo pacificati & reconciliati sumus, qui est pax nostra, vt idem ait Apostolus, & facit vtrũque vnum. Qui & de semetipso ait, *Ego sum via, ego sum ostiũ; Per me si quis introierit, saluabitur.* Hanc quidem viam non cognouerunt, .i. Christum qui pro infirmitate carnis eum contempserunt, aut purum hominem crediderunt, ac per hoc tanquam Dominum eum reueriti non sunt, nec Ioanni crediderunt de eo quidem comminanti & dicenti; *Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis enim arbor quæ non facit fructum, &c.* Hoc est quod supponit. *Non est timor Dei.*].i. oculis carnalibus suis, quibus infirmitatẽ eius percipiebant, actum est vt eum tanquam Deum non metuerent, cùm sola eius infirmitas humanitatis, non maiestas appareret diuinitatis.

LIBER SECVNDVS.

SCIMVS *autem.*] Redit Apostolus ad inuectionem Iudæorum, vt sicut abstulit eis gloriationem de circumcisione, auferat & de lege vel quibuscumque carnalibus obseruantijs, ne fortè maximè legem in eo commendasse videretur, quod dixerat *primum quidem*, quia credita sunt illis eloquia Dei. Legis ergo gloriationem per hoc primum aufert, quòd eos per legem magis argui quàm iustificari conuincit. Continuatio. Induxit testimonia ex lege .i. veteri Testamento, per quæ omnes reos esse, tam Iudæos scilicet quàm Gentiles, astrueret. Sed scimus Iudæos maximè his argui, quibus quidem solum non de solis lex loquitur, cùm eis solis data fuerit atq; imposita. Et hoc est quod ait, *scimus autem, &c.* ac si diceret. Quamuis præmissa testimonia contra Gentiles quoque ex lege collegerimus, tamen scimus legem non eis fuisse locutam, quibus data non fuerat, licet de eis. *Sed his tantum qui in lege sunt.*].i. professioni susceptæ legis tenentur astricti. Notandum legis nomine quandoque propriè quinque tantum libros Moysi comprehendi, quandoque etiam totum vetus Testamentum, sicut in hoc loco. Vnde Augustinus de Trinit. lib. xv. legis nomine aliquando

omnia veteris inſtrumenti eloquia, aliquando autem propriè lex dicitur, quæ per Moyſem data eſt. *Vt ita omne os obruatur*] i. compeſcatur & conticeat à ſua gloriatione, & non aperiatur niſi in glorificationem Dei, cùm ſcilicet intellexerimus illius quoque peculiaris populi Dei maximam gloriam, quam ex lege habebant tanquam per eius opera ſe iuſtificari arbitrantes, nullam eſſe reputandam. *Et ita ſubditus.*] .i. humiliet ſe Deo, nihil de ſua gloriatione pręſumens, quæ eis etiam, qui magni apud Deum videbantur, ablata eſt. *Quia ex operibus legis.*] .i. corporalibus eius obſeruantijs, quæ maximè populus ille attendebat, veluti circumciſionem, ſacrificia, obſeruationem ſabati, & cæterorum huiuſmodi figuralium pręceptorum. *Non iuſtificabitur coram illo*] .i. apud Deum, *Omnis caro*] .i. omnis ea carnaliter tantùm, non ſpiritualiter adimplens, licet coram hominibus .i. humano iudicio, quod de exterioribus & viſibilibus iudicat, iuſti tales reputentur.

PER *legem enim.*] Ad duo præmiſſa duo refert. Ad illud quod ait, *Vt omne os obſtruatur, & ſubditus, &c.* iſtud ſubiungit, *Per legem enim.* Ad illud verò aliud, *Quia ex operibus, &c.* iſtud ſupponit, *Nunc autem ſine, &c.* Sic continua. Quare per legem compeſci à ſua gloriatione homines debeant, quia per eam inexcuſabiles à peccatis ſuis maximè reddũtur, quæ per eam cognouerunt potius quàm amiſerunt, immò etiam auxerunt, & in ſequentibus dicturus eſt. *Vt fiat ſupra modũ peccans peccatũ* per .... *Nunc auẽt.*] Dixi ex operibus proprijs legis ſcriptæ .i. figuratiuis illis præceptis quæ lex naturalis ignorat, neminẽ iuſtificari apud Deũ, ſed nunc .i. in tẽpore gratiæ iuſtitiæ Dei .i. quã Deꝰ approbat & per quã apud Deũ iuſtificamur, .i. caritas eſt manifeſta, per Euangelicam .ſ. doctrinam. *Sine lege.*] .i. carnalibus illis & propijs obſeruantijs legis, Illa tamen dico, *Iuſtitia teſtificata à lege & prophetis.*] qui eam quoque præcipiunt. Vnde verò hæc iuſtitia pendeat, ſtatim annectit dicens, *Iuſtitia autem Dei.*] Fidem Chriſti dicit quam de ipſo habemus, eum ſiue ei vel in eum credendo. Vnde & cùm adiecit, *qui credunt*, non addidit horum aliquem, vt æquè ad omnia ſe haberet. Ex fide, quam de Chriſto habemus, caritas in nobis eſt propagata, quia per hoc quod tenemus Deum in Chriſto noſtram naturam ſibi vniſſe, & in ipſa patiendo ſummam illam caritatem nobis exhibuiſſe, de qua ipſe ait, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* tam ipſi quàm proximo propter ipſum

Digitized by Google

inſolubili amoris nexu cohæremus. Vnde & in ſequentibus ſcriptum eſt, *Quis ergo nos ſeparabit à caritate Dei ? tribulatio, &c.* Et rurſum, *certus ſum enim quia neque mors, &c.* Iuſtitia dico habita ſupra omnes fideles .i. in ſuperiori eorum parte, i. in anima, vbi tantum dilectio eſſe poteſt, non exhibitione operum exteriorum.

NON *eſt enim*] Bene dixi ſuper omnes pariter, tã Genuiles ſcilicet, quàm Iudæos, quia nulla eſt eorum differẽtia ex hac iuſtitia Dei per fidem Chriſti, ſicut olim erat ex operibus legis. Quia ſicut omnes peccauerunt, ita indifferenter iuſtificati ſunt per hanc ſummam gratiam à Deo nobis exhibitam. Et hoc eſt quod ait, *Omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei.* i. opus habent quaſi ex debito Dominum glorificare. *Iuſtificati gratis.*] .i. quia iuſtificati ſunt non præuenientibus meritis eorum, ſed per gratiã ipſius .i. Dei qui prior dilexit nos. Quæ verò ſit illa gratia .i. gratuitum & ſpirituale ipſius donũ, ſupponit dicens, *Per redemptionem noſtram factam per Chriſtum, quem propoſuit nobis Deus Pater propitiatorem.*] .i. reconciliatorẽ *In ſanguine ſuo.*] .i. per mortem ſuam, & quia non omnibus, ſed ſolis credentibus hæc propiciatio proponitur à Deo .i. conſtituitur, addit: *Per fidem,*] quia eos ſolos hæc reconciliatio contingit, qui eam crediderunt & expectauerunt. *Ad oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ.*] .i. caritatis, quæ nos, vt dictum eſt, apud eum iuſtificat .i. ad exhibendam nobis ſuam dilectionem, vel ad inſinuandum nobis quantum eum diligere debeamus, qui proprio filio ſuo nõ pepercit pro nobis. *Propter remiſſionẽ.*].i. vt per hanc iuſtitiam, .i. caritatem remiſſionem peccatorum aſſequamur, & ſicut per ſemetipſam Veritas de beata Peccatrice ait, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Remiſſionem dico habitam, vel præcedentium, inquam, delictorum. *In ſubtentatione Dei.*] .i. propter patientiam Dei, qui non ſtatim punit reos & perdit peccatores, ſed diu expectat vt redeant per pœnitentiam, & ceſſent à peccato, & ſic indulgentiam conſequentur. *Ad oſtenſionem.*] Primo dixerat ſimpliciter ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, nunc vero addit: *In hoc tempore gratiæ.*] .i. amoris potius quàm timoris. Cùm itaque ait iuſtitiæ eius .i. ſuæ in hoc tempore ſcilicet gratiæ, apertè inſinuat quam iuſtitiam primo intellexerit .i. caritatem quæ hominibus noſtri temporis .i. temporis gratiæ tanquam pro-

pria conuenit. Poteſt & quod dicitur *in ſuſtentatione Dei*, ad conſequens referri .i. ad hoc quod ſubiungitur, *ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore*, vt ſit videlicet ſenſus, Dominum ad hoc ſuſtinuiſſe vel diſtuliſſe in præcedenti tempore, vt manifeſtaret iuſtitiam ſuam quam diximus .i. caritatem in hoc tempore. *Vt ſit ipſe iuſtus.*] voluntate, & iuſtificans operatione .i. vt & velit implere per Chriſtum quod promiſerat, de redemptione ſcilicet vel iuſtificatione noſtra, & ſicut voluerit opere adimpleat· *Eum qui ex fide eſt Ieſu Chriſti*] .i. qui credit eum Ieſum .i. ſaluatorem, per hoc quod Chriſtus eſt .i. Deus & homo.

QVAESTIO. Maxima hoc loco quæſtio ſe ingerit quæ ſit iſta videlicet noſtra redemptio per maiorem Chriſti, aut quando in eius ſanguine iuſtificari Apoſtolus dicat, qui maiori ſupplicio digni videmur, quia id commiſimus iniqui ſerui, propter quod innocens Dominus occiſus ſit. Primo itaque videtur quærendum qua neceſſitate Deus hominem aſſumpſerit, vt nos ſecundum carnem moriendo redimeret, vel à quo nos redemerit qui nos vel iuſtitia vel poteſtate captos tenet: & qua iuſtitia nos ab eius poteſtate liberauerit, qui præcepta dederit, quæ ille ſuſcipere vellet vt nos dimitteret. Et quod dicitur, quòd à poteſtate diaboli nos redemerit qui per tranſgreſſionem primi hominis, qui ſe ei ſpõte obediendo ſubiecerat iure quodam, omnem quoque eius poteſtatem poſſidebat, ac ſemper poſſideret niſi liberator veniret. Sed cum ſolos electos liberauerit, quando eos diabolus poſſidebat ſiue in hoc ſeculo ſiue in futuro magis quàm modo. Nunquid & pauperem illum, qui in ſinu Abrahæ requieſcebat, ſicut diuitem damnatũ diabolus cruciabat, licet minus eum torqueret, aut & in ipſum Abraham dominium habebat, cæteroſque electos? Quando in eum malignus ille tortor dominium haberet, qui portatus ab Angelis in ſinum Abrahæ commemoratur, de quo etiam ipſe Abraham teſtatur dicens: *Nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris?* Et inſuper chaos magnum firmatum eſſe aſſerit inter electos & reprobos, vt nequaquam hi ad illos tranſire poſſint, ne dum diabolus omnibus nequior ibi dominium habeat, vbi nullus iniquus locum vel & tranſitum habet. Quod etiam ius in poſſidendo hominem diabolus habere poterat, niſi fortè quia

Digitized by Google

eum Domino permittente aut etiam tradente ad torquendum ipſum ſuſceperat. Nunquid enim ſi aliquis ſeruus Dominum ſuum deſerere vellet, & alterius poteſtati ſe ſubdere, & ſic agere liceret, vt non iure ſi vellet eum Dominus requireret, atque reduceret? Quis etiam dubitet quòd ſi ſeruus alicuius Domini perſuaſionibus ſuis conſeruum ſuum ſeducat, & ab obedientia proprij domini declinare faciat, quantò amplius apud Dominum ſuum reus conſtituatur ſeductor quàm ſeductus, & quàm iuiuſtum ſit vt is qui alium ſeduxerit aliquod inde priuilegium vel poteſtatem in eum quẽ ſeduxit habere meruerit, qui etiãſi quod prius in eum ius haberet ex hac ipſa ſeductionis ſuæ nequitia ius illud amittere meruerit? Scriptum quippe eſt, *Priuilegium meretur amittere, qui commiſſa ſibi poteſtate abutitur.* Quòd alter alteri ex his conſeruis præponẽdus eſſet, & poteſtatem in eum accepturus, nequaquam oporteret nequiorem præeſſe qui nullam penitus habet priuilegij rationem: ſed magis rationi conſentaneum eſſet, vt is qui ſeductus eſt, in eum qui ſibi ſeducendo nocuit, diſtrictionem exerceret vindictæ. Præterea diabolus immortalitatem quam homini ex tranſgreſſione promiſit, dare non potuit; vt per hoc iure aliquo retinere poſſet. His itaq; rationibus conuinci videtur quod diabolus in hominem quem ſeduxit nullum ius ſeducendo acquiſierit, niſi forte vt diximus, quantũ ad permiſſionem Domini pertinebant, qui eum illi quaſi carcerario vel tortori ſuo ad puniendum tradiderat. Nec enim ille niſi in Dominum ſuum peccauerat, cuius obedientiam deſeruerat. Si ergo Dominus ſuus ei dimittere peccatum vellet, ſicut & Mariæ Virgini factum eſt, & multis etiã ante paſſionem ſuam Chriſtus fecit, vt dictum eſt de Maria Magdalene, & quemadmodum ſcriptum eſt ad paraliticum Domino dicente, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: Si ita, inquam, ſine paſſione homini tranſgreſſori ignoſcere Dominus vellet, & dicere tortori ſuo, Nolo vt amplius eum punias: quid iuſtè torqueri poſſet tortor, qui nil, vt oſtenſum eſt, iuris in torquendo acceperat, niſi ex ipſa Domini permiſſione? Si ergo Dominus hoc permittere ceſſaret, nullum tortori ius ſupereſſet, cui quidem conquerenti vel murmuranti aduerſus Dominum ſtatim reſponderi à Domino conueniret, *An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum?* Non fecit Dominus iniu-

riam diabolo, cum de maſſa peccatrice carnem mundam & hominem ab omni peccato immunem ſuſceperit. Qui quidē homo nō hoc meritis obtinuit, vt ſine peccato conciperetur, naſceretur, & perſeueraret: ſed per gratiam ſuſcipientis eum Domini. Nunquid eadem gratia ſi cæteris hominibus peccata dimittere vellet, liberare eos à pœnis potuiſſet? Peccatis quippe dimiſſis, propter quæ in pœnis erant, nulla ſupereſſe ratio videtur, vt propter ipſa amplius punirentur. Qui ergo tantam exhibuit homini gratiam, vt eum ſibi vniret in perſonam; non poſſet minorem impendere, dimittendo ſcilicet ei peccata? Quæ itaque neceſſitas, aut quæ ratio, vel quid opus fuit, cùm ſola viſione ſua diuina miſeratio liberare hominem à diabolo potuiſſet: quid, inquam, opus fuit propter redemptionem noſtram filium Dei carne ſuſcepta tot & tantas inedias, opprobria, flagella, ſputa, denique ipſam crucis aſperrimam & ignominioſam mortem ſuſtinere, vt etiam cùm iniquis patibulum ſuſtinuerit? Quomodo etiam nos iuſtificari vel reconciliri Deo per mortem filij ſui dicit Apoſtolus, qui tantò amplius aduerſus hominem iraſci debuit, quantò ampliùs homines in crucifigendo filium ſuū deliquerunt, quàm in tranſgrediendo primum eius in paradiſo præceptum vnius pomi guſtu? Quo enim amplius multiplicata ſunt per homines peccata, naſci Deum hominibus ampliùs iuſtum fuerat. Quod ſi tantum fuerat illud Adæ peccatum, vt expiari non poſſet niſi per mortem Chriſti, quam expiationem habebit ipſum homicidium quod in Chriſtum commiſſum eſt, tot & tanta ſcelera in ipſum vel in ſuos commiſſa? Nunquid mors innocentis filij in tantùm Deo patri placuit, vt per ipſam reconciliaretur nobis, qui peccādo commiſimus, propter quod innocens Dominus eſt occiſus? Nec niſi hoc maximum fieret peccatum, illud multo leuius potuit ignoſcere, nec niſi multiplicatis malis tantum bonum facere. In quo etiam iuſtiores facti ſumus per mortem Filij Dei, quàm ante eramus, vt à pœnis iam liberari debeamus. Cui etiam pretium ſanguinis datum eſt vt redimeretur, niſi ei in cuius poteſtate eramus .i. ipſius vt dictum eſt Dei, qui nos tortori ſuo commiſerat? Neque enim tortores, ſed domini eorum captiuorum componunt aut ſuſcipiunt. Quomodo etiam precio hos captiuos dimiſit, ſi ipſe prius hoc precium exegerit aut inſtituerit,

Digitized by Google

rit, vt captiuos dimitteret. Quàm verò crudele & iniquum videtur, vt ſanguinem innocentis in precium aliquod quis requiſierit, aut vllo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam filij ſui mortem habuerit, vt per ipſam vniuerſo reconciliatus ſit mundo? Hæc & his ſimilia non mediocrem mouere quæſtionem nobis videntur, de redemptione ſcilicet vel iuſtificatione noſtra per mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

SOLVTIO. Nobis autem videtur quòd in hoc iuſtificati ſumus in ſanguine Chriſti, & Deo reconciliati, quòd per hãc ſingularem gratiam nobis exhibitam, quòd filius ſuus noſtrã ſuſceperit naturam, & in ipſo nos tam verbo quàm exemplo inſtituendo vſque ad mortem perſtitit, nos ſibi ampliùs per amorem aſtrixit: vt tantò diuinæ gratiæ accenſi beneficio, nil iam tolerare propter ipſum vera reformidet caritas. Quod quidem beneficium antiquos Patres etiam hoc per fidem expectantes, in ſummum amorem Dei tanquam homines temporis gratiæ non dubitamus accendiſſe, cùm ſcriptum ſit: *Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant dicentes; Oſanna filio Dauid, &c.* Iuſtior quoque .i. amplius Dominum diligens quiſque fit poſt paſſionem Chriſti quàm ante, quia amplius in amorem accẽdit completum beneficium quàm ſperatum. Redemptio itaque noſtra eſt illa ſumma in nobis per paſſionem Chriſti dilectio, quæ nos ſolum à ſeruitute peccati liberat, ſed veram nobis filiorum Dei libertatem acquirit; vt amore eius potius quàm timore cuncta impleamus, qui nobis tantam exhibuit gratiam, qua maior inueniri ipſo atteſtante non poteſt. *Maiorem hac*, inquit, *dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* De hoc quidem amore Dominus alibi ait, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Ad hanc itaque veram caritatis libertatem in hominibus propagandam ſe veniſſe teſtatur. Quod diligenter attendens Apoſtolus in ſequentibus ait, *Quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Vt quid enim Chriſtus. &c.* Iterum. *Commendat autem ſuam caritatem Deus in nobis. Quoniam ſicut adhuc, &c.* Quæ quidem plenius ſuo loco exponemus. Nunc autem ſuccinctè, quantum ad expoſitionis breuitatem pertinet, de modo noſtræ redemptionis quod videtur nobis ſufficiat. Si qua verò deſunt

perfectioni, Theologiæ noſtræ tractatui reſeruamus; *Vbi eſt.*] Dixi ſine lege iuſtitiam manifeſtari nunc per fidem Chriſti ſuper omnes pariter qui credunt. Igitur ô Iudæe vbi eſt ampliùs gloriatio tua, illa ſcilicet ſingularis, quam habebas de lege & corporalibus eius obſeruantijs? Nam excluſa eſt .i. ablata tibi & annullata. *Per quam legem.*] .ſ. eſt excluſa per legem *factorum.*] .i. aliquorum exteriorum operum? *Non,*] *ſed per legem fidei,*] vt dictum eſt, Ieſu Chriſti .i. caritatem ex fide noſtræ ſaluationis per Chriſtum venientem. Nam & antequã aliquis baptizaretur, ſi iam credit & diligit, ſicut Abraham de quo ſcriptum eſt, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam,* & fortaſſe Cornelius nondum baptizatus, cuius eleemoſinæ ſuſceptæ ſunt àDeo,& de preteritis peccatis verè pœnitet, ſicut publicanus qui de templo deſcendit iuſtificatus: eum iuſtum dicere non dubito, ſeu iuſtitiam habere,qui vnicuique reddit quod ſuum eſt. Vnde & ex vtero ſanctificatos Ieremiam & Ioannem dicimus, vbi ſpecialiter illuminati Dominum iam cognoſcebant, & diligebant; quamuis eis adhuc neceſſarium eſſet ſuſcipere circumciſionem, quæ tunc locum obtinebat baptiſmi. Quare ergo, inquies, iſtos tales poſtea circuncidi vel baptizari oportuit,qui iam antea erant, ex fide .ſ. & caritate quam habebant, & quos ſi tunc morerẽtur ſaluari neceſſe eſſet? Nemo quippe iuſtè mori poteſt, vel habens caritatem, qui damnatur. Rurſus nemo ſine baptiſmo vel martyrio poſt datam de baptiſmo ſententiam ſaluari poteſt. Mori tamen poterat cùm caritatem habebat ante baptiſmum vel martyrium, eo quidem tempore quo inquies ſi moreretur & ſaluari eum neceſſe eſſet & dãnari. Nos autẽ cùm dicimus omnem,qui Dominum ſincerè & purè propter ipſum iam diligit, prædeſtinatum ad vitam,nec vnquam præueniendum morte, donec ei vel per prædicationem vel per Spiritum ſanctum Dominus reuelet quicquid ei de ſacramẽtis fuerit neceſſarium, & inſuper facultatem hoc percipiendi tribuit. Quod verò opponitur, tum qui ante baptiſmum iam iuſtus erat, credendo atque diligendo Deum in eo tempore etiam eſſe,in quo ſi moreretur & ſaluari eum & dãnari oporteret. Hoc opponi poteſt de quolibet criminaliter peccante, qui ad vitam prædeſtinatus eſt, ſicuti de Dauid adulterante. Sicut enim illum, qui iuſtus erat, ſaluari oporteret; ſic iuſtũ

Digitized by Google

qui prædeſtinatus eſt ſicut non baptizatum damnari neceſſe eſſet, ſic iſtum adulterantem. Fuit itaque & Dauid in quodam tempore, in quo ſi moreretur, & damnari eum & ſaluari oportebat. Sed rurſus, ſi in illo tempore fuit, in quo non poſſet mori benè, & in nullo in quo nō malè poſſet mori, quamdiu habuit liberum voluntatis arbitrium: non tamen omninò in aliquo fuit, in quo neceſſe eſſet eum & benè & malè mori. Immò in nullo tempore neceſſe fuit aliquem benè mori, vel in nullo aliquē malè mori, ſed in ſingulis temporibus, in quibus poteſt aliquis benè mori, poteſt in eiſdem malè mori. In nullo tamen coniunctim verum eſt dicere, eum poſſe mori ſimul benè & malè. Sic & de illo qui caritatē habet ante baptiſmum, & per hoc iuſtus eſt, concedimus quòd in nullo tempore fuerit, in quo neceſſe eſſet eum ſaluari & damnari ſimul ſi moreretur. Poſſet quippe is qui caritatem habet ante baptiſmum ſine caritate tunc eſſe, & ſic mori & damnari tantum. Poſſet & mori baptizatus in eo tempore, in quo nondum eſt baptizatus, & ſic ſaluari. Quòd ſi dicas coniunctim eum poſſe ſimul & habentem caritatem & non baptizatum, non recipio magis quàm ſi diceres aliquem poſſe mori adultum & prædeſtinatū. Sic verò eum qui prædeſtinatus eſt bene agere oportet, vt ſaluetur: ſicut eum, qui iam iuſtus eſt, credendo & diligendo baptizari propter fixam Domini ſententiam de baptiſmo, vel propter ipſam iuſtitiæ perſeuerantiam. Si enim is qui caritatem antequàm baptizari habet, priuſquàm baptizetur vitam finiret, nequaquam in ipſa caritate perſeueraret vt de æterna beatitudine penitus deſperaret, & ſe ſtatim in ipſo exitu eſſe in perpetuo damnandum præſentiret. Sicut autem ante baptiſmum aliquem ex fide .i. dilectione iuſtum iam dicimus, cui tamen in baptiſmate nondum ſunt peccata dimiſſa .i. pœna eorum penitus condonata: ſic & poſt baptiſmum paruulos & qui nullius diſcretionis ſunt, quamuis remiſſionem perceperint peccatorum, nondum tamen iuſtos dicimus, quamuis mundi ſint apud Deum, qui nondum aut caritatis aut iuſtitiæ capaces eſſe poſſunt, nec aliqua merita habere. Qui tamen ſi in hac imbecillitate moriantur, cùm incipiunt de corpore exire, & vident ſibi per miſericordiam Dei gloriam præparatam, ſimul cum diſcretione caritas Dei in eis naſcitur. Nequis itaque Iudæorum nobis, immò Apo-

Digitized by Google

ſtolo poſſet opponere,nos quoque per legem factorum .i.exteriorum operum,ſicuti baptiſmi iuſtificari : ſufficiat nos hoc de noſtra iuſtificatione, immò omnium quæ in caritate conſiſtit interpoſuiſſe,& antequam ſacramenta ſuſcipiantur ſiue noſtra ſiue illorum. Quod & Propheta conſiderans ait : *In quacunque hora peccator ingemuerit ſaluus erit.*

ARBITRAMVR *enim.*] Nos ſcilicet,quos Domin⁹ præpoſuit i.cenſemus vel teſtificamur. Vnde vt ait Haymo,arbitros dicimus Iudices ſiue teſtes. *Hominem omnem.*] ſcilicet tam Iudæum quàm Gentilem, *Per fidem*] tanquam ſcilicet ei neceſſariam, quia ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Per fidē dico, *Sine operibus legis*] illis videlicet exterioribus & corporalibus obſeruantijs. *An Iudæorum.*] Arbitrantur & bene,quia etiam Gentes gratiam Dei aſſequuntur per fidem,quæ tamē legis opera non ſeruant,ſicuti Iob Gentilis olim, & nunc etiā Gentiles conuerſi. Et hoc eſt quod oſtendit dicens, *An Iudæorum tantum* eſt Deus per gratiam. *Quoniam quidem*] Ac ſi diceret, vtrorumque eſt per gratiam,quia vtroſque iuſtificat per fidem, quæ ad caritatem, vt diximus perducit. *Circumciſionem*].i. Iudæos . *Præputium*] .i. Gentiles. Quod dicit, *ex fide in fidem*, diuerſitas eſt locutionis, non ſententiæ. Vnde Auguſt. in lib. de ſpiritu & littera , *non ad differentiam dictum eſt tanquam ſit ex fide aliud per fidem , ſed ad varietatem locutionis. Legem ergo.*] Quoniam quidem per fidem ſine operibus legis dicimus homines poſſe ſaluari,ergo legem deſtruimus per fidem .i. per commendationem fidei eam irritam mōſtramus. *Abſit: immò legem ſtatuimus.*] .i. volumus vt lex per omnia cōpleatur. Ille enim veraciter etiam figuralia nunc implet præcepta, qui illud facit vel credit, quod nunc tantum illa habent figurare, non efficere; non tam ſonum vocis , quàm ſenſum & intentionem attendens iubentis. Denique vt ipſe ait Apoſtolus , *plenitudo legis eſt dilectio* , de qua etiam commemoratis eius præceptis Dominus ait diuiti, *Hoc fac & viues.*

QVID *ergo.*] Quoniam quidem exteriora illa opera legis iuſtitiam non habent conferre,quid ergo iuſtitiæ vel vtilitatis? *Dicemus inueniſſe Abraham ſecundum carnem.*] .i. per illas carnales obſeruantias, veluti circumciſionis vel ſacrificiorū. Ac ſi diceret, nihil. *Cum dicit patrem noſtrum.*] .i. quem imitari debemus quaſi filij eius per doctrinam : quæſtionem ſuam

Digitized by Google

agitat, quaſi & nos eam in iſtis ſequi debeamus. *Si enim.*] Et verè non eſt per illa exteriora iuſtitiam aſſecutus, diuino iudicio, quia per illa nullum apud Dominum pretium habet, & hoc eſt: *Si iuſtificatus eſt ex operibus* .i. ſi exteriora, quæ iuſtitiæ hominibus videbantur, exercuit. *Habet quidem gloriam, ſed non apud Deum.*] .i. apud homines, qui de viſibilibus iudicant, magnus per hoc habetur: nec apud Dominum, qui cordis inſpectator eſt & renum probator, & in abſcondito videt. *Quid enim.*] Et bene dico, non ex operibus Abraham iuſtificari apud Deum, ſed ex fide, quia ſic habemus ex teſtimonio ſcripturæ. Et hoc eſt, *Quòd enim dicit ſcriptura.*] hoc eſt, attendimus quod ſcriptum eſt in Geneſi, hoc videlicet quod ſequitur.

CREDIDIT *Abraham Deo.*] .i. promiſſionibus diuinis, ſiue exeundo de terra ſua, vt multiplicaretur in aliena, ſiue de promiſſione filij ſui, de quacunque ei promiſit, quantumcumque incredibilia vel magna videntur. Hæc autem eſt vera illa fides, quæ per dilectionem operatur. Cùm itaque dicit, *credidit Deo*, tale eſt: credendo executus eſt libenter iuſſa Domini. *Et reputatum eſt hoc ei à Domino ad iuſtitiam.*] .i. ad obedientiam fidei eum apud Dominum iuſtum conſtituit: non circumciſio, vel cæteræ corporales obſeruantiæ, quæ in lege poſtea ſcripta ſunt. *Ei autem.*] Ac ſi diceret, Non ſine cauſa dico quòd Abraham ſi ex operibus iuſtificaretur haberet gloriam .i. maximam laudem inter homines, ſed nõ apud Deum: ſed propter hoc dico, quod ei *qui operatur, imputatur.*] ab hominibus, *Merces ſecundum debitum.*] hoc eſt ſuæ acquiſitionis & propriæ virtutis id dicitur eſſe, non ex aliena gratia conferri, cum apud Dominum ſola amantis fides ad iuſtitiã ſufficiat. Et hoc eſt quod ſequitur, *Ei verò qui non operatur.*] legalia videlicet opera, ſed per fidem ei verè cohæret, qui iuſtificat impium, & hoc eſt, *Credenti in eum qui iuſtificat impium*] deputatur ab eo ſcilicet, qui iuſtificat impiùm .i. à Deo. *Fides autem ad iuſtitiam.*] .i. remunerat eum pro hac fide tanquam iuſtum. Hic apertè Apoſtolus determinauit, cùm ait, *credenti in eum*, qualem fidem intelligit. Aliud eſt enim credere Deum, vt videlicet ipſe ſit: aliud eſt Deo .i. promiſſis vel verbis eius, quòd vera ſint: aliud in Deum. Tale quippè eſt credere in Deum, vt ait Auguſt. ſuper Ioannem, amare,

credendo dilegere, credendo tendere vt membrum eius efficiatur. Credunt itaque dæmones quoque & reprobi Deum, credunt Deo, sed non in Deum; quia non diligunt, nec diligendo se ei incorporant .i. Ecclesiæ, quæ eius corpus est, per deuotionem aggregant. Quomodo autem deputatur supponit, *Secundum propositum gratiæ Dei.*] Secundum hoc quod in proposito diuinæ bonitatis consistit, quæ magis animum quàm opera remunerat. Alioquin multi, qui facultatem operandi non habent, cùm tamen habent voluntatem, reprobarentur.

SICVT *& Dauid dicit.*] .i. exponit nobis, *Beatitudinem hominis cui Deus accepto.*] .i. per suam misericordiam susceptionis ipse surgere per se ad Deum non valeret. *Fert iustitiam*] quia ipse cui affertur sumere per se non poterat. Fert, inquã, *sine operibus legis,*] scilicet legalibus. Quod enim ait, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.*] generaliter dicitur, Quicunque sint siue Iudæi siue Gentiles, remittitur iniquitas quando pœna eius condonatur per gratiam, quæ exigi poterat per iustitiam: ac per hoc iam ipsam gratiam quasi fundamentum scriptura constituit, vt quicquid deinceps superædiferetur, præeunti gratiæ deputetur. Remissis autem iniquitatibus qualiter ad perfectionem diuina gratia hominem perducat prosequitur, cùm deinde addit peccata tegi, ac denique nec imputari. Remittuntur quidem peccata per pœnitentiæ gemitum, de quo dicitur: *Quacunque hora peccator ingemuerit.* Quia priusquã ei verè displicet iniquitas, & omnis mala eius voluntas abscedit: iam ita est Deo peccator reconciliatus, vt à gehennæ pœnis sit liberatus, nec vnquam gehennam incurrat si in hoc gemitu moreretur, paratus ad omnẽ quam posset satisfactionem. Tunc autẽ tecta sunt peccata, quando in hoc seculo satisfactio sequitur. Quæ quidem satisfactio & purgatorias extinguit seculi alterius pœnas, cùm prius pœnitentia pœnas deleuerit damnatorias & gehennales. Tunc ergo tecta sunt ante oculos Iudicis peccata, quando nec pro eis nihil videt quod puniat.

BEATVS *vir.*] Eum primum plurali numero beatum enunciat, & virum nominat dicens, *Beatus vir, &c.* Nisi quia diuinæ gratiæ beneficia vsque & ad singularem illum hominem ostendit, qui in vnam Christi personam Deo vnitus est.

Digitized by Google

Cuius etiam beatitudinem eodem Propheta deſcribente, in ipſo ſtatim capite libri ſcriptum eſt, *Beatus vir qui non abÿt*. Vir quippe à viribus dictus eſt ideò, quia ille qui nihil debilitatis ex corruptione peccati traxit, qui fortior fortem alligauit, & arma diripuit, quaſi vir ſingulariter per excellentiam dicitur. Alij verò cooperatione ipſius quaſi effeminati & molles omnes exiſtunt, terrenis voluptatibus ſubjacentes. Huic autem omninò ſi ſit immunis à peccato, nullum Dominus imputauit peccatum, quia nulla eum pœna pro peccato dignũ iudicauit aliquo vel originali vel proprio, qui nec in peccato conceptus fuerit, nec peccatum aliquod commiſerit. Poſſumus etiam tunc beatitudinem nominata hominum ſaluatorum vel ſaluandorum genera intelligere. Vnum quidem genus eſt paruulorũ baptiſmo vel martyrio ſanctificatorum, & quorumlibet verè pœnitentium, quibus in hac vita ſatisfactionem pœnitentiæ non licet explere. Aliud verò genus eſt, quaſi per condignam ſatisfactionem peccata corrigere. Tertium verò genus in vnius ſaluatoris ſingularitate, vt expoſitum eſt, permanet. Cum itaque ait, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, ſolam intelligit remiſſionem, quam ſcilicet nulla hîc ſatisfactio ſequitur. Paruuli autem, iuxta Pſalmiſtam, in iniquitatibus concepti ſunt: illi, in quibus concepti & nati, iniquitates remittuntur, dum originalis peccati damnationem pro eis, vt diximus, non incurrunt. Cæteri enim, ſicut ſuprà meminimus, per ſatisfactionem bonorum operum peccata corrigunt præterita. Et hoc quidem ipſa conſtructionis proprietas exigere videtur, vt cùm hæc dicuntur, *quorum* & *quorum*, non eoſdem intelligamus, ſed diuerſos. Alius enim ſenſus ſi ſemel proferatur *quorum*, hoc modo: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & tecta ſunt peccata*. Alius ſi repetitum bis dicatur, ſicut præſens habet littera. Semel quippe dictum eoſdem, duplicatum diuerſos inſinuat.

QVAESTIO de gratia Dei & meritis hominum hoc loco ſe ingerit, quæ ſint apud Deum videlicet merita noſtra, cùm omnia bona eius tantùm gratiæ tribuenda ſint, qui in nobis operatur, eodem atteſtante Apoſtolo, & velle & perficere pro bona voluntate. Vnde & alibi ait: *Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quærendum eſt in quo merita noſtra conſiſtant, in volũtate

ſcilicet tantùm, an etiam in operatione .i. quid ad gloriam ſine pœna Deus in nobis remuneret, & vtrum virtus ad beatitudinem ſufficiat, & ſi in operatione non prorumpat, & vtrũ opus exterius quod bonam vel malam voluntatem ſequitur, meritũ augeat, & cùm omnis virtus ſit animi, & in ipſo fundata conſiſtat, vtrum omne peccatum ſimiliter animi ſit, & quid inter vitium animi & peccatum differat, & quot modis peccatum dicatur. Sed quia hoc maximè ad Ethicam pertinet conſiderationem, & diutiùs in his dirimendis immorandum eſſet, quàm breuitas expoſitionis poſtulat, noſtræ id Ethicæ diſcuſſioni reſeruemus.

BEATITVDO *ergo.*] Quandoquidem oſtenſum eſt quot modis beatitudo dicatur ſiue habeatur, illud etiam videamus à quibus habeatur .i. à circumciſis tantùm an etiam à præputiatis. Et hoc eſt, quod quærendo ait: ergo hæc beatitudo, quam videlicet in Deum aſſequimur ſi non operibus etiam legis credendo, *Manet in circumciſione tantum.*] .i. in circumciſis, an etiam in præputiatis? Quæ verò ſit hæc beatitudo, quam videlicet in Deum aſſequimur, determinat; dicens eam eſſe quam Abraham conſecutus eſt, cùm ex fide fuit iuſtificatus. Et hoc eſt quod ſubdit, *Dicimus enim.*] .i. ex ſuppoſito conuincimus teſtimonio, *quia Abrahæ fides.*] qua, vt expoſitum eſt, in Deum credidit, *reputata eſt ei apud Deum ad iuſtitiam.*] .i. Deus eum iuſtum eſſe reputauit, & remuneratione iuſtorum dignum iudicauit. Dixi reputata eſt, ergo quæramus in ipſo Abraham *quomodo.*] .i. quando ſit ei reputata fides eius ad iuſtitiam, vtrum videlicet antequam circuncideretur, vel poſt, vt per eum videlicet, & de cæteris hominibus iudicare poſſimus, vtrum videlicet ſoli circũciſi hanc beatitudinem iuſtitiæ aſſequantur, an non. Et hoc eſt quod ait, quomodo ſcilicet requirendo, & ſtatim ſoluendo. *In circumciſione.*] .i. priuſquam circumciſus fuit, *In præputio.*] .i. antequam circumcideretur, dum adhuc videlicet præpucium retineret. *Et ſignum accepit.*] Forte quæreret aliquis quare ſuperfluè circumciſionem acceperit Abraham, cum ante iuſtificatus fuerit, nihilque in ea iuſtificationis acceperit. Et ideò hanc quæſtionem præueniens ait, non ad iuſtificationem aliquam eum hoc ſignum exteriùs ſuſcepiſſe, ſed ad ſanctificationem & oſtenſionem iuſtitiæ, quam iam

habebat

habebat in mẽte dũ adhuc in præputio eſſet. Et hoc eſt quod dicitur *ſignũ accepit, &c.* .i. circumciſionẽ accepit pro ſigno, & cuius rei ſigno ſtatim ſupponit. *Signaculum.*].i. pro ſignaculo i. ſigno, *Iuſtitiæ fidei.*] quæ eſt etiã in præpucio .i. in præputiatis nihilominus quàm in circumciſis, vt videlicet tali ſigno iuſtitiam potiùs deſignaret quàm adipiſceretur. Iuſtitia fidei dicitur, quæ eſt in mente, ad differentiam illius quam ſolent homines iuſtitiam appellare, quam ſcilicet exteriùs exercẽt in vindicta malorum, vel in beneficijs aliquibus exigendis. Vnde ſcriptum eſt, *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.* Poſſumus etiam ita variare ſignũ & ſignaculum, vt circumciſio ipſa alterius rei ſignum ſit, alterius verò ſignaculum: ſignum quidem ſit carnalium Abrahæ filiorum, & ſignaculum ſpiritualium; cùm ipſe tam Iudæorum ſecundum carnem quàm Gẽtilium per fidem pater ſit conſtitutus. Eſt quippe iuxta Haimonem ſignaculum quaſi ſigillum quod alicui rei imprimitur vt lateat, atq; ideo benè referendum videtur ad ſpirituales filios Abrahæ ex Gẽtibus futuros, qui nondum apparebant. Circumciſio itaque, quæ in ipſo incœpit, & in carnali eius poſteritate eſt reſeruata, tam ſignum quàm ſignaculum fuit, quia & per eam diſtinguebantur à cæteris populis filij Abrahæ carnales, & præſignabantur futuri ex gentibus filij eius ſpirituales, qui v. per fidem imitarentur. Vnde & bene Iſmael, quẽ ſecundũ carnem, nõ ſecundũ virtutẽ miraculi genuit, circumciſus legitur, per quod v. carnalium Abrahæ filiorũ circumciſio ſignaretur: exterior per quam, vt dictum eſt, carnalis Iſrael cognoſceretur. Iſaac verò qui poſtea natus eſt, gentilis populi poſtea vocati ſpiritualem à vicijs circũciſionem exprimit, quam & proſeliti figurabant. Rectè itaque Apoſtolus ſignum & ſignaculũ diſtinguens quantum ad Iudæos carnales Abrahæ filios, & Gentiles filios eiuſdem etiã ſpirituales dixit primitus ſignum circumciſionis .i. ſignum carnalis Iſrael, per quod videlicet populus ille à cæteris diſtinguebatur, & poſt modũ ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præpucio .i. ſacramentum ſpiritualis circumciſionis, quam ſolam habent fideles ex gentibus collecti. Poteſt etiam ſignaculum quaſi expreſſum ſignum intelligi, iuxta quod in laude apoſtatæ Angeli dicitur, *Tu ſignaculum ſimilitudinis, &c.* Per hoc quippe circumciſionis

Digitized by Google

ſignum maximè iuſtus ac ſpiritualis homo exprimitur, qui voluptatibus carnis propter Deum renunciat, & à ſe illas amputat, quæ maximè in renibus dominantur, & per genitalia exercentur. Poteſt & ſignaculum quaſi diminutiuum accipi à ſigno .i. primum ſignum iuſtitiæ Abrahæ. Non enim erat magnum illam cuticulam ad imperium Dei amputare, ad comparationem eorum quæ poſtea ſpirituales Abrahæ filij tam Martyres quàm reliqui Sãcti pro Chriſto ſuſtinuerũt. Poteſt & ſic diſtingui ſignum & ſignaculum, vt quod ſignum magnum eſt in carne tam bonis videlicet quàm malis commune, paruum eſt ſignum iuſtitiæ, quia pauci ſunt qui Abrahæ ita per iuſtitiam cohæreant ſicut per carnem. Signum itaque eſt ſecundum carnem, ſed ſignaculum .i. paruum ſignum ſecundum iuſtitiam, quia in multis Abrahæ poſteris ſecundum carnem eſt dilatatum, ſed in paucis ſecundum iuſtitiam contractum. Vnde bene dicit ſignum circumciſionis, ſcilicet exterioris, quæ omnibus ęquè conuenit, & ſignaculum iuſtitiæ quæ paucorum eſt.

NVNC verò pauca de virtute & ſacramento circumciſionis diſcutienda ſunt, quid videlicet ipſa conferret aut figuraret, & quare potiùs in membro genitali & virili, non femineo inſtituta ſit, & in octaua die iuſſa fieri in infantibus. In adultis quippe nullum erat circumcidendi determinatum tempus, niſi quando ad Iudaiſmum conuerterentur. Conſtat autem hoc idem apud antiquos circumciſionẽ valuiſſe, quod nunc apud nos baptiſmus efficit. Vnde ait Auguſt. de nuptijs & concupiſcentia lib. 1. *Ex quo enim inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat & in paruulis veteris originalis peccati, ſicut & baptiſmus ex illo valere cæpit ad innouationẽ hominis, ex quo eſt inſtitutus.* Greg. in Moral. lib 1111. *Quod valet apud nos aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſanctificẽ, vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe deſcenderant myſteriũ circumciſionis.* Ex his itaq; liquet circõciſionem apud Antiquos eandẽ vim obtinuiſſe in remiſſione peccatorũ, quam habet modo baptiſmus: & tamẽ qui modo baptizati ſtatim moriuntur, regnũ cœlorũ ſtatim ingrediuntur: quod tunc non fiebat, quia ſcilicet hoſtia nondũ erat ſoluta, in effuſione videlicet ſanguinis Chriſti, ſicut nec illi qui baptiſmo

Digitized by Google

Chriſti baptizati fortaſſis ante paſſionē ei⁹ mortui ſunt, ianuæ cæleſtis aditū adhuc habere poterant. Non enim niſi per mare rubrum tranſitum habuerunt Iſraelitæ ad terram promiſſionis, hoc eſt baptiſmus qui per mare deſignatur non poteſt ſine rubore .i. ſanguinis Chriſti effuſione quenquam ad veram promiſſionis terram .i. cœleſtem Ieruſalem tranſmittere. Quemadmodum verò baptiſmo Chriſti hoſtia poſtmodum adiuncta regnum cœlorum contulit, ita eadem circumciſione præcedentium ſubſecuta idem eiſdem præſtitit. Eſt autem circumciſio carnis ſignum interioris animæ circumciſionis, ſicut ablutio exterior baptiſmi ſignum interioris animæ mundationis per peccatorum remiſſionem. Maximè autem in genitali membro, quo per carnalem concupiſcentiam culpæ originalis peccatum vna cum prole propagatur, hoc ſacramentū fieri oportuit; vt illo merito membro plecteretur peccatum quod per ipſum ad poſteros tranſmittitur· Mulier verò cui dictum eſt, *In dolore paries filios*, non huiuſmodi pœna afficienda fuit, cui ad pœnam ſatis eſſe debuit in genitali ſuo, per quod ſimiliter peccatum transfunditur, partus grauiſſimus dolor, quem in eo ſuſtinet: cui ni fallor ſexui ſacrificium pro eo oblatum ad indulgentiam ſufficit, atque ad originalis peccati remedium. Videtur inſuper nobis ob hoc præcipue genitale viri potiùs quàm mulieris circuncidendum fuiſſe, vt in hoc ſignificaretur omnibus in populo illo, qui per illud membrum gignerentur, huius ſacramenti remedium eſſe neceſſarium, per quod ipſi à veteris hominis expiarentur contagione. Quod non ita eſt de muliere, cùm Dominus Ieſus ex muliere abſque omni peccato natus fuerit. Poteſt etiam viri circumciſio beatum eundum virum ſpiritualiter deſignare, qui ſolus ſine concupiſcentia conceptus carnem puram & penitus abſque præputio immunditiæ ſuſcepit. In cuius quidem typo femur Abrahæ, quod primo circumciſum eſt, ſeruus eius in ſacramento ſuſcepit, quaſi in eum iurās qui ex ſemine illo naſciturus ei primo fuerat promiſſus .i. in Chriſtum. Circumciſioni verò infantium certa dies .i. octaua recte præfixa eſt, vt in hoc videlicet præfiguraret illius octauæ claritatem, & beatitudinem quæ ſanctis promiſſa eſt illis ſolis deberi qui innocenter more paruulorum vixerunt, nec purificationis ſacramentum ad hoc ſufficere, niſi innocentia

cuſtodiatur vitæ. Ad quod nos Dominus adhortans conſtituto in medio paruulo ait, *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruulus iſte, &c.* Octaua dies, qua circunciditur paruulus, futuram Sanctorũ claritatem in die reſurrectionis ſignificat, quãdo v. reſumptę carnis veritas permanebit, ſiue ſuperaddita corruptela peccati, quæ erit vera circũciſio, in expoliatione ſcilicet veteris hominis cum actibus ſuis, cùm iam videlicet carnalis concupiſcentiæ ſtimulis manentibus angelicè nobis viuendum fuerit: vbi, inquit Veritas, *neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Quia verò totum præſentis vitæ tempus per ſeptem dies peragitur, rectè illa vitæ futuræ perpetua claritas per octauam intelligitur. Vnde & Pſalmos, qui intitulantur pro octaua, ad diem reſurrectionis certum eſt pertinere.

QVAERITVR autem de infantibus ante octauam diem morientibus, vtrũ dãnentur, cùm eos videlicet nondũ iuxta præceptum Domini circuncidi liceat, nec pro eis legamus ſacrificia eſſe offerenda ante diem maternæ purificationis .i. à natiuitate maſculi quadrageſimum. At verò cum ſcriptũ ſit, *Omnis anima cuius caro præputij non fuerit circumciſa, peribit de populo ſuo.* Et rurſus ſi præcepto Domini ante octauam diem à circumciſione parui inhibeantur, videtur crudelis diuina ſententia in damnationem talium, qui & his circumciſionem neceſſariam inſtituit, & circumcidi quando poſſent nõ permittit. Neque autem à Saluatore quicquam præcipi vel inſtitui oportuit quod ſaluti obſiſteret, nec eneruari debuit remedium quod pluribus proficere poſſet, vt pote fides parentum, ſiue ſacrificiorum ritus, quibus antea paruulos ſiue adultos mundari conſtat, iuxta illud Gregorij quod nouiſſimè adiecimus. Sed hoc quidem obiectioni in noſtri quoque ſacramenti inſtitutione .i. baptiſmi redundare videtur, cum v. propter aquæ tantum abſentiam deeſſe nonnullis baptiſmum contingat, quem in aqua ſolummodo Dominus conſtituit, nec tamen eos cùm vel ipſi ad hoc nitantur, vel alij propter eos, ſaluandos eſſe definimus abſque baptiſmo, niſi interueniat martyrium. Prouidentiæ itaque diuinæ omnem eius diſpoſitionem committentes, qui ſolus nouit quare hũc elegerit, illum verò reprobauerit, authoritatem ſcripturæ quam ipſe dedit immobilem teneamus; vt videlicet tẽpore

circumcisionis nullos de semine Abrahæ sine illa mortuos temerè asseramus saluari, nisi fortè pro Domino interfecti sint, sicut de innocẽtibus creditur. Attende autẽ quod dictũ est, *de semine Abrahæ*, cùm nonnulli fideles etiam post institutionem circumcisionis ante aduentum Christi circumcisi morientes lege naturali nihilominus quàm circumcisi saluati sunt, sicut Iob & nonnulli fortasse alij gentiũ naturali lege contenti, & sacrificiorum ritu quæ Iob quoque pro filijs obtulisse legitur, ab originali peccato seu proprijs expiati, sicut Abel vel Noe ante legem, vel circumcisionis institutionem: de qualibus supra Apostolus meminit, dicens, *Cum enim gentes quæ legem non habent, &c.* Vnde & Isidorus de summo bono lib. 1. cap. xv. *Christi*, inquit, *aduentum non tantum plebis Iudeæ sancti prophetantes expectauerunt, sed fuisse etiam in nationibus pleroſque sanctos viros prophetiæ donum habentes, quibus per Spiritum sanctum Christus reuelabatur, & à quibus expectabatur, sicut Iob, Balaam, qui Christi vtique prædicauerunt aduentum.* Licet autem Iob ex Abraham quoque & Isaac per Esau descẽdisse credatur, non tamen in semine Abrahæ vel Isaac quisquam est computandus, qui ex Patriarcharum filijs in cultu Dei minimè remanentibus sit procreatus. Vnde & Dominus Abrahæ leniens molestiam eius, de expellenda scilicet Agar ancilla & Ismaele filio suo ad imperium Sarræ, *Non tibi*, inquit, *videatur asperum super puero & super ancilla tua. Omnia quæ dixerit tibi Sarra, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Hoc etiam Apostolus in inferioribus præsentis Epistolæ prosecutus & quasi spiritualiter exponens ait. *Non enim omnes qui ex Israel hi sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen* .i. nõ qui filij carnis hi filij sunt Dei, sed qui filij promissionis sunt æstimantur in semine. Itaque iuxta historiæ veritatem, neque Iob neque alij multi licet de genere sint Abrahæ, tamen semen Abrahæ vocandi non sunt, quia de infidelibus vt dictum est nati sunt. Patres tamen talium, licet infideles fuerint, vt pote Ismael siue Esau, semen Abrahæ sunt, quia non de infidelibus geniti, iuxta quod Dominus Abrahæ supradixit de Ismael, *quia semen tuum est.* Et tamen nullum semen Abrahæ vocandum erat sicut in Isaac. Aliud est itaque Isaac siue Is-

propriè attinet, innocens infans. Tunc ergo diſſipauit teſtamentum Dei, nec hoc de imperata circumciſione, ſed illud de ligni prohibitione, quando per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines tranſiit, in quo omnes peccauerunt. Ecce beato exponente Auguſtino quomodo vnuſquiſque in primis parentibus teſtamentum ſiue pactum Domini .i. primã eius à Domino legem datam in Paradiſo tranſgreſſi ſunt, vt ſaltim originalis peccati vinculo teneatur, & paruulus cum de Abraham cæteriſque fidelibus natus parentibus de populo ſuo .i. à ſorte & beàtitudine fidelium patrum ſuorum ſit excludendus, niſi ei vt dictum eſt circumciſionis remedio ſubuentum fuerit. Quod verò in præcepto circumciſionis addit ũ eſt, *tam vernaculus quàm emptitius circuncidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra*, ita eſt intelligendum, vt de vernaculis vel emptitijs eorum, ſiue fuerint Hebræi .i. de ſtirpe ſua, ſiue non, hoc præcipiat Dominus, non de alijs nationibus. Tale ergo, *Tam vernaculus quàm emptitius circuncidetur, & quicunque non fuerit, &c.* Ac ſi diceret, de vernaculis & empticijs etiam omnes illi qui non fuerint de ſtirpe veſtra. Non eſt igitur circumciſionis generale præceptum, ſicut eſt baptiſmi, ſicut Euangelij, ſed populo tantùm Iſrael eam eſſe traditam, non gentilibus. Quod diligenter Origenes in poſterioríb. oſtendit, diſtinguens ex ipſis litteræ teſtimonijs quæ præcepta legis ſint generalia, tam ad Iudæos ſcilicet quàm ad Gentiles pertinentia, quæ non. Vnde etiam conſtat nec traditionem legis eſſe generalem. Quod ipſe quoque Moyſes diligenter diſtinguens, in Deuteronomio ait: *Et nunc Iſrael audi præcepta & iudicia quæ ego doceam te, vt faciens ea viuas, & ingrediens poſſideas terrã quam Dominus daturus eſt vobis.* Itẽ. *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, vt habeat cerimonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſam legem quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Et iterum, *Docebis eam filios tuos ac nepotes.* Et poſt aliqua, *Te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram.* Et Pſalmiſta, *Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Apoſtolus quoque patenter legem non omnibus loqui, vel datam eſſe ſuprà profeſſus eſt, dicens: *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur.*

ſeculi myſteriũ tenet. Illorũ ergo eſt circumciſio ſpiritalis qui futuro ſeculo militant, in quo neq; nubẽt neq; nubẽtur, & eorũ qui ſeipſos caſtrauerũt propter regnũ Dei, & quorũ in terris ambulantiũ in cælis eſt cõuerſatio. Sed apud Ezech. dicit Dominus, *Omnis filius alienigena incircumciſus corde & carne non introibit in ſancta mea.* Sed videamus ne forte referri queat ad duo generalia præcepta, vt ſit incircũciſus corde qui nõ habet fidẽ, incircũciſus carne qui nõ habet opera. Altera nãq; ſine altera reprobatur, quia & fides ſine operibus mortua dicitur, & ſine fide nemo viuificatur. Item, & dicitur circuncidi auribus, cùm ſecundum Salomonis monita non recipit auditionem vanam, & incircunciſus labijs dicitur, qui non circuncidit blaſphemiam, ſcurrilitatem, turpiloquium de ore ſuo, qui non poſuerit ori ſuo cuſtodiam. Cur non ſimili forma incircumciſus præpucio carni ſuæ dicatur qui erga naturalem coitus motum immoderatiùs effluit? Circumciſus vero habeatur qui huiuſmodi negotio legitimis & quãtum poſteritati ſufficit vtatur officijs? Vnde quoniam de circumciſionis ratione tractauimus, & illud adiungere non abſurdum videbitur, quòd filius Naue ex præcepto Domini filios Iſrael ſecundo circumcidiſſe cultris ſaxeis memoratur. Quod vtiq; quantũ ad litterã impoſſibile videtur. Semel enim circumciſis in carne præpucijs, quid inuenire poteſt ſecunda circumciſio? Ieſus verò noſter qui verè poſt Moyſem filios Iſrael in terram ſanctam induxit, euidens eſt quomodo ſecundo circumcidat † credentium populorum. Prima namque eſt circumciſio, quæ ab eis vel idolorum cultum vel cõmenta Philoſophicæ perſuaſionis reſecuit. Secunda autem veteris hominis conſuetudinem ac vitia carnis abſcidit. Et tunc impletur quod in Ieſu Naue ſcriptum eſt, *Hodie à vobis abſtuli opprobria Ægypti*. i. Ægyptiorum morem & motus animi barbaros. Stoici aiunt, Indicet aliquid myſticum circumciſio, & figuram teneat allegoriæ. Itáne opportuit, vt cum pœna & periculo paruulorum, cum cruciatibus teneræ & innocentis infantię figurarum ſpecies & legis ænigmata crederentur? Sic non habebat legiſlator vbi firmas iuſtitias poneret niſi in deculcatione verecundorum locorum, & Dei ſignaculum niſi in obſcœnis partibus? Itáne Deus & animæ creator & corporis, ſuperfluò ſe plaſmaſſe partem illam corporis notat,

† †

quam poſtmodum abſcindi mandat, & per miſerorum ſupplicia proprium emendat errorem, aut quod vtiliter fecit nõ rectè mandat auferri? Propterea, ſi curæ eſt Deo plurimos ad cultum ſanæ religionis adduci, maximum ex circumciſione obſtaculum naſcitur. Cùm eo enim quod ſupplicium vnuſquiſque declinat, tunc etiam quod irriſionis turpitudinem refugit. Quibus reſpondere neceſſarium puto. Nemo ſapiens in alijs notat quæ apud ſe honeſta ducit & magna. Etenim circumciſio apud nos Gentiles ita manifeſta habetur, vt non paſſim vulgo ignobili, ſed ſolis Sacerdotibus, & hijs qui inter ipſos electioribus ſtudijs mancipati fuerint, credatur. Nam apud Ægyptios qui in ſuperſtitionibus veſtris vetuſtiſſimi habentur & eruditiſſimi, à quibus prope omnes reliqui ritum ſacrorum & ceremonias mutuati ſunt; apud hos, inquam, nullus aut Geometriæ ſtudebat, aut Aſtronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur. Nullus certè Aſtrologiæ & Geneſeos, qua nihil diuinius putant, ſecreta rimabatur niſi circumciſione ſuſcepta. Sacerdos apud eos aut aruſpex, aut quorumlibet ſacrorum miniſter, vel vt illi appellant propheta omnis circumciſus eſt. Litteras quoque Sacerdotales veterum Ægyptiorum nemo diſcebat niſi circumciſus. Omnes vates, omnes cœli vt putant infernique ſimiuſtes & conſcius apud eos eſſe non creditur, niſi circumciſus fuerit. Hoc ergo apud nos turpe iudicatis, quod apud vos ita honeſtum habetur & magnũ, vt cœleſtium infernorumq; ſecreta nonniſi per huiuſcemodi inſignia enunciari nobis poſſe credatis. Vnde ſi replicetis hiſtorias veſtras, inuenietis non ſolũ Ægyptiorum Sacerdotes vſos eſſe circumciſione, ſed etiam Arabas, & Ætiopas, & Phenices, alioſque quorum ſtudia erga huiuſmodi ſuperſtitiones nobiliùs viguere. Hæc dicta ſunt aduerſus Gentiles. Nunc ad eos ſermo dirigatur, qui Chriſto quidẽ credunt, ſed legem non recipiunt & Prophetas. Scriptum eſt in Epiſtola Petri, quia redempti ſumus precioſo ſanguine vnigeniti, ab aliquo ſine dubio empti cuius eramus ſerui, qui & pretium propoſuit quod voluit, vt dimitteret quod tenebat. Tenebat autẽ nos diabolus, cui diſtracti fueramus peccatis noſtris. Popoſcit ergo pretiũ noſtrũ ſanguinẽ Chriſti. Vnde donec Ieſu daretur, neceſſarium fuit eos qui inſtituebantur in lege, vnumquemque pro ſe ad imitationem

Digitized by Google

quandam futuræ redemptionis ſanguinem ſuum dare. Et propterea nos, pro quibus completum eſt pretium ſanguinis Chriſti, non neceſſe habemus pro nobis precium ſanguinem circumciſionis offerre. Si ergo culpabile videtur quod Deus inferri iubet infantibus, hoc etiam in Chriſto factum culpabitis, qui & circumciſus eſt, & cum crucis pœna ſanguinem effudit. Quod verò circumciſionis horrore difficilis ad religionem videtur acceſſus, difficiliùs multo videbitur ingreſſus ad Euangelium; vt non partem exiguam corporis, ſed ipſam quis animam ponere iubetur. Sed & exempla Martyrũ ſecundum nos prohibebunt homines accedere ad fidem. An eo magis creditur firma religio, quòd nihil remiſſum, nihil delicatum pollicetur aut molle? Quòd ſi & nihil ſacramenti circumciſio teneret, quid eſſet abſurdi ſi ad diſtinctionẽ ceterarum gentium populus, qui ſub lege Dei inſtruebatur, proprium aliquod geſtaret inſigne? Et ſi neceſſaria viſa eſt partis alicuius amputatio, quid tam conueniens fuit quàm eam minuere, quæ videbatur obſcena, & illa auferre quorum diminutio nihil ad officium corporis impediret? Quod vero dicunt, quia ſi neceſſaria non erat pars illa membri, à creatore fieri non debuit: ſi neceſſaria facta eſt, non debuit auferri. Interrogemus & nos, ſi neceſſariam dicant filiorum procreationem. Neceſſariam ſine dubio reſpondebunt. Erũt ergo culpabiles, qui continentiæ & virginitatis obtentu neceſſarijs naturæ officijs nõ miniſtrant. In sũma verò dicendũ eſt, quòd ſicut neceſſariæ erant multæ hoſtiæ antequam vna hoſtia agnus immaculatus ſemetipſum patri offerret hoſtiam Chriſtus, ita etiam multis circumciſionibus opus fuit quouſque vna in Chriſto circumciſio omnibus traderetur: & multorum ſanguinis effuſio præceſſit quouſque per vnius ſanguinem omnium redemptio fieret.

AMBROSIVS in Epiſtola ad Conſtantium maximè Origeni in ſupradictis de circumciſione conſentiens: Pleroſque, inquit, mouet quæſtio, qua cauſa circumciſio & veteris teſtamenti authoritate quaſi vtilis imperetur, & noui Teſtamenti magiſterio quaſi inutilis repudietur? Quod ergo dicemus ſecutum Patrẽ Abraham, vt id primus inſtrueret, quod eius non ſequeretur hæreditas? Item, Reperimus autem in hiſtoria veterum non ſolum Ægyptios, ſed etiam Ætiopum

Digitized by Google

& Arabum, & Phœnicum aliquos circumciſione erga ſuos vſos; & hanc putant ſe adhuc probandæ viam ſeruare rationis, eò quòd ſui corporis primitus & ſanguinis iniciati inſidias dæmonum, quas illi generi ſuo molliuntur, exiguæ partis arbitrantur conſectionibus deſtruenda. Sed arbitror iam nõ ocioſam cauſam in hanc portiunculam mẽbri æſtimare, qua circuncidatur puer octaua die, quando incipit mater in ſanguine eſſe puro, quæ ante octauam diẽ fertur in ſanguine immũdo ſedere. Hierony. in Epiſt. ad Rom. Quæritur quare data ſit circumciſio ſi per ſe non prodeſt. Primum vt agnoſceretur Dei populus inter gentes. Quando ſoli erant in heremo, circumciſi non fuerunt. Siue vt corpora illorũ cognoſcerentur in bello. Nam quod in tali membro ſignatur, hæc cauſa eſt, primum ne aliud membrum aut debile fiat aut turpe, quod publicè videtur. Item, propter gratiæ promiſſionem, in qua erat per caſtitatem placendum, ſiue vt Chriſtus ſignificaretur ex eius ſemine naſciturus, vſque ad quem futura erat iſta carnalis, quia ſpiritualem habebat afferre, cuius typum gerens Ieſu Naue, qui populum ſecundo circumcidere iubetur.

ſ. quare SOLET, memini, nonnulla eſſe quæſtio, quando* videlicet Ioſue cultris petrinis ex præcepto Domini filios Iſrael ſecundò circuncidit, quaſi qui antea circumciſi eſſent rurſus circumcidi potuiſſent. Beatus verò Auguſtinus in lib. quæſtionis veteris & nouæ legis omnem huius dubitationis errorem remouens, docet ſecundam hanc circumciſionem non in eiſdem perſonis, ſed in eodem populo factam fuiſſe. Quod & patenter continent verba ipſa hiſtoriæ libri Ioſue, hæc videlicet. *Eo tempore, ait Dominus ad Ioſue, fac tibi cultros lapideos, & circuncide ſecundò filios Iſrael. Fecit quod iuſſerat Dominus, & circuncidit filios Iſrael.* Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis. Omnis populus qui egreſſus eſt ex Ægypto generis maſculini vniuerſi bellatores viri mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus, qui omnes circumciſi erant. Populus autem qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit, donec conſumarentur qui non audierant vocem Domini. Horum filij in locum ſucceſſerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue,: quia ſicut nati fuerant in præpucio erant, neque eos in via aliquis

Digitized by Google

circumciderat. Poſtquam autem omnes circumciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco donec ſanarentur, dixitque Dominus ad Ioſue: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.* Miror itaque Origenem tam litteratum virum in hac ſecunda circumciſione per Ioſue factam adeò erraſſe, vt eam ſuperiùs aſſereret nullo modo iuxta literam fieri potuiſſe. Quam tamen hiſtoria ipſa mox à Ioſue factam adiecit, dicēs: *Fecitque quod iuſſerat Dominus, & circumcidit filios Iſrael.* Nunc ad expoſitionem Epiſtolæ redeamus.

VT *ſit pater omnium*] Duo dixerat, quòd videlicet Abrahæ in præpucio .i. dum præpucium haberet, reputata eſt fides ſua ad iuſtitiam, tanquam iam ſpiritualiter circumciſo: & quòd poſtea carne quoque circumciſus eſt, vt per hæc duo videlicet ſit pater atque author cæteris in exemplo & doctrina propoſitus, tam de ſpirituali quàm carnali circumciſione. Et hoc eſt, *vt præpucium*, in quo iuſtificatus antequam circumciſus ſit pater credentium, in hoc ſcilicet quod credentes ſunt reputetur etiam illis ad iuſtitiam, quamuis deſit exterius ſignum. *Et ſit pater circumciſionis.*] Videlicet exterioris.i. primus omnibus in ſpirituali ſimul & carnali circumciſione in exemplo & authoritate propoſitus. *Non his tantum.*] ſcilicet pater. *Qui ſunt ex circumciſione.*] .i. quibus præcepta eſt carnis circumciſio. *Sed & his qui ſectantur, &c.*] .i. qui habent fidem cum præpucio. Sic conſtrue. Veſtigia fidei patris noſtri Abrahæ, quæ ſcilicet fides eſt in præpucio .i. in præpuciatis æquè vt in circumciſis. *Non enim per legem.*] Cùm ſuperiùs oſtenderet hominem ex fide ſine operibus legis iuſtificari, & per hoc glorificationem legis Iudæis auferret, manifeſtum de Abraham patre ipſorum interpoſuit exemplum. Vnde nunc ad glorificationem legis euacuandam reuertitur, ac ſi iterum ſupradicta vt ea probet repetens dicat: Dixi ſuperiùs me arbitrari hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis, quod in ipſo etiam patet Abraham, qui opus maximum, legis ſcilicet circumciſionem ſuſcipiens, potiùs per iuſtitiam fidei, quàm per opus ipſum legis iuſtificatus eſt, & merito. Non enim per legem .i. per aliquod legis, vel per obedientiā legis, quæ nondū data erat, meruit promiſſionē hæreditatis accipere, ſed per *Iuſtitiam fidei.*] .i. per fidem iuſtificantē, ſiue per iuſtitiā ex fide venientē, aut ſemini eius .i. exēplo eius in-

Digitized by Google

ſtructi, *Vt hæres eſſet mundi.*] .i. perpetuus poſſeſſor vniuerſorum bonorum quæ per fœcunditatem terræ promiſſæ ſignificantur. Vniuerſa quippe poſſidet bona, qui omnia habet neceſſaria,& ei nihil deeſſe dicitur qui nullo indiget. Vnde Apoſtolus de his qui exemplo Abrahæ peregrinantes terrena deſpiciendo cœleſtia appetunt ait, *Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Vel eſſet hæres mundi .i. ſoli ex vniuerſo muudo eligerentur, vt fierent hæredes. *Si enim qui*] Bene dico per opera legis non peruenirí ad hæreditatẽ fidelibus promiſsã. *Alioquin fides eſſet exinanita.*].i. meritũ fidei euacuatũ, cùm æquè infideles ſicut fideles opera illa legis habere poſſint, & per hoc hæredes fieri. *Et promiſſio abolita.*] .i. inefficax & irrita facta. Per quam quidem promiſſionem in ſemine Abrahæ gentes ſunt benedicendæ, quæ legis opera non habent. Et hoc eſt, ſi qui ex lege ſunt, ſubaudis ſunt hæredes .i. qui opera legis habent, pro hoc hæreditatem merentur, &c.

Lex *enim.*] Iterum probat per legem .i. opera illa legis exteriora, quæ lex præcipit, non acquiri hæreditatem, immò magis reos conſtitui homines per legem , vt hæreditatem amittant. Multa quippe ſunt opera legis ita grauia, vt eos à quibus vel in quibus fiunt adeo affligant, vt vix eis aut nunquam præcepta eorum placeant, nec voluntariè poſſint impleri, ſicut eſt, dentem pro dente & oculum pro oculo tollere,& nonnullis mortem inferre. Quis enim in his quos diligit hæc libenter exerceat, aut in ſe ea libenter excipiat? Vnde Petrus in Actibus Apoſtolorum eos refellens, qui Chriſtianis opera legis imponere volebant, vt ea videlicet ipſi quoque ſeruarent, ait: *Viri fratres, quid tentatis Dominum imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus: ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluari, quemadmodum & illi.* Lex itaque carnalem & duræ ceruicis populum ex operibus legis magis reum effecit, quàm purgauit. Spiritualibus verò nihil iuſtitiæ contulit, per illa videlicet propria ſua opera exteriora. Et hoc eſt quod ait: Lex enim illa legalia opera iram Dei in eos potius operatur quàm veniam vel aliquam iuſtificationem. Et quare iram? Quia tranſgreſſores ſui facit eos, non alios ſ. & hoc eſt: *Vbi enim non eſt lex, &c.*] Idem illi quibus illa legalia præcepta non ſunt data,

Digitized by Google

præuaricationis & trãſgreſſionis reatum per illam non incurrunt, cùm eis voluntarie non obediunt. *Ideo ex fide.*] ſcilicet ſunt hæredes. Quandoquidem non ex lege. Vel ita continua. Dixi non per legem eſſe factam promiſſionem hæreditatis, ſed per iuſtitiam fidei. Ideo, ex fide ſunt hæredes. Et hoc eſt, *Vt ſit firma promiſſio.*] ſcilicet hæreditatis .i. ad effectum perducta. *Omni ſemini Abrahæ.*] .i. fidem eius imitanti, tam Gentili ſcilicet, quàm Iudæo. Et hoc eſt quod ſubdit, *Non ſolum ei qui eſt ex lege.*] .i. Iudæo qui legi ſubiacet, *ſed ei etiam qui ex fide eſt Abrahæ.*].i. gentili, qui ſola fide Abraham imitatur, ſecundum gratiam ſcilicet Dei, ſit firma promiſſio eius non ſecundum merita legalium operum. *Qui eſt pater.*] ſcilicet Abraham. *Omnium noſtrum.*] tam Iudæorum ſcilicet quàm gentilium .i. in exemplo ad imitandũ hominibus propoſitus eſt. *Sicut ſcriptum eſt.*] in Geneſi ſcilicet, ac ſi diceret: Eo videlicet modo pater eſt atque author omnibus in exemplo ad imitandum propoſitus, quo promittitur à Domino pater eſſe multarum gentium, .i. diuerſarum regionum, credẽdo ſcilicet magis quàm opera legis exercendo. Quod patenter inſinuat, cùm ſubdit, *An Deum cui credidiſti*] Verba Domini loquentis ad Abraham ſunt iſta. *Quia patrem, &c.* Sic quippe ſcriptum eſt. *Non vocabitur nomen tuum Abraham, ſed vocaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Innuitur itaque ex his verbis interpretatio nominis Abrahæ, quod ſonat pater multorum. Sed quod additur *gentium*, explanatio eſt potiùs quarum rerum multarum ſit intelligendum, quàm interpretatio. Sed & quod ait Apoſtolus, *ante Deum, cui credidiſti*, vel noſtræ tranſlationis eſt ſubtractum, vel ex parte Apoſtoli additum, vt videlicet determinaret Abraham ex fide in omnibus in patrem eſſe propoſitum magis quàm ex circumciſione. Pater ponitur .i. conſtituitur ante Deum, .i. in beneplacito eius, qui filios non quærit ſibi generare, ſed Deo nec concumbendo ſuæ voluptati ſatisfacere, ſed exemplo fidei magis quàm propagatione carnis filios Dei præparare. Quod patenter inſinuat cùm ſubdit, *Cui credidiſti.*] De omnibus ſcilicet eius promiſſis. Ac ſi diceret, Poſui te patrẽ ante Deũ cui credidiſti .i. vt per hoc quod ei credidiſti miniſtros ſibi ſimiles exẽplo tuæ fidei illi generares. Quod Deus loquens ad Abrahã ita fatur: *Patrẽ multarum gentiũ poſui te ante*

Digitized by Google

Dominũ. Et nõ dicit, ante me: ſed ita de ſe quaſi de alio loquitur. Cõſuetudo eſt Hebraici ſermonis. Vnde & ipſe legiſlator, qui hoc ſcripſit, ſemper de ſe ipſo quaſi de alio conſueuit loqui: veluti cùm ait, *Dixit Dominus ad Moyſem*. Et item: *Et erat Moyſes mitiſſimus, &c.* quod tamen non ſine cauſa factum videtur, vt .v. alius quaſi de alio loquatur. Cõſtat quippe in ſanctis & maximè in Prophetis, Dominum potius quàm ipſos loqui. Vnde Prophetæ aliquid dicturi frequẽtet aiunt. *Hæc dicit Dominus*. Et Veritas in Euangelio ad diſcipulos: *Non enim vos eſtis, inquit, qui loquimini*. Apparens quoque & loquens Dominus Abrahæ olim vel cæteris, quoniam id per Angelum exhibebat, veritatem ipſius apparentis vel loquentis Angeli à ſeipſo prouidè diſtinguebat, vt ipſo quoque locutionis genere alius intelligeretur qui verba firmaret, quàm ipſe de quo verba erant .i. Angelus à Domino.

Qvi *viuificat*.] Et merito ei credidiſti de ſuis promiſſis, quia talis eſt qui viuificat mortuos .i. infideles prout vult ad fidem conuertit. Mortui dicuntur infideles, vulnerati, peccatores. Vita quippe iuſtorum fides dicitur, iuxta illud: *Iuſtus ex fide viuit*. Qui infidelis eſt, nihil penitus boni habet, quo Deo placere poſſit, *quia ſine fide*, vt ipſe dicit Apoſtolus, *impoßibile eſt Deo placere*. *Et vocat*.] .i. ita ſuis verbis facit obedire non exiſtentia. *Dixit enim, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt*, ſicut exiſtentia. *Qui contra ſpem*.] Commendata potentia Domini, vt de eius promiſſis nullatenus ſit dubitandũ, commendat & conſtantiam fidei Abrahæ, ad quam imitandam adhortatur. Cùm primitus Abraham deſperaſſet de Sara, ſperauit de Agar ſe hæredem ſuſcipere. Poſtea verò è contrario per promiſſionem Domini credidit, ac ſperauit: & hoc eſt, *credidit in ſpe contra ſpem* .i. credendo diuinis promiſſis ductus eſt in ſpem ſuſcipiendi ſcilicet hæredis contrariam priori ſpei. Aliter. Quando duxit Sarram credidit eam fœcundam & ſecundum naturam ei filios in iuuentute parituram. Poſtea verò fruſtratus hac ſua ſpe è contrario penitus credidit & ſperauit, propter promiſſionem Domini .i. eam ſterilem in ſenectute contra naturam parituram. Quod mirabile fuit eum potuiſſe credere, iuxta illam Dialecticæ regulam. Si enim quod magis videtur ineſſe non ineſt, nec quod minus videtur ineſſe inerit. *Vt fieret pater*.] .i. vt per tantam

tantam conſtantiam fidei de promiſſionibus Dei mereretur proponi in exemplo etiam gentibus. *Secundum quod dictum eſt ei à Domino.*] ſcilicet in ipſa Geneſi. *Sic erit ſemen tuum.*] i. homines exemplo fidei tuæ mihi generandi, ita ſcilicet innumerabiles. *Sicut ſtellæ, &c.* Poſſumus & per ſtellas & arenam Iudaicum & Gentilem populum diſtinguere, ex quibus ſpirituales Abrahæ filij pariter ſunt collecti, vt non ſolùm filiorum multitudo, verùm & populorum diuerſitas exprimatur. Stellis Iudæi comparantur per fidem ex lege iam illuminati, & à fluxu mundanarum concupiſcentiarum per legem coerciti, & quaſi cœleſtes in ſpe ſua facti, cùm è contrario Gentiles nulla lege conſtricti per omnem concupiſcentiam libere effluerent terrenis tantùm deſiderijs inhiantes. Sed quia de gentibus tantùm, in quibus maximè fides Abrahæ fructificatura erat, promiſſionis verba ſunt. Poſſumus fortaſſis conuenientius in ſtellis & arena maris tres Eccleſiæ ordines diſtinguere, per ſtellas quidem quæ & igneæ ſunt & lucidæ duos ſublimiores, continentium ſcilicet .i. contemplatiuorum, qui diuini amoris igne vehementiùs feruent, & prædicatorum qui alios doctrina ſua illuminant: per arenam verò maris coniugatorum, qui quaſi in mari & in humidis habitant luxuriæ indulgentes, & mundanarum ſollicitudinum curis fluctuant, & earum amaritudinem grauiter tolerant. Credidit inquam, *Et non eſt infirmatus in fide.*] .i. non fuit remiſſa in aliquo vel debilis fides eius quantumcumque differretur promiſſio, vel impoſſibilis videretur: ſed æquè firmiter credidit id quod cõtra naturam eſſe penitus ſciebat, ſicut illud quod per naturam fieri prius expectauerat.

NEC *conſideranit corpus ſuum emortuum.*] .i. non attendit impoſſibilitatem ſuæ naturæ vel vxoris, ſed potentiam promittentis. Corpus emortuum dicit .i. omninò iam per naturam impotens ad generationem quæ promittebatur. *Cùm*] i. quamuis iam ipſe Abraham. *Ferè eſſet centum annorum.*] .i. nonaginta nouem, *Et emortuam vuluam Sarræ.*] ad opus ſimiliter generationis, tam propter ſenectutem .ſ. quàm propter ſterilitatẽ. Et attende cùm ait de Abraham, eum ferè centũ eſſe annorum, innuit eum propter ætatem tantùm, non propter ſterilitatem ad generandum minimè valere, nec tamen tam impotens penitus ad generandum Abraham credendus

eſt, qui mortua Sarra poſtea Cethuram duxit, de qua filios generauit. Quippe potuit in iuuẽcula id natura ſenis, quod non potuit in vetula & ſterili. Quod & ſatis ipſa verba Apoſtoli determinant. Non enim ait ſimpliciter emortuum corpus Abrahæ, ſed ſtatim adiunxit, *& emortuam vuluam Sarræ*, vt per adiunctionem Sarræ Abraham impoſſibilitatem oſtẽdat, & cùm Sarra ſcilicet non cum alia. Non repetijt negatiuam cõiunctionem, ſed copulatiuam interpoſuit. Non enim ita dixit: Non conſiderauit corpus ſuum emortuũ, nec emortuam vuluã Sarræ. Sed potiùs ita adiunxit, *& emortuã vuluã Sarræ*. Ex quo intelligi innuit, nec vnumquẽque per ſe ad generandum penitus eſſe impotentem, ſed coniunctum inuicẽ. Notandum verò quòd hæc promiſſio, *Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli & ſicut arena maris*, non inuenitur facta fuiſſe Abrahę quando ei promiſſus eſt Iſaac, ſed poſtquam iuxta præceptũ Domini voluit eum immolare Domino. Sic enim ſcriptum eſt, *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, nec peperciſti filio tuo vnigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris.* Scimus quidem antequam Iſmael etiam natus eſſet Deum Abrahæ promiſiſſe ſic fore ſemen eius innumerabile ſicut puluerem terræ, & alia vice poſtea ſicut ſtellas cœli. Sed nihil de arena maris tunc addidiſſe. Hæc autem ideò notauimus, quia videtur Apoſtolus ita extremam promiſſionem & conceptionem .i. Iſaac diſponere, vt ante facta illa promiſſio videatur quàm Iſaac conciperetur. Sic enim ſuperius ait: *Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt: Erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli & ſicut arena maris*; & ſtatim adiunctum eſt, *& non eſt infirmatus in fide, &c.* Ad illud verò tantũ quod interponitur, *vt fieret pater, &c.* illud ſpectat quod ſubditur, *ſecundũ quod deinde eſt, ſic erit, &c.* Quærendum exiſtimo quãdo non fuerit Abraham infirmus in fide de promiſſione Iſaac, cùm ipſe quoque ſicut & Sarra de promiſſione hac quaſi diffidenter loqui, & riſiſſe narretur. Sic enim ſcriptum eſt in Geneſi: *Cecidit Abraham in faciem, & riſit, dicens in corde ſuo: Putas ne centenario naſcetur filius, & Sarra nonagenaria pariet?* Dixit ad Dominum: *Vtinam Iſmael viuat coram te.* Sed profectò cùm præmittitur, *Cecidit Abraham in faciem ſuam*. i. adorãdo atque ſupplicando gratias retulit pro-

Digitized by Google

miſſioni, pariter innuitur quia de ea non deſperauit. Quod nequaquam Sarra feciſſe legitur, cùm riſerit. Dicitur etiam de Sarra, quòd riſerit occultè poſt oſtium: de Abraham verò, quod riſerit corde potiùs quàm ore. Videlicet, riſus cordis gaudiũ intelligitur mentis, non riſio promiſſi. Et verba illa quæ ſequuntur, *putaſne centenario, &c.* admirationis potius quàm deſperationis ſint. Et quod adiunxit, *vtinam Iſmael viuat coram te*, oſtendit humilitatem Abrahæ non tam præſumpſiſſe de bonitate diuinæ gratiæ quantum Deus ipſe non petenti offert, ſed potiùs Abrahæ ſatis eſſe, ſi vel Iſmael viuat ei pro ſemine.

IN *repromiſſione, &c.*] De duobus factæ ſunt Abrahæ promiſſiones, de ſemine ſcilicet ei dando vel multiplicando, & de terra Chanaam ei danda, vel ſemini eius. Sæpius autem vtramque promiſſionem factam ei fuiſſe legimus, dum compleri differretur. Sed maximam illa de poſſeſſione terræ dilationem accepit, quæ longe poſt mortem illius complenda eſſe promittitur. Hanc itaque ſecundam promiſſionem repromiſſionem dicit Apoſtolus, ac ſi diceret: Non ſolum in prima promiſſione, de ſemine ſcilicet non dubitauit, ſed nec etiam in ſecunda, de poſſeſſione, videlice terræ. Licèt longè poſtea futura, in quarta ſcilicet vel in quinta generatione filiorũ Iacob in Ægypto profectorũ. *Non hæſitauit diffidentia.*] i. non habuit dubitationẽ in corde, ſicut in ore verba quidẽ dubitationis habuiſſe videtur, & non ſtatim credidiſſe. Non prius in viſione ſigno accepto ſicut ſtatim credidit promiſſioni priori de ſemine. Sic enim ſcriptum eſt de Domino & de Abraham. *Qui egredietur de vtero tuo ipſum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, & ait: Suſpice cœlum, & numera ſtellas ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum. Credidit Abraham & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam. At ille ait: Domine vnde ſcire poſſum quòd poſſeſſurus ſum eã? Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, &c.* Hæc itaque dubitationis verba ſignum requirentia ad confirmationem poſteriorum magis quàm ſuam Abrahã aſſumpſiſſe credimus. Sicut & Ioannes Baptiſta Dominum non ſibi, ſed diſcipulis requiſiuit dicens: *Tu es qui venturus es, &c. Sed confortatus fide.*] i. expectatione, non reipſa, quæ longe

ſcilicet poſt mortem eius erat futura, dans gloriam Deo .i. grates ei pro his referens, non meritis ſuis quicquam tribuẽs. *Pleniſſimè ſciens.*] .i. firmiter credens, *quia quæcunque.*] Prouidam repromiſſionem oſtendit & rationabilem, nihil ſcilicet promittentis niſi quod implere poteſt, vel etiam debet. Certum quippe eſt quia nõ poteſt facere niſi quod debet .i. quod conuenit ei. *Ideo reputatum eſt.*] quia ſcilicet confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, &c. Hoc eſt, etiam hæc fidei firmitas, ſi opera ceſſarent exteriora, imputatur ei à Domino pro iuſtitia, vt videlicet ad eum iuſtificandum ſufficiat.

NON *eſt autem.*] Quaſi quis diceret, Quid ad nos relatio tantæ laudis Abrahæ? Reſpondet quòd hæc laus eius *non eſt ſcripta tantum propter ipſum.*] .i. ad commendationem ipſius, ſed & *propter nos.*] quibus videlicet exemplo eius inſtructis .i. reputabitur ad iuſtitiam. *Credentibus in eum, &c.*] .i. ſi credendo in Deum Abraham imitemur. In eum dicit, non eum, vel ei, ſicut ſuperiùs expoſuimus. *Qui ſuſcitauit.*] .i. qui iam cõpleuit in ſemine Abrahæ per Chriſtum quod Abraham expectabat futurum, & quod ſibi in promiſſione terræ vel benedictione ipſius ſeminis intelligebat figuratum. Tota quippe exultatio Abrahæ de figurato Iſaac .i. Chriſto, potiùs quàm de figuratiuo fuiſſe intelligitur. Vnde & per ſe ipſam Veritas ait, *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Totam autem humanæ reparationis & ſalutis ſummam tam in capite quàm in mẽbris Apoſtolus hoc loco paucis comprehendit, dicens videlicet Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis qui traditus eſt, &c. Nota autem quod dum ait Apoſtolus Deum patrem ſuſcitaſſe Chriſtum, & quod potentiæ eſt ſpecialiter Deo patri aſſignat, diuinam potentiam ad perſonam Patris maximè pertinere inſinuat, ſicut diuinã ſapientiam ad filium, & diuinæ gratiæ bonitatem ad Spiritũ ſanctum. Quod plenius Theologiæ noſtræ textus ediſſerit. *A mortuis.*] .i. de inter mortuos corpore, quorũ ipſe vnus erat. *Qui mortuus eſt.*] Cauſa mortis Chriſti, quam reſurrectionis cauſam ad nos reducit. Duobus modis propter delicta noſtra mortuus dicitur, tum quia nos deliquimus propter quod ille moreretur, & peccatum commiſimus cuius ille pœnam ſuſtinuit, tum etiam vt peccata noſtra moriendo tolleret .i. pœ-

Digitized by Google

nam peccatorum introducens nos in Paradiſum precio ſuæ mortis auferret, & per exhibitionem tantæ gratiæ. Quia, vt ipſe ait, *maiorem dilectionem nemo habet*, animos nõſtros à voluntate peccandi retraheret, & in ſummam ſuam dilectionẽ intenderet. *Et reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*] Iuſtificationem dicit perſeuerentiam iuſtitiæ quæ iuſtum facit. Non enim iuſtus dicitur qui aliquando iuſtè agit, ſed qui hoc in conſuetudinem habet. Quod itaque dicitur, *Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, tale eſt vt ſpe gloriæ reſurrectionis, quam in ſeipſo nobis exhibuit, nos in operibus iuſtis perſeuerantes faciat.

IVSTIFICATI *ergo à fide.*] Quandoquidem & propter nos ſcriptum eſt de iuſtificatione Abrahæ per fidem, vt videlicet exemplo eius ſimiliter iuſtificemur. Ergo ex fide potius quàm ex operibus legis nos iuſtificati. *Pacem habeamus apud Deum.*] .i. ſic reconciliemur ei, & quantumcumque iuſti fuerimus, mediatore Chriſto nobis opus eſt. Addit, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*] à quo ad nos tanquam à capite ad membra omne bonum emanat tum exemplo vitæ tum prædicatione doctrinæ. Et hoc eſt, *per quem habemus acceſſum in gratiam iſtam in qua ſtamus.*] & quæ ſit illi gloria ſupponit dicens, *in ſpe gloriæ filiorum Dei.*] .i. ex ſpe illa quã habemus adipiſcendi illam ſummæ beatitudinis, quæ filijs non ſeruis eſt debita. Et hoc eſt per fidem præeuntem. Ex fide enim ſpes naſcitur, cùm electi ex fide quam habent ad ſpem ſupradictã aſſurgunt, ac nemo ſperare aliquid poteſt niſi quod primitus credit. Gratiam dicit gratis datam non pro meritis ſcilicet collatam, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. *Non ſolum autem.*] ſcilicet gloriamur in ſpe gloriæ Filiorum Dei, *ſed & gloriam in tribulationib.*] .i. magno nobis honori imputamus affligi pro Deo, ſecundũ quod in Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt, *Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, &c. Scientes etiam,*] hoc eſt attendentes maximum fructum, in his tantùm gloriamur quod videlicet tribulatio. *Patientiam operatur.*] .i. in opere virtutem exhibet patientiæ atque ipſum tribulationis exercitium fortiores ad eas tolerandas nos reddit. *Patientia autem.*] ſecundum quod ſcriptum eſt, *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.*] .i. tam tibi quàm alijs eorum conſtantiam .i. probitatẽ CAP. V.

Digitized by Google

exhibuit. *Probatio verò ſpem.*] vt iam videlicet tã nos ipſi quàm alij de noſtris per gratiam Dei meritis cõfidamus. Et ne ſpes iſta irrita videretur ſicut de impijs dicitur, *ſpes autem impiorũ peribit*, addit, *ſpes autem,*] ſcilicet hæc, *non confundit.*] .i. erubeſcentiam nobis non acquirit in futuro, quia ſperatum obtinebimus, & quaſi qui requiret vnde hoc ſcire poſſumus, adiungit: *Quia charitatem habemus per quam ſperamus*, proinde remur. Et hoc eſt, *quia charitas Dei, &c.*] Dei dicitur .i. purè propter Dominum habita, ad differentiam carnalis dilectionis. Caritatem .i. dilectionem diffuſam dicit, quæ inimicum quoque complectitur. De qua ſcriptum eſt, *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* .i. perpendi atque intellexi latum tuum de caritate mandatum finem eſſe omnis conſummationis .i. illud eſſe ad quod vniuerſorum tuorũ mandatorum intentio dirigitur. *Propter Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*] .i. per operationẽ gratiæ diuinæ nobis collatæ. Aug. de doctr. Chriſtia. lib. IIII. *Patientiã operatur tribulatio, &c.* agnoſcitur figura quæ Latine à quibuſdam eſt appellata gradatio, cùm verba vel ſenſus connectuntur alterum ex altero, ſicut hic ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione ſpem connexam videmus.

VT *quid enim.*] Merito dixi caritatem diffuſam in cordibus noſtris. Nam propter quid aliud, niſi videlicet vt in nobis dilataretur caritas Dei? *Chriſtus mortuus eſt ſecundum tempus.*] .i. quaſi ad horam & in tranſitu mortis detentus, qui citò reſurrexit. *Pro impijs mortuus eſt.*] vt eos videlicet à damnatione liberaret. *Cum adhuc infirmi eſſemus.*] Notandum verò eſt Apoſtolum hoc loco modũ noſtræ redẽptionis per mortem Chriſti patenter exprimere, cum videlicet eum pro nobis non ob aliud mortuum dicit, niſi per veram illam caritatis libertatem in nobis propagandam, per hanc videlicet qua nobis exhibuit ſummam dilectionem, ſicut ipſe ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* De quo quidem redemptionis modo ſuprà nos ſatis arbitror diſſeruiſſe. *Vix enim.*] Dixi Chriſtum pro impijs mortuum eſſe, vt caritas in cordibus noſtris diffunderetur, quaſi hoc magnum eſſet quod fecerit. Et verè magnum hoc & ſalutarium fuit, Deum ſcilicet pro impijs mori, quia vix pro homine iſte homo mori ſuſtinet. Dixi vix, ex toto negaui, quia fortaſſe etſi rariſſimè poteſt reperiri, qui

Digitized by Google

pro amore boni hominis .i. iusti mentiuntur. Et hoc est, *Nã pro bono.*] scilicet homine, *forsitan quis.*] .i. aliquis, *audeat mori.*] Sciens se à Domino remunerandum. Cùm dicit *forsitan*, & *audeat*, difficultatem insinuat. Christus autem non solum ausus mori, sed & mortuus est pro peccatoribus, & per exhibitionem tantæ gloriæ, *Commendat Deus.*] .i. ædificat siue confirmat *suam caritatem in nobis.*] quoniam scilicet Dei *Christus Filius pro nobis mortuus est cum adhuc peccatores essemus.*] Quod si ita respexit cùm essemus peccatores, morti scilicet vnicum suum pro nobis tradendo. *Multo magis ergo.*] .i. multo faciliùs siue libentius vel probabiliùs nunc respiciet nos ad saluationem iam iustificatos in sanguine suo .i. iam per dilectionem, quam in eo habemus, ex hac summa gratia, quam nobis exhibuit, pro nobis scilicet adhuc peccatoribus moriendo. Et hoc est, *salui erimus ab ira.*] scilicet futura .i. à peccatorũ vindicta, *per ipsum.*] videlicet Christum pro nobis semel morientem, & sæpius orantem, & assiduè nos instruentem.

SI *enim cum.*] Dixi quia iustificati in sanguine Christi salui erimus ab ira Dei per ipsum. Et merito, quia iam reconciliati sumus Deo per mortem illius, cùm prius nos pro inimicis haberet ad puniendum. Et si tantum mors eius potuit vt nos scilicet iustificaret vel reconciliaret, multò magis vita ipsius nos protegere poterit & saluare ab ira sua. Constat quippe plus posse vnumquemque viuum quàm mortuum. *In vita ipsius.*] .i. ipsum iam suscitatum & viuentem. *Non solum autem.*] scilicet salui erimus .i. saluari per ipsum impetrabimus. Et hoc est, gloriationem maximam adepti sumus, & maximo honori nobis imputamus, quòd talem nobis reconciliationẽ Dominus dedit. Et hoc est, *gloriamur in Deo.*] non in nobis .i. de tanto beneficio eius, ex gratia eius, non ex meritis nostris nobis per Christũ collato. *Propterea sicut.*] Littera ideò hæc defectiua videtur, nisi cũ superioribus vel inferioribus quoquomodo cõiungere nitamur. Sic autẽ superioribus fortasse cõtinuabitur, ac si dicamus: Reconciliationẽ, inquã, per Christũ accipimus, propterea .i. propter hoc quod supradictũ est, quia .v. pro nobis mortuus est, sicut è contrariò damnationem per Adam incurrimus. Et hoc est quod addit, *Sicut & per vnum hominem.*] videlicet Adam, *peccatum intrauit.*] quia prior peccans aditum peccato dedit. *in hunc mundum.*] .i. in hanc

partem mundi ſcilicet terrenam, in qua homines habitant, non veri homines qui antea peccauerant. *Et per peccatũ mors.*] ſcilicet corporis. *Et ita.*] videlicet ab Adam incipiendo tam mors quàm peccatum, ſaltem originale, *Pertranſiit in omnes homines.*] vnum inquam hominem .i. Adam, *in quo omnes reliqui peccauerunt.*] .i. pœnam peccati incurrerunt. Poterit & fortaſſis verſus incipere, *propterea*, & ad inferiora *longe poſtea* conſtructio dirigi, illuc ſcilicet ſic, *& per vnius iuſtitiam in omnes homines, &c.* Ac ſi diceretur propter, quia ſcilicet per Chriſtum reconciliationem accepimus, ſic per vnius iuſtitiã, ſubaudi iuſtificationem vitæ, in omnes homines, ſicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, &c. Cætera vero quæ interponuntur ſuſpenſiuam litteram tenent.

VSQVE *ad legem enim.*] Bene dico in omnes pertrãſijt peccatum, cùm nec vlli, qui ante legem fuerunt à peccato immunes extiterint. De quibus magis videtur, cùm adhuc nullius ſcriptæ tranſgreſſionis eos reos faceret, *vſque ad legem*, id eſt toto tẽpore illo antequam lex per Moyſem daretur, peccatum erat in mundo, licet non imputaretur .i. ab hominibus argueretur, vel puniretur per aliquam legem, cum videlicet lex nondum ſcripta eſſet, ſed tantum naturalis per quam boni vel mali diſcretionem nonnullam habebant, ex qua cognoſcere peccatum poſſent. Poteſt etiam ſic dici peccatum ante legem non imputari ab hominibus, .i. à nullis vel paucis cognoſci quid eſſet peccatum, antequam ſcilicet concupiſcentiam lex tanquam peccatum interdiceret, & doceret in corde potiùs quàm in opere peccatum conſiſtere. Quod quidem in ſequentibus patenter Apoſtolus edocens ait, *Lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognoui niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, &c.* Peccatum itaque non imputabatur ſiue originale ſiue proprium, ideſt ignorabatur ab hominibus donec ipſum lex diceret. Nam & ipſum primorum parentum peccatum etiam in concupiſcentia fuit, ſicut ſcriptum eſt: *Vidit ergo mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Et licèt peccatum ante legem, vt dictum eſt, non imputetur ab hominibus, tamen etiã tunc imputabatur à Deo, quoniam pro ipſo pœnam corporalis mortis omnibus inferebat, inſinuans per hoc nobis à pro-

prijs

prijs maximè peccatis esse cauendum, cùm hoc sustineremus propter alienum. Et hoc est: *Sed regnauit mors.*] scilicet corporalis .i. quietum obtinuit dominium, & ante legem, idest, *ab Adã vsque ad Moysem etiã in eos qui non peccauerunt.*] scienter transgrediendo sicut Adam fecit .i. in paruulos vel quoslibet innocentes, qui scilicet Adam vetus est *forma futuri.*] .i. similitudo noui Adæ .i. Christi post eum futuri. Adam sicut homo commune nomen est tã viri quàm feminæ. Ideò cùm dicitur nouus Adam, tale est ac si diceretur nouus homo, & veteri homini per obedientiam omninò contrarius. Similitudinem Adæ & Christi ipse Apostolus aperit, ostendens videlicet ita Christum omnium spiritualium esse patrem, sicut est Adam carnalium. Hoc est, ita præesse omnibus ad generandum in Deo, sicut ille est ad generandum mundo: & hũc sic ad vitam & requiem esse authorem, sicut ille est ad mortẽ & pœnam. Potest etiam ad hanc similitudinem, Adæ videlicet & Christi, illud reduci quod alibi idem Apostolus intelligens ait: *Sacramentum magnum ego dico in Christo & in Ecclesia*, sed litteræ præsenti sufficit similitudo prædicta, quam ipse Apostolus prosequitur, de carnali .s. & spirituali generatione.

SED *non sicut delictum.*] Adæ, *ita est & donum.*] Christi .i. non sunt æqualia in istis quæ ad posteros suos transmittuntur, & plura per Christum ad posteros transmittuntur in salutem, quàm per Adam in damnationem: & merito, quia plus conueniens fuit diuinæ iustitiæ siue pietati, vt per Christum plus prodesset, quàm per Adam noceret .i. plura per hũc cõmoda quàm per illum incommoda daret. Lõge quippe est pronior Deus ad bonum conferendum, quàm ad malum inferendum. Et hoc est, *si pro vnius delicto.*] scilicet Adæ, vno videlicet non pluribus, *multi mortui sunt.*] .i. damnati, sicut paruuli non baptizati, qui ob aliud non sunt perditi: multò magis in plures .i. multos similiter, non in vnum tantùm hominem, vt absolutè videlicet non comparatiuè intelligatur, abundare debuit gratia Dei, & donum in gratiam Christi .i. per dona Dei homini illi collata, de plenitudine cuius nos omnes accepimus, & qui nobis meritis suis impetrauit quicquid boni habemus, & non sicut per vnum scilicet hominẽ, Adam pertransijt, subaudi vt supra diximus *peccatum.*] scilicet vnum in omnes, hoc est originale, *ita & donum.*] similiter

vnum pertranſijt per vnum hominem videlicet Chriſtum, immò multa dona ad multos. Et hoc eſt quod Apoſtolus in ſuperiori verſu iam comprehenderat, ſed repetijt vt probaret dicens.

NAM *iudicium quidem,&c.*] .i. ex vno peccato, Adæ ſcilicet, eſt iudicium Dei *in condemnationem.*] poſterorum eius .i. deputat eos æternæ pœnæ tradendos. Sed gratia Dei .i. gratuitum remiſſionis donum ex multis delictis, tam originali ſcilicet quàm proprijs per Chriſtum condonatis eſt nobis *in iuſtificationem.*] ideſt ad pœnarum abſolutionem. Apparet itaque plura nobis à Chriſto collata eſſe ad ſalutem, quàm ab Adam ad condemnationem: cùm ille videlicet Adam vnum peccatum intulerit mundo, ideſt vnius peccati ſcilicet originalis pœnam, iſte vero remiſſionem tam illius quàm cæterorum. Et meritò quia plus oportuit tot & tanta bona iſtius iuuare quàm illius vnum delictum, nec magnum aliorum cõparatione nocere. Vnde Hieronymus ad filiam Mauricij hoc etiam peccatum extenuans ait: Adæ magis parcendum fuit, qui adhuc nouellus erat, & nullius ante peccantis, & propter peccatum ſuum morientis retrahebatur exemplo. Tibi verò poſt tanta documenta, poſt legem, poſt Prophetas, poſt Euãgelia, poſt Apoſtolos, ſi delinquere volueris quomodo indulgere poſſit ignoro. Sic expone. Quandoquidem per delictum vnius ſcilicet Adæ, & per vnum ſcilicet delictum *mors.*] etiam animæ *regnauit.*] ideſt quietè poſteros obtinuit: multò conuenientiùs & iuſtiùs per vnum Ieſum Chriſtum omnium bonorum plenitudine perfectum poſteri eius ſpirituales accipientes abundantiam diuinæ gratiæ, ideſt plura bona ſuper merita ipſorum eis collata, bona dico donationis & iuſtitiæ. Donationis ſolummodo illa dona dicuntur quibus nullum eſt meritum adiunctum, ſicut in paruulis. Iuſtitiæ verò, vbi aliquid pro meritis datur. Iuſtitia quippè dicitur, quæ vnicuique reddit quod ſuũ eſt. Regnabunt in vita ſcilicet æterna, ideſt vitam quaſi regnum, non quaſi conſulatum inſtabilẽ obtinebunt. Ne mireris hanc ſententiam ſæpius Apoſtolum memorare, cùm maximè Chriſtum in hoc attendat commẽdare, & ratione valida velit aſtruere plus de Chriſto omnibus eſſe confidendum, quàm de Adam timendum. Quod vt firmiter memoriæ commendet, ſæpius replicat.

Digitized by Google

IGITVR *ſicut per vnius.*] Quandoquidem per Adam incurrimus damnationem, & per Chriſtum aſſequimur iuſtificationem, ideſt remiſſionem: igitur per vnum, ideſt per vnum illud confertur, & hoc eſt ſicut per vnius delictũ, agitur ſubaudi. *Ad condemnationem.*] vt videlicet obnoxij ſint etiã propter illud morti ęternę. *In omnes homines.*] tam videlicet in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, vt ſuprameminit, quàm in alios: vel tam in eos qui ante legem fuerũt, quàm in alios vt ſupra quoq; meminit. Ita & per vnius iuſtitiã agitur ad iuſtificationẽ vitæ, ideſt ad remiſſionẽ peccatorũ, quæ vitam conferat æternam, in omnes ſimiliter homines, non quidem in ſingulos, ſed in vtraq; hominũ genera determinata. Quod enim non de ſingulis dicat Apoſtolus ſtatim ſequentia inſinuant, vbi ſolummodò *multi*. Multi nõ omnes dicuntur. Et plane Apoſtolus exprimit quomodo ſuperiùs ſupradixerit priorem Adam formam, ideſt ſimilitudinem ſecundi, ideſt Chriſti, in hoc videlicet quod ſicut quod ſuum eſt trãsfundit ad poſteros ideſt peccatum, ita ille quod ſuum ad ſuos, ideſt gratiam iuſtificationis.

SICVT *enim.*] verè per delictum & iuſtitiam ſic actum eſt, quia per inobedientiam & obedientiam. Et hoc eſt, *ſicut enim, &c.* Per peccatum Adæ multos dicit, non omnes conſtitui peccatores .i. æternæ pœnæ tradi. Vt enim prætermittamus hominem Chriſtum ab omni peccato ſemper immunem, ſunt multi quibus iam per ſacramenta Eccleſiæ peccatum originale condonatum eſt, & poſtea proprijs condemnãtur peccatis, quos nequaquam eo modo quo dictum eſt peccatores Adam conſtituit, ſed ipſimet ipſos, quia iam non peccatum Adæ in eis puniri videtur, quippe quod iam eis condonatum eſt, ſed propria ipſorum tantum peccata. Quamuis nonnulli iuxta parabolam Domini de duobus conſeruis dimiſſa etiam peccata in damnatis atque ingratis redire, & iungi ad pœnam ita velint, vt quod iam condonationem accepit iterum puniatur. Cùm id plane Apoſtolus in ſequentibus contradicat, dicens ſine pœnitentia eſſe dona Dei & vocationem. De quo quidem ſuo loco diligentiùs differemus. Poſſumus etiam fortaſſe nullos ſaluandos ab Adã peccatores vt determinatum eſt conſtitui .i. æternæ morti ſubijci, ſed ſolos ſine ſacramento damnatos.

PER *vnius obedientiam.*] Qui videlicet factus obediens vſque ad mortem, *conſtituentur iuſti.*] ideſt ab omni peccato penitus immunes etiam per pœnam. Nota quòd in Adam dicit: *conſtituti ſunt*, in Chriſto, *conſtituentur.* Ipſum quidē Adæ peccatum in nobis transfuſum quaſi præſens & determinatū eſt per pœnam ſui. Iuſtificatio autem illa per Chriſtum quaſi futura eſt adhuc, cùm ſit occulta, & maximè, quia Chriſtiani qui ſunt, afflictionibus in hoc mundo ſubjaceant. Vnde Ioannes Apoſtolus, *filij Dei ſumus & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit ſimiles ei erimus, &c.* Et ipſe Paulus, *Vita*, inquit, *noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Non autem ſegniter prætereundum eſt, quod hoc loco Apoſtolus de peccato & gratia per Adam & Chriſtum transfuſis toties replicat, & quod quaſi neceſſaria ratione ac manifeſta iuſtitia exigente aſtruit plura per Chriſtum bona, licet non pluribus debere conferri quàm per Adam mala, quaſi plus in iuuando iſte potuerit quàm ille in nocendo: quod apertum eſt. Sed ex hoc ni fallor contuendo nobis Apoſtolus reliquit Deum in incarnatione filij ſui id quoque ſibi machinatum fuiſſe, vt non ſolum miſericordia, verum & iuſtitia per eum ſubueniret peccantibus, & ipſius iuſtitia ſuppleretur quod delictis noſtris præpediebatur. Cùm enim filium ſuum Deus hominem fecerit, eum profectò ſub lege conſtituit quam iam communem omnibus dederat hominibus. Oportuit itaque hominem illum ex præcepto diuino proximum ipſum tanquam ſe diligere, & in nobis charitatis ſuæ gratiam exercere, tum inſtruendo nos, tum pro nobis orando. Præcepto itaque diuino & pro nobis, & maximè pro dilectione ei adhærentibus orare cogebatur, ſicut in Euangelio Patrem ſæpiſſimè interpellat pro ſuis. Summa verò eius iuſtitia exigebat, vt in nullo eius oratio repulſam ſuſtineret, quem nihil niſi quod oportebat velle vel facere vnita ei diuinitas permittebat. Quod ipſe Apoſtolus duobus alijs locis diligenter inſinuauit, ſcribens de eo ad Galatas, *factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret.* Et ad Hebræos, qui in diebus ..... preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrimis offerens, eſt exauditus pro ſua reuerentia, &c. Homo itaque factus lege ipſa

Digitized by Google

dilectionis proximi constringitur, vt eos qui sub lege erant, nec per legem poterant saluari, redimeret: & quod in nostris non erat meritis, ex suis suppleret. Et sicut sanctitate singularis extitit, singularis fieret vtilitate in aliorum etiam salute. Alioquin quid magnum sanctitas eius promeretur, si suæ tantùm saluationi, non alienæ sufficeret? Nunquid Adam obediendo seipsum saluasset, quod vnusquisque etiam Sanctorum per gratiam Dei obtinet? Multò plus aliquid in illo singulari iusto diuina operari gratia debuit. Non sunt etiam copiosæ potentis diuitiæ, quæ alios ditare non sufficiunt.

De Originali peccato quæstiones siue obiectiones.

NVNC ad illam veterem humani generis querelam & interminatam quæstionem, de originali scilicet peccato, quod à primo parente in posteros redundare Apostolus præsenti loco commemorat, veniendum nobis est, & prout poterimus in eius solutione laborandum. Primò itaque id quæritur, Quid originale peccatum dicamus, cum quo singuli homines procreantur. Deinde qua iustitia pro peccato Patris innocens filius apud misericordissimum Iudicem Deum reus constituatur, quod non apud seculares Iudices approbaretur, & quod iam ei qui commisit dimissum credimus, vel in cæteris per baptismum deletum, in filijs puniatur, qui nec adhuc peccato consentire valuerunt: & quos proprium non obligat peccatum damnet alienum, & prioris iniquitas Patris magis quàm proximorum quantocumque grauiores in damnatione trahant. Quantum etiam sit crudele, & summæ bonitati Dei incongruum, qui saluare magis quàm perdere animas desiderat, vt pro peccato parentis filium damnet, quem pro eius minimè iustitia saluaret. Pluribus autem modis peccati nomẽ Scriptura sacra accipit, vno quidem modo & propriè pro ipsa animæ culpa & contemptu Dei, ideſt praua voluntate nostra, qua rei apud Deum statuimur. Altero autem modo peccatum dicitur ipsa peccati pœna quam per ipsam incurrimus, vel cui propter ipsum obnoxij tenemur. Secundum quam quidem significationem dicuntur peccata dimitti, ideſt pœnæ peccatorum condonari, & Dominus peccata nostra portasse. i. pœnas peccatorum nostrorũ

Quot modis peccati dicitur.

ſuſtinuiſſe. Et cùm aliquis dicitur habere peccatum, vel cum peccato adhuc eſſe, qui tamen per voluntatem malam non peccat, ſicut eſt aliquis iniquus dormiens: tale eſt ac ſi adhuc eum obnoxium pœnæ proprij peccati fateamur. Tertio autem modo ipſe Chriſtus ab Apoſtolo peccatum dicitur, ideſt hoſtia pro peccato. Cùm itaque dicimus homines cum originali peccato procreari & naſci, atque hoc ipſum originale peccatum ex primo parente contrahere: magis hoc ad pœnã peccati, cui videlicet pœnæ obnoxij tenentur, quam ad culpam animi & contemptum Dei, referendum videtur. Qui enim nondum libero vti arbitrio poteſt, nec vllum adhuc rationis exercitium habet, quaſi eum recognoſcat authorem, vel obedientiæ mereatur præceptum, nulla eſt ei tranſgreſſio, nulla negligentia imputanda, nec vllum omnino meritũ, quo prẹmio vel pœna dignus ſit magis quàm beſtijs ipſis, quãdo in aliquo vel nocere vel iuuare videntur. Vnde Auguſt. in libro de fide ad Petrum, de anima irrationaliũ differens animalium: Ideò, inquit, nec æternitas irrationabilibus ſpiritibus data eſt, nec aliquod eis iudicium præparatur, in quo eis vel beatitudo pro bonis, vel damnatio pro malis reddatur operibus. Ideo in eis nulla operum diſcretio requiretur, quia nullam intelligendi facultatem diuinitus acceperũt. Propterea ergo eorum corpora reſurrectura non ſunt, quia nec ipſis animalibus aut æquitas aut iniquitas fuit, pro qua eis aut æterna beatitudo ſit retribuẽda, vel pœna. Idẽ in lib. quæſt. LXXXIIII. Cap. XVI. Deus iuſtus eſt gubernans vniuerſa, nullam pœnam cuiquam ſinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari. Meritum autem pœnæ peccatum, & meritum præmij rectè factum eſt. Nec peccatum aut rectè factum imputari cuiquam rectè poteſt, qui nihil propria fecerit voluntate. Eſt ergo & peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.

Breuiter perſtringit quid ſit originale peccatum.

De libero arbitrio.

BOETIVS autem lib. III. editionis ſecundæ in Perihermenias, quid ſit liberum arbitrium diligenter aperiens ait, Nos enim liberum arbitrium ponimus nullo extrinſecus cogente in id quod pro nobis faciendum vel non faciendum iudicantibus perpendentibuſque videatur: ad quam rem præſumpta prius cognitione perficiendã & agendã venimus, vt id quod ſit ex nobis ex noſtro principiũ iudicio ſumat, nullo

Digitized by Google

extrinsecus aut violenter cogente aut impediente. Item: Nos autem liberum voluntatis arbitrium non id dicimus quod quisque voluerit, sed quod quisque iudicio & examinatione collegerit. Alioquin multa quoque animalia habebunt liberum voluntatis arbitrium. Illa enim videmus sponte quædam refugere, quibusdam sponte concurrere. Quod si velle aliquid vel nolle hoc rectè liberi arbitrij vocabulo teneretur, non solum hoc esset hominis, sed cæterorum quoque animalium, quibus hanc liberi arbitrij potestatem abesse quis nesciat? Sed est liberum arbitrium, quod ipsa quoque vocabula produnt, liberum nobis de voluntate iudicium. Quotiescumque enim imaginationes animo concurrunt, & voluntatem irritant, eas ratio perpendit, & de his iudicat: & quod ei melius videtur cùm arbitrio perpẽderit & iudicatione collegerit, facit. Atq; ideo quædã dulcia & speciẽ vtilitatis mõstrãtia spernimus, quædã amara licet nollentes, tamen fortiter sustinemus: adeò non in voluntate, sed in iudicatione volũtatis liberum constat arbitrium, & non in imaginatione, sed in ipsius imaginationis propensione consistit. Atq; ideo quarundam actionum nos ipsi principia non sequaces sumus. Hoc est enim vti ratione, vti iudicatione. Ex his itaq; verbis Boetij patet, liberum arbitrium nihil aliud esse quàm ipsam animi facultatem deliberandi ac dijudicandi id quod velit facere, an scilicet sit faciendum, an non quod elegerit sequẽdum. Vnde & qui nihil actu deliberat, quia tamen ad deliberandum aptus est, libero non caret arbitrio. Quam quidõ facultatẽ nemo sani capitis paruulis deesse contradicet, siue furiosis aut mente captis, qui discretionis iudicium non habent, nec in his qui agunt sola voluntate, vel impetu mentis agitati, non aliqua deliberatione animi commoti, aliquid eos promereri concedet vel pœnæ vel præmij: nec legibus etiam hominum subjaceret, vt vel humano iudicio rei pro aliquo censeantur. Vnde & ipse Aug. in lib. quæst. veteris & nouæ legis: Quomodo, inquit, reus constituitur qui nescit quid fecerit? Et Hieron. super Ezechiel. Quamdiu anima in infantia constituta est, peccato caret. Ac rursus: Obijcies mihi illud suprapositum B. Augustini dictum, quòd Deus nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari .i. nulli qui non meruit aut pœnam aut

Quib sit liberum arbitrium.

præmium conferri. Quod quidem non ſolum in paruulis tam propter originale peccatum damnatis quàm per ſolam gratiam baptiſmatis ſaluatis reprehenſibile videtur, verum etiã in pleriſque alijs, ſicut in Iob percuſſo, & illo quem Dominus ſanauit, à natiuitate cæco facto: non vt ait Dominus, quia ipſe peccaſſet aut parentes eius, ſed vt manifeſtarentur opera Dei in illo. Quod diligenter beatus Gregorius attendens, diuerſa promiſſionum genera in 1. diſtinguit Moraliũ. Quis etiam neſciat Deum non ſolum promittere, verum & iubere vt inimicis noſtris non ſecundum merita eorum bona retribuamus pro malis, & nos à Deo per gratiam, quæ nos præuenit vel ſubſequitur, multa obtinere, non per merita. Vnde Apoſtolus, *Si autem ex operibus, iam non ex gratia. Alioquin gratia iam non eſt gratia.* Quid itaq; illud Aug. velit quod primo poſuimus & poſtmodũ oppoſuimus, Dominũ .v. nulli immerito aut pœnam inferri, aut præmium conferri permittere, non facile abſolui poſſe video: niſi in eo vim quandam notemus, quod cum dixerit Deus, addidit iuſtus, vt videlicet notet non id Dominum ex iuſtitia permittere quod tamen aliqua permittat diſpenſatione, aut ex abundantia caritatis potiùs fieri iubet, quàm ex æquitate iuſtitiæ. Eſt quippe iuſtitia quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, non pluſquàm quod ſuum eſt, aut minus: hoc eſt id tantum quod ille cui redditur meruit. Si quis autem alicui plus boni conferat quàm ille meruit, aut minus infligat mali, gratiæ id eſt potiùs quàm iuſtitiæ. Sicut è conuerſo iniquitatis eſſe videtur, ſi quis alicui minus boni conferat, vel plus mali reddat quàm ille meruit. Vt ergo ad propoſitum reuertamur, quanta eſt illa crudelitas æſtimãda, quam Deus in paruulis exercere videtur, vt videlicet cùm nullum inueniat meritum, grauiſſimam tamen infernalis incendij pœnam inducit? Hinc enim illud eſt Auguſtini in lib. de fide ad Petrum, Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites non ſolum homines iam ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui ſiue in vteris matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur, ſiue iam nati ſine ſacramento baptiſmatis, quod datur in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, de hoc ſeculo tranſeunt, ignis æterni ſupplicio ſempiterno puniendos. Quia etſi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & natiuitate

natiuitate traxerunt. Nunquid etiam apud homines iniquiſſimum iudicaretur, ſi quis innocentem filium pro peccato patris flammis iſtis tranſitorijs traderet, nedum perpetuis? Eſſet vtique inquam hoc in hominibus iniquum, quibus etiã interdicitur propriæ vindicta iniuriæ. Sed non ita in Deo qui dicit, *mihi vindictam, ego retribuam.* Et alibi, *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Non enim iniuriam creaturæ ſuæ Deus facit, quocunque modo eam tractet, ſiue ad pœnam eam deputet, ſiue ad requiem. Alioquin animalia, quæ ad laborem humani obſequij creata ſunt, iuſtè conqueri & murmurare aduerſus Creatorem poſſent. Quibus quidem murmurantibus ſuper ſe illud Euangelij reſponderet, *An non licet mihi quod volo facere?* ſiue illud Apoſtoli, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Nulla profecto ratione cum eo poſſet contendere. Hac quidem ratione profiteor, quoquomodo Deus creaturã ſuam tractare velit, nullius iniuriæ poteſt argui. Nec malum aliquomodo poteſt dici, quod iuxta eius voluntatem fiat. Non enim aliter bonum à malo diſcernere poſſumus, niſi quod eius eſt conſentaneum voluntati, & in placito eius conſiſtit. Vnde & ea quæ per ſe videntur peſſima, & ideo culpanda, cùm iuſſione fiunt Dominica nullus culpare præſumit. Alioquin Hebræi ſpoliãtes Ægyptios furti grauiter arguendi eſſent, & qui ſuos occiderunt proximos cùm Madianitis fornicãtes non tã vltores quàm homicidæ iudicarentur. Adeo autẽ boni vel mali diſcretio in diuinæ volũtatis diſpoſitione conſiſtit, cui hoc attendẽtes quotidie clamamus, *fiat volũtas tua*, ac ſi ita dicamus: Ordinentur optimè cuncta, vt ad eius iuſſionem vel prohibitionem eadem fieri alio tempore bonum ſit, alio malum: cùm pro temporum diuerſitate antiqui & noui contrariæ pœnitus nonnullæ videantur obſeruantiæ. Quis enim neſciat antiquo populo prius eſſe præceptum, vt de ſua quiſque tribu duceret vxorem, & omnino modo eſt inhibitum: & tunc præcipuè nuptijs implicari, nunc libertate continentiæ frui; & circumciſionem & cætera legis ſacramenta, quæ in ſumma veneratione ex præcepto diuino tunc fuerunt, nunc abominabilia eſſe? Conſtat itaque, vt diximus totam

boni vel mali diſcretionem in diuinæ diſpenſationis placito conſiſtere, quæ optimè cuncta nobis ignorantibus diſponit, nec quicquam benè fieri dicendum aut malè, niſi quod eius optimæ voluntati conſentaneum eſt aut aduerſum: vt quemadmodum propoſuimus, quocunque modo Deus tam paruulos quàm cæteras eius creaturas tractare velit, id optime fieri non dubitemus, & ſi eas omnes vt voluerit ad pœnam ordinet, nec eum iniuriæ argui poſſe, quocunque modo eas ordinet, ſiue ad gloriam ſiue ad pœnam.

SED quia parum eſt ad diuinæ diſpoſitionis cõmendationem in hac paruulorum damnatione ab iniuria Deum abſoluere, niſi & aliquam bonitatis eius gratiam valeamus aſtruere, videtur quoq; id nobis agi ex multiplicis gratiæ ipſius diſpenſatione, tam in ipſos ſcilicet paruulos, quàm in alios redũdãtis. Scimus quippe hanc eſſe mitiſſimã pœnam, B. in Enchir. Aug. ſic atteſtante: Mitiſſima ſanè omniũ pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt. Quam quidem pœnam non aliam arbitror quàm pati tenebras, ideſt carere viſione diuinæ maieſtatis ſine omni ſpe recuperationis. Quod ni fallor conſcientiæ tormentum ignem perpetuum B. Auguſt. ſupra nominauit. Credimus etiam huic mitiſſimæ pœnæ neminem deputari morte in infantia præuentũ, niſi quem Deus peſſimum futurum ſi viueret præuidebat, & ob hoc maioribus pœnis cruciandum. Vnde nonnullam in hac remiſſione vel alleuiatione pœnæ diuinæ bonitatis gratiam percipere paruuli non immeritò videntur. Bene etiam Deus ad correptionem noſtram hac mitiſſima paruulorum pœna vtitur, vt videlicet cautiores efficiamur ad euitandum propria peccata, cùm tales & tam innocentes, quibus nec ſepultura vel orationes fidelium conceduntur, damnari quotidie credamus propter aliena, & ampliores Dei gratias referamus: Cùm nos ab illo perpetuo igne poſt multa etiam perpetrata crimina per gratiam ſuam immunes habeat, à quo minimè illos ſaluat. Voluit etiam ſtatim oſtendere in prima & fortaſſe modica primorum parentum tranſgreſſione, quam ita in poſteris nihil adhuc merentibus vindicat, quantum omnem abhorret iniquitatem, & quantam pœnam maioribus culpis & frequentibus reſeruet, ſi hoc ſemel commiſſum in vnius pomi repara-

Digitized by Google

bilis esu ita in posteris punire non differat. Vnde Hieron. in Epistola ad filiam Mauricij, siue ad virginem Deo consecratam. Adæ, inquit, magis parcendum fuit, qui adhuc nouellus erat, & nullius ante peccantis, & propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi verò post tanta documenta, post Legem, post Prophetas, post Euangelia, post Apostolos, si delinquere volueris, quomodo indulgere possit ignoro. Sunt & in singulorum paruulorum damnatione propriæ & familiares quędam causæ, licèt nobis occultæ, quas ille nouit qui nihil non optimè disponit. Et nos quidē aliquas huiusce modi ex his quæ frequenter accidere videmus, conijcere possumus. Sæpe quippè accidit, vt talium paruulorum mortem in vitam suorum parentum diuina gratia commutet, cùm ipsi videlicet maximè de eorum damnatione quęrentes quanta eis per concupiscentiam propriam generatis intulerint, propriæ id culpæ totum tribuant, & sibi ascribant, & tam ipsi quam cæteri hoc videntes timidiores in Deum, & de proprijs peccatis magis compuncti vel resipiscentes efficiantur, cùm tam seueram in paruulos ex concupiscentia, in qua omnes genuerunt, viderint sententiam. Ex quo etiam ad continētiæ bonum potius inuitamur, quod tam periculosæ indulgemus concupiscentiæ, per quam tot animæ incessanter inferis transmittuntur. His vel consimilibus rationibus apparere arbitror, Dominum de mitissima illa damnatione paruulorum non solum iniuriæ non esse arguendum, verùm etiam ex nonnulla gratiæ suæ tam in paruulos, vt dictum est, quàm in cæteros collatione glorificandum.

Plena diffinitio originalis peccati.

Est ergo originale peccatum, cum quo nascimur, ipsum damnationis debitum quo obligamur, cùm obnoxij æternæ pœnæ efficimur propter culpam nostræ originis. i. primorum parentum, à quibus nostra incepit origo. In illo enim vt supra meminit Apostolus, peccauimus, idest peccati eius causa æternæ damnationi ita deputamur, vt nisi diuinorum sacramentorum nobis remedia subueniāt ęternaliter damnemur. Et notandum quòd licet dicamus peccasse paruulos in Adā, vt expositū est, non ideò simpliciter annuamus eos peccasse, sicut nec cùm dicimus aliquem tyrannum adhuc viuere in filijs suis, ideò eum simpliciter viuere concedimus. Damnan-

tur itaque, inquies, qui non peccarunt, quod eſt inquiſſimum: puniuntur qui non meruerunt, quod eſt atrociſſimum. Sed hoc fortaſſe quantum ad homines, non quantũ ad Deũ eſt concedendum. Alioquin quomodo paruulos quoq; pœna diluuij vel incendij Sodomitarum Deus affligens non arguitur? Aut quomodo B. Iob & Martyres ſanctos affligi vel occidi permiſit? denique & vnicum ſuum morti tradidit? diſpenſatione, inquies, commodiſſima gratiæ ſuæ id fecit, bene & argute: ſic etiam, inquam, homines aliqua ſaluberrimi cõſilij diſpenſatione & innocentes pariter vt nocentes affligere poſſunt, nec in hoc peccare: veluti cum propter alicuius Tyranni malitiam boni Principes terras eorum depopulantes atque deprædantes, & bonis fidelibus qui eis ſubjecti ſunt & poſſeſſione non mente coniuncti nocere compelluntur, vt paucorum electorum damno plurimorum vtilitati prouideatur. Poteſt etiam contingere, vt aliqui falſi teſtes, quos tamen refellere non valeamus, aliqua de aliquo imputent quem innocentem ſcimus. Quorum quidem teſtimonia poſtquam id egerint quod eis adiudicatũ fuerit, cogimur etiam cõtra cõſcientiam noſtram grauare innocentem, vt quod mirabile dictu eſt, dum legibus obtemperamus, iuſtè eum puniamus qui iuſtè non punitur, & iuſtè id agamus quod iuſtum non eſt, competenti ſuper hoc deliberatione habita, ne vni parcendo pluribus noceamus. Sic etiam in paruulorum damnatione, cum quod non meruerint plectuntur, multæ poſſunt exiſtere cauſæ diuinæ diſpenſationis ſaluberrimæ, præter has etiam quas aſſignauimus, vt non ſit iniquum eos ſic puniri, licet non meruerint: quoniã Deus qui talium pœna tam ipſis quàm alijs non inutiliter vtitur, vt ſuprà aliquibus non improbabilibus aſſignauimus opinionibus, vt magis ad gratiam Dei quàm ad iuſtitian hæc mitiſſima paruulorum pœna referenda videatur, & in quo maxima Dei videtur crudelitas, magnæ diſpenſatio gratiæ ſit prædicanda. Nec hoc rationi contrariũ eſt, ſi quod dimiſſum eſt in parentibus, puniatur in filijs: licet hoc filij non ex culpa contrahunt parentũ. Aliqua enim pro parentibus ſatisfactio intercedit, & eis tantum ſufficiens eſt, non etiam filijs. Verbi gratia, egerunt Adam & Eua electi de paradiſo in ſudore vultus & dolore partus vel cæteris afflictionibus pœnitentiam de cõmiſſa trangreſſione,

Digitized by

& propiciatus eſt eis Deus propria ipſorũ ſatisfactione. Morte denique temporali cùm ſint pro illa tranſgreſſione quam commiſerant ipſi puniti, nequaquam propter ipſam æternæ morti ſunt reſeruandi, iuxta illud Propheticum, *Non iudicabit Dominus bis in idipſum, & non conſurget duplex tribulatio*, id-eſt nemo de vno eodemque proprio peccato & corporali & æterna morte puniendus eſt. Filijs autem illorum, videlicet primorum parentum, quibus pariter omnibus etiam pro culpa ipſorum patrum iratus eſt Deus, tanquam in peccato carnalis concupiſcentiæ conceptis, quam ipſi videlicet patres ex prima trãſgreſſione incurrerũt, ſingulis propria neceſſaria eſt abſolutio, quæ leuiſſima nobis inſtituta eſt in baptiſmo, vbi pro alieno quo obligantur peccato aliena fides patrinorumque confeſſio intercedat. Quippe qui obligatus peccato naſcitur, pro ipſo quo tenetur nondũ ſatisfacere vel pro ſe valet, ſed diuinæ gratiæ ſacramento mũdatur. Non mirum videri debet ſi quod indulgetur parentibus, exigatur à filijs; cum ipſa vitioſa carnalis concupiſcentię generatio peccatum transfundat, & iram mereatnr. Vnde Apoſt. *natura filij iræ*, à qua quidem ira parentes primi ſatisfactione propria ſunt liberati. Poteſt autem vſu euenire vt cùm aliquis pauper Domino alicuius ſe ſubiugauerit, & paruulos ſuos; ipſe tamẽ poſtea proprię virtutis facto aliquo vel precio libertatem ſibi, non filijs acquirat. In ipſis etiam rerum naturis non incongruam nobis Dominus huius rei ſimilitudinẽ impreſſit, quæ huiuſmodi objectioni ſatisfacere quodãmodo videatur, cùm tam .v. ex oliuæ quàm ex oleaſtri ſemine non niſi oleaſter naſcatur, ſicut tam ex carne iuſti quàm ex carne peccatoris non niſi peccator naſcitur, & ex frumento à palea purgato non purgatum, ſed cum ipſa palea frumentum producatur: ſicut ex parentibus per ſacramentum à peccato mundatis nemo niſi cum peccato naſcitur.

VTRVM autem ex proximis quoque parentibus ſicut ex primis peccata contraxerimus, & multiplicatis originalibus peccatis tantò quiſque naſcatur deterior quanto poſterior, ante ..... quæritur. Beatus verò Auguſt. in Enchiridion cap. XVI. hoc probabiliter dici conſentit, vt proximorum quoque parentum peccatis filij obligentur, vbi videlicet ait parentum quoque peccatis paruulos obligari, non ſolùm

Digitized by Google

primorum hominum, ſed etiam ipſorum, de quibus ipſi nati ſunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina ſententia, *reddam peccatum patrum in filios*, tenet eos vtique antequam per regenerationem ad teſtamentum nouum incipiãt pertinere, quod teſtamẽtum prophetabatur cùm dicitur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum, nec vltra futuram in Iſrael parabolam hanc: *Patres manducauerunt vuã acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.* Item ideò eſt inſtituta regeneratio, quia vitioſa eſt generatio vſq; adeò, vt de legitimo matrimonio procreatus dicat, *in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea.* Neq; enim hic dixit, in iniquitate vel peccato, quia & in verbo vno quod in omnes homines pertranſijt, tam magnum eſt vt mutaretur vel conuerteretur in neceſſitatem mortis humana natura. Reperiuntur, ſicut ſupra diſſerui, plura peccata, & alia parentum, quæ & reatu obligant filios, niſi gratia diuina ſubueniat. Sed de peccatis aliorum parentum ab ipſo Adam vſque ad patrem ſuum diſceptari poteſt, vtrum omnium malis actibus & multiplicatis delictis originalibus qui naſcitur implicetur, vt tanto peius quantò poſterius quiſque naſcatur. Hæc tamen Beati Auguſtini dicta magis ad opinionem aliorum, ſicut ipſemet innuit, probabilem, quàm ad ipſius aſſertionem referenda videntur. Quis namque Hieremiam & Ioannem Baptiſtam ſanctificatos in vtero longe poſteriores quàm Cain deteriores naſci arbitretur? Denique & Dominus Ieſus ex multis peccatoribus patribus originem ducens ſecundum carnem longe poſt Cain natus eſt ex virgine. Et cùm plures quàm Cain peccatores haberet anteceſſores, nihil tamen ei obfuit numeroſitas talium patrum, quorum carnem accepit in virgine. Sed verò illud in admirationem venire debet, quòd cùm originale peccatum condonatur, ſtatus immortalitatis, qui per ipſum amiſſus eſt, non recuperatur. Satis quippe ad diuinæ gratiæ largitatem nobis debet eſſe, ſi vel grauiſſimam & æternam euitemus mortem: quia per illud peccatum incurrimus vtramque. Non eſt enim aliud Deum condonare peccatum, quàm ęternam eius relaxare pœnam. Ad hoc enim vt arbitror pœna iſta corporalis & tranſitoriæ mortis reſeruatur, vt eo minus vitam habere temporalem appetamus, quò faciliùs eam finiri proſpicimus, & ærumnis ſubjacere, & eam

Digitized by Google

amplius diligamus quæ verè beata est, & finem non habet. Hæc de originali peccato non tam pro assertione quàm pro opinione, nos ad præsens dixisse sufficiat. Nunc ad expositionem litteræ redeamus.

LEX *autem subintrauit.*] Ac si aliquis quæreret. Quid ergo egit lex ante aduentum Christi, si postea Christus adueniens peccata abstulit? Respondet quia lex non solum peccata non abstulit, sed auxit, vt necessariò Christus ad auferendam quoque habitudinem peccatorum descenderet. Et hoc est lex scilicet scripta, *subintrauit*, post naturalem, *vt abũdaret delictum.*] Hoc autem dictum est, quomodo si dicatur de aliquo, *exiuit vt moreretur*, ideſt exiuit, & propterea mors est subsecuta, non quod hac intentione exiret. Sic & per hoc quod lex data est populo rebelli, peccatum per transgressionem plurimam abundauit. *Vbi autem.*] ideſt in eodem populo, in quo per transgressionem etiam legis scriptæ, *abundauit peccatum, superabundauit & gratia.*] Christi, ideſt bona ab eo gratis non pro meritis collata, tum quia ibi salutem nostram specialiter operatus est, tam patiendo scilicet quàm prædicando. Vnde ait, *Non sum missus nisi ad oues quæ perierũt domus Israel*, vel remittendo peccata, aut miracula faciendo, siue patiendo, resurgendo, ascendendo, Spiritum sanctum mittendo: quàm Apostolos & priores electos indè colligens, per quos vniuersus postmodum orbis acquisitus est Deo. Abundasse peccatum dicit, & superabundasse gratiam, quæ non solum peccatum abstulit, verum etiam virtutes contulit & multiplicauit, tam visibiliter in miraculis, quàm spiritualiter in interioribus animæ bonis, *vt sicut.*] id est ad hoc abundauit hæc gratia, ideſt dona à Christo gratis collata, *vt ipsa regnat per iustitiam*,] ideſt regnum iustitiæ in nobis ædificet, quæ omnibus imperet libidinibus, & illicitos refrænet motus, præparando nos ita, *in vitam æternam.*] & hoc, *per Christum.*] seipsum pro nobis hostiam offerentem. *Sicut antea regnauit:*] ideſt regnum suum & dominium habuit, *in nobis peccatum.*] ducens nos ita, *in mortem.*] scilicet æternæ damnationis.

QVID *ergo dicemus p. &c*] Quandoquidem vbi abundauit delictum. s. g. diceret aliquis, quid dicemus nisi vt perseueremus in peccato, vt sic in nobis *gratia abundet.*] sicut in CAP. VI.

Digitized by Google

illis? *Abſit.*] Inquit Apoſtolus ex ſua parte, hoc concedamus, ſcilicet perſeuerandum vnquam eſſe nobis aliqua occaſione in peccato. *Qui enim mortui ſumus peccato.*] Ac ſi diceret: Non eſt nobis permanendum in peccato, quia nec manendũ aliquo modo, cum ei ſumus iam mortui, per gratiam ſcilicet nobis collatam de remiſſione etiam peccatorum, *An ignoratis.*] Ac ſi diceret, etiãm ipſo ſacramento & ſimilitudine mortis Chriſti, quam accepiſtis in baptiſmo, admonemini poſtquam mortui facti eſtis peccato, non eſſe viuendum in illo. Sicut enim ille ſemel mortuus corpore ſemel reſurrexit à morte, non vltra ſcilicet moriturus: ita & vos à morte animæ, ideſt peccato, per gratiam baptiſmi Chriſti, non Ioannis, liberati, redire ad peccatum non debetis. Et hoc eſt, Nunquid vos qui ita opponitis, ignoratis ſacramentum, ideſt ſanctificationem baptiſmi Chriſti, ideſt ignoratis quod *quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu.*] ideſt baptiſmate eius potius quàm Ioannis, *ſumus baptizati in morte ipſius?*] ideſt in ſimilitudine & ſignificatione corporalis mortis. Sicut dictum eſt, vt videlicet ſicut ille ſemel mortuus eſt corpore, & reſurrexit; ita & nos ſemel mori peccato nitamur, & non vltra velle peccare, etiamſi per pœnitentiam valeamus reſurgere. *Comſepulti enim.*] Poſt ſimilitudinem mortis & ſepulturæ adiungit etiam reſurrectionis, dicens nos ad hoc in baptiſmo conſepultos eſſe Chriſto in morte peccati, ideſt ſimilitudine tridua eius ſepulturæ, per quam morimur peccato, accepiſſe, ad hoc inquam vt, *Quomodo Chriſtus ſemel reſurrexit.*] ſemel iterum caſurus in mortem, *per gloriam Dei Patris.*] ideſt per potentiam diuinitatis, quæ ſpecialiter nomine patris exprimatur, ita nos ambulemus per gradus virtutum, quæ nouum hominem faciunt, non reuertentes ad vitia quæ ſunt mors animæ. *Si enim.*] Dixi nos accepiſſe ſimilitudinem mortis & ſepulturæ Chriſti in baptiſmo, vt ſimilitudinem reſurrectionis per nouitatem vitæ teneamus. Et merito, *Quia ſi complantati fuerimus ſimilitudini mortis Chriſti.*] ideſt ſi in gratia baptiſmatis, quæ eſt ſimilitudo mortis, Chriſti firmiter radicati fuerimus, ſicut ille obedientia mortis ſibi iniunctæ à patre immobilis extitit. Quæ quidẽ mors eius fuit quaſi plantatio grani fructificãdi, & multiplicandi ſicut ipſe dicit, *Niſi granũ frumenti, &c. ſimul erimus & reſurrectionis eius.*] ideſt peruenie-

mus

mus per gradus virtutum ad resurrectionis eius gloriam, siue ad ipsam nouitatem vitæ, quæ est etiam in terris quædam similitudo futuræ vitæ, quam resurgendo primus Christus nunciauit. Nouitas vitæ est, vt ait Origenes, vbi veterem hominem cum actibus suis deponimus, & induimus nouum qui renouatur in agnitione Dei. Quotidie sic dici potest ipsa nouitas innouanda esse. Sic enim dicit: *Nam & is qui foris est homo noster corrũpitur, sed qui intus renouatur de die in diem.* Qui in fide proficiunt, semper bonis operibus adijciunt meliora.

Hoc *scientes.*] .i. attendentes & considerantes, in ipso genere mortis Christi significari quod non simul cum Christo sit, *Crucifixus* .i. in nobis, *vetus homo.*] .i. transgressor Adã, vt quemadmodum scilicet Christus corporaliter crucifixus mortuus est, ita spiritualiter in nobis veterem hominem per baptismum mori credamus & crucifigi .i. omnem transgressionem, per quam imitamur veterem & priorem Adam, condonari. Et hoc est quod exponens subiungit, ita vt *destruatur in nobis totũ corpus peccati.*] non vnum membrũ .i. vniuersa peccata, tam originale scilicet quàm propria, non hoc tantum vel illa condonentur. Crucifixus quilibet ita totum corpus extensum habet, vt mouere membra non possit, tanquam omnia sint mortificata. Per quod significatur in baptizatis omnia deleta esse peccata. *Vt vltrà.*] .i. ad hoc nobis gratia remissionis est collata, vt ei quantum possumus cohærentes, & in hac mundicia permanentes *non seruiamus* vltra *peccato.*] i. non dominetur nobis longa peccati consuetudo, quæ etiã nolentes quasi seruos in perpetuum retinet, non tanquam famulos ad horam subjectos habet. *Qui enim.*] Bene dixi crucifixum esse & mortuum in nobis veterem hominem, vt amplius ille in nobis peccato non seruiat, quàm mortuus quilibet, vt ait Hieronymus, iustificatus est à peccato .i. ab opere peccati iam alienus, licet penitus voluntate peccandi non careat, sicut libero caret operandi arbitrio: *Si autem.*] .i. si morte peccati imitamur mortem Christi. *Credimus.*] .i. mente firmiter tenemus, *quia simul etiam viuemus cum Christo.*] tam corpore quàm anima glorificati in perpetuum. Cuius quidẽ vitæ perpetuitatem subiungit dicens, *scientes*] nunc per experimentum quia nunc credimus, *Quod scilicet Christus resurgẽs ex mortuis.*] ideſt de inter mortuos, quorum vnus erat. *iam*]

i. in præſenti ſeculo, *Non moritur*] neque etiã in futuro: & hoc eſt, *Mors illi vltra non dominabitur.*] Sed quid eſt quod ait, *non dominabitur*, quaſi prius dominata fuerit, & eum tanquam inimicum oppreſſerit. Et fortaſſe qui vſque adeo mortem viſus eſt expauiſſe vt diceret, *Pater, ſi poſſibile eſt, &c.* & iterum, *verumtamen non ſicut ego volo, &c.* mori nullatenus voluit, ſed permiſit? Secundum diuinitatem verò, ſicut vnum eſt cum Patre, ita & vnius voluntatis eſt: iuxta quod ipſe de ſe ait, *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam.* Et iterum: *Poteſtatem habeo ponendi animam, & iterum ſumendi eam.* Et Iſai. *Oblatus eſt*, inquit, *quia voluit.* Deſiderauit quidẽ anima hominis illius ſalutem noſtram quam in morte ſua conſiſtere ſciebat, & propter illam quam deſiderabat hanc tolerabat: ſicuti infirmus vel ſauciatus aliquis propter ſanitatem quam deſiderat, multa tolerat aſpera coactus, non ſpontaneus, per quam ſanitatem ſe adepturum exiſtimat. Quæcunque autem coactus quis ſuſtinet, non vtique velle, ſed magis tolerare dicendus eſt. Nihil quippe affligendo grauat aliquem, niſi quod contra eius geritur voluntatẽ. Et in nullo quis patitur, niſi quod eius voluntati aduerſatur. Anima itaque Chriſti non tam afflictiones paſſionum velle quàm tolerare dicẽda eſt. Sed quia etiam Chriſtus ipſe alibi profitetur non ſe veniſſe voluntatẽ ſuam facere, ſed voluntatem Patris. Vnde & pro magno id merito & virtute reputandum eſt, cùm amore quis Dei ſuæ penitus abrenuntiat voluntati, immo & vt ipſe alibi Chriſtus ait, adhuc & animam ſuam oderit. Quodam itaque modo mors ipſa humanitati Chriſti dominata eſt, quando eam videlicet præ auguſtia ſua reformidabat, & tranſire potiùs quàm venire volebat, quaſi nolens ſuſtinuit propter iniunctam ſibi à Patre obedientiam. Qui etiam ſub lege factus eſt, cùm omnino legi nil deberet. Tale eſt itaque quod ait Apoſtolus, *Mors illi vltra non dominabitur.*] ac ſi diceret; Non opprimet nolentem, vel non affliget violenter innocentem. Quaſi enim violentiam mors in eum exercuit, cum innocentem, & nulli peccato penitus ſubjacentem oppreſſit, quæ nõ niſi peccati cauſa homini eſt immiſſa. Poteſt enim conueniẽtius diſtingui quod dictũ eſt, *iã non moritur, & mors illi vltra non dominabitur*, vt videlicet illud primum ad mortẽ corporis, ſecundum verò ad mortem animæ referatur. Tale quippe eſt,

Digitized by Google

non moritur iam, ac ſi dicatur, præſentem vitæ mortem .i. corporalem non incurret. Tale eſt verò, *mors illi vltra non dominabitur*, ac ſi dicatur, mors illi vlterior, quæ in reprobis corporalem ſequitur, & etiam poſt reſurrectionem impijs dominatur, eum nullatenus opprimet. Quæ videlicet mors omnibus quos arripit dominatur, & neminem niſi inuitum detinere poteſt. Hanc autem diſtinctionem ſequens littera exigere videtur quæ ait, *quia enim mortuus eſt, &c.*] Hinc enim probat quod mors illa, quæ vltima eſt .i. quæ poſt hanc tranſitoriam ſequitur, æterna illi non dominabitur, quia ille ſemel mortuus eſt in corpore tantum.

QVOD *enim mortuus eſt peccato penitus.*] .i. in nullo penitus vnquam fuit peccato, ſiue actuali ſiue originali, pro quo videlicet peccato mors illa damnationis debetur, ideo ſemel tantùm mori potuit vt dictum eſt. i. corpore tantùm, non anima. *Quod autem viuit.*] Mortuus eſt, inquam, ſed viuit iam ſuſcitatus. Et quod viuit, *viuit Deo.*] ſicut mortuus fuerat peccato, immo quia mortuus exiſtit in præſenti ſæculo peccato, neceſſe eſt vt in futuro viuat Deo. Viuit peccato qui viuẽdo peccat, viuit Deo qui ab eius voluntate non diſcordat. Quod quidem ſoli Chriſto ſiue in ipſo capite ſiue in eius glorificatis membris veraciter aſſignatur. *Ita & vos.*] Quod præmiſit de capite per ſimilitudinem quandam ad membra reducit, vt videlicet peccato moriantur & Deo viuant. Et quia poſſent illi dicere ſe ignorare quando peccato, quando Deo viuerent, præueniens atque auferens hanc excuſationem, dicit vt ſaltem pro exiſtimatione ſua & capacitate ſuæ intelligentiæ id implere ſtudeant. Et hoc eſt quod ait. *Exiſtimate, &c.*] hoc eſt ita ſaltem viuatis, vt vos non reprehendat veſtra conſcientia, ſed mundum ad plenum qualiter viuendum ſit cognoſcatis: quia & ſi aliter ſapitis, vt ipſe alibi Apoſtolus ait, id quoque Deus vobis reuelauit, corrigendo ſcilicet veſtræ ſimplicitatis minus doctam exiſtimationem. *In Chriſto Ieſu.*] i. per gratiam vobis in Chriſto collatam, cum quo vobis collata ſunt omnia, non per merita veſtra.

NON *ergo*,] Ad ſuperiora illa reuertitur vbi dictum eſt. *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato? vt gratia hæc. &c.* Et multis rationibus interpoſitis concludit non eſſe permanendum in peccato .i. non oportere aliqua de cauſa pecca-

tum regnare in nobis. Continuatio. Quandoquidem ſic viuendum eſt vt exiſtimetis vos mortuos eſſe peccato. Ergo *non regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, hoc eſt non perſeueret in fragilitate veſtræ carnalitatis. Non dicit, non ſit, ſed *non regnet* .i. non dominando perſeueret. Quod autem non dicat, non ſit, inſinuat dicens. *In veſtro mortali corpore* .i. in fragili & ad peccandum prona humanæ naturæ ſubſtantia. Difficile quippe eſt, immò quodãmodo impoſſibile, vt quandoque noſtra hæc mortalitas ad peccatum inclinetur, ſed cùm humanum peccare, diabolicum eſt, non humanum perſeuerare. Quomodo autem regnet in nobis peccatum, & dominium obtineat, determinat ſubiungens: *vt obediatis c.e.*] Quaſi tranſitum, non regnum in nobis habet peccatum, quando quod ſuggerit concupiſcentia ratio refrenat. Tunc verò quaſi regnans & dominans ſtabilem in nobis manſionẽ facit, quando malum quod mente concipimus, opere implemus, vel quod peius eſt, in conſuetudinem ducimus, nolentes id per pœnitentiam emendare. Eſt itaque obedire concupiſcentiæ peccatum ita ad affectum ducere, ſicut praua concupiſcentia quæ peccati eſt perſuadet. *Sed neque.*] Non ſolum non obediatis malæ concupiſcentiæ, verùm & ipſam ita præuenire veſtra prouidentia ſtudeat, vt cùm voluerit dominari non poſſit. Quod quidem facietis, ſi non exhibueritis, *membra veſtra a. i. p.*] .i. non præparabitis ea inſtrumenta cõceptę animo iniquitatis. i. malæ concupiſcentię, ad peccatum opere cõplendum. Tunc autẽ præparamus mẽbra noſtra ad malam concupiſcentiam quæ ad actum perducitur, quando nimio cibo vel potui indulgemus; vnde laſciuire facile caro poſſit, vel quando cõponimus nos atq; adornamus, vt mulieribus placere valeamus, vel quãdo pugillatoriè vel gladiatoriè inſiſtimus, vt per ea quos voluerimus opprimamus, vel in cauſis linguam exercemus, vt indè pecuniam acquiramus, & quibuſcunque modis vel aliquam partem noſtri corporis ad aliquid mali operandum facilem ſiue habilem efficimus. *Sed exhibete.*] .i. præparate vos Deo, hoc eſt diuinæ voluntati dicate, vt pote per fidem ab eo ſpiritualiter ſuſcitati à morte animæ. Et hoc eſt *tanquam exhibete membra veſtra.*] Et quia fides ſine operibus mortua eſt, addit *& membra veſtra*, ſcilicet exhibete *arma iuſtitiæ Deo.*] .i. inſtrumenta quibus omnis ad

iuſta opera vtatur, veluti ſi quis abſtinentia gulam domet, vt quod ſibi ſubtrahit alteri largiatur: vel manus in labore exerceat, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti: vel aures prædicationi & oculos ſacræ lectioni applicet, vt alios quoque valeat erudire, &c. *Peccatum enim.*] Dixi vt exhibeatis membra veſtra Deo, & id præcipue debetis propter appoſitã gratiam Euangelij, & grauiſſimam pœnam legis remotam. Et hoc eſt peccatum .i. lex peccati .i. pœnæ potius quàm gratiæ. *Vobis.*] ad Chriſtum iam conuerſis, *non dominabitur.*] .i. non opprimet atque affliget illis intolerabilium pœnarũ vindictis. Vnde cauſam annectit, dicens.

NON *enim ſub.*] .i. non eſtis iam ſub legalibus inſtitutionibus obnoxij, tanquam illo legis iugo grauiſſimo preſſi, dentem pro dente, oculum pro oculo, &c. ſed ſub gratia ſcilicet Euangelij. Quod ſcilicet Euangelium teſtamentum amoris & miſericordiæ eſt dicendum, ſicut illud timoris & vindictæ extitit. Vnde & in laudem Chriſti Pſalmiſta præcinit, *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*, hoc eſt dilatatã vſq; ad inimicos caritatem, iuxta quod alibi dicit: *latum mandatum tuum nimis*, & tota tua reſonat prædicatio. Quæ quidem omnia ita dimitti præcipit, ſeu perſuadet, vt incaſſum ſperemus remiſſionem à Deo peccatorum, niſi omnibus omnes iniurias dimittamus. *Quid ergo peccabimus?*] occaſione præmiſſorum quæſtionem interſerit atque ſoluit dicens. Quid ergo, ſcilicet dicendum eſt aut tenendum? hoc eſt, quæſtionem quaſi rationabiliter incurrimus hanc, peccabimus quoniam non ſumus ſub lege: i. libertatem hanc gratiæ quam accepimus conuertemus ad peccãdum, quia ſcilicet vindictam hanc corporalẽ non timemus? *Abſit.*] quod videlicet non eſſet hæc libertas, ſed ſeruitus. Et hoc eſt quod ſubdit. *An neſcitis.*] .i. tã ſtolidi eſtis quod ignoratis, *quod ſerui eſtis eius cui vos præparatis ſeruos ad obediendum.*] .i. cui vos ſponte traditis non coacti, vt quod præcipit exequamini, non attendentes videlicet an non ſit faciendũ, ſed quod ſit ab eo præceptum, *ſiue peccati.*] .i. prauæ voluntatis ducentis ad mortem .i. damnationem, quaſi ſuggerem præcipientis praua opera, *ſiue obeditionis.*] ſcilicet ſerui .i. bonæ voluntatis, ſeu præceptionis, cui eſt obediendum ad iuſtitiam .i. ad aliquam iuſtam operationem. *Gratias autem.*] Dixi ſiue peccati ſiue obeditionis, quaſi dubitarẽ cuius ſerui ſitis,

ſed gratias .i. grates Deo, ſubaudi refero, quòd cùm fuiſſetis priùs ſerui peccati, nunc eſtis facti ſerui obeditionis. Et hoc eſt, *obeditis autem ex corde.*] .i. amore potiùs quàm timore, in eam formam .i. ſecundum illum modum doctrinæ, in qua à prædicatoribus eſtis eruditi, & ſic liberati à ſeruitute peccati, cui videlicet priùs obediebatis. *Serui facti eſtis iuſtitiæ.*] .i. iuſtæ vel rectæ voluntatis, ſeu diuinæ præceptionis, quæ non ſolum iuſta, verum etiam ipſa eſt appellata iuſtitia. *Humanũ dico.*] Ac ſi diceret, & quia nunc à iugo peccati liberati ad obedientiam iuſtitiæ eſtis traducti.

LIBER TERTIVS.

HVMANVM *dico.*] Adhortando vos, vt in ea perſeueretis, & quia vos infirmos adhuc & carnales intueor .i. pronos relabi ad peccata, humanitus vobis loquor .i. remiſſiùs quàm iuſtum ſit, vt videlicet ſi non plus ſaltem tantùm ſtudeatis implere opera iuſtitiæ, quãtum ſtuduiſtis iniquitati deſeruire. Et hoc eſt illud humanitus dictum, *propter infirmitatem carnalitatis eorum.*] .i. quam ex carnalibus trahunt deſiderijs, quod ſtatim adiungit dicens: *Sicut enim.* Ac ſi diceret, verè humanum vobis dico, quia hoc vt videlicet ſicut olim *exhibuiſtis.*] .i. apertè atque impudenter præparaſtis, *membra veſtra ſeruire immundiciæ.*] .i. carnalibus turpitudinibus, luxuriæ vel gulæ, *iniquitati.*] .i. ſpiritalibus vicijs, ſicut eſt ira vel odium in alterum, ſeu cupiditas rei alienæ: illis, inquam, exhibuiſtis ſeruire ad iniquitatem, ſcilicet perpetrandam, vt videlicet peruerſum mentis deſiderium in effectum duceretis, ita præparate nunc illa *ſeruire iuſtitiæ.*] .i. iuſtis deſiderijs *in ſanctificatione.*] .i. in effectum ſancti operis. Qui non tam ex infirmitate quàm ex ſtudio peccant, membra ſua præparant ad iniquitatem: ſicut nonnulli calidis vtuntur, vt luxuriæ; vel falſis, vt potui vacare diutiùs poſſint, atque ipſa ſui corporis membra ſæpè contra ipſorum naturam ad turpitudines cogunt. Manum quoque ſuam ad iniquitatem perpetrandam præparat, ſi ei gladium prouidet, quem in eum quem odit exerceat. E contrario

Digitized by Goog

membra ſua iuſtitiæ præparat, ſi ea ſic temperare ſatagit, & coercere, ne ad illicita prorumpant; ſed ad coronam proficiant; quibus quidem cum potuit non eſt tranſgreſſus, immò viriliter in eis omnem prauæ ſuggeſtionis impetum extinxit, & quæ eis potuit ad bene operandum monſtrauit, vt oculis ſacras litteras, auribus lectiones, manibus elemoſynarũ munera vel religioſi laboris inſtrumenta.

CVM *enim.*] Bene dixi, quia liberati modo à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ, quia è contrario olim ſerui exiſtentes peccati liberi fuiſtis iuſtitiæ .i. à ſeruitio iuſtitiæ alieni. Locus à contrarijs. Sicut ſeruus iuſtitiæ dicitur qui ei famulatur, ita è contrario liber eius dicitur qui ab eius ſeruitio remotus eſt, i. qui eam implere non curat. *Quem ergo.*] .i. quandoquidem olim ita peccato ſeruiſtis à iuſtitia penitus alieni, quem tunc fructum .i. vtilitatem habuiſtis, ſcilicet ſupra poſitis, immunditia ſcilicet & iniquitate, in quibus .i. de quorum perpetratione, nunc erubeſcitis. Et hic eſt finis illorum, ſcilicet ad quod ducit, vel effectus priùs eis debitus mors eſt, animæ videlicet .i. perpetuæ cruciatus pœnæ. *Nunc verò liberati à peccato.*] .i. à graui malæ conſuetudinis iugo, *habetis* iam hic *fructum veſtrum in ſanctificationem.*] .i. ipſam remiſſionem peccatorum, qua ſanctificati eſtis, habetis pro remuneratione. *Finem vero.*] .i. exitum, ad quem hæc ſanctificatio perducit, habetis iam vobis præparatum. *Vitam æternam.*] Merito finem dicit tam vitam quàm mortem animæ æternam, quæ vita iſta corporis & morte temporali finitis extremæ conſequuntur. *Stipendia enim.*] ad duo illa præmiſſa, *Nam finis illorum*, &, *Hinc vero liberati, &c.* iſta duo ſubnectit, *ſtipendia enim*, &, *gratia autem Dei, &c.* oſtendens videlicet qualiter ad duos illos fines, quos diſtinxit, mortem ſcilicet ac vitam perueniatur. Ad mortem quidem ex iuſtitia, ad vitam autem ex gratia per Ieſum ante collata. Non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vnde bene remunerationem peccati de morte vocat ſtipendium, remunerationem autem obedientiæ Dei de vita æterna non ſtipendium, ſed gloriam nominat. Stipendium quippe à ſtipe nomine, & penſo penſas verbo dicitur. Stipes autẽ vel ſtips dicitur merces quæ militibus redditur penſato eorũ labore, ſiue conſiderata dominorum vtilitate. Haimo verò

ſic ait: Stipendia .i. remuneratio ſtipendium dicitur à ſtipe pendenda .i. ſubſtantia ponderanda. Antiquitus enim potius ponderabatur pecunia quàm numerabatur. Sic continua. Dixi quia finis illorum .i. immundiciæ & iniquitatis, mors eſt,& bene quia omnis peccati ſtipendia ſunt .i. iuſta & debita remuneratio mors, his videlicet qui in eo perſeuerãt: ſed vita æterna potius eſt gratia Dei dicenda quàm ſtipendia noſtra .i. gratis potius nobis collata, quàm meritis noſtris debita. Et hoc eſt per Chriſtum Ieſum, per quem Deo reconciliati ſumus.

CAP. VII. AN *ignoratis.*] Dixerat ſuperius Apoſtolus, *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*: & rurſus hic nouiſſimè adiecit, *per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*]potius quàm per legem, nos hanc gratiam vitæ æternæ aſſecutos. Vnde quia aliquis poſſit quærere: Poſt legem datam quando aliquis ſine eius obſeruationibus poteſt ſaluari cuicunque apponatur gratia,cõuenienti ſimilitudine Apoſtolus talẽ præuenit & ſoluit quæſtionem; oſtendens videlicet quòd quemadmodum mulier priore viro defuncto poteſt ad alium inculpabiliter tranſire, ita populus Dei prius iugo legis alligatus quaſi mulier viro cui debet obedire, poteſt iam lege defuncta ad libertatem Euangelij ſine culpa meare. Vſque ad Ioannem enim,qui interpretatur gratia Dei .i. ad tempus gratiæ ſingularis aduentus Chriſti,lex & Prophetæ. Quod quidem tempus ſicut in Epiſtola ad Hebræos ipſe commemorat Apoſtolus,de mutatione ſcilicet teſtamenti .i. de interitu veteris & natiuitate noui, Dominus per Hieremiam promiſerat dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, &c.*] Continuatio. Dixi nos iam non eſſe ſub lege, nec iam poſt Chriſtum eam nobis eſſe neceſſariam inſinuaui. Nec hoc quidẽ mirabile videri debet. Quia, *nunquid ignoratis fratres* .i. non credo quod ignoretis,quia lex in homine dominatur .i. ei ab homine eſt obediendum,quãdiu ipſa viuit .i. tanto tempore quod ei à Domino præfinitũ eſt & conceſſum, vt eius obedientia valeat & integrè in ipſis etiam figuralibus præceptis cuſtodiatur. Quod autem interponit, *ſcientibus autem loquor* .i. vobis qui legem iamdudum didiciſtis: oſtendit hanc inuectionem ad eos qui ex Iudæis crediderant, ſpecialiter ſpectare,de quibus quaſi cauſam hîc interſerit, quod id quod dicit non ignorent, quia legem didicerunt,

dicerunt, quæ hoc docet, tempus videlicet eam habere præfixum, vel à Deo determinatum, vt non ſemper vt dictum eſt viuat, ſicut ſuppoſito Hieremiæ teſtimonio confirmatur, ſiue alijs veteris teſtamenti locis.

NAM *quæ.*] Probat competenti ſimilitudine, quia lex eo tempore tantum quo viuit dominari habet populo ſubiecto. Quia & vir quilibet vxori ſibi alligatæ non habet dominium niſi dum viuit. Et hoc eſt, *Nam quæ ſub viro eſt mulier.*] i. ei tanquam ſuperiori copulata eſt, *eo viuente alligata eſt legi ipſius.*] .i. legi maritali, vt videlicet alij nubere non poſſit. *Ergo viuente.*] quia ſcilicet alligata eſt ita legi matrimonij. *Itaque fratres.*] Præmiſſam adaptat modo ſimilitudinẽ, dicens & ita i. quẽadmodũ vos qui primitus legi viuebatis per obedientiam ei ſubiecti, mortui iam facti eſtis ei per corpus Chriſti, i. per ipſam præſentiam veritatis in Chriſto vobis exhibitam. Cuius quidẽ veritatis vmbra in lege præceſſit. Poſtquã enim res ipſa venit, quæ per ſe ſufficit, iam non eſt opus figuris illis, quæ in ſignũ rei futuræ præceſſerũt, & in ſpe tãtũ illius venerabiles æſtimantur, ne ſi & figuræ illæ adhuc perſeuerarẽt adhuc expectaretur futurũ quod iam eſt præteritũ: & Iudæi de ſua adhuc votuſtate gloriantes noſtrę inſultarent nouitati, & amplius de operibus ipſis quàm de fide Chriſti nonnulli confiderent, quam ſine operibus minime ſufficere crederẽt. Notandum verò quod cum iuxta ſimilitudinem inductam conuenientiùs dicendum videretur legẽ nobis fuiſſe mortuam, quàm nos legi: quia tamen eadem eſt ſententia nil refert ſiue hoc ſiue illo modo dicatur. *Vt ſitis alterius.*] .i. Chriſti, eius tantùm obedientiæ atque Euangelicæ doctrinæ pręceptis alligati. At ne quis opponeret ipſum quoque Chriſtum iam fuiſſe mortuum, & ſic à iugo eius iam ſuos abſolutos eſſe, prouidè adiunxit, *qui ex mortuis reſurrexit*] ideſt de inter mortuos propria virtute in vitam ſe erexit perpetuam, vt ſpe & deſiderio eius gloriæ accenſi *fructificemus* non mundo, ſed *Deo.*] ideſt ſpiritualibus bonis quibus oblectatur Deus potius abundemus quàm mundanis & terrenis, quæ Iudæi ſemper auidè requirebant: quorum, iuxta literam quã inſiſtunt, nulla niſi terrena promiſſio reperitur: vt ita mundo potius quàm Deo fructificare ex promiſſione legis dicendi eſſent. Quod enim Deus illum duræ cervicis populum ampliùs deſiderare nouerat, eis promittebat; vt ſic magis eos

Digitized by Google

qui carnales erant, i. carnalibus potius quàm ſpiritualibus bonis intenti, ad obedientiam alliceret. Et attende quòd cũ ad hoc quod promiſit, *vt ſitis alterius qui ex mortuis reſurrexit*, adiunxit vt *fructificemus Deo*; non ait vt fructificetis, ſed vt vos & nos pariter .i. omnes fructificemus, ſiue prædicando ſiue obediendo.

CVM *enim eſſemus.*] Dixi vt ſitis alterius diſcipuli ſcilicet & imitatores quàm hucuſque fuiſtis, vt fruſtificetis Deo. i. vt ſitis ſpirituales per deſiderium potius quàm carnales, ſicut olim fuiſtis temporalem legis promiſſionem ſequentes. Et merito ſic monet, quia tunc per illam legis promiſſionem vos carnalium deſideriorum amatores nequaquam ſpiritualem Deo fructum reddere poteratis, ſed morti potiùs. i. mortalem & damnabilem habebatis fructũ magis ac magis ſemper per concupiſcentiã terrenis adhærentes: iuxta quod ſcriptũ eſt,

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,

Et alibi.

Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit.

Sic lege, *Cum eſſemus in carne* .i. carnalibus, non ſpiritualibus deſiderijs inhiantes, paſſiones peccatorum .i. concupiſcentiæ diuerſæ nos peccare facientes, vt ſit quaſi intranſitiuè dictum, *paſſiones peccatorum* .i. quæ peccata erant, ſicut dicitur *Creatura ſalis*, vel ſubſtantia aut corpus lapidis, ideſt creatura quæ eſt ſal, vel ſubſtantia aut corpus quod eſt lapis. Quæ quidem paſſiones, *erant per legem.*] laudantem ſcilicet atque pollicentem eorum quæ multum deſiderabant magnam abundantiam, terram videlicet optimam lacte & melle manãtem, & pacem & proſperitatem in ea maximam, & vitam longæuam, & quicquid ad terrenam pertinet fœlicitatem, quam præcipuè deſiderabant. Et quorum quidem laude, promiſſione, & ſpe amplius in eorum deſiderium accendebãtur, quàm ſi ea minimè ſperarent, vel tanta eſſe didiciſſent. A quibus enim ideò deſperamus, non multum aut diu eorũ deſiderio tenemur. *Operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.*] hoc eſt damnationis mortalem nobis acquirebant exitum. Concupiſcentiæ operantur in membris, quando conceptum mente deſiderium per aliquod membrum opere implemus, vt per genitalia libidinem, per manus furtum aut rapinam. Nunc autem abſoluti ſumus ab obedientia illa legis, quæ pro remuneratione, vt dictum eſt, tempo-

Digitized by Google

ralium impendebatur. *Ita vt iam ſeruiamus Deo.*] mente potius quàm opere ſpiritualiter illas legis figuras magis quàm corporaliter adimplentes, ſicut alibi dicitur : Littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. *In nouitate ſpiritus.*] .i. in ſpiritualibus deſiderijs & intelligentia, quæ ante non erant, & non in vetuſtate litteræ .i. in antiquis operibus quæ iuxta litteram tantum fiebant, ſicut erat carnalis circunciſio, obſeruatio Sabbati, ſacrificia & alia innumera.

QVAERIT fortaſſis aliquis, cur etiam promiſſionem æternæ vitæ lex non habuerit, vt non ſolum terrenorum, verùm & cœleſtium donorum deſiderijs amplius ad obediendũ populus alliceretur, ſed quia imperfecta habuit præcepta, ſicut alibi idem Apoſtolus commemorat, dicens quòd *lex ad perfectũ nihil adduxit.* Et Veritas per ſemetipſam, *Audiſtis quia dictũ eſt antiquis, &c.* Et, *niſi abundauerit iuſtitia veſtra, &c.* Nõ potuit eius eſſe remuneratio perfecta, nec terrenis deſiderijs cœleſtia cõpetebant, neq; Deo aliquis tã pro terrenis quàm pro cœleſtibus ſeruiens aptus eſſe poteſt. Vnde Veritas per ſemetipſam admonet dicẽs, *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua* .i. ne admiſceas in aliquo tuo opere terrenam intentionem cœleſti, vt ſimul pro tranſitorijs & æternis bonis obedias Deo. Sed fortaſſe dum propoſitæ quæſtionis nodos ſoluere cupimus, maiores ex ipſa ſolutione incurrimus. Cùm enim in lege de dilectione & Dei & proximi præceptum ſit, & hæc duo præcepta ſufficiant ad vitam : Vnde & Dominus diuiti quærenti quid faciẽdo vitam æternam poſſideret, reſpondit vt hæc duo præcepta ſeruaret & ſufficerent, & Paulus ipſe plenitudinem legis eſſe dilectionem profitetur; Mirabile videtur quòd lex ad perfectionem nihil duxerit, & quòd ipſa non ſuffecerit ad vitam, vt merito propter hoc Euangelica deberet abundare iuſtitia. Reuera quia præcepta legis ſiue de dilectione ſiue de alijs ad perfectum non duxerint, ideſt ad ſalutem ſufficere non poterant : ſed neceſſe erat vt veniret Chriſtus, qui eſt finis & conſummatio legis, cùm videlicet ſine ipſo in lege promiſſo lex adimpleri nullatenus valeret. Sed & ſi diligenter verba legis ſcrutemur, nuſquam lex nomen proximi niſi ad homines eius populi .i. Iudaici extendit, nec vſquam apud nos in tota lege Moyſi ſcriptum reperitur, *diliges proximum*, ſed, *diliges amicum tuum.* Quæſtio.

Digitized by Google

Quod quidem & Dominus ipſe diligenter attendens, cùm ei mandata legis diues interrogatus recitaret, & diceret: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, proximum pro amico vel benefactore poni ex adiuncta parabola patenter inſinuauit: oſtendens ex ipſo diuitis iudicio eum tantum qui miſericordiam impenderat illi qui inciderat in latrones, proximum eius extitiſſe. Ac per hoc manifeſtum eſt cùm dilectio proximi ad amicum tantùm ſecundum litteram legis accommodetur, nequaquam præceptum dilectionis, quod in lege eſt, perfectum eſſe ſicut eſt Euangelij, in quo præcipimur & inimicos diligere, atque eis quoq; benefacere, vt ſimus perfecti ſicut Pater cœleſtis, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Quod quidem ipſe Apoſtolus attendens, non ait, *qui diligit proximum*, iuſtitiam vel Euangelium adimplet: Sed, *legem adimplet*.

AT verò rurſus grauem quæſtionis nodum incurrimus, quòd diuiti interroganti quid faciendo vitam æternam poſſideret, & ab ipſo poſtea recitatis duobus de dilectione Dei & proximi mandatis, reſpondit ei dicens: *Hoc fac, & viues*, præſertim cùm ipſe alibi dicat. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Sed profectò nemo meliùs vel proximus vel amicus intelligendus erat, quàm is quem deſignabat Samaritanus ille, qui miſericordiam vulnerato impenderat .i. Chriſtus qui profectò proximus erat Iudæis tam cognatione quàm veræ caritatis affectu, vel beneficijs innumeris, ſiue ſcilicet prædicando, ſiue miracula faciendo. Si ergo diues ille omnem tunc proximum ſiue amicum diligeret, vtique per Chriſtum. Et ſic ei & præceptis eius cohærẽdo vitam vtique meretur æternam. Nec tamen ideò præceptũ de dilectione proximi & amici vel benefactoris, quod lex dederat, perfectum extiterat, cùm nequaquam omnem hominem comprehenderet, tam amicum ſcilicet quàm inimicum, licet etiam in tempore Chriſti videretur, immo per ipſum Chriſtum qui iam aduenerat, & proximus vt dictum eſt factus fuerat: perfectionem autem tunc haberet mandatum ſiue lex, ſi ex ſe ita ſufficeret vt nihil vnquam ad integritatem iuſtitiæ deeſſet obedientibus ſibi, nec opus eſſet aliud adiungi. Quod nequaquam verum eſt, cùm ante aduentum Chriſti, illorum qui tunc erant proximorum & amicorũ dilectio

Digitized by Google

imperfecta eſſet, nec vſque ad inimicos extenderetur, ſicut poſtea per Chriſtum extenſa eſt. Quod verò ſupradiximus proximum in lege ſecundum litteram non omnem hominẽ accipi, non ſolum ex ipſa lege, verùm etiam ex nonnullis Eccleſiaſticorum doctorũ teſtimonijs aſtrui poteſt. Vnde Ambroſ. ſuper Epiſtolam Pauli ad Romanos, vbi dictum eſt, *Nemini quicquam debeatis, &c.* Pacem vult, inquit, nos habere, fieri ſi poteſt, cum omnibus; dilectionem verò cum fratribus. Et hoc erit nulli quicquam debere, vnicuique pro loco ſuo officium exhibere. Item infra. Dilectio proximi malum non operatur. Malum non operatur, quia bona eſt dilectio, nec peccari poteſt per illam, quæ legis perfectio eſt. Sed quia tẽpore Chriſti addi aliquid oportuit, non ſolum proximos, ſed etiam inimicos diligi præcepũ eſt. Vnde plenitudo legis dilectio eſt, vt iuſtitia ſit diligere proximum, abundans vero & perfecta iuſtitia etiam inimicos diligere. Hæc cœleſtis iuſtitia eſt, hæc Deo Patri ſimiles facit, qui & non colentibus ſe annua dona largitur. Nec nos latet plurimos Sanctorum Patrum in ipſo de dilectione proximi mandato omnem hominem proximum intelligere, atque id veriſimilibus confirmare rationibus. Vnde Auguſt. de doctr. Chriſt. lib. 1. vtrum ad illa duo præcepta & dilectio Angelorum pertineat quæri poteſt. Nam quod nullum hominum exceperit qui præcepit vt proximum diligamus, & Dominus oſtendit, & Paulus Apoſtolus. Item duo præcepta protulerat, atque in eis pendere totam legem & Prophetas dixerat. Item Dominus ait, *Vade & fac ſimiliter*, vt videlicet cum eſſe proximum intelligamus, cui vel exhibendum eſt officium miſericordię ſi indiget, vel exhibendum ſi indigeret. Ex quò eſt iam conſequens, vt & ille à quo nobis viciſſim exhibendum eſt, proximus ſit noſter. Proximi enim nomen ad aliquid eſt. Nec quiſquam eſſe proximus niſi proximo poteſt. Item Paulus dicit. *Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furtum facies, non concupiſces*, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, *Diliges proximum tuum tanquam teipſum.* Itẽ: Quiſquis ergo arbitratur non de omni homine Apoſtolum præcepiſſe, cogitur fateri quòd ſceleſtiſſimum eſt viſum fuiſſe Apoſtolo non eſſe peccatum. Si quis aut non Chriſtiani aut inimici adulterauerit vxorem, &c. Item, Iam verò ſi vel cui

præbendum, vel à quo à nobis præbendum officium miſericordiæ, rectè proximus dicitur; manifeſtum eſt hoc præceptum, quo iubemur diligere proximum, & ſanctos Angelos cõtineri, à quibus miſericordiæ impenduntur officia. Hæc quidem diligentiſſimi doctoris noſtri Auguſtini verba, omninò conuincere videntur proximum in lege omnem hominẽ intelligendum. Alioquin per proximi dilectionem nequaquam impleri lex videretur, quæ etiam de alienigenis multa præcipit, quorum offenſio ſicut & proximorum vitanda eſt. Sed cùm duo dilectionis ſint rami, dilectio ſcilicet Dei, cuius Veritas ipſa primum & maximum dicit eſſe mandatum, & dilectio proximi, quando per dilectionem proximi lex impletur, niſi hæc dilectio illam quoque complectatur: cùm nemo rectiùs nobis proximus vel amicus ſit intelligendus quàm ipſe conditior noſter & redemptor, à quo tam nos ipſos quàm omnia bona habemus, ſicut ipſe Apoſtolus commemorat dicens: *Quid autem habes quod non accepiſti?* De cuius quidẽ circa nos ineffabili caritate alibi dicit: *Commendat autem ſuam caritatem Deus in nobis, quoniam ſic cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Item rurſum, *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et per ſemetipſum Filius ait: *Maiorem caritatem nemo habet vt animam ſuam, &c.* Vnde hunc ſpiritualiter proximum in hoc dilectionis mandato Origenes intelligens, in ſequentibus huius Epiſtolæ ait. Si diligentius requiras quis ſit proximus noſter, diſces in Euangelio illum eſſe, qui iacentes nos inclinatos ad ſtabulum Eccleſiæ detulit, & ſtabulario Paulo, vel ei qui Eccleſiæ præeſt duos denarios veteris ac noui Teſtamenti ad noſtræ curæ cõceſſit expenſas. Hunc proximum ſi diligamus, legem implemus. Finis enim legis Chriſtus. Cum itaque proximi nomen etiam Deum, & maximè ipſum comprehendat (neque enim aliter dilectio proximi impleret legem) conſtat profectò per ipſam quoque, ſicut & per dilectionem Dei, legem impleri, quia qui Deo verè per dilectionem cohæret, nullum eius præceptum contemnit ſicut ſcriptum eſt, *ſi quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit.* Quomodo etiam vera poteſt eſſe dilectio, quæ caritas dicitur, niſi ad Dominum referatur. Et ipſe Auguſt. de doctr. Chriſt. lib. quarto, caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter Deum. Idem lib. de moribus Ec-

Digitized by Google

cleſiæ contra Manichæos, ſcriptum eſt quia *propter te afficimur tota die*. Caritas non potuit ſignari expreſſiùs quàm quod dictum eſt *propter te*. Quiſquis ergo caritate Deo cohæret, qua ſcilicet ſola diſcernuntur filij Dei à filijs diaboli, atque ideo eius ſatagit obtemperare præceptis, implere ſtudet tã ea quæ pertinent ad alienos quàm quæ attinent ad proximos, & in vtriſque pariter diuinam ſequi voluntatem nititur. Nihil ergo refert vt ſalua reuerentia patrum ſeu fratrum loquamur & longè à perfectione Euangelij legem abſiſtere fateamur, omnemque inſuper tam Apoſtolicam quam Euangelicam authoritatem conſeruemus. Nihil, inquam, refert ſiue proximum in lege omnem hominem intelligamus, ſiue minimè: dummodo, vt dictum eſt, in proximo cõprehendatur Deus, & dilectionem quoque Dei dilectio includat proximi. Quippe cùm dicitur, *diliges proximum tuum*, atque additur *ſicut teipſum*, quomodo implere id poſſemus, niſi & nos ipſos diligeremus? Quomodo autem diligere vel nos ipſos poſſumus, ſi mandata Dei contemnentes iniquè agamus? Qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

QVID *ergo dicemus? lex peccatum eſt?*] Continuatio. Dixi paſſiones peccatorum per legem olim operari, vt vtile etiam nobis eſſet à lege abſolui quaſi à peccato. Quid ergo dicemus, ideſt quid de lege ſentiendum eſt, quam bonam putabamus? nunquid iam ipſa non videtur potius mala dicenda eſſe quàm bona? Et hoc eſt quod quaſi ſibimet obijciẽdo ait: *Nunquid lex peccatum eſt*. i. ad damnationem potius quàm ad ſalutem pertrahens, vt videlicet damnationem potius quàm ſalutem nobis promereatur, & ſolummodo nocere, non iuuare queat, & in ſe nihil boni habeat magis quàm peccatum? *Abſit.*] vt hoc videlicet credamus. *Sed peccatum.*] .i. immò potiùs peccato contraria eſt, ipſum penitus docendo & prohibendo vt caueatur, ita vt non ſolummodo facta, verum etiam concupiſcentias inhibeat, ſicut & Euangelium: ſed longe minus, cùm ipſa videlicet ad ea tantum quæ proximi ſunt, eas reſtringat, dicens: *Non concupiſces rem proximi tui, nec deſiderabis quæ illius ſunt.* Quare autem neceſſe eſſet peccatum doceri à lege prætermittit, dicens quia ante documentũ legis, in quo præcipuè peccabatur, ignorabatur: in corde videlicet magis quàm in opere. Et hoc eſt quod de ſe dicit in

Digitized by Google

perſona generali hominum, quorum iam per tranſgreſſionem priorum parentum obtenebrata tunc erat, vt potius opera quàm deſideria culparent, peccatum non cognoui .i. diſcretionem ad veram notitiam peccati non habui, niſi per documentum legis; quia id in quo tantummodo videlicet vel maximè peccatur .i. concupiſcentiam peccatũ eſſe ignorabam. Et hoc eſt quod ſupponit, *Nam concupiſcentiam.*] .i. prauum animi deſiderium, in ambitione ſcilicet terrenarum vel carnalium voluptatum neſciebam eſſe, videlicet quod ipſa eſſet peccatum, niſi lex id docendo diceret: *Non concupiſces* .i. non interdiceret concupiſcentiam, licet non generaliter, ſed de rebus, vt dictum eſt, proximi. Nota quòd cùm dicitur: *Non concupiſces*, ſimul & docetur peccatum, & prohibetur vt vitetur. Vnde legem penitus bonam eſſe conuincit, quia quicquid ſuum eſt bonum, ſiue in docendo ſcilicet ſiue in prohibendo, nec vitio legis, ſed hominum eſt imputandum, ſi peccatum poſt legem abundauit, & deteriores & inexcuſabiliores effecti ſumus poſt doctrinam præceptorũ & negligentiam eorum, quàm ante: ſecundum quod ſcriptum eſt. *Seruus ſciens, & non faciens voluntatem Domini ſui, vapulabit multis.* Item: *Melius eſt non cognoſcere viam veritatis, quàm poſt agnitam retrò abire.* Benè itaque dictum eſt, *Abſit, vt lex peccatum ſit* .i. inutilis & mala ex ſe, ſed tamen occaſione peccati quod ante non erat ex ipſa accepimus, ſicut ex nonnullis bonis quæ Deus erat, ſæpè concupiſcentiam incurrimus ſi his careamus: vel ſuperbiam, ſi ipſa habeamus. Non tamen ideo mala ſunt ipſa dicenda, ſi malè ipſa deſideremus, vel male ipſis vtamur. Sic lege, *peccatum.*] .i. pœna & afflictio huius vitæ temporalis, quam ex culpa priorum parentum ſuſtinemus, operata eſt in nobis omnem *Concupiſcentiam.*] quorumlibet ſcilicet terrenorum bonorum, vt per eorum videlicet abundantiam omnem præſentium ærumnarum euitemus anxietatem. Et quomodo id operata ſit demonſtrat dicens.

ACCEPTA *occaſione per mandatum.*] .i. per legis obedientiam hæc terrena bona promittentis. Quod enim lex propter obedientiam ſui hoc promittebat, non videbamur peccare, quantumcumque illa cõcupiſceremus, ſi requiſitam obedientiam impenderemus. Hoc autem quod hoc loco peccatũ nominat,

nominat, ipſum fomitem & nutrimentum peccati eſſe inſinuat, de quo nobis in præcedenti libello, cùm de originali peccato ageremus, non eſt prætermiſſum. *Sine lege enim.*] .i. antequam lex præcepta & promiſſiones auferret, peccatum illud .i. fomes ille vt dictum eſt peccati, etſi tunc etiam erat quia minores habebat vires ad exſuſcitandam concupiſcentiam, quàm poſtea. Quo enim certiùs id quod deſideramus expectamus, amplius in eius concupiſcentiam accendimur, ſicut ſuprà meminimus. *Ego autem viuebam aliquando.*] .i. aliquo modo, ſi non ex toto, morte illius fomitis carebam, & quaſi ſine concupiſcentia eram ad comparationem ſubſecutę poſt legem concupiſcentiæ. *Sed cum veniſſet mandatum.*] lege data, *reuixit peccatum.*] .i. poſt præceptum inualuit concupiſcentia, vel reuixit in prole quod præceſſit in parente, ideſt concupiſcentia ita eſt nobis poſt præceptum excitata, ſicut in primis parentibus poſt præceptum inchoata; præſertim cùm ſæpe etiam ardentiùs deſideretur quod prohibetur, iuxta illud poeticum,

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

Ego autẽ mortuus ſum.] Qui prius quaſi infirmus, non mortuus erã, & quaſi corrigendus, non damnandus; flagellandus, non occidendus, minore merito ſi qua erat concupiſcẽtia ſtimulatus. *Et inuentum eſt mihi.*] .i. occaſione legis, vt dictum eſt, ex qua melior eſſe debui, factus ſum longè deterior, & vnde vitare peccatum debui, amplius incurri. Et hoc eſt quod ſubiungit: *Nam peccatum accepta occaſione.*] .i. inuenta cauſa incitandi nos ad concupiſcentiam per mandatum, ideſt legem, de cuius obedientia nimium præſumebamus, *ſeduxit me*] .i. fefellit reputans me ſcilicet ſingulariter Deo carũ eſſe, propter obedientiam legis quam ei exhibebam; vt vix aut nunquam de damnatione mea vererer quicquid facerem, & maximè concupiſcentiam promiſſorum quantacumque eſſet non arbitrans eſſe damnabilem, cùm præceptis obediremus, pro quorum obedientia illa erant promiſſa. *Et per illud me occidit.*] .i. damnauit. *Itaque lex quidem.*] Quandoquidem lex ad cognitionem peccati, & ad vitam data eſt potiùs quàm ad mortem: ergo lex quidem ſancta eſt .i. in nullo vitioſa ſiue culpabilis, & mandatum eius ſanctum, nihil iubens atque prohibens, niſi quod oportet, atque ideo iuſtum in ſe & bo-

num, ideſt vtile ac ſalubre obedientibus.

QVOD *ergo bonum eſt.*] Duo dixit, ſcilicet & mandatum eius bonum, & per illud tamen accepta occaſione ſe eſſe occiſum. Vnde quaſi rationabiliter obijciens quærit ergo quod bonum eſt in ſeipſo, videlicet præceptum factum eſt mihi mors .i. damnatio. *Abſit.*] Nulli enim debet dici damnabile præceptum, niſi cuius obedientia damnoſa eſt, ſicut fuit præceptum diaboli ad Euam. *Sed peccatum.*] Dixi quia mandatum bonum eſt, nec mihi nec alicui mors .i. damnabile dicẽdum eſt, ſed tamen ipſum cauſa quodammodo mihi damnationis factum eſt, ex ipſo vt dictum eſt occaſione concupiſcentiæ accepta, iuxta illud Hiſtoriographi: *Omnia enim mala orta ſunt ex bonis initijs.* Sic lege. *Sed peccatum* .i. fomes ille, vt diximus, peccati; *per bonum*, ſubaudi mandatum legis, ſiue per legem ipſam vt ſupra monſtrauimus, *operatum eſt mortem animæ* .i. omnem concupiſcentiam, ita vt *appareat peccatum*] ideſt culpa illa concupiſcentiæ ſit manifeſta, & inexcuſabilis, & ita vt ſit maxima. Et ſtatim quòd maxima ſit oſtendit, dicens: *vt peccatum* .i. fomes ille ſupradictus peccati, *fiat peccans ſupra modum* .i. ad peccandum nos maximè inclinans, *per mandatum* .i. occaſione accepta, vt dictum eſt, ex lege.

Quæſtio.

FORTE quærat aliquis, quomodo mandatum legis, ſeu ipſa lex bonum dicatur, vel ad vitam datam: vel quare etiam Deo datum, ſi ſaluare obedientes non poterat? Ad quod reſpondemus, legem in hoc eſſe datam ad vitam, vt etiam populo Dei vitæ æternæ meritum iniciaret, non perficeret: & ideò bona tantummodo, quia omnia eius, vt dictum eſt, iuſta ſunt præcepta, etiam ſecundum litteram ſi non perfecta, & cauſas habent rationabiles quæcunque Dominus præcepit, etſi ea ignoremus. Fuit autem magnæ diſpenſatio prouidentiæ, rudi adhuc penitus & indiſciplinato populo ac duræ ceruicis ſemper atque rebelli inchoationis aliqua, nõ perfectionis dare mandata: vt ſaltem in aliquo addiſcerent obedire qui nullam adhuc, aut penè nullam expertus fuerat obediẽtiam, vt Poeta meminit.

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra.

Nec nos cùm iumenta domamus, magna eis onera primùm imponimus, ſed in paruis eorum primitus excitatam inſolentiam ad magna perferenda paulatim conducimus. Credimus tamen eos omnes qui imperfectioni mãdatorum amore Dei

Digitized by Go

potiùs quàm timore obtemperabant, ante diem ſui exitus, quod de perfectione ei per ignorantiam deerat, quod lex tacuerat, vel per ſpiritualem aliquem doctorem, vel per internam diuinæ gratiæ inſpirationem ei reuelari. Multos quippe homines ſpirituales, atque iam per inſpirationem doctrina Euangelicæ predicationis inſtructos prior ille populus, qui etiam habuit inimicorum quoque dilectionem, non ſolum ſcriptis, verùm etiam factis plurimum docuerunt. Vnde Pſalmiſta; *Si reddidi*, inquit, *retribuentibus mihi mala, &c.* Et iterum, *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Qui etiamſi inimicum ſuum Saulem ſibi à Domino in manus traditum non ſolum non occidit, ſed etiam occiſum grauiter planxit, & eum qui ſe eius occiſorem profeſſus eſt morte ſtatim puniuit. Salomon quoque beneficientiam in inimicos commendans ait, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.* Longe tamen à perfectione Euangelica tam legis quàm Prophetarum dicta diſiuncta ſunt. Ad quam quidem perfectionẽ diſcipulos adhortans Veritas dicebat. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inimicos veſtros, ſicut dilexi vos.* Hæc eſt illa vera & ſincera dilectio, quã Apoſtolus deſcribens ait: *Non quærit quæ ſua ſunt, Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*; vt etiam pro fratribus animam parata ſit ponere, nec ſua tantum illis, ſed ſeipſam impendere. Ac ſi diligenter attendamus quod ait Veritas, *ſicut dilexi vos*, & Apoſtolus, *Caritas non quærit quæ ſua ſunt*, reuera inueniemus Euangelicũ de dilectione proximi mandatum ſingulare ac nouum. Tam ſyncera enim circa nos Chriſti dilectio extitit, vt non ſolùm pro nobis moreretur, verùm etiam in omnibus, quæ pro nobis egerit, nullum ſuum commodum vel temporale vel æternum, ſed noſtrum quæreret; nec vlla propriæ remunerationis intentione, ſed totum noſtræ ſalutis deſiderio egit. Reuera hæc vera & ſincera dilectio, quam diligenter attendens Apoſtolus tam ſcripto nobis quàm exemplo commendans, ait: *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Certus tamen debet eſſe qui ſic agit, de ampliſſima tantæ dilectionis remuneratione: nec tamen hac intentione hic agit, ſi perfectè diligit. Alioquin ſua quæreret, & quaſi mercenarius, licet in ſpiritualibus eſſet. Nec iam eſt caritas dicenda, ſi propter nos eum .i. pro

noſtra vtilitate, & pro regni eius felicitate, quam ab eo ſperamus, diligeremus potiùs quàm propter ipſum: in nobis videlicet noſtræ intentionis finem, non in Chriſto ſtatuentes. Tales profecto homines fortunæ potius dicendi ſunt amici quàm homines, & per auaritiam magis quàm per gratiã ſubiecti. Quod quidem diligenter B. attendens Auguſt. in lib. quæſt. 73. cap. 37. Nihil aliud, inquit, eſt amare quàm propter ſemetipſam aliquam rem appetere. Rurſus idem id quod ſcriptum eſt exponẽs, *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo quoniam bonum eſt.* Quid offeram, inquit, niſi quod ait, *ſacrificium laudis honorificabit*? Cur voluntariè? Quia gratis amo quod laudo, gratuitum fit quod amatur & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? ipſe propter ſe, non propter aliud. Si enim laudas Deum, quod tibi det aliquid, iam non gratis amas Deum. Erubeſce, ſi te vxor tua propter diuitias amaret, & forte tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cũ ergo te à coniuge gratis amari vis, tu Dominum propter aliud amabis? Quod præmiũ accepturus es, ô auare? Non tibi terrã, ſed ſeipſum ſeruat qui fecit cœlum & terram. *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Noli ex neceſſitate. Si enim propter aliud laudas, ex neceſſitate laudas. Si adeſſet tibi quod amas, non laudares. Item contemne omnia, ipſum attende: & hæc quæ dedit, propter dantem bona ſunt. Item ipſum gratis dilige, quia melius ab eo non inuenis quid det quàm ſeipſum: aut ſi inuenis melius, hoc pete voluntariè quod gratis. Quoniam bonũ eſt nihil aliud niſi quod bonum eſt. Ex his itaque B. Auguſtini verbis apertè declaratur, quæ ſit vera in aliquem ac ſyncera dilectio, ipſum videlicet propter ſua diligi. Denique ſi Deum quia me diligit diligam, & non potius quia quicquid mihi faciat, talis ipſe eſt qui ſuper omnia diligendus eſt, dicitur in me illa Veritatis ſententia: *Si enim eos diligitis qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Nullam profectò mercedem iuſtitiæ, quia non æquitatem rei dilectæ, ſed vtilitatem meã attendo. Et æquè alium plus diligerem, ſi æquè mihi vel ampliùs prodeſſet; immò nec eum iam diligerem, ſi in eo vtilitatem meam non ſperarẽ. Vnde quamplures & penè omnes in tam reprobum ſenſum deuoluti ſunt, vt planè fateantur ſe nullatenus venerari Deum ſiue diligere, ſi eum ſibi minimè profecturum crederent: cùm tamen ipſe non minus di-

Digitized by Google

ligendus eſſet, ſi eum puniret, cùm id non niſi iuſtè faceret, & eius præuenientibus meritis, vel aliqua cauſa rationabili, quæ hoc ipſo quod iuſta eſſet omnibus placere deberet. Denique quis aliquem dignum gratia cenſeat, quem non ſibi gratis, ſed cupiditate retributionis deſeruire nouerit? Si pro hoc ſeruitio gratiæ cuiquam rei ſunt referendæ, magis rebus noſtris, pro quibus nobis ſeruitia; quàm ijs qui deſeruiunt exhibendæ ſunt. Veluti cùm mihi mercenarius, quem conduxi, pro multa mercede multum deſeruit ac proficit, aut cùm mihi aliquis amore alterius, non meiipſius mihi famulatur. Sed quæ eſt gratia referenda ijs, pro quibus id fit, non eis qui faciunt eſt reddenda. At fortaſſe dicis, quoniam Deus ſeipſo nos non alia re eſt remuneraturus, & ſeipſum, quo nihil maius eſt, vt B. quoque meminit Auguſt. nobis eſt daturus. Vnde cùm ei deſeruis pro eo quod expectas ab eo .i. pro æterna beatitudine tibi promiſſa, vtique propter ipſum id purè ac ſincerè agis, & pro illa qua debes remuneratione, ſicut ipſemet admonet, dicens beatos illos qui ſeipſos propter regnum cœlorum caſtrauerunt. Et Pſalmiſta, *Inclinaui*, inquit, *cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem*. Ac tunc profectò Deum purè ac ſincerè propter ſe diligeremus, ſi pro ſe id tantummodò, non pro noſtra vtilitate faceremus: nec qualia nobis donat, ſed in ſe qualis ipſe ſit attenderemus. Si autem eum tantùm in cauſa dilectionis poneremus, profecto quicquid ageret vel in nos vel in alios, quoniã non niſi id optimè faceret, eum vt dictum eſt æquè diligeremus, quia ſemper in eo noſtræ dilectionis integræ cauſam inueniremus, qui intregrè ſemper & eodem modo bonus in ſe & amore dignus perſeuerat. Talis eſt verus paternæ dilectionis affectus in filium, vel caſtæ vxoris in virum, cùm eos etiam ſibi inutiles magis diligunt, quàm quoſcunque vtiliores magis habere poſſent; nec ſi qua propter eos incommoda ſuſtinent, poteſt amor minui: quoniam amoris integra cauſa ſubſtitit in ipſis quos diligunt, dum eos habent non in commodis ſuis quæ per eos habeant. Quod bene in conſolatione Iuliæ vxoris Corneliæ Pompeius victus & profuga commemorans ait; *Quod deſles id amaſti*. Sæpè etiam qui liberalis ſunt animi homines, etiam magis honeſtatem quàm vtilitatem ſequuntur. Si qui forte ſui conſimiles viderint, à quibus tamẽ nihil emo-

lumenti ſperent, maioris eos dilectionis amplectuntur affectu, quàm proprios ſeruos à quibus quotidiana ſuſcipiunt cõmoda. Vtinam & in Dominum tam ſincerum haberemus affectum, vt ſecundum quod bonus eſt in ſe magis, quàm ſecundum quod nobis vtilis eſt, eum diligeremus, & ei quod ſuũ eſt noſtra integrè iuſtitia ſeruaret, vt quia videlicet ſummè eſt bonus, ſummè ab omnibus diligeretur. Quòd autem fidelis anima ſupradixit in Pſal. ſe inclinatam ad bona opera fuiſſe propter retributionem, inchoationem bonæ operationis, non perfectionem oſtendit. Quiſque etiam imperfectus primò ad bene operandum .i. ad præcepta Dei implenda ſpe retributionis allicitur, & timore potiùs quàm amore, ſicut ſcriptum eſt, *Initium ſapientiæ timor Domini*. Cuius quidem caritas eſt conſummatio, ſiue finis .i. perfectio, ſicut alibi dicitur: *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*. Benè, inquam, dixit, *inclinaui* .i. in initio ſuæ operationis, ſpe & deſiderio retributionis id aggreſſus eſt. Quod vero eos Veritas laudat beatos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum .i. continenter vixerunt propter beatitudinẽ æternam; ita intelligendum puto, quòd hi per continentiam illam ſunt aſſecuti, ſicuti cùm de aliquo dicimus eum exiſſe vt moreretur .i. exiſſe, & ideò mortem conſecutum eſſe nõ hac intentione vt ei accideret.

SCIMVS *enim*.] Probat quod dixerat, legem videlicet Moyſi bonam eſſe, licet occaſionem inde in peccatum acceperit: quia videlicet eſt ſpiritualis lex, non ſecularis, tanquã digito Dei ſcripta .i. Spiritu ſancto dictãte compoſita & data, non ab hominibus inuenta. *Ego autem carnalis ſum*.] .i. carnalibus voluntatibus & terrenis inhians deſiderijs, atque adeo carnalis ſum, *vt ſim venundatus ſub peccatum*.] .i. ſponte me peccato & eius ſeruituti ſubijciens pretio terrenorum bonorum .i. exercens omnem concupiſcentiam propter illa acquirenda & obtinenda, vel etiam in primis parentibus venundatus cum ipſis ſub peccato, ob dilectionem ſcilicet & guſtũ pomi quod Eua concupiuit. Ecce vnde facti ſumus captiui, vendere non potuimus, redimere non poſſumus. Sanguis innocens datus eſt pro nobis, nec noſtris nos viribus à dominio peccati liberari poſſumus, ſed gratia Redemptoris. *Quod enim operor*.] Quantum carnalis & infirmus ſit factus, & quanto

Digitized by Google

prauæ consuetudinis iugo depressus ostendit, dicens se committere scienter malum ipsum quod non vult, quasi si aliquis cogẽte Domino id quod non vult operetur. Et hoc est quod *non operor*, non intelligo esse operandum .i. non credo vt fieri debeat, immò indubitanter scio esse malum, & ideo non esse faciendum. *Non enim quod.*] Probat se malè agere contra propriam conscientiam, quia etiam quod bonum esse regnoscit dimittit, & quod non dubitat esse malum facit. Et hoc est quod dicit, *si ago.*] .i. non facio bonum, *quod volo.*] .i. quod approbo debere fieri, & cui per rationem consentio. *Sed malum quod odi.*] .i. quod vt dictum est non volo, sed non rationis iudicio reprobo atque damno. *Si autem.*] Redit ad commendationem legis, vt ex nostro quoque iudicio eam bonam esse conuincat, quia id videlicet prohibet quod nos per rationem esse malum deprehendimus, sicut est concupiscentia, cùm ait, *non concupisces.* Et hoc est, *si facio quod nolo* .i. quod non approbo, consentio & concordo legi de hoc quòd bona est, cùm eam videlicet ea prohibere video, quæ ego ipse mala esse iudico: sicut concupiscentia, de qua superius dixit, siue ira, odium, inuidia. Quod etiam nolentes habemus, quia profecto concupiscere nollemus, licet quod concupiscimus volentes & cum dilectione peragamus.

Determinationes quædam.

Cvm itaque dicitur, *Omne peccatum voluntarium*, & cum dicitur, *Nemo peccat inuitus*, de actu hoc peccati, non de concupiscentia est intelligendum. Omnis quippe actus peccati ..... voluntarius potius quàm necessarius dicitur, quia ex voluntate quacunque præeunte tempore descendit, siue per aliquam fiat coactionem. v.g. iacit aliquis lapidem improuidè, & fortuitu, non scienter hominem interfecit: hoc profecto ex voluntate iaciendi lapidem, non interficiendi hominem procedit. Est & alius qui irruentem super se hostem coactus interficit, ne ab eo scilicet interficiatur, & peccare inuitus dicitur, cùm id quoque ex voluntate euadendi mortẽ potius quàm ex desiderio antea habito occidendi hominem agat. Omnis itaque actus peccandi voluntarius & non necessarius in eo dicitur, qui ex quacunque vt dictum est voluntate descendit. Si quis tamen dicat occasionem illam hominis per iactum lapidis voluntariam, non concedo, sicut iactum lapidis voluntarium dico. Frequenter enim nomina ex ad-

Digitized by Google

iunctis ſuas variant ſignificationes, vt cùm omnem ſubſtantiã concedamus, non tamen ideò omnem hominem: ita & cùm omne peccatum dicamus voluntarium, & omnem peccati actum ex aliqua vt dictum eſt voluntate procedere; non tamen occaſionem illam concedimus voluntariam .i. ex voluntate quam aliquis haberet occidẽdi illum eſſe cõmiſſam. Hoc itaque modo cum coacti peccata committimus, ſimul & quod volumus & quod nolumus efficimus, vt ſuprapoſito exemplo dum coacti hominem occidimus, mortem per hoc euitamus quod volumus, & homicidium facimus quod nolumus. Sic & in coitu vxoris alterius ipſe nobis placet concubitus, non adulterij offenſa, vel reatus quem incurrimus. Coitu itaque tantùm, non adulterio delectamur, quia nihil ad voluptatem adulterij reatus pertinet, ſed magis ad conſcientiæ tormentum. Et quominus peccaremus atque adulterium vitaremus, eam cum qua fornicamur nequaquam cõiugatam eſſe vellemus. Cùm itaque dicitur, *non quod ago, ſed quod nolo*, nihil obeſt ſi nolle & velle proprio & vſitato modo ſumamus pro placere & diſplicere; quia frequenter, vt dictũ eſt, in eodem actu & quod placet & diſplicet inuenimus, ſicut in ipſo coitu carnalis voluptatis & adulterij culpa. Poſſumus & iuxta ſuperiorem velle & nolle pro approbare & improbare accipere, quando & Deus nonnulla velle & nolle dicitur. Neque enim in eo poteſt eſſe commotio animi, quæ in nobis voluntas ſeu voluptas .i. delectatio dicitur: ſed eſt cum velle aliquid dicimus, aut eius approbationem aut diſpoſitionem ſignificamus. Alioqui cùm dicit Veritas: *Quotiens volui congregare filios tuos, & noluiſti*, vel Apoſtolus, *Qui vult*, inquit, *omnes ſaluos fieri, & neminem perire*: & rurſus Pſalmiſta, *Quæcunque voluit fecit*, vel idem Apoſtolus, *Voluntati enim eius quis reſiſtit?* maximam incurreremus controuerſiam. In ſuperioribus itaque duobus locis velle Dei approbare dicitur, vt id videlicet quod approbat ſeu conſulit vt fiat, & quod ſi factum ſit tanquam ſibi placitum remunerat, velle dicatur. Reliquis vero duobus inferioribus locis velle eius diſponere dicitur, atque apud ſe ſtabilire quod facturus eſt. Quæ quidem voluntas nunquam effectu carebit, nec ei ab aliquo reſiſtetur.

NVNC *autem*.] Poſtquam ita videlicet legi conſentio per rationem,

Digitized by Google

rationem, & à me ipſo diſſideo per ipſam rationem, & per carnalem concupiſcentiam, dum ſpiritus videlicet aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum concupiſcit. *Iam non ego illud* malum *operor, ſed peccatum.*] .i. praua concupiſcentia. Nõ dicit ſimpliciter, *non ego illud operor*, ſed ita dicit, *non ego, ſed peccatum:* quod eſt dicere, Non ad hoc ex natura, ſed ex vitio naturæ iam ei dominante pertrahor, immò ex natura, per quam rationalis ſum à Deo creatus, reluctor concupiſcentiæ, & eam damno potius quàm conſentio. Cùm dicit, *quod habitat in me peccatum*, & non dicit, quod eſt in me, quaſi aduenientem incolam, non naturalem ciuem ipſum demonſtrat, & iam habitaculum in ſe habentem per diutinam conſuetudinem, non tranſitum. *Scio enim.*] In me iam, vt dictum eſt, carnali facto peccatum inhabitat .i. aſſiduè manet, vt iam quaſi in habitum ſit mihi conuerſum. *Quod bonum.*] .i. virtus quæ eſt optimus animi habitus, iam non manet in me carnali facto, quod ſignificat cùm dicit, *Hoc eſt in carne mea. Nam velle.*] Probat ſe virtute deſtitutum cùm bonum quod vult i. per rationem faciendum eſſe approbat, implere per infirmitatem carnalis concupiſcentiæ non queat. Perficere bonum, eſt bonæ voluntati factum adiungere: quod in me, inquit, non inuenio, ſi bene me circumſpiciam, & diligenter diſcutiam. Velle itaque mihi naturaliter adiacet, quia ex me ipſo & propria creatione rationem habeo, per quam bonum faciendum eſſe approbo, ſed ex me illud perficere non habeo, niſi videlicet ex appoſita mihi gratia. *Non enim quod.*] ac ſi diceret, Non inuenio me perficere bonum. *Quod volo*] quia ex contrario illud dimitto, & malũ facio, & ita vt ſupra quoque meminit. Sed *quod nolo illud facio. Non ego operor, &c. Inuenio igitur.*] Quandoquidem lex vt ſupradictum eſt cognitionem peccati mihi attulit, per quam quidem cognitionem volo bonum facere, quod ipſa docet; & ei per rationem conſentio, licet inde peccatum occaſionem acceperit. *Igitur inuenio* .i. per memetipſum propriæ rationis iudicio comperio, legẽ eſſe bonã & rem vtilẽ mihi vel miniſtrã magni boni, cùm per eius doctrinã boni ſeu mali diſcretionẽ adeptus ſim: mihi, inquã, volenti eã facere .i. bonũ quod ipſa præcipit implere. In hoc quippe ipſo quod id quod præcipit facere volo, & per rationẽ appetere, reuera recognoſco quòd bona eſt, in ſuis vi-

delicet præceptis. Quare autem dixerit, *volenti potius quàm facienti*, ſupponit dicens, *Quoniam mihi malum adiacet.*] ideſt graui conſuetudinis iugo premor, quæ bonam impedit voluntatem.

CONDELECTOR *enim.*] Quia dixit ſe velle facere bonum quod lex præcipit, & tamen non facere, vnde vtrumque accidit exponit dicens, quia ſe condelectari legi ſecundũ interiorem hominem .i. placere ei quod lex præcipit, & ſe illud per rationem appetere, quod hoc loco interiorem hominem appellat .i. ſpiritualem & iuuiſibilem Dei imaginem, in qua factus eſt homo ſecundum animam, dum rationalis creatus eſt, & per hoc cæteris prælatus creaturis. Et rurſus dicens ſe videre aliam legem in membris ſuis, &c. i. ſe cognoſcere ipſum peccati fomitem carnis vel concupiſcentiæ ſtimulos, quibus tãquam legi per carnis infirmitatem obedit, in membris corporis ſui regnare & ſibi dominari, ſicut guloſitatem in gula, luxuriam in genitalibus, & cætera vitia in cæteris partibus corporis per quas exercentur. Legem illam concupiſcẽtiæ dico repugnantem .i. contrariam, *Legi naturali meæ mentis.*] .i. rationi, quæ me quaſi lex regere debet. Per rationem quippe bonum, per concupiſcentiam appeto malum. *Et captiuantem me.*] .i. quaſi captiuum & nolentem me trahentem, *in legem.*] .i. in obedientiam peccati mente concepti, vt opere illud impleam. Quæ ſcilicet lex ita me captiuans, & à Deo proprio Domino meo auertens, ſicut iam dictum eſt, *In membris meis.*] Vnde & cõcupiſcentia dicitur oculorum, per quam viſa concupiſcimus, & ſimiliter dici poteſt cæterorum membrorum, ſecundum videlicet ſua exercitia in carnalibus voluptatibus. Quod verò repetit, *quæ eſt in membris meis*, ad exagerandam & amplius noſtræ memoriæ commendandam infirmitatem noſtram facit, qui quia quot membra habemus, tot fere in eis hoſtes iugiter ſuſtinemus & inſeparabiliter nobiſcum ipſos portamus. Vnde vehementer exterritus querendo exclamat.

INFELIX *ego homo.*] ſubaudis reuera ſum, qui tot hoſtibus in ipſo corpore modo circumſeſſus ſum, quibus, vt ſuperiùs dixi, à meipſo ſum venundatus & captiuus traditus, nec iam per me ab hac ſeruitute liberari poſſum aut redimi. Et quia ita eſt, *Quis me liberabit.*] .i. quis erit tam potens & tam

Digitized by Google

benignus mihi, vt me liberet *à corpore huius mortis.*].i. ita prono & præparato ad interficiendam animã, ne carnales .ſ. ſuggeſtiones mihi præualeant, & cedat ſpiritus carni .i. ratio victa ſuccũbat & conſentiat voluptati. *Gratia Dei.*] .i. non lex, non propriæ vires, non quælibet merita, ſed diuina beneficia gratis nobis per Ieſum .i. ſaluatorem mundi collata. Cùm autẽ ſubdit Chriſtum & Dominum noſtrum potentiam & iuſtitiã qua ſaluare queat, nos oſtendit. Chriſtus quippe .i. vnctus, regiã quam habet, poteſtatem exprimit. Cùm verò ait, Dominum noſtrum ius quod habet in nobis tanquam ſeruis ſuis demonſtrat vt nos iuſtè à dominio peccati ſiue diaboli poſſit eruere, & à captiuitate prædicta tanquam ſuos reducere. *Igitur ego.*] Quandoquidem per rationem, vt dictum eſt, bonũ quod lex præcipit volo, ſed per peccatum quod habitat in carne mea malum operor. *Igitur mente*] .i. ratione ſeruio legi Dei ..... Dominus videlicet ad obediendum ei per rationem. Sed ego ipſe carne .i. carnalis deſiderio voluptatis ſtimulante, *ſeruio legi peccati.*] .i. prauis concupiſcentiæ ſuggeſtionibus quaſi legi obedio.

NIHIL *ergo.*] Quia videlicet vt dictum eſt, gratia Dei per Chriſtum ſuos liberat, ergo *nil damnationis his qui, &c.*] .i. qui in hoc ſuperædificati ſunt fundamento. Quomodo autem hos cognoſcere valeamus determinat. *Qui videlicet non ambulant ſecundum carnem.*] .i. ſi quando per infirmitatem carnis aliquam labuntur, ſicut fecit Petrus mortem timens corpoream, non perſeuerant poſt concupiſcentias ſuas eundo de vitio in vitium. Lex enim dixit quia gratia Dei liberabit eum per Chriſtum, & quomodo id fiat nunc aperit, quia lex ſpiritus vitæ .i. lex caritatis & diuini amoris potiùs quàm timoris, ſicut erat lex vetus, *in Chriſto Ieſu*].i. per eum nobis data & exhibita, liberabit me à lege peccati, & ideò mortis .i. à præceptis vel ſuggeſtionibus carnalis concupiſcentiæ, ne eis ſcilicet conſentiendo obediam. Spiritus vitæ .i. Spiritus ſanctus, qui eſt vita animarum quia amor eſt, ideò lex huius ſpiritus lex amoris dicitur filios generans, non ſeruos conſtringens .i. Euangelium, quod totum caritate refertum eſt. Vnde & ad Chriſtũ dicitur, *diffuſa eſt gratia in labijs tuis*, quia tota eius prædicatio caritate plena eſt. Vnde & Spiritus Apoſtolos replens ſcientiâ ſicut promiſerat filius dicens, *Ille vos doce-* CAP. VIII.

Digitized by Google

bit omnia. Quæ etiam doctrina ſignificatur, cùm dicitur, *factus eſt repente de cælo ſonus* .i. ſermo intelligentiæ factus eis per inſpirationem in mente, merito in igneis demonſtratus eſt linguis, cùm eorum ſcilicet linguæ nihil niſi caritatis feruorem eſſent prædicaturæ.

NAM *quod*] Exponit quomodo in Chriſto ſit liberatus à lege peccati. *Nam Deus Pater.*] .i. diuinæ potentiæ maieſtas. *Miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.*] .i. coæternam ſibi ſapientiam fecit humiliari vſque ad aſſumptionem paſſibilis & mortalis hominis, ita vt per pœnam peccati cui ſubiacebat, ipſe etiam carnem peccati .i. in peccato conceptam habere videretur. *Et de peccato.*] .i. de pœna peccati, quam pro nobis ſuſtinuit in carne .i. in humanitatẽ aſſumptam non ſecundũ diuinitatẽ, *damnauit peccatũ.*] .i. pœnam peccati à nobis remouit, qua etiã iuſti tenebantur antea, & cælos aperuit. *Vt iuſtificatio legis.*] Nõ dicit opera legis, quæ nequaquã iuſtificãt, ſed quod lex præcipit de his quæ ad iuſtificationẽ attinet, ſine quib⁹ iuſtificare nõ poſſumus, ſicut eſt Dei & proximi caritas; quã lex imperfectã facit, ſicut ſupra monuim⁹: ſed per Chriſtũ in nobis perficitur. Et hoc eſt quod ait, *vt caritas Dei & proximi*, quam lex præcipit, in nobis perfecta nos iuſtificaret. Ipſum quippe Chriſtum tanquam Deum ipſum proximum verè diligere, ſummum illud beneficium, quod nobis exhibuit compellit: quod eſt in nobis peccatum damnare .i. reatum omnem & culpam deſtruere per caritatem ex hoc ſummo beneficio. Quod verius, inquit, habetur apud Græcos *pro peccato damnauit peccatum ipſe hoſtia propeccato factus.* Per hanc hoſtiam carnis quæ dicitur pro peccato, damnauit .i. deleuit peccatum, quia remiſſionem quoque peccatorum nobis in ſanguine ſuo, & reconciliationem operatus eſt. Vel de peccato à diabolo vel à Iudæis in ſe commiſſo, damnauit peccatum in nobis, vt dictum eſt, malis etiam ipſis optimè vtens, & in bonum conuertens. Duo illa quæ præmiſſa ſunt ad duo ſuppoſita ſunt referenda & copulanda. Ad hoc quidem quod ait, *De peccato damnauit peccatum*, illud ſubiungit quod impoſſibile erat legi ſcilicet damnare vel auferre peccatum. Ad illud verò quod ſubditur, *vt iuſtificatio legis impleretur*, illud eſt annectẽdum, in quo infirmatur ipſa lex ſcilicet per carnem i. ad habendam plenam & perfectam iuſtificationem lex in-

Digitized by Google

firma fuit propter carnalem populum, cui data fuit, vt ſuprà oſtendimus, de imperfectione mandatorum eius agendo. Impoſſibile itaque erat legi per obedientiam ſui peccatum auferre; cùm perfecta, vt dictum eſt, non haberet præcepta. Ad quam præcipuè perfectionem infirmabatur & impediebatur propter inſolentis populi carnalitatem.

Qvi *enim ſecundum.*] In nobis dico impleretur per Chriſtum qui eius doctrina & exemplo, & ſumma illa caritatis exhibitione ſpirituales, per deſiderium carnales effecti ſumus. Et hoc eſt, *qui non ambulamus ſecundum carnem* .i. carnalibus deſiderijs iam non inducimur, ſed gratia Dei .i. Spiritu ſancto regimur, & de virtute in virtutem promouemur. *Qui enim.*] Dixi iuſtificari eos qui non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant. Et meritò, quia qui ſecundũ carnem ſunt .i. carnalibus deſiderijs irretiti, illa *ſapiunt.*] .i. illorum experimentis vtuntur, *quæ carnis ſunt.*] .i. quæ carnales attinent voluptates. Qui verò ſecundum ſpiritum ſunt .i. qui ſpiritualibus accenduntur deſiderijs, ſentiunt experiendo dona ipſa Spiritus ſancti. *Nam prudentia.*] verè qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt, quia mortem ſcilicet animæ, ideſt damnationem, per ipſa carnalium deſideriorum experimenta, quæ nos alliciunt, acquirimus: ſicut è contrario prudentia ſpiritus .i. experientia virtutum & bonorum Dei *Vita*] fiunt nobis & *Pax*]. i. quietam ab omni perturbatione conferunt vitam. *Quoniam ſapientia.*] Ideo prudentia carnis mortem acquirit, quia Deo contraria eſt, & omninò diſplicens: & quare diſpliceat ſtatim annectit, quia legi Dei non eſt ſubjecta .i. præceptis diuinis obedire non ſinit. *Neque enim poteſt.*] obedientiam Dei ſeruare. *Qui autem*] Exponit quid ſapientiam carnis dicat Deo inimicam, hoc eſt eſſe in carne .i. in carnalibus delectari voluptatibus, & per hoc diſplicere. Continuatio. Dixi ſapientiam carnis inimicam Deo, nec ſine cauſa, ſed ideo quia *qui in carne ſunt, &c. Vos autem.*] Ne deſperarent Romani, quibus ſcribebat, audiẽtes quòd qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt, quaſi propter ſe etiam dictum eſſet, conſolatur eos dicens: Vos autem gratia Dei iam, *Non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.*] .i. non in carnalibus, ſed ſpiritualibus deſiderijs. Et ne iterum de hoc quod teſtatur quaſi certus eſſet nimis, confidenter & ad ſu-

perbiam amplius incitarentur, quibus maximè ad elationem eorum reprimendam ſcribit, quaſi dubitatiuè hoc ſe profiteri inſinuat, dicens: *Si tamen ſpiritus.*] hoc eſt ſpiritum Dei habetis habitatorem potiùs quàm hoſpitem .i. permanentẽ in vobis per inhabitantem gratiam ſuam, non à vobis recedentem vel per vos tranſeuntem. Quantum autem ſit periculum ſpiritu Dei carere annectit dicens; *Quod ſi quis non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius.*] videlicet membrum, quia ſpiritus eius ipſe eſt amor & vinculum, quo huic capiti membra ſua cohærent. De quo quidem ſpiritu ſpecialiter dicitur, quia Deus caritas eſt. Cùm autem primò dixit ſpiritum Dei, & præterea Chriſti, ipſum profectò Chriſtum, cuius etiam dicit diuinum ſpiritum, dictum eſſe demonſtrat. *Si autem.*] ac ſi diceret, ſed ſpiritum Chriſti Dei habemus: quod eſt dicere, ſi Chriſtus per ſpiritum ſuum .i. per gratiam donorum ſuorum, vtpote remiſſionem peccatorum, & collationem virtutum in nobis eſt, *Corpus quidem noſtrum mortuum eſt.*] .i. corporali morti obnoxium. *Propter peccatum*] ſcilicet primorum parentum, ſiue carnalis concupiſcentiæ maculam, in qua eſt conceptum. *Sed ſpiritus noſter viuit propter iuſtific.*] .i. ex virtutibus quæ eam iuſtificant, mortem damnationis euitat. Ac ſi apertè dicat, licet in Chriſto remiſſionem etiã carnalis originalis peccati conſequamur, cuius quidem mors peccati etiã carnis eſt pœna, non tamen hanc abſtulit pœnam qui remouit cauſam.

Quæſtio. VNDE non minima fieri quæſtio ſolet, quare videlicet pœna hæc reſeruatur vbi peccatum, quod eius cauſa eſt, condonatur: vt qui videlicet in baptiſmo plenã peccatorum remiſſionem percipiunt, ſtatim illam ſaltem quam in paradiſo ante peccatum habebant, immortalitatem recuperent? Ad quam quidem quæſtionem Iſidorus de ſummo bono reſpõdens lib. 1. cap. 23. ait, Si à pœna præſenti homines liberarentur per baptiſmum, ipſum putarent baptiſmi precium, nõ illud æternum. Ergo ſoluto reatu peccati, manet tamẽ quædam temporalis pœna, vt illa feruentiùs vita requiratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena. Quis etenim neſciat omnes ferè homines plus temporalem vitam quàm æternam appetere, cùm pro ea quam retinere non poſſunt multò ampliùs quàm pro æterna laborent, & plus corporis quàm animæ mortem

pauere, & magis ſollicitari de præſentis vitæ ærumnis quàm futuræ? Si huius itaque animalis vitæ felicitatem ſe detinere conſiderẽt, amplius ad Eccleſiæ ſacramenta propter iſtam quàm propter æternam præpararent; & huius qualicunque refrigerio contenti, illius profectionem gloriæ vel omninò contemnerent, vel minùs appeterẽt: in hoc ipſo iniqui, quòd ſummo bono inferius anteponerent.

QVOD *ſi ſpiritus.*] Dixi quia corpus noſtrum mortuum eſt .i. morti temporali ſubjectum remanet, etiam poſt remiſſionem peccatorum omnium. Sed ab hac etiam mortalitate ipſum liberabitur in reſurrectione, vt non ſolùm animã, verùm etiam corpus diuina glorificet gratia. Et hoc eſt quod ait, *ſi ſpiritus eius* .i. patris, quo videlicet patre diuina ſpecialiter deſignatur potentia. *Eius*, inquam, *qui* per propriam potentiam *ſuſcitauit* iam caput noſtrum *à mortuis* .i. *Ieſum.*] habitans vt dictum eſt in nobis, ipſe idem qui ſuſcitauit Ieſum non ab infirmitate, ſed à morte, &c. Ideò reſuſcitationem Chriſti repetit, vt ea ſæpiùs memorata ſecuriores nos reddat. *Viuificabit etiam noſtra mortalia corpora.*] vt eandem reſurrectionis gloriam in capite & membra participent, viuificabit non quomodo corpora reproborum, quæ paſſibilia erunt, & cruciatui apta; ſed propter *inhabitantem ſpiritum.*] .i. prout debetur reuerentiæ ſpiritus Chriſti, qui in corporibus illis quaſi in templo iam habitat & quieſcit, iam per eius gratiam repreſſis motibus carnalibus.

NON parua eſt quæſtio, cùm diuina ſubſtantia humanam ſibi in vnam Chriſti perſonam coniunxerit, & eadem ſit penitus Patris & Filij & Spiritus ſancti ſubſtantia indiuidua, cur Filius potiùs quàm Pater aut Spiritus ſanctus dicatur incarnatus: vel cùm ſint opera Trinitatis indiuiſa, videlicet vt quicquid vna perſonarum facit & cæteræ faciant, quomodo filius carnem aſſumpſiſſe dicitur, & non Pater aut Spiritus? ſed hoc ex Atropologia* noſtra petatur. *Ergo fratres.*] Quandoquidem qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt, ergo non ſumus debitores carni, ideſt deſiderijs carnalibus obedire non debemus, quia nihil cuiquam contra Deum debemus, qui etiam propter Deum animam ponere rectè iubemur. Hoc ſeculares attendant Poteſtates, nullã ſibi ſcilicet à ſubjectis obedientiam deberi, cùm aliquid quod

Quæſtio.

* *f.* Antropologia.

Digitized by Google

Deus prohibet eis iniungunt, etiam si fide vel sacramento eos sibi in hoc astrixerint. *Vt scilicet carnem vestrã.*] Exponit quod promisit, quomodo videlicet intelligendum sit nos non esse debitores carni, ne fortè hoc aliquis de substantia carnis dictum acciperet, cui quidem debitores sumus quãtum ad necessariam eius curam pertinet, in victu videlicet & vestitu, vt hæc ei ministremus. Tale est ergo ac si dicat: Non sumus, inquam, debitores carni, ita vt secundum carnem viuamus, licet in carne .i. vt carnalia sectemur desideria. *Si enim.*] .i. non estis obnoxijs carni, quia eius obedientia vos damnaret. Et hoc est, *moriemini.*] .i. mortem animæ, quæ est peccatum, incurretis ei consentiendo, si ea stimulante non quantũ potestis reluctemini. *Si autem spiritu.*] .i. dono aliquo diuinæ gratiæ magis quàm vestra virtute *mortificaueritis facta carnis.*] si nondum penitus suggestiones extirpare potestis, *Viuetis.*] E contrario vera animæ vita, siue hîc in virtutibus, siue in æterna beatitudine, facta mortificantur, tanquam si paruulus in vtero conceptus antequam nascatur extinguatur, dum mala quę mente concipimus ne vsque ad opera prodeant præuenimus, omnem eis quantum possumus occasionem auferentes, sicut scriptum est: *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petrã,* i. concepta per aliquam suggestionem mente peccata adhuc quasi paruula sint mortificabit atque interficiet, allidendo ad petram .i. confringendo ea & dissipando ad illud bonorũ omnium stabile fundamentum, quod Christus est: dũ quod per infirmitatem carnis mens humana concupiscit, per amorem Christi ratio roborata ne perficiatur satagit. Sicut alibi idem Apostolus commemorat dicens: *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus aduersus carnem* .i. ratio carnis suggestiones reprimens, ne scilicet vsque ad opera procedant. Et Salomon, *Melior est,* inquit, *patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

QVICVNQVE *enim.*] Bene, inquam viuetis, si spiritu scilicet facta carnis mortificaueritis, quia quicunque aguntur potiùs quàm coguntur .i. amore alliciuntur magis quàm timore compelluntur, *Spiritu Dei.*] Filij sunt Dei potiùs quàm serui .i. per amorem ei magis quàm per timorem subjecti. *Nõ enim.*] Ac si aliquis quæreret: Habétne Deus plures filios, cùm eius vnigenitus dicatur Christus? Respondet, habet quidem

quidem plures, ſed per adoptionem, non per naturam. Quia & vos ipſi ſpiritum adoptionis accepiſtis, in quo efficiuntur Filij Dei. Vnde & ipſe alibi dicit, *Quòd caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Spiritus itaque adoptionis donum dicitur caritatis, per quod adoptamur à Deo in filios. *In quo.*] ſcilicet ſpiritu .i. in profeſſione & recognitione cuius doni, nos ad Dominum *clamamus* intentè, atque exultanter dicimus, *Abba Pater.*] i. eum potius profitemur eſſe patrem quàm Dominum, ac per hoc nos potius filios quàm ſeruos recognoſcimus. Sic enim & Veritas in Euangelio frequenter docuit nos ſcilicet Deum potius vocare Patrem quàm Dominum, vt ex hoc quoque ad filialē nos hortaretur ſubjectionē. Vnde & cùm illā diſcipulis ſpiritualē traderet orationē: *Orantes*, inquit, *dicite, Pater noſter qui es in cœlis, &c.* Vnde bene Abbates Monaſteriorū Patres dicimus, vt ex ipſo nomine magis amari tanquā patres, quā timeri tanquā Domini apertè admoneantur. Clamamus, inquit, nos Hebræi *Abba*, nos ex gentibus *Pater*, cùm hoc .ſ. nomen ſit Hebræum ſine Syrum; illud Græcum ſiue Latinum. Auguſt. in Epiſt. ad Galatas. *Abba Pater*, duo ſunt verba, quæ poſuit, vt poſteriore interpretetur primum. Nam hoc Abba quod pater, propter vniuerſum populum, qui de Iudæis & Gentibus vocatus eſt; vt Hebræum verbum ad Iudæos, Græcum ad gentes pertineat. Idem lib. III. de conſenſu Euangeliſtarū. Hoc eſt Abba Hebraicè quod eſt Latinè Pater. Haymo ſuper hunc locum: Abba Hebræum eſt & Syrum, Pater Græcum & Latinum. Præuidens ergo Apoſtolus vtroſque populos ad fidem colligendos, poſuit duo nomina ſub vna ſignificatione, vt qui credunt ex Hebræis & Syris dicant, *Abba miſerere*, qui ex Græcis alijſque dicant, *Pater.* Tale quid in Euangelio Marci habetur, dicente Domino: *Abba Pater ſi poſſibile eſt tranſeat calix iſte à me.*

SPIRITVM *ſeruitutis in timore.*] Dicit donū illud ſeruilis timoris, quo non à mala voluntate, ſed à mala cōpeſcimur actione, formidine pœnę; ſicut antea Iudęi per pœnas legis corporales. *Non accepiſtis ſpiritum.*] Per Euang. ſicut olim Iudæi per legem. *Ipſe enim ſpiritus.*] Adoptionis quem diximus & habemus facere recognoſcere ſpiritum noſtrum. i. rationem. *Quod ſumus filij Dei.*] .i. ei per amorem ſubjecti. Nihil enim

melius quiſque quàm propriam recognoſcit conſcientiam,& vtrum ſeruus an filius potiùs dicendus ſit. Notandum verò Apoſtolum in his, quibus loquitur Romanis, quorum nonnulli vehementer erant reprehendendi, generalem fidelium Patrõ hoc loco ſe intelligere,&nõ tam quales illi eſſent quàm quales eſſe deberent exponere. *Si autem filij.*] ſcilicet adoptionis, vtique *& heredes*] quia ad hoc adoptantur .i. gratis eliguntur, vt hereditatem aſſequantur. *Hæredes quidem Dei*] .i. Patris,& *Coheredes Chriſti.*] .i. naturalis eius filij,in illa ſcilicet beatitudinis profeſſione perpetua. Oſtendit quantum ſit aſſequi illam hereditatem Dei, per quam filio eius Chriſto ſimiles efficimur. *Si tamen.*] Dixi *hæredes ſumus*, hac tamen intentione, ſi compatimur ipſi Chriſto, quia non coronabitur quis niſi qui legitimè certauerit, aduerſus hoſtium videlicet ſeu vitiorum impugnationem. Et quia vt ait Cyprianus,martyrem non facit pœna,ſed cauſa: addit vt conglorificemur.i. ſi ita patimur vt Chriſto glorificari digni ſimus. Quod tunc fit quando caritas ad patiẽdum præparat, non neceſſitas trahit, & pro Chriſto ſicuti pro nobis; vt ſic ei mutuum ſoluamus. Omnes itaque quantum in ipſis eſt pro eo compatiuntur, quicunque vt diximus pro eo pati parati ſunt, ſi videlicet ipſi perſecutori non deſunt,licet eis deſit perſecutor. *Exiſtimo enim.*] Ac ſi aliquis quæreret: Eſtne tanta illa hæreditas, vt pro ea promerenda patiendum ſit vſque ad mortem ſicut Chriſtus paſſus eſt? Reſpondet, immò tantam eſſe exiſtimo, vt omnia merita hominum, quantumcumque ipſi patiendo mereantur, longe excedat. Et hoc eſt quod ait, *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis.*].i. temporales illæ & tranſitoriæ tribulationes, quantæcumque fuerint, non ſunt tanti meriti, vt eis debeatur illa ineffabilis & æterna gloria futuræ vitæ, quæ reuelabitur in nobis: quia *iam filij Dei ſumus*, ſicut ſcriptum eſt, *ſed nondum apparet quid erimus.* Nulli enim tranſitorio, quamuis ſit bonum ex debito, redditur perpetuum bonum,ſed per gratiam Dei meritis noſtris ſuperadditam id obtinemus, ad quod nequaquam meritis ex noſtris ſufficiebamus. Et ſi diligenter attendamus, nihil tranſitorium etiam boni remuneratione dignũ eſt. Sola quippe caritas,quæ nunquã excidit,vitampromeretur æternam:& quicunq; æquales ſunt caritate, pares apud Deum habent remunerationes: et-

Digitized by Google

ſi alter effectu caritatis priuetur aliquo caſu præpeditus. Vnde & merito B. Auguſt. æqualem de martyrio coronam aſſerit habere Ioannem, qui paſſus non eſt, quantam & Petrus habet qui paſſus eſt, vt non tam paſſionis effectum quàm affectum Deus attendat.

NAM *expectatio.*] Bene dixi futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ſcilicet filijs Dei; quia hanc reuelationem ſcilicet gloriæ filijs Dei debitæ expectatio fidelium omnium expectat. Ac ſi diceret: Expectans vnuſquiſque expectat, ſicut dicitur, *Euntes ibant*, hoc eſt perſeueranter atque confidenter ſperant, bonis ſcilicet operibus eam promerentes. *Reuelationem filiorum Dei.*] .i. remunerationem illam, in qua reuelabitur qui filij Dei ſint, & ad vitam prædeſtinati, quod adhuc occultum eſt. Creaturam eos dicit, quia creationem Dei in ſeipſis incorruptam ſatagunt cuſtodire, ac reformare imaginã Dei in qua creati ſunt, peccatis quæ eã delent vel maculant quantum valent reſiſtendo. Et verè hanc reuelationẽ expectant fideles, quia propter eam contemnunt vitæ præſentis vanitatem, & nolentes eam ſuſtinent; concupientes etiam iam potiùs diſſolui & eſſe cum Chriſto. Et hoc eſt quod ait, *Creatura ipſa ſubiecta eſt nolens*..i. hanc vanam vitam, quæ & tranſitoria eſt, & ærumnis plena, ſuſtinet inuita, quantum in ſe eſt. *Sed propter eum*] ſcilicet eam tolerat, *qui ſubjecit eam in ſpe illius*] ſcilicet futuræ reuelationis .i. in hac eam affligendo humiliat, vt in illa quæ ſperatur exaltet. Quod verò ſit ſpes illa creaturæ .i. quòd ſperent hic afflicti fideles, ſupponit dicẽs, *Quia & ipſa, &c.*] .i. hic ſperant qui liberabuntur ibi à iugo paſſibilis & corruptibilis carnis, quo hoc opprimuntur inuiti. Libertatem dicit illius vitæ gloriam, in qua nulla erit oppreſſio, cum nemo aliquid contra voluntatem ſuam incurrerit.

SCIMVS *enim.*] Oſtendit per partes creaturam hic afflictam ad illam, quam ibi ſperat, libertatem gloriæ toto deſiderio anhelare, quia videlicet tam hi qui inter fideles ſunt minores, quam illi qui maiores. Minores autem diſtinguit per hoc quod dicit, *Omnis creatura.* Maiores verò per hoc quod ſupponit, *primitias ſpiritus habentes.* Quod itaque dicitur, *omnis creatura*, tale eſt ac ſi diceret, hi qui omnino ſunt creatura, vel qui toti ſunt creatura, non creatores, nullos videlicet creare

vel generare Deo per prædicationem volentes. Apoſtoli verò & eorum vicarij tanquam aliorum, vt diximus, creatores quodammodo ſunt, iuxta quod alibi ipſe dicit Apoſtolus: *In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Et iterum, *Filioli mei quos iterũ parturio donec formetur, &c. Ingemiſcit & parturit.*] i. ingemiſcendo parturit. Gemitus autem fidelium hi vel de terrena afflictione proueniunt, ſecundum iſtud: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*, vel de cœleſtis patriæ deſiderio, ſicut eſt illud: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt.* Et rurſum, *Super flumina Babilonis illic ſedimus & fleuimus donec recordaremur tui Sion.* Parturiunt autem .i. labore maximo fructum bonorum operum proferre meditantur. *Et ſatagunt vſque adhuc*] .i. non horariè, ſed quamdiu viuit. Parturio enim verbum eſt meditatiuæ formæ, non perfectæ: & ideò benè minoribus atq; imperfectis aptatur, qui quaſi ſuntin initio cogitationis, non in perfectione operationis. Hæc autem Apoſtoli verba cum ait, *Ingemiſcit & parturit*, illis Dominicis concordant verbis quibus dicitur, *Mulier cùm parit triſtitiam habet &c. Primitias ſpiritus habentes.*] .i. maiora ſancti Spiritus dona, ſicut prædicatores ſancti, qui ſecum & alios Deo acquirunt. Ad quod quidem prædicationis officium tanquam ad maximum Spiritus ſancti donum ipſe nos Apoſtolus in 11. Epiſt. ad Corint. adhortatur dicens, *Emulamini enim cariſmata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Et poſt pauca, *Sectamini caritatem, emulamini ſpiritualia, magis autem vt prophetetis* .i. vt officium Prophetarum prædicando aſſumatis.

ET *ipſi gemimus.*] gemimus, grauati ſcilicet paſſibilitate & corruptione carnis, ſicut cæteri ſcilicet ex ſpe conſolationem habentes, quæ ſcilicet ſpes quaſi anchora eſt nauis noſtræ inter huius ſeculi fluctus, quia ſtatim conſolationem adiecit, dicens: *Expectantes.*] .i. cum fiducia ſperantes, *adoptionem filiorum Dei.*] de ipſis Gentibus. i. ipſos adoptari à Deo & conſtitui heredes in regno celeſti. Adoptionem hanc dico *redẽptionem carnis noſtræ.*] .i. Eccleſiæ, cuius membra ſumus. Nihil quippe eſt aliud nos à Deo ſic adoptari, quàm per Vnigenitum ſuum à diaboli poteſtate ſeu iugo peccati nos redimi: vt hæc tota adoptio diuinæ gratiæ, non meritis noſtris tribuatur. *Spe enim.*] Dixit ſuperius quia reuelationem filiorũ Dei expectamus ſperando, & quod præſentis vitæ vanitati in

Digitized by Google

hac ſpe ſubjecti ſumus, ne propter labores diffidamus. Et ne quis obijceret ſpem iſtam non eſſe certitudinem, & ideò in ea non eſſe confidendum, ideò dicit, quòd omnes quotquot ſaluamur, per ſpem ſaluamur. Et ſtatim quod ſpes de non apparentibus tantum dicatur annectit, dicens: *ſpes autem*] .i. cognitio quæ de apparentibus eſt, nequaquam ſpes dicenda eſt. *Nam quod videt*] hoc eſt, quid ſperat aliquid quod videt? Ac ſi diceret, nihil eſt quod videndo ſperet ipſum, vt ſi quis videat ſe diuitem factum eſſe, & fortaſſe antea ſperauerat: iam non de hoc ſpem vel exiſtimationem, ſed certitudinem habet. *Si autem quod.*] Oſtendit quomodo ſpe ſalui facti ſiamus, quia videlicet illa ſpes, quæ dicta eſt vitæ futuræ, nos patientes reddit; ne in tribulatione vitæ præſentis deficiamus. Et hoc eſt, *Si enim*, quia ſcilicet quod non videmus ſperamus, pacienter illud expectamus non in agone præſentis certaminis deficientes, *Similiter autem*, Sicut videlicet ſpes nos adiuuat patientiam præſtando, ita & Spiritus ſanctus in hoc agone noſtram adiuuat infirmitatem, neceſſarias nobis oratione ſuggerendo. Et hoc eſt: *Nam quid ita*; ſcilicet *vt oportet*, & nobis neceſſarium eſt, *Oremus.*] in tribulationibus videlicet poſiti, frequenter ignoramus, in multis ſcilicet dubitantes quid eorum videlicet nobis vtile ſit, ſicut & ipſe Apoſtolus quando ter Dominum rogauit ſtimulum ſatanæ ſibi auferri. *Sed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis.*] .i. poſtulare nos facit, quod ſcilicet neſciebamus docendo, & eius deſiderium maximum inſpirando. *Qui autem.*] Dixi quòd nos poſtulare facit gemitibus inenarrabilibus .i. tantis deſiderijs vt potiùs ſentiri quàm ediſſeri queant. Sed licet ſint inenarrabiles, ei tamen ſunt cogniti, qui ſcrutatur corda, & inſpector eſt cordis, ea videlicet potius attendens quæ verſantur in corde, quàm quę proferuntur de ore. *Quid deſideret.*] ideſt deſiderare nos faciat, quia poſtulat pro ſanctis .i. ſanctos poſtulare facit, *ſecundum Deum.*] .i. ſecundum hoc quod ipſe ſpiritus Dei à Deo accepit, qui à Deo habet eſſe, procedendo ſcilicet ab ipſo, & ſecundum quod in ipſa Dei diſpoſitione ordinatum eſſe nouit. Vnde certum eſt Deum non poſſe latere quid agat ſpiritus eo diſponente.

SCIMVS *enim*] Tanquã aliquis opponens diceret, quomodo adiuuet ſpiritus quos tot videmus afflictionibus laborare,

dicit quia & ipſas afflictiones & quæcunq; accidunt ſanctis,tã proſpera .ſ. quã aduerſa,in bonũ eis cõuertit,& ad corũ vtilitatẽ perducit. Qui verò ſintdiligentes Deũ, ſupponit dicens: *His qui vocati ſunt ſancti.*] .i. internæ vocationis inſpiratione ſanctificati, *ſecundũ propoſitum Dei*] potiùs quàm ſecundũ eorum præcedentia merita .i. ſecundũ hoc potius quod diuinæ gratiæ placuerit, quàm ſecundum hoc quod ipſi meruerunt. *Nam quos præſciuit.*] Exequitur diligenter quomodo ſecundũ propoſitum Dei .i. diuinæ gratiæ placitum ſint ſanctificati, dicens quia quos præſciuit poſtmodum , & prædeſtinando conformes Chriſto reddidit. Scire dicitur Deus ea quæ approbat , & quæ eius notitia ſunt digna, iuxta illud: *Nouit Dominus viam iuſtorum*, ſicut è contrario mala ignorare vel neſcire dicitur. Iuxta quod ipſe filius reprobis ait; *Neſcio vos.* Illos itaque præſciſſe dicitur, quorum antequam eſſent futuram electionẽ approbauit. Quoſcunque itaque ſic pręſciuit, eos poſtmodum *prædeſtinauit.*].i. donis gratiæ ſuæ preparauit. Prædeſtinatio quippe diuina, dicitur præparatio gratiæ, quæ in electis tantum eſt. *Prædeſtinauit*, inquam, *Conformes fieri.*] i. ad hoc vt ſimiles fierent, *Imaginis filij ſui.*] .i.Chriſto,qui eſt imago Dei .i. expreſſa ſimilitudo Patris , in omnibus ſcilicet bonis ei æqualis ſecundum diuinitatem, iuxta illud quod ait: *Philippe, qui videt me videt & Patrem*, ac ſi diceret, quia ex me integrè cognoſci poteſt qualis vel quàm bonus ipſe ſit Pater. Tunc autem Chriſto conformamur , ſi veterem hominem cum actibus ſuis deponentes, ipſum induamus Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt: *Qui dicit ſe in Chriſto manere , debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.* Ita, inquam ,conformes fieri , *vt ſit ipſe videlicet Chriſti primogenitus in multis fratribus.*] .i. inter multos qui eiuſdem Patris ſunt filij per adoptionem , ipſe qui per naturam filius eſt more primogenitorum excellat dignitate, non eis adæquetur ſimilitudine,ſicut & ipſe Patri æqualis eſt, cuius imago eſt. *Qui autem.*] prædeſtinantur electi .i. ad vitam æternam præparantur per fidem illuminati , quam primò tanquam omnium bonorum fundamentum ſuſcipiũt, vocantur poſtmodum per ſpem illexi, cùm iam miſericordia Dei & virtute ſacramentorum cognita ad bene operandum alliciuntur , propter æternorum ſcilicet retributionem : deinde iuſtificantur ſinceræ caritatis affectu , non iam Deo tàm-

Digitized by Google

propter ſua quàm propter ipſum adhærentes,& denique magnificanturin cæleſti ſcilicet patria ſublimati.

QVAESTIO ſe hoc loco ingerit de diuina ſcilicet prouidentia, ſeu prædeſtinatione, quæ liberum nobis arbitrium auferre videtur, cùm omnia videlicet ſicut à Deo præuiſa ſunt,neceſſire ſit euenire, nec aliquẽ prædeſtinatum poſſibile ſit perire. Certũ quippe eſt omnia antequã fiant eo modo quo futura ſunt à Deo eſſe præuiſa,ſiue bona ſint ſiue mala; nec in aliquo prouidentiã eius poſſe falli. Cùm itaq; hunc hominẽ, qui forte mœchatur eſt,præuiderit mœchaturũ eſſe, neceſſe eſt eũ mœchaturũ eſſe. Quod ſi eum neceſſe eſt eſſe mœchaturũ, hoc eſt ineuitabile, iam non eſt libero eius arbitrio ſeu poteſtate peccatũ hoc euitare. Nõ ergo propter hoc peccatũ, quod nullatenus euitare potuit, reus eſt conſtituendus. Atque ita omnia mala in Dei prouidentiam tanquam eorum neceſſariam cauſam retorquenda videntur, & ſic omnia eo modo quo eueniunt neceſſariò prouenire: cum ſcilicet ſic à Deo præuiſa fuerint,nec vllo modo aliter poſſe contingere. Nos autem concedimus,eum qui mœchaturus eſt neceſſario mœchaturum eſſe, cùm id Deus præuiderit; ſed non ideo ſimpliciter dici conuenit eum eſſe neceſſariò mœchaturum. Non enim hæc modalis cum determinatione illam ſimplicẽ infert, de quo quidem diligentius diſſerendum Theologiæ noſtræ reſeruamus,& quæ differentia ſit prouidentiæ ac prædeſtinationis ſeu fati.

QVID *ergo.*] Quandoquidẽ Deus ita de noſtra ſollicitus eſt ſalute,vt præſcierit,prædeſtinet, prædeſtinatos vocet,vocatos iuſtificet,iuſtificatos magnificet. Quid dicemus ad hæc i.cõtra hæc quod impedimentũ poterimus inuenire? Nullum vtique: quia etſi ex nobis infirmi ſumus, *Quis contra nos*] prevalere poterit? *Si Deus pro nobis* .i. cùm Deum habeamus patronum. De cuius quidem patrocinio vel defenſione quia ſecuri eſſe valeamus, adnectit commemorans eius ſingularẽ dilectionem,quam nobis exhibuit, dicens: *Qui non pepercit etiam proprio filio ſuo.*] conſubſtantiali, non adoptiuo: ſed *tradidit illum.*] videlicet ad mortem pro nobis omnibus, ſcilicet quos præſciuit, ſeu vt dictum eſt prædeſtinauit, vt in eius ſanguine noſtrorum maculas dilueret peccatorum. Quod verò ait,*etiam proprio filio*, innuit Deum & alijs adoptiuis filijs

antea pro nobis non peperciſſe ſicut Iſaiæ, ſeu Ieremiæ, vel nonnullis alijs Prophetarum, qui ad populum Dei miſſi, tanquam Martyres pro ſalute hominum ſunt occiſi. *Quomodo enim etiam*] .i. qua ratione poteſt dici vt in tanto de traditione filij ſui dono non dederit nobis omnia, noſtræ ſcilicet ſaluti neceſſaria? *Quis accuſabit?* Quandoquidem Deus de noſtra ita, vt dictum eſt, ſollicitus eſt ſalute, cuius accuſatio quicquam aduerſus nos obtinere poterit? Nunquid accuſatio ipſius Dei, qui non ſolum non accuſat, verum etiam vt dictum eſt iuſtificat? ac ſi diceret: non. Aut ſi etiam accuſator eſſet quis, in noſtra condemnatione perſtiterit. Nunquid ipſe Chriſtus, qui tantam nobis exhibuit dilectionem, ſicut ipſe ait: *Maiorem hac dilectionem, &c.* vt pro noſtra moreretur ſalute? ac ſi diceret, non. *Immo qui.*] Quaſi corrigens quod dixerat, qui mortuus eſt, quod eſt infirmitatis, ſupponendo reſurrectionis gloriam in ipſo nobis exhibitam, atq; promiſſam, quæ nos in omni tribulatione maximè conſolatur, & quoniam reſurrectio nonnullorum fuit iterum mortuorum ſicut Lazari, vt etiam reproborũ erit ad ſiniſtram conſtituẽdorũ, ſubdit. *Qui eſt ad dexterã Dei.*] .i. ſecundũ ipſam humanitatẽ reſuſcitatã in æterna beatitudine perſeuerat, ibi quoque non immemor noſtræ ſalutis, vbi tanquã aduocatus Patrẽ interpellat pro nobis, ipſam .v. in qua tãta pro nobis paſſus eſt, humanitatẽ oculis Patris ſemper præſentando, & ſic nos ei tanquam mediator reconciliando. Interpellat igitur vt dictũ eſt, tãquam inter nos & Deum medius intercedat, per ipſam vt dictum eſt noſtræ naturæ ſubſtantiam. Sanctos etiam ipſos intercedere & orare pro nobis dicimus affectu potiùs caritatis vel meritorum ſuorum ſuffragijs, quàm prolatione vocis. Vnde & cùm dicimus, *Sancte Petre ora pro nobis*, tale eſt ac ſi dicamus, *Miſerere noſtri Deus propter merita B. Petri.*

Qvis *ergo nos*] Quandoquidem tantis beneficijs tantam nobis gratiam Deus exhibuit, & in ſeipſo confirmauit, quæ res nos vlteriùs poterit auellere ab eius dilectione? Ac ſi diceret, nulla. Atque id ſtatim cõprobat per ea quæ maximè videntur poſſe homines à Deo auertere. Ac primò de aduerſis ſicait, *Tribulatio*,] ac ſi diceret, Non. Tribulatio dicitur quæcunque corporis afflictio vel verberatio, anguſtia, mentis anxietas, vt & metus, perſecutio de loco ad locum, propul-

ſio,

ſio,periculum,mortis apparatus,gladius,ipſa mors. *Sicut ſcriptum*] in Pſal. XLIII. ac ſi diceret, vtique verum eſt quod nihil horum poterit ſeparare, quia ſicut dicit Propheta *propter te*] i. quia inſeparabiliter tibi adheremus, periculis vitæ afflicti ſubiacemus· *Tota die.*].i.toto tempore vitæ noſtræ, quod quidem ad comparationem vitæ infidelium,qui in tenebris ambulant, dies eſt dicenda, fide videlicet illuminata. *Æſtimati*] ſicut ſcriptum eſt de impijs dicentibus de iuſtis : *Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam,&c. Oues occiſionis.*] .i. dignæ occiſione, & nihil alterius vtilitatis habentes, nec de ipſa etiam morte ſua fructum aliquem ad eſum tribuentes, nec vllatenus interfectoribus ſuis tum pro imbecillitate ſuæ naturæ, cùm etiam pro manſuetudine ſua reſiſtentes. *Sed in his*] Dixi, non poterunt omnes oppreſſiones iſtæ conſtantiam noſtram ſuperare, vt videlicet à Deo ſeparet, ſed è contrario hæc omnia perſeuerando vincimus per gratiam Dei potius quàm per noſtram virtutem. Et hoc eſt quod ait, *Propter eum qui datus nobis*] .i. propter eius adiuuantem gratiam. *Certus ſum.*] Ideò tam fiducialiter loquor de diuina gratia fideles adiuuante, vt nullis .v.de cauſis à Deo poſſint ſeparari,quia iam de his non ſolum fidem, verum etiam certitudinem imaginis aſſecutus ſum experimentis, quod videlicet neque mors comminata. *Neque vita*] promiſſa ſcilicet in hoc mundo, *Neque Angeli*] .i. angelica dignitas, à quocunque nos tentante nobis promiſſa, ſicut diabolus Euæ promiſit, quod eſſent ſicut dij. *Neque etiã principatus, neque virtutes*] .i. iſtorum ordinũ excellentia,quæ maior eſt dignitate Angelici ordinis, quos quidem ordines diligenter Beatus Gregorius diſtinguens, ait, Græca lingua Angeli nuncij, Archangeli ſummi nuntij vocantur. Qui minima nunciant Angeli, qui verò ſumma Archangeli vocantur. Hinc eſt quod ad Mariam non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archangelus mittitur. Item Virtutes vocantur illi, per quos ſigna & miracula frequentius fiunt. Poteſtates vocantur qui hoc potentius cæteris in ſuo ordine perceperũt, vt eorũ ditioni virtutes aduerſæ ſubjectę ſint,quorum poteſtate refrenantur ne corda hominum tantũ tentare præualeant, quantum volunt. Principatus vocantur qui ipſis quoque bonis Angelorum ſpiritibus præſunt,qui ſubiectis alijs dum quę ſunt agenda diſponunt, eis ad explenda myſteria principan-

tur. *Neque instantia*].i. præsentia bona vel mala , *Neque fortitudo*] .i. violentia cuiuscunque potestatis , *Neque altitudo , neque profundum.*].i. sublimatio alicuius humanæ gloriæ,vel dejectio atque humiliatio in quamcumque vtilitatem. Ac si diceret, neque prosperitas aliqua humana , neque aduersitas. *Neque creatura aliqua*] quam videlicet suprapositæ .i. Angeli, potestates , &c. *A caritate Dei*] quia videlicet eum sincere propter ipsum diligimus. *Quæ est in Christo Iesu*] .i. per Christum Saluatorem nostrum nobis inspirata , siue in ipso ædificata atque radicata , & fundata.

CAP. IX. VERITATEM *dico.*] Quod dixit se & consimiles sui fideles à caritate Dei non posse auelli , experimento proprio vult probare dicens videlicet se dum maximus Ecclesiæ persecutor existeret,ad hoc laborasse,vt seruos ad fidem Christi conuersos inde auerteret , & hoc est in Christo Iesu , hoc est per Christum Iesum iurans veraciter dico , quantum ad ipsius rei euentum , & ita se habet vt dico. *Et non mentior , testimonium mihi perhibente conscientia mea.*] .i. reus mendacij non sum, cùm sic credam sicuti dico. Potest quippe aliquis quantum ad rei euentum veritatem in verbis per ignorantiam habere , & tamen contra conscientiam loqui,& per hoc incurrere mendacij reatum. Non enim mentitur apud Deum .i. reus mendacij non reputatur à Deo , nisi qui per duplicitatẽ loquitur. Loquenti conscientia sua perhibet testimonium, quando non dissidet animus à verbis .i. quando creditur ab ipso sicut dicitur : Mihi, inquit,qui eam noui, etsi non nobis, conscientia dico mea existens. *In Spiritu sancto.*] .i. fundata & radicata in caritate Dei. Ex qua scilicet caritate pullulare mendacium non potest. Vnde & bene spiritus veritatis dicitur, hanc videlicet dico veritatem. *Quoniam tristitia est mihi magna*] quantum ad computationis quantitatem,*& continua*] quantum ad diuturnitatem. *Cordi meo*] .i. non simulata in exteriori habitu , sed vera in ipso animi affectu,& vnde se tristitia supponit,quia videlicet *optabam*] olim , non modo. *Ego ipse*] qui modo aliquid magni esse videor , & præ cæteris aduersari Iudaismo , & pristinæ vitæ contrarius, *Optabam*,inquã, *pro fratribus meis esse anathema à Christo.*] .i. nitebar modis omnibus fieri separatio nostratum.i. Iudæorum à Christo,vt non solum scilicet ego separatus essem à Christo , sed ipse aliorũ

eſſem ſeparatio,& tam verbis quàm factis eos quoque, qui ei iam per fidem adhæſerãt,ab eo auerterem,ſicut ſcriptum eſt: *Saulus adhuc ſpirans minarũ, &c.* Vel ita vt fratres meos auerterem à Chriſto, omnes generaliter auertere cupiebam,ſicut ſcriptum eſt, vt ſi quos inueniret huius viæ viros, non videlicet ſolum Iudæos, &c. Quod autem fratres generaliter dicat quicunque de ſuo genere ſunt .i. quoſlibet Iudæos declarat ſubdens: *Qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*] .i. de cognatione mea carnali, & ideò tunc vehementiùs animo meo inhærentes, vt plurimum pro eis agerem, & ne tantum eos intelligamus,qui ad tribum Beniamin pertinent, vnde erat Apoſtolus, immo generaliter totum genus Iudæorum,addit, *qui ſunt Iſraelitæ* .i. de genere Iacob Patriarchæ, qui prius Iacob à parentibus, poſtmodum Iſrael à Domino appellatus eſt .i. vir videns Dominum. Vnde & præcipuè nomine eius tota poſteritas inſignita gloriabatur, quaſi ſolis ipſis Deum videre .i. cognoſcere conceſſum eſſet, quaſi iam vlterius nec Chriſti, nec alicuius doctrina indigerent,vt hinc quoque ipſe Paulus Chriſti diſciplinam nonnulla de cauſa ſe præmiſiſſe inſinuet, necnon ex iis quæ ſequuntur, de condemnatione ſcilicet illius olim peculiaris populi Dei,cùm ait, *Quorũ adoptio eſt filiorũ*]hoc eſt de primo per gratiam adoptati ſunt à Deo in filios,qui ſpecialiter ab eo dilecti innumerabilium beneficiorum exhibitione monſtrantur. *Et gloria*] .i. glorificatio in præſenti ex adoptione iſta procedens, qua ſe & nunc in Eccleſia gentibus conuerſis præponere volebant. Vnde autem adoptio vel glorificatio eorum maximè proceſſerit, diligẽter proſequitur, dicens eorum eſſe teſtamentum, & ad eos primitus, non ad gentes latum fuiſſe,ſicut ſcriptum eſt: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Ad hoc quidem illud pertinet quod ſuperiùs dixerat. *Quid ergo amplius Iudæo,& c. Multum per omnia.* Primum quidem quia *credita ſunt .i. e. d. Et obſequium*] .i. publicum diuini cultus officiũ, in tabernaculo vel in templo,& *Præmiſſa*]munera tam de terra Chanaam poſſidenda,& terrenis commodis,quàm de ſpiritualibus etiam bonis per Chriſtum ex eis naſciturum, ſicut mox annectit dicens, *Quorum ſunt patres ſecundum carnem* potius, quàm ſecundum fidei imitationem illi,ex quibus & ipſe Chriſtus eſt ſecundum carnem,vt pote ipſi patriarchæ Abra-

Communicated by Mr. Boyle, in a Letter to the Publisher, dated Dec. 1. 1666.

Having lately met with a Relation of a Light in the Sea, which I have not yet seen in any Book, I thought it worthy to be communicated to the Publick, and therefore I have here sent it you, as I received it from a Person of Quality, who is very curious in Observations, and who has been a Traveller. He says, that in the Year 1662. in the Month of May, he was in a Ship in the Mediterranean Sea, between Sicily and Malta, where he saw a Light in the Sea, which he could not at first imagine what it should be, but at last he found it to be a Piece of Wood, which had been a Piece of the Keel of a Ship, and was about a Foot and a half long, and about a Foot broad, and was all over as bright as the Moon shining upon it. He took it into the Ship, and kept it there two Days, and then carried it on Shore to Malta, and shewed it to several Persons, who were much surprized at it. He kept it in his Chamber for a Month after, and then gave it away to a Friend, who kept it by him for a Year after, and then gave it to another Friend, who kept it by him for a Year after, and then gave it to another Friend, who kept it by him for a Year after, and then gave it to another

oſtendens .v. non alios dicendos eſſe filios Abrahæ, niſi qui filij ſunt Dei, i. qui fideles ſunt. Abrahã quidem fidem ſignificat. Ideoq; Abrahæ filij illi ſoli recte dicuntur quos ſibi Dominus per fidem adoptat tam ex Iudæis quàm ex gentibus, ſicut & ipſe ſuperiùs meminit Apoſtolus, cùm de Abraham loqueretur dicens, Vt ſit pater credentium omniũ, non his tantum qui ſunt ex circũciſione, ſed & his qui ſectantur veſtigia fidei, quę eſt in prępucio. *Sed qui filij ſunt promiſſionis*] filios promiſſionis dicit, qui ad fidelẽ Iſaac pertinent, eum .ſ. fide imitando, quoniã .ſ. Abrahã ex ſenili & ſterili matre per ſolã promiſſionẽ Dei, non per naturã carnis generauit. *Eſtimantur in ſemine*.v. Abrahæ.i. inter filios Abrahæ reputandi ſunt. Quibus autem verbis promiſſio facta ſit Abrahæ de futuro filio Iſaac, ſupponit dicens.

PROMISSIONIS *enim, &c.*] Hæc ſunt verba Angeli ad Abrahã loquentis, *ſecundum hoc tempus*] .i. in tali tẽpore quale modo eſt anno .ſ. reuoluto, *veniã & erit*]. i. per aduentũ, & operationẽ meam potius quàm per naturã tunc Sarra concipiet. Hæc autẽ ſententia his verbis in Geneſi eſt expreſſa: *Reuertẽs veniã ad te tẽpore iſto vita comite, & habebit Sarra filium vxor tua.* Itẽ infra: *Viſitauit Dominus Sarrã ſicut promiſerat, & impleuit quod loquutus eſt, concepitq; & peperit filiũ in ſenectute ſua, tẽpore quo prædixerat eis Dominus.* Ex quibus quidẽ verbis non ſatis liquet cũ dicitur, *erit Sarræ filius*, an de cõceptu eius ſiue partu ſit intelligendũ. Cùm autẽ dicitur *in ſenectute ſua*, patenter innuit quod dixit, filiũ hunc non tam eſſe carnis quàm promiſſionis .i. non naturæ, ſed gratiæ. Et licet dictũ ſit, *In Iſaac vocabitur tibi ſemẽ*, non tamẽ in omnibus ex Iſaac ſecundũ carnẽ naſcituris, cùm ipſe ſtatim Eſau reprobatus ſit, & ſolus Iacob à Deo electus. Quod nunc proſequitur dicens, *Non ſolũ autẽ illa*]. i. Sarra, ſubaudi promiſſionẽ habuit de prole à Deo, ſed etiã Rebecca iã quidẽ habẽs in vtero, antequã .ſ. promiſſionẽ illã haberet, *habens* inquã in vtero, *ex vno concubitu Iſaac Patrẽ noſtrũ*] non tam per carnẽ quàm per fidẽ. Et verè promiſſionẽ hanc quomodo habuit, quia iſtã de electione .ſ. minoris filij, quod .v. maior ſeruiret minori. Et hoc eſt, *Cũ enim nondũ nati eſſent.*] Illi. v. quos iſta habuit ex Iſaac, *Aut aliquid*] .i. nec aliquod adhuc meritũ haberent ex bono vel malo opere ſuo. Poſſet quippe contingere vt more Hierem. vel Ioan. Bapt. in vtero illuminati Deũ

cognoſcerent, & iam eum diligendo vel non diligendo aliquid mererentur, vt ..... ſcilicet qui nondum aliquid promeruerant. *Maneret propoſitum Dei ſecundum electionem*] ipſius in altero ipſorum .i. in Iacob, non in Eſau .i. ſecundum hoc quod Deus apud ſe propoſuerat, & in altero prouidentia ſua ab æterno diſpoſuerat, maneret electio Iacob .i. perſeueraret immobilis eius prædeſtinatio. *Non ex operibus*] .i. propter meritum aliquod operum eius, qui electus eſt; ſed tantum ex Deo, *Vocante eum*] .i. ex ſola gratia eius, qui eum per internã inſpirationem poſtea ad ſe traxit.

DICTVM *eſt ei*] .i. Rebeccæ, quia *maior*] .i. Eſau qui primogenitus futurus erat, *ſeruiet*] poſteriori fratri .i. Iacob. Quæ quidem ſeruitus non tam in perſonis duorum fratrum quàm in poſteritatibus eorum accipienda eſt. i. in populis qui ex ipſis naſcituri promittuntur, Domino ad Rebeccam dicente: *Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populus populumque ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Si enim ad perſonas fratrum reſpicias, nunquam Eſau deſeruiſſe, vel in aliquo ſubjectum extitiſſe Iacob reperies, immò magis Iacob ſemper Eſau maximè timuiſſe, & ei ſe plurimum humiliaſſe. De populis autem planum eſt hoc accipi, cùm etiam ſecundum præceptum legis interdictum ſit Iſraelitis ſeruos habere de populo ſuo, ſed de gentibus tantum. Vnde in Leuitico ſcriptum eſt, cap. 84. *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit, vſque ad annum Iubileum operabitur apud te*, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem & poſſeſſionem patrum ſuorum. Mei enim ſunt ſerui. Non veniat conditione ſeruorum, non affligas eum per potẽtiam. Seruus & ancilla ſint vobis de nationibus, hos habebitis famulos, & hereditario iure trãſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum. Vocante dico eum *ſicut ſcriptum eſt.*] In Malachia ſcilicet Propheta, his quidem verbis: *Nonne frater erat Eſau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui* .i. hunc eligendo vocaui, illum autem reſpui. De quali quidem electione ſuperius idem dicit Apoſtolus, *& quos vocauit hos & iuſtificauit.*

QVID *ergo.*] Congruam ſumit Apoſtolus ex proximè dictis objectionem, quaſi in accuſationem & iniuriam Dei, qui

antequam aliquid Eſau promereri poſſet, eum non prædeſtinando dignum odio ſuo iudicauit, & quia alteri fratri dedit gratiam, qui ſimiliter antea nil meruerat, ei ſubtraxit, qua ei ſubtracta conſtat eum benè agere non poſſe, atque ita non tã culpa Eſau accidere videtur quod iniquus fuerit quàm ipſius Dei qui ei gratiam, qua bene operari poſſet, dare noluit. Huius autem obiectionis ipſemet Apoſtolus poſtmodum ſolutionem ponit, vbi ait: *O homo tu quis es, &c.* vſque illuc verò totum quod interpoſitum eſt, de obiectione eſt. Continuatio. Quandoquidem Iacob electionem ſuam & vocationem non magis quàm Eſau ex meritis ſuis, ſed ex arbitrio tantum vocantis obtinuit, neque Eſau ex meritis antea ſuis illam amiſit, quid diceremus, quid poterimus dicere, & ad huiuſmodi obiectionem reſpondere, quæ ſtatim ſequitur: *Nunquid iniquitas eſt apud Deum*] .i. qua ratione poterimus Deum à culpa defendere, atque aſtruere quòd non ſit reus iniquitatis, qui gratiam ſcilicet ſuam ſubtrahendo ei qui nondum meruit eum reprobum fecit? Sic enim dictum eſt, Cùm nondum nati fuiſſent aut aliquid boni, &c. *Abſit,*] inquit ſtatim Apoſtolus ex ſua parte, vt videlicet vllo modo iniquitas credatur vnquam in Deo eſſe, ſed priùs quidẽ quàm hoc oſtendat quod propter obiecta non ſit Deus iniquus dicendus, ipſam adhuc obiectionem more boni argumentatoris corroborat, vt quantò validior fuerit obiectio, tantò difficilior ac mirabilior appareat poſtmodum ſolutio. *Mors verò,*] Ac ſi diceret, Bene quæſitum eſt ad propoſitam quæſtionem, vt videlicet Deum à culpa defendere valeamus, & penitus ex ipſis quoque ſcripturæ teſtimonijs in talibus culpabilis atque inexcuſabilis videtur Deus, cùm habeat in poteſtate quibuſcunque velit miſericordiam impendere qua ſaluẽtur, & ſine eius miſericordia nemo ſaluari poſſit. Quod vero hanc habeat poteſtatem præmittit dicens: *Miſerebor, &c.* Quod verò non niſi prẽueniente miſericordia eius quiſquã ſaluari queat, ſtatim adiungit dicẽs, *Igitur non volentis & currẽtis. Cuius miſereor*] prædeſtinando, antequam .ſ. vllum ſit hominis meritũ, *miſerebor*, poſtea vocando eum per internam inſpirationem, & ei denique cuius miſerebor vocando miſericordiam præſtabo, in ipſo ſcilicet ſupernæ vocationis brauio. Ergo, inquit Apoſtolus ex perſona componentis, h. ſubaudi, diuinæ col-

latio miſericordiæ, non eſt hominis quantumcumque eam *volentis neque currentis*] .i. quantumcumque feſtinantis atque nitentis ad eam obtinendam, ſed tamen *Dei miſerentis*].i.non eſt in poteſtate noſtra eam accipere, ſed in manu eius eam dare, vt per hoc aſtruendum videatur neminem eſſe in culpa ſi ab ea ſit alienus miſericordia, non eum qui largiri eam habuit nec voluit.

DICIT *enim*] Oſtendit à contrarijs quòd miſerentis eſt Dei quod homines ſaluantur: quod obdurantis eſt quod dãnantur, ſicut in Pharaone ex ipſo Dei teſtimonio patet. Nec dicit tamen obdurantis, ſed quaſi impellentis ad malũ, cum ait: *Excitaui.* Et vt culpam Dei augeret, addit: *Vt oſtendam in te, &c.* quaſi ideò damnaret alios Deus, vt ſe glorificet, & gloriam ſuam in morte aliorum quærat, quod iniquiſſimum videtur. *In hoc ipſum*].i. ad affligendum populum vel perſequẽdum, ſiue etiam me non exaudiendum, ſicut ſcriptum eſt: *Indurabo cor Pharaonis. Excitaui te*] .i. reſiſtendo tibi feci magis exardeſcere malitiam tuam contra me, vt ſicut ſcriptum eſt: *Qui iuſtus eſt amplius iuſtificetur.* Per quod quaſi aurum in fornace tribulationis purgatur, *& qui in ſordibus eſt amplius ſordeſcat. Virtutem meam*] ideſt potentiam, tam in plagis ſcilicet Ægypti quàm in ſubmerſione Ægyptiorum. *Vt per hoc annuncietur nomen meum*] ideſt dilatetur notitia potentiæ meæ vbique terrarum. Quod dicit vt per hoc magis effectiuũ eſſe quàm cauſatiuũ videatur. Quomodo ſolet dici de aliquo, exiuit vt moreretur.i. exiuit, & mortis nõ conſecutus eſt effectus: ita & hic dicitur excitaui te, ac per hoc poſtea oſtendi in te virtutem meam .i. in his quæ egi circa te, & tuos.

ERGO *cuius vult*] .i. Et ita apparet, inquit Apoſtolus, ex perſona adhuc opponentis, quòd cuius vult miſeretur, & quem vult indurat .i. pro velle eius atq; arbitrio potius quàm pro meritis ſuis homines vel ſaluãtur per eius miſericordiam, vel damnantur per eius in peccatis ſuis indurationem, quam videlicet obdurationem ipſe non miſerando efficit, vt ſic diuino totum arbitrio de ſaluatione vel damnatione hominum tribuendum eſſe videatur. *Dicis itaque mihi*] Inquit Apoſtolus ex propria perſona, vel quorumlibet fidelium Deum in omnibus laudantiũ .i. tu aliquis quicunque ſis rationabiliter

dicere

Digitized by Google

dicere videris,& opponere,vt ſupradictis teſtimonijs& rationibus id ſcilicet quod ſequitur: Quid adhuc queritur.j. conqueritur Deus.i. vnde poteſt iuſtè querimoniam vllam aduerſum nos mouere,de offenſis ſcilicet noſtris, quia omnis videlicet culpa eius ſola vel maximè videtur accidere, cùm vt dictum eſt quos vult induret,& vt nunc dicitur, voluntati eius nemo queat reſiſtere. Adhuc .i. poſt tam manifeſta teſtimonia vel rationes in accuſationem illius, *Voluntati eius* .i. diſpoſitioni, de qua ſcriptum eſt, *Quæcunque voluit fecit*. Alio etiam modo dicitur Deus velle, non diſponendo ſcilicet,ſed conſulendo nobis, vt faciamus per quæ ſaluemur iuxta illud. *Quoties volui congregare, &c.* Et quia vult omnes ſaluos fieri i. conſulit vt faciant.

O homo tu.] Hoc loco Apoſtolus ſuprapoſitis objectionibus,quæ Deum penitus in culpam trahere videntur, ex ſua parte reſpondet,eaſq; ſufficienter diſſoluit congrua de figulo inducta ſimilitudine. Dicit itaq; quęſtione quæſtionẽ diſſoluens & ſatisfaciens, ô homo .i. carnalis & potius animalis quàm ſpiritualis,qui hucuſque in Deum inuectus es, quaſi eum de iniquitate arguendo,ſicut ibi inceptum eſt: *Nunquid iniquitas apud Deum?* Et poſtea exemplis vel rationibus exageratum eſt: *Tu quis es*, inquam, *qui reſpondeas Deo*] .i. qui iuſtificas te, qui Deum modis ſupradictis accuſas, ipſi reſponde vt teipſum defendas ab inconuenienti,ſi te ipſe ſcilicet ita interroget,dicens: *Nunquid dicit*] .i. iuſtèpoteſt conqueri de figulo quod tale ipſum fecerit, *Figmentum*].i.vas de luto fictũ. i. compoſitum.Fingere namq;cõponere dicitur. *An non habet poteſtatem*].i. non licet figulo ſine iniuria aliqua, quam vaſi .ſ. inferat, *aliud quidem vas facere in honorem*] .i. ad aliquod honorabile officium, *aliud in contumeliam*] .i. ad aliquod vile & abjectum miniſterium? Et hoc eſt, *Ex eadem maſſa terræ*] ideſt etiam ſi nulla ſit huius contumeliæ cauſa ex qualitate materiæ quæ eſt eadem. *Figulus luti*] .i. formator humidæ & mollis terræ, non creator ipſius materiæ. Ex quo quidem apparet eum minus iuris habere in opere ſuo quàm Deus habeat in ſuo, qui non ſolum formator, ſed etiam materiæ creator eſt. Quicquid ad propoſita homo iſte reſpondeat,quaſi cornuto vulneratur ſtillo. Si enim reſpõdeat quia non habet figulus hanc poteſtatem, penitus officium damnat

figulorum,& vtilitatem publicam, & commune commodũ atque neceſſarium impudenter accuſat. Sin autem quod manifeſtum eſt eligat, vt videlicet ſine iniuria aliqua, quam vaſis contumeliæ inferat, ea faciat talia, liquet ſimiliter,immò multo magis Deo licere quocunq; modo voluerit creaturam ſuam tractare atque diſponere, qui obnoxius nullo tenetur debito,antequam quicquam illa promereatur. Alioquin vniuerſa animalia ad laborem creata rectè aduerſus eum murmurare & conqueri poſſent, quare ipſa ſcilicet tantum ad laborem & ad ſeruitium hominum condiderit,cùm huiuſmodi afflictionem, quæ vſque ad mortem perſeuerat, ipſa non meruerint. Quod ſi ad glorificationem ſui, vel ad aliquam vtilitatem hominum,hoc eſt ad laborem creata eſſe rectè cõceduntur,eadem profecto ratione concedendum eſt quibuſdam merito Deum gratiam ſuam ſubtraxiſſe, nec eos ab iniquitate liberaſſe, cùm nulla ſit iniquitas qua Deus optimè non vtatur, & nihil accidere ſine cauſa permittat, ipſo etiam ſecularis ſapientiæ iudicio. Vnde & Plato in Timæo ſuo; Nihil fit,inquit,cuius ortum non legitima cauſa,& ratio præcedat. Quis enim fidelium neſciat quàm optime vſus ſit ſumma illa impietate Iudæ, cuius execrabili proditione totius humani generis redemptionem eſt operatus? Multo profectò vtilius eſt operatus in nequitia Iudæ quàm in iuſtitia Petri,& huius opere malo quam illius bono longe melius vſus:eſt nõ, inquam, quantum ad Iudam pertinet, ſed ad communẽ omnium vtilitatem, quæ familiari ſemper eſt præponenda. Prædicatione quidem Petri & exemplo vitæ aliqui conuerſi ſunt & ſaluati, ſed illa Iudæ traditio in ſalutem omnium conuerſa eſt, quæ à Patre quoque & filio pariter facta eſt, ſed intentione diuerſa. Ita etiam quantæcumque fiant malitiæ,diuina diſpoſitione optimè ordinantur, & in omnibus quæ facit vel facere permittit, cauſas ipſe nouit,licet occultas nobis & ininueſtigabiles,quia ſic .ſ. eum facere vel permittere conueniat. Alioquin quædam irrationabiliter faceret vel permitteret.

RECTÈ autem quærendum arbitror, etſi iniuriæ Deus argui non poſſit, quod aliquibus gratiam ſuam dare nolit: quomodo tamen iniquis hominibus,quibus ipſe gratiam dare noluit vt ſaluarentur, imputandum ſit quod damnantur,

Digitized by Google

vt videlicet ſua culpa damnari dicantur. Aut ſi nulla eorum culpa eſt, quo merito ſuo ipſi damnari dicantur à Deo, qui vnicuique reddit ſecundum opera eius. Sed quæ rurſus culpa eſt hominis ſi non ſaluetur, cui Deus gratiam per quam ſaluaretur nunquam dare voluit, nec ipſe ſine illa potuit? Sed fortaſſe quis dicat, quòd culpa eius ſit quòd Deus gratiam ei illam dare noluerit, quam illi æqualiter obtulit ſicut & iuſtis, ſed oblatam ipſe accipere noluit. Ad quod reſpondeo, quòd nec ipſum accipere ſine gratia Dei poteſt eſſe. Quia quidem gratiam accipiendi oblatum donum, cùm Deus illi eam dare noluit, nec ipſe ſine hac gratia queat illud accipere, falſo id culpæ eius aſcribitur quod oblatam gratiam non accepit: veluti ſi medicus ad infirmum veniens potionem offerret qua curari ille poſſet, ſed nequaquam infirmus ad ſuſcipiendum medicamentum erigere ſe valeret, niſi ipſe quoque medicus eum ſubleuaret: quæ eſt culpa infirmi ſi curationem oblatam non ſuſcipit, aut quæ eſt commendatio medici in offerendo, ſi efficaciam medicaminis auferat non ſubleuando? Dicimus itaque non eſſe neceſſe * in ſingulis bonis operibus nouam nobis gratiam à Deo impertiri, vt nequaquam ſcilicet bona operari vel velle poſſimus ſine nouo diuinæ gratiæ præeunte dono, ſed ſæpe Deo æquale gratiæ ſuæ donum aliquibus diſtribuente, non eos tamen æqualiter operari contingit, immò ſæpe eum minus operari qui plus gratiæ ad operandum ſuſceperit. Vt enim de amore vel deſiderio temporalium rerũ euenit, ita de veris & æternis bonis accidit. Venit præpotẽs aliquis, & opes ſuas aliquibus egenis pariter exponit in mercede atque offert, ſi quod eis præcipit impleuerint. Alius itaque ex eis deſiderio oſtenſæ & promiſſæ ſibi mercedis accenſus laborem operis arripit ac perficit. Alius autem cum piger ſit ac magni laboris impatiens, tantò minus deſiderio illo accenditur, quantò ampliùs laboris magnitudine deterretur, ac ſæpe id euenit vt qui fortior eſt corpore, ignauior ſit mente, & qui pauperior eſt pigrior exiſtat. Quid eſt ergo quod cùm æqualiter oſtenſæ ſint & oblatæ pro mercede vtriuſque diuitiæ, alius deſiderio earum accenſus laborem tolerat vt ditetur, alius laborare negligit, & diutinam magis eligit paupertatem quàm ad horam ſuſtinere laborem? Quid eſt hoc quæſo, niſi huius probitas & illius ignauia? Quid amplius

* *Super hoc videtur fuiſſe nonnemo Abaelardus. Impoſitum enim ei fuit, quòd diceret liberum arbitrium per ſe ſufficere ad aliquod bonũ. Sed longe aliud dicit. ſ. ſine nona gratia, non tamen ſine gratia.*

vni quàm alteri diues ille fecit, qui vtriſque pariter parem mercedem exhibuit & promiſit? In iſto, inquies, tamen deſiderium accendit, vt laboris eum patientem efficeret & conſummatorem. Sed hoc, inquam, ex actione illa diuitis conſecutum eſt, non aliquid de ipſa actione eſt .i. non eius aliqua pars eſt. Quod ergo impedimentum in altero habuit, quod ſimiliter eum non permouet? Nullum profecto oſtendere poteris, niſi eius ignauiá, qui laborẽ renuit. Sic & Deo nobis quotidie regnũ cœlorũ offerente, alius regni ipſius deſiderio accenſus in bonis perſeuerat operibus, alius in ſua torpeſcit ignauia. Æquè tamen Deus vtriſq; offert illud, & quod ſuũ eſt efficit, tantumq; erga vtrumq; operatur regni ipſius beatitudinem exponendo & promittendo, quòd ad deſiderium vniuſcuiuſque accendendum ſufficiat, abſque noua alia gratia appoſita. Quo enim maior eſſe merces cognoſcitur, magis vnũquodq; naturaliter ſuo allicitur deſiderio, præſertim cùm ad ipſum obtinendũ ſola ſufficiat, multoque minori impenſa vel ſudore ſeu diſcrimine ab omnibus perueniri poſſit, quàm ad acquiſitionem terrenorum regnorum. Ad deſiderium itaque noſtrum in Deo accendendum, & ad regnũ cœleſte concupiſcendum, quam præire gratiam neceſſe eſt niſi vt beatitudo illa, ad quã nos inuitat, & via qua peruenire poſſimus, exponatur atque tradatur? Hanc autem gratiam tam reprobis ipſe quàm electis pariter impertit, vtroſq; .v. de hoc inſtruendo æqualiter, vt ex eadẽ fidei gratia, quam pereceperunt, alius ad bona opera incitetur, alius per torporis ſui negligentia inexcuſabilis reddatur. Hęc itaq; fides quæ in iſto per dilectionem operatur, in illo iners & ſegnis atque otioſa vacat; gratia Dei eſt quæ vnumquemque electum præuenit, vt bene velle incipiat, ac rurſus bonæ voluntatis exordium ſubſequitur, vt voluntas ipſa perſeueret: nec neceſſe eſt vt per ſingula quæ quotidie noua ſuccedunt opera, aliam Deus gratiam pręter ipſam fidem exponat, qua .v. credimus pro hoc quod facimus tantũ nos præmium adepturos. Nam & negociatores ſeculi cùm tot & tantos ſuſtineãt labores, vna ſpe mercedis terrenę, quam ab initio conceperunt, omnia tolerant, & cùm diuerſa operentur, non diuerſa ſpe ad illa permouentur, ſed vna & eadem trahuntur.

QVOD *ſi volens*.] Oſtendit Apoſtolus cõgrua ſimilitudine

inducta de figulo Deum nequaquam iniuriæ argui posse, si aliquibus gratiam nolit dare, per quam saluentur, sicuti Pharaoni vel Esau, de quibus obiectio præcessit. Nunc verò ad ipsam Dei commendationem conuertit hoc ipsum quod de eis actum est, ostendendo .s. Deum multa patientia sua malitiã Pharaonis sustinuisse vt resipisceret, & cum illum incorrigibilem omnino monstrasset malitia eius, vindicta ad communem aliorum vtilitatem optime vsum fuisse, vt .v. populus ille liberatus. i. Iudæus siue vniuersus mundus hoc audiens timore saltem pœnarum à malo coerceatur, & ad bonum inuitetur. Continuatio. Sicut ostensum est, non est arguendus iniuriæ Deus, si quibuscunque velit gratiam suam non conferat, qua saluentur. Neque tu homo, qui Deum primitus arguebas, habes quid ad eum respondeas de præsenti similitudine pulsatus; sed multò magis vnde eum laudes; cùm in his etiam, in quibus tibi maximè crudelis videtur, eius sit misericordia prædicanda. Et hoc est, *Quod*] .i. sed quid respondeas vel dicere poteris, cùm ipse in hoc, quod de Pharaone fecit *nolens*] ad alios impios deterrendos, *Ostendere iram suam*]. i. vindictam, quam exercet in impijs, & potentiam suam in miraculis, quæ fecit tam in plagis Ægypti quàm in submersione Ægyptorum. *Sustinuit in multa patientia*]. i. per multam suam patientiã, *vasa iræ*] i. diu tolerauit iniquos illos, cùm ipsi penitus ab eo deleri mererentur. Vasa iræ dicit eos, qui omnibus vicijs pleni sunt, quibus statim irascendũ est. Et hoc est quod subdit determinans, *apta in interitum*]. i. digna penitus deleri. *Sustinuit, inquã*] nõ sine causa, sed propter hoc vt secundũ hoc quod abundat oppressionis malitia, abundaret in oppressis diuinæ miserationis potentia, qua suos eruat ad glorificationem sui. *Diuitias gloriæ*]. i. excellentiam potentiæ suæ, qua glorificetur in *Vasa misericordiæ*]. i. erga electos suos, quos misericorditer cõseruat, ne aduersitatibus frangãtur: Bene vasa iræ & vasa misericordiæ dicit secundum propositam de vasis figuli similitudinem. Quæ .s. vasa misericordiæ *præparauit in gloriam*]. i. prædestinauit ad æternæ vitæ beatitudinem, vel in gloriam suam, vt & ipsi eum laudando de misericordia percepta glorificent. *Quos & vocauit.*] Iuxta rei significationem, non prẽmissi nominis proprietatẽ, relatiuum nomẽ supponit dicens: quos, masculino genere, non quæ neutro, cùm tamen

permiſſum nomen quod eſt & vaſa,ad quod relatio ſit neutri ſit generis. Tale eſt & apud virgiliũ mutatio generis ſecundũ ſignificationẽ cũ dicitur,*Præneſte ſubipſa*. Quos.ſ. & ipſe vocauit.i.interna inſpiratione ad ſe traxit,nõ per ſe ad eũ venerũt, maximè & in iſtis, quæ omnibus exhibuit, de Pharaone miraculis, ſicut ſupradictum eſt,vt enuntietur nomen meum in vniuerſa terra. *Non ſolum ex Iudæis*] inquam vocauit eos, ſed etiam *ex gentibus*] cùm videlicet audiſſent gentiles quantum manum in Pharaonem exercuiſſet, ſicut & Raab receptis exploratoribus confitetur,*ſicut in Oſee*] .i. per Oſee Prophetam dicit ipſe, ſcilicet Dominus. De vocatione gentium primo teſtimonium inducit,præterea de Iudæorum ibi. *Iſayas autẽ &c. Vocabo*] .i.gẽtiles,qui prius mihi ſubjecti nullatenus erãt, timore terribilium mihi ſubiugabo, quia initium ſapientiæ timor Domini, ſed conſummatio caritas,cùm de ſeruis fiunt amici,ſicut & mox adiungit dicens: *Et non dilectum dilectum*] .i.poſtmodum eos de ſeruis in amicos transferam,ſicut ſcriptum eſt, *Iam non dicam vos ſeruos, &c*. Vocabo .i. veraciter vocari faciam, *& non miſericordiam conſequutam,miſericordiam conſecutam*.] Multo plus eſt filium fieri quàm miſericordiam cõſequi. Illud quippe inchoationis eſt,hoc eſt perfectionis, miſericordiam conſequimur cum nos Deo vocante,& niſi conuertamur comminante, ad ipſum conuertimur , ne ab ipſo puniamur. Filij vero efficimur cùm iam perfecta caritas foras mittit hunc timorem. Duobus itaque præmiſſis duo hæc ſigillatim referuntur, quaſi confirmatio & expoſitio præmiſſorum. *In loco*] .i. in terra Gentilium,vbi nec plebs mea primitus erat,hoc eſt nec etiam per timorem mihi ſubjecti. *Filij*] i.filiali reuerentia ſeruientes. *Dei viui*] dicit differentiã Deorum, quos ſcilicet antea gentilitas vario deluſa errore, vel ex inſenſatis rebus, vel ex mortuis hominibus conſtituerat.

Isaias *autem*] ſupradictam vocationem gentium Oſeæ prophetæ ſcilicet ita Iſayas apertè de futura conuerſione Iudæorum, *Si fuerit*] quamuis innumerabiles fuerint Iudæi in ſua ſterilitate .i. in infidelitate perſeuerantes. *Sicut arena maris*] quæ innumerabilis eſt & ſterilis. *Tamen reliqui eorum ſaluabuntur*] quos videlicet ſibi Dominus reliquit alios à gratia ſua repellens atque abijciens à ſe, vel reliquias dicit populi ſimplices & idiotas, qui abiecti ſunt inter eos, ſicut Apoſtoli

Digitized by Google

fuerunt,& multi de turba Chriſto adhærentes , ſicut & ipſi profitentur impij dicentes : *Nunquid alicui ex principibus crediderunt in eum ?* Sed turba hæc quæ non nouit .i. m. &c. Quia vero aliquis quæreret cuius prædicatione iſta vocatio fiat vtriuſque populi , Reſpondet prædicatione ſcilicet propria ipſius , Domini incarnati. Et hoc eſt , *Quod faciet Dominus*] per ſemetipſum *verbum breuiatum ſuper terram*] .i. prædicationem compendioſam ſcilicet quod dicitur ſapiens paucis inoteſcit verbis : *Super terram*] .i. quæ ſuper & omnem terrenæ & humanæ ſapientiæ doctrinam , ſicut & magnus ille Domini Ioannes profitetur dicens : *Qui de terra eſt, de terra loquitur , &c.* Quomodo autem ſuperemineat hæc doctrina cæteris omnibus præmittit dicens , Quia *verbum conſummans & abbreuians*] videlicet faciet. Conſummare eſt perficere, quando videlicet id quod inchoatum eſt ad perfectionem ducitur. Euangelica itaque prædicatio, quam per ſemetipſum Dominus attulit, ædificationem neceſſariam in veteri lege inchoatam conſummauit .i. perfecit , addendo ſcilicet quæ ad plenitudinem iuſtitiæ deerant,ſicut ipſemet profitetur dicens:*Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, &c.* Conſummans in æquitate .i. ſupplens quod de equitate minus fuerat .i. quod de perfectione iuſtitiæ atque virtutum defuerat. Et prætermiſſis innumeris obſeruantijs carnalibus, abbreuians ſcilicet in duobus præceptis caritatis ipſam æquitatem , vbi videlicet diuiti illi,qui de ſalute animæ ſuæ conſuluerat eum , reſpondit : *Hoc fac & viues. In his enim duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* Poſſumus etiam dicere quantum ad multitudinem verborum in nouo teſtamento , quod vetus præceperit abreuiatum, quia pauca ſunt quæ in monte Dominus cùm nouum traderet teſtamentum Apoſtolis dixit , ad comparationem eorum quæ per Moyſem præcepit:& parua ſunt quatuor Euangeliorum volumina ad comparationem quinque librorum Moyſi. Magna itaque eſt Euangelij commendatio, vt & in ſententia ſit perfectius , & in verbis breuius. *Et ſicut prædixit idem Iſayas , niſi Dominus ſabaoth*] .i. exercituum , qui aduerſum regnum diaboli ſuos quotidie dirigit bellatores, ſicut ſcriptum eſt , Vt caſtrorum acies ordinata. *Reliquiſſet nobis ſemen*] .i. cũ pro culpa ſua noſtrum populum.i. Iudaicum excæcaret, & à gratia ſua remoueret,& quaſi ab arca ſua cor-

ruptam annonam proijceret, retinuiſſetque ſibi aliquos tanquam ſemen, ſicut Apoſtolos & cæteros Eccleſiæ primitiuæ fideles. *Sicut Sodoma fuiſſemus & ſicut Gomorra*] Vbi pariter cũ prole ſua parentes ſunt exterminati, vt nec ſemen relinquerent. In ſemine conſeruatur vtilitas prioris annonæ,& antiqua reuiuiſcunt & renouantur, & ex paucis multa procreantur. Sic in Apoſtolis & cæteris primitiuæ Eccleſiæ membris præcedentium patrum vtilitas eſt recompenſata, & reuixit religio, magnaque inibi diuinæ meſſis per vniuerſum mundũ pullulauit vtilitas. *Quid ergo.*] Quãdoquidẽ non dilectã fecit dilectã, & nunc è conuerſo videmus dilectã factã non dilectã i.electo populo gẽtili totũ fere Iſrael reprobatũ eſſe,qua cauſa id accidiſſe dicemus,de reprobatione.v. populi ſui? Et hoc eſt,quid dicemus,ſuper hoc.ſ.quod gentiles, qui primitus nõ nouerant iuſtitiã .i.fidẽ quæ ad iuſtitiã perducit. *Nũc apprehẽdunt iuſtitiam*]illã .ſ. verã animi iuſtitiam quæ ex fide eſt,non quæ in exterioribus conſiſtit operibus. *Iſrael vero*] .i. populus Iudæorum *ſectando legem iuſtitiæ*] .i. exercendo authoritatem corporalis vindictæ, *non peruenit in legem*] .i. non recepit perfectam Euangelij doctrinam, quæ ſola iuſtificat. Quare hoc, inquit? quia non apprehendit, ſubaudi iuſtitiam, quæ ex fide eſt,ſed quaſi iuſtitiam non verè iuſtitiam, quæ ex operibus .i. legis litteram occidentem ſequens in exterioribus & carnalibus obſeruantijs,ſpirituali & miſtica intelligentia quæ ex fide Chriſti ædificat, non eſt iuſtificatus, & iuſtificatus ſicut ſcriptum eſt: *Iuſtus ex fide viuit.* Et hoc ideo quia *offenderunt in lapidem offenſionis*] .i. per Chriſtum ſcandaliſati ſunt quem propter humanæ naturæ infirmitatem Deum minimè crediderunt. Solent pedes impingere atque offendi in paruis lapidibus, qui præ paruitate ſua vix aduerti poſſunt. Sic & Chriſtus pro paruitate ſuæ humilitatis, quam mundo exhibuit, à Iudæis contemptus lapis eius offenſionis factus eſt, vt in eum Iudæi non credentes, ad ea quæ diceret indignarentur. *Sicut ſcriptũ eſt*] in ipſo videlicet Iſaya, *Ecce pono*] verba Patris ſunt & promiſſio de filio ſuo mittendo, *Ecce pono* .i. iã apud me põnendum delibero,in Eccleſia humile fundamentum,ſed forte .i. verbum incarnatum. Quia enim lapis eſt, forte: quia offenſionis,humile,& ab offendẽtibus in eum conculcãdum. *Omnis*]ſiue Iudæus ſiue gentilis,*in eum*]non ei tamen,vel eum,

Digitized by Google

non confundetur].i.non erubeſcet fruſtratus ſua ſpe. Ideo dicit lapidem offenſionis, & petram ſcandali,& hoc in Prophetis frequenter euenit,vt in eadem ſententia varientur verba. *Sion*]. i. ſpecula dicitur Eccleſia, quæ in altum ſe per deſiderium attollens omnem ſuam ſollicitè quam habet actionem circumſpicit, ne ſupernum eius impediat deſiderium.

FRATRES.] Ne videretur Apoſtolus,qui à Iudæis receſſerat,ex aliquo odio magis quàm ex ſtudio corrigendi eos vituperaſſe, oſtendit in effectu quantum caritatis affectum in eos & compaſſionem habeat,dicens ſe intentè pro ſalute eorum Deum exorare. Cùm enim dicit,*Voluntas cordis & obſecratio*] ex deuotione cordis orationem procedere demonſtrat, & magis eam in deuotione quàm in verbis conſiſtere. Ac ſi dicat; Licet ſic eos vituperem, tamen ô vos fratres orate pro illis vt ſaluentur non deſiſto. Vnde & Eccleſia ſingulis annis ſpecialem pro Iudęis orationem habet,vt Deus auferat velamen à cordibus eorum,& agnita veritate, quæ Chriſtus eſt,ad ipſum conuertantur. Fratres eos,quibus ſcribit Apoſtolus, dicit, ſecundum quod Veritas ait: *Vnus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt*, vt eius correptionem quaſi à fratre & cõpare non ſuperiore libentiùs ſuſciperent. Vnde hæc & in Eccleſia inoleuit conſuetudo,vt in exordijs lectionum, quæ de Epiſtolis Apoſtolicis ſumuntur,fratres prænuncietur. Quia autem pro Iudæis orandum eſt, vel eorum maximè errori ſit compatiendum, ſupponit dicens, *Teſtimonium enim*] Ex me ipſo qui olim ſimiliter faciebam. *Æmulatio eſt non ſecundum ſcientiam*] .i. zelum in Deum non rationabilem nec bonum, quia erroneum putantes ſcilicet quod non eſt iuxta illud Veritatis, ſcilicet. *Venit hora n.o.q.v.a.o.s.p.d. & hæc facient, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Zelus ſiue bonus ſiue malus dicitur feruor quilibet atque commotio accenſi animi,ad aliquid gerendum. Quomodo autem non ſecundum ſcientiam ſtatim adiungit, dicens: *Ignorantes enim*] quæ Deus approbat, quæ eſt videlicet ex fide Chriſti,*& ſuam*] .i. quam ipſi pro iuſtitia reputant & approbant,in obſeruantijs ſcilicet carnalibus, *volentes ſtatuere*] .i. immobilẽ conſeruari, *Iuſtitiæ Dei*] .i. illis Dei præceptis quæ obediẽtes iuſtificant non ſunt ſubjecti .i. obedientes; quale eſt illud: *Creditis in Deum? & in me credite. Finis enim*] verè ignorantes Dei iuſtitiam, quia

CAP. X.

Digitized by Google

fidem Christi non habent, qua vnuſquiſque fidelis iuſtificatur. Quod verò ex fide Chriſti quiſque iuſtificetur, & non ex ſua iuſtitia, legalium ſcilicet operum, ſic dicit. *Quia omni credenti*] .i. vnicuique fideli, *Chriſtus*] .i. fides Chriſti, *ad iuſtitiam*] .i. ad hoc vt per ea iuſtificetur, vel finis legis .i. legaliũ operum, quæ gaudium in illis operibus ſpem ſalutis conſtituunt, Chriſtus eis non proderit. Vnde & ad Galatas dicit, *ſi circuncidimini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Et per ſemetipſum Chriſtus dicit, *vſque ad Ioannem lex & Prophetæ.*

MOYSES *enim.*] Oſtendit ipſius legiſlatoris Moyſi teſtimonijs ex iuſtitia legis impleta, in operibus ſcilicet illis carnalibus, neminem aſſequi vitam æternam, nec fuiſſe promiſſam, ſed potius ex fide Chriſti. *Iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo*] .i. legalia opera impleuerit, *Viuet*] ſuper terram ſ. *in ea*] .i. propter ipſius legis obſeruantiam vitæ huius bonis fruetur, non æternæ. *Quæ autem ex fide eſt*] .i. quoniam fides de non apparentibus eſt, vitam illam æternam, quæ in Chriſto abſcondita eſt, potius promittit, quàm præſentem; & inuiſibilia potius, quàm viſibilia bona. Et hæc eſt illa iuſtitia, quæ ex fide eſt Chriſti. i. ipſa fides in Chriſtum habita nos iuſtificans. Sic loquitur ibidem, ſcilicet in Deuteronomio, per ipſum Moyſem, qui per eam verè iuſtus erat, nos corroborãs, vt in nullis deficiamus vel deſperemus aduerſis. Hoc eſt, ipſe ex illa iuſtitia, quam iam habebat, ſicut dicit. *Ne dixeris in corde tuo*] .i. non cogites tu homo quicunque, vel tu populе Iſrael, *Quis aſcendet in cælum*] .i. ne deſperes de vita illa cœleſti, in qua fides Chriſti conſiſtit, & cuius nos promiſſione maximè Chriſtus allicit, quaſi ad vitam illam conſcendere humana minimè poſſit natura: quia hoc eſſet, inquit Apoſtolus, ex ſua parte Chriſtum ipſum ab illa vita deducere .i. credere nec ipſum illuc aſcẽdiſſe in humana quam aſſumpſit natura. *Aut quis deſcendet in abyſſum*] .i. vſque ad ipſum etiam infernum, aut quos videlicet non liberauit ad cœleſtia ſecum perducat, quia hoc eſſet Chriſtum in abyſſum, hoc eſt credendo reducere Chriſtum ſiue retrahere ab illo deſcenſu, quo fideles ſuos mortuos ab inferno liberauit & ſecum ad cœleſtia tranſtulit. *Sed quid dicunt*] .i. inquit Apoſtolus, attende quod ibidem ſubiunctum eſt ab ipſo Moyſe, hoc videlicet, *prope eſt verbum, &c.* .i. facile eſt te in Chriſto hoc profiteri completũ

Digitized by Goog

vel credere, de assensu scilicet hominis ad cælestia, & descẽsu hominis ad inferna. Ideò facile quia rationi non est aduersum, sed maximè congruum diuinæ clementiæ, hoc est, inquit Apostolus *verbum fidei*] .i. verbum de eo quod fides habet, & de eo quod creditum fideles facit. Quod verbum scilicet nos Apostoli prædicare missi sumus. Et merito, quia in huius verbi confessione & fide salus nostra consistit.

Et hoc est, *quia si tu*] quicunque sis, *&c.* Ore suo confitetur, qui quod enunciat intelligit. Corde suo credit qui cor & voluntatem suã applicat his quæ credit, vt ipsa videlicet fides eũ ad opera trahat: veluti cùm quis credendo Christũ à mortuis resurrexisse in vitã æternã, satagit prout potest vt vestigia eius sequẽdo ad eiusdẽ vitæ beatitudinẽ perueniat. Notandũ verò frequẽter euenire, quòd cùm de veteri testamẽto aliqua in nouo testimonia inducũtur, facile est inducta testimonia applicari ad id confirmandũ ad quod inducta sunt, si per seipsa considerentur. Si vero loci illius vnde sumpta sunt circumstantias simul attẽdamus, & quomodo superiora scripturæ vel inferiora ei quod inde sumptum est cohęrere queãt, plurimũ nostra angustatur intelligentia. Quod in hoc quoque ipso, quod nunc expositum est, contingit testimonio. Quod vt diligentiùs intueamur, ipsius Scripturæ verba latiùs replicemus. Scriptum est enim in Deuteronomio cap. LVII. cùm post legem datam Moyses ad obseruantiam legis populum exhortaretur his verbis: *Mandatum hoc quod ego tibi præcipio hodie, non supra te est neque procul positum, nec in cælo situm vt possis dicere: Quis nostrum valet conscendere vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere impleamus? Neque trans mare positum vt causeris & dicas, Quis ex nobis transfretare poterit mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est?* Item cap. LVIII. *Sed iuxta est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Ecce ex his verbis si ea iuxta litteram sequamur, hoc totum Iudæos admonere videtur, vt non cõquerantur de difficili intelligentia legis, quasi per ænigma aliquid obscurè sit dictum, sed omnia ita apertè præcipi, vt per se queant intelligi, nec aliquam habere excusationem si præceptis differat obedire, quia ea non valeat intelligere. Sed quoniam Apostolum legis peritissimum maximè nos sequi conuenit, oportet nos iuxta eius sensum ad fidem Christi

Digitized by Google

quæ dicta ſunt accommodare. Sciens itaque Moyſes legem ipſam, quam dederat, myſticis & obſcuris ſenſibus eſſe plenã, qui non niſi per aduentum Chriſti, & aſſenſionem eius aperiendi eſſent, ſicut ſcriptum eſt. *Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur eis ſcripturas*, & ſicut ipſe dicit, *niſi ego abiero, &c.* Et iterum, *Paracletus autem, &c.* admonet populum ne deſperet de ſpirituali illa legis intelligentia tanquã aperienda, quaſi non eſſet mundus habiturus qui de cœlo veniret, vt ſenſum Dei quem in lege habuerat aperiret, quia reuera filius Dei de cœlo venturus erat, & iterum aſſenſurus vt hanc mundo intelligentiam miniſtraret tam per ſeipſum quàm per Spiritum ſanctum poſt aſſenſionem ad hoc ipſum mittendum. Notandum verò hoc quod adiunxit Apoſtolus, *aut quis deſcendet in abyſſum*, nequaquam in ſuprapoſitis Moyſi verbis contineri, ſed pro hoc ibi eſſe dictum, *neque trans mare poſitum, &c.* Hæc itaque verba, vel ipſe Apoſtolus ſenſum proſecutus adiunxit, vel forte iuxta aliam, qua nunc vtimur, trãſlationem, ea tantum collegit quæ congruere propoſitæ ſententiæ vidit. Poteſt quippe quod dicitur, *non eſt trans mare poſitum*, ita intelligi vt non ſit in abyſſo. i. in inferno locatum: vt videlicet propter ipſum illuc oporteat aliquem deſcendere, & mare huius ſeculi vt ad illud profundum inferni peruenias penetrare vt tale ſit vltra mare. Ac ſi dicatur deorſum poſt mare .i. in illa vlteriori amaritudine inferni poſt miſeriã præſentis vitæ.

CORDE *enim.*] Benè dixi, confitearis & credas, quia vtrũque neceſſarium eſt, quia corde creditur ad hoc vt iuſtificetur ipſe qui credit, quia ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Et poſtea confeſſio fit de hoc ipſo quod credit vt Eccleſiæ fidelis aggregetur, & ſacramenta eius participet. *Dicit enim*] vt ſuperius in Iſaia comprehenſum eſt, *non enim*] dixi omnes ſiue ſcilicet Iudæos ſiue Gentiles, & merito quia ad hãc obtinendam ſalutem nihil refert diuerſitas populorum dummodo vna ſit fides, quia in eum credamus potiùs quàm ei vel eũ, vt ſupra meminimus. *Diues in omnes*] .i. ſufficiens veris omnes ditare diuitijs, *qui inuocant*] non qui vocant. Vocatio quippe exteriorum ſonus eſt verborum, de qua dicitur. *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Inuocatio verò eſt interior clamor .i. deuotio animi ad Deũ

Digitized by Google

ſuſpirantis, de qua Moyſi dicitur, *Quid clamas ad me? Omnis enim*] ab authoritate Iſaiæ, *nomen Domini*] .i. notitiam eius & manifeſtationem deuotione poſtulat, de qua dicitur, *Et manifeſtabo ei meipſum.* Et Pſalmiſta: *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua. Quomodo ergo*] ſuum & aliorum Apoſtolorũ officium commendat, oſtendendo ſcilicet quàm neceſſaria ſit eorum prædicatio vt credant homines & ſaluentur. Continuatio. Quandoquidem qui inuocauerit ſaluabitur, ergo inuocandus eſt hominibus vt ſaluentur. *Sed in quem nondum crediderunt*] ergo quomodo inuocabunt? ac ſi apertè dicat, nullo modo *ei*] .i. non ſolum in eum, ſed nec ei .i. præceptis vel admonitionibus eius, *Quem non audierunt*] neque per ſeipſum prædicantem neque per alium qui eum prædicaret, *ſine prædicante* [vel ipſo vel alio, *prædicabunt* aliqui *niſi mittantur*] ſicut ipſe filius à Patre, & Apoſtoli ab ipſo filio, ita eis dicente: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Hic pſeudo tangit Apoſtolos, qui non miſſi à Deo per ſeipſos ad prædicandum veniunt, de quibus ipſa Veritas: *Omnes*, inquit, *quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, ſicut ſcriptum eſt.*] Orig. exemplum hoc de Iſaia videtur aſſumptum. Ambr. hoc propheta dicit Naum Apoſt. pedes ſpecioſi fuerunt, quia affectus eorũ à cõtagio terrenæ cupiditatis mũdi extiterũt, & puri in Deo non quæ ſua ſunt de prædicatione quærẽtiũ, ſed quæ Ieſu Chriſti, nec vẽtri, ſed Deo ſeruientiũ. Vndè & benè eorũ pedes à Domino abluti ſunt, quos etiam propter hãc miſticã eorũ ſpecioſitatem calceamentis abſcondi prohibuit, quia deforme eſt quod occultatur, & vbi malè agitur lux abſconditur. *Euangelizantiũ pacem*] .i. prædicantium atque docentium reconciliationem ad Deum. In quo etiam myſterio omni domui quã intrarent dicere præcipiuntur, *pax huic domui. Bona*] ſcilicet vera, quæ nec oculus vidit, &c. In hac quidem vita pacem hanc & reconciliationem ad Deum per pœnitentiam iam aſſequimur, ſicut ſcriptum eſt: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Bona verò illa poſtmodum in futura vita. Vnde benè præmiſit pacem, & poſtea bona. *Euangelio*] .i. diuinæ prædicationi.

Qvis *credidit*] .i. quis per hoc quod à nobis audiuit fidẽ habuit? Ac ſi diceret, nulli vel pauci. *Ergo*] .i. exiſto teſtimonio apparet, quod fides habetur ex auditu, *per verbum Chriſti*]

potius quàm noſtrum, quia non ex nobis loquimur, ſed ex eo quod nos ipſe docuit, vt ad ipſius gloriam vel offenſam ſpecialiter ſpectet quicquid de prædicatione noſtra accidat. *Nũquid non*] .i. poteſt ſe aliqua mundi pars excuſare de infidelitate ſua per ignorantiã quaſi ad omnes non venerit vel ventura ſit Euangelica prædicatio? Ac ſi diceret, nequaquam. Quod ſtatim teſtimonio Pſalmiſtæ conuincit, dicens: *Et quid*] licet non omnes obediant, *ſonus eorum*].i. fama Apoſtolorum ſiue prædicatorum Euangelij, &c. vſque & *in fines orbis terræ verba* per quæ prædicabant, Dixi *in fines*.i. ad externas etiam partes mundi, quas incoli certum eſt à gentilibus. Sed nunquid ideò non cognouerunt Iudæi, quod ſcilicet prædicatio tranſiuit tam longe ad gentes? i. nunquid ideo ſe poſſunt excuſare quaſi eis non fuerit oblata prædicatio, & hoc prædicantium culpæ imputare? Nec dicit tantum, non audiuit, ſed etiam non cognouit .i. non aduertit ipſius prædicationis veritatem. Ac ſi diceret: Reuera fecit, licet malitiæ & inuidiæ, ſeu terrenæ cupiditatis zelo reſiſteret. Vnde & peccatum eius irremiſſibile in Spiritum ſanctum perſiſtit. Et hoc ipſius Moyſi teſtimonio aſtruit, qui ſicut primus Prophetarũ ſcripſerit, ita & prius hanc eorum malitiã ſcripto etiam prophetauit. *Ego ad.*] Verba ſunt Dei, *ad emulationẽ*].i. per me ipſum prædicando dicit filius Dei, *Adducãm vos*] in inuidiã & odium tam meipſius quam meorum. Cùm autem inuidia ſit odiũ alieni boni, monſtratur profectò eos ſcienter in Chriſtum deliquiſſe. *In non gentem mittam vos per inſipientem gentem*].i. per diſperſionem veſtram faciendam ab infidelibus Romanis, faciam vos non eſſe populum. Non enim rectè populus vel gens dicitur, niſi hominum congregatio. *In iram vos mittam*] aliorum hominum etiam diſperſos, vt duris exactionibus vos ſemper opprimant atque affligant. *Iſaias autem.*] Non ſolum Moyſes, ſed etiam Iſaias patenter de reprobatione eorum & electione gentium ſic audet dicere, etſi ſe ab eis occidendum præuideret. *A non quærentibus me*] dicit Dominus .i. à gentilibus, *Palam*] quia multo amplius Eccleſia de Deo quàm Synagoga erudita eſt, *non interrogabant*].i. nihil etiam à me requirere nouerant, quem penitus ignorabant. *Ad Iſrael autem*].i. Iudæos tota die.i. toto tempore prædicationis meæ, quæ verè dies & illuminatio mundi eſt di-

Digitized by Google

cenda, *expandi manus meas*] .i. ad eos colligendos vltroneum me obtuli, per manus .i. opera eis quotidie exhibita, à via ſcilicet gentium penitus declinans, vt eis omnino vacarem. *Sed contradicentem*] quod peius eſt modis omnibus me calumniantem.

DICO *ergo*.] Quia tot authoritatibus confutauerat Iudæos & nouiſſimè gentium electionem & eorum reprobationem manifeſtè prophetatã docuerat, ne hinc maximè occaſionẽ gloriandi aduerſus Iudæos Gentiles in ſua altercatione præſumerent, quaſi intelligentes populum illum penitus eſſe reprobatum: incipit etiam Gentilibus hanc gloriationem & Iudæis deſperationem auferre, & iam ad inuectionem gentilium redit, vt eorum quoque ſuperbiã conterat. Continuatio. Quandoquidem tam manifeſtis teſtimonijs reprobatio Iudæorum confirmata eſt, dico .i. arbitror quærendum quod ſequitur & ſoluendum. *Populum ſuum* .i. Iudæos ex toto repulit, vt nullum inde vlterius aſſumat. Iſraelita .i. vidẽs, non proſelitus, & de genere Abraham, non Iſmael vel Eſau, deſcendens; ſed per Beniamin & de generatione maledicti Saul, cuius reprobata eſt à regno poſteritas. *Plebẽ ſuã quã præſciuit*] .i. illos quos de populo illo quondam .ſ. peculiari ſuo prædeſtinauit. *In Helia*] .i. vbi de Helia loquitur in lib. Reg. *Quemadmodum*] ſcilicet ipſe Helias, *interpellat Deum aduerſum Iſrael*] .i. orando vel conquerendo prouocat Deum ad vindictam in nequitia perſequentium ſe Iudæorum. *Occiderunt*] ſubaudi Ieſabel, *ſuffoderunt*] .i. à fundamento penitus euerterunt, vt idola tantum colerentur. *Sed quid dicit*] .i. putauit ita ſe ſolum remanſiſſe, ſed ipſius Dei teſtimonio errare comprobatur. *Reliqui mihi*] .i. non abieci à gratia mea *Baal*] .i. idolum Baal & Ieſabel. *Sic ergo*] Quandoquidem de Helia exemplum induximus, ad quid inductum ſit aſſignemus. Et hoc eſt quod dicit, ſic etiam nunc, *Reliquiæ*] .i. illi quos non abjecit Dominus, *ſecundum electionem gratiæ Dei*] non merita ipſorũ. *Si autẽ gratiæ*] .i. per gratiam, ſubaudi ſaluæ factæ ſunt, *iã non ex operibus*] .i. ex meritis ſuis. Non dicit per merita, ſed ex meritis, quia & gratia Dei merita Pauli & aliorũ non excludit. Sed ex meritis eſſet, non ex gratia, ſi ... à meritis noſtris procederet, nec gratia Dei præiret, quæ fidem ſaltem inſpiraret, vel prædicatores dirigeret. *Alioquin*] .i. ſi aliter, .i. con- CAP. XI.

trario modo quàm dico euenisset, id quod modo est gratia .i. gratis collatum, non præuenientibus meritis nostris gratia Dei, *non esset gratia*] sed meritum solum. Conuenienter ab Helia similitudinem ad tempus nostrum Apostolus induxit & conuenienti exemplo temerarium iudicium gentium cõfutare incipit, cum etiam tantum virum de consimili præsumptione à Domino viderint reprehensum. Scimus Ioannem Baptistam quasi alterum Heliam primum Domini aduentum præcessisse, & populum Iudæorum quasi de eorum desperaret salute grauiter arguisse his verbis, *Genimina viperarum, &c.* vt in hoc quoque tempore gratiæ de quo scriptum est, *vsque ad Ioãnem lex & Prophetæ*, ea quæ nunc de Helia dicta sunt consonare videantur.

QVID *ergo*] Quãdoquidẽ ex electione gratiæ Dei potiùs quàm ex meritis suis reliquiæ tantum Israel saluæ vel saluatæ factæ sunt, igitur quid subaudi dicendum sit patet, hoc .s. quod sequitur quia *quod quærebat Israel*] .i. requirebat à Deo quasi suum, & per opera sibi debitum, *non est consecutus*] vitã .s. æternam, vel æternã hæreditatem. *Electio verò*].i. Pauli qui de populo illo per gratiam Dei electi sunt, quod quærebat, idest vitam æternam, *consecuta est: cæteri verò excæcati sunt*] non solũ non assecuti, quod quærebant, sed ne vlteriùs credant penitùs reprobati. *Sicut scriptum est, Dedit illis spiritum compunctionis*] Orig. vbi scriptum sit, dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hanc diem hactenus inuenire non potui: puto autem hoc modo dixisse Apostolum: *Cæteri vero excæcati sunt, & sicut scriptum est de illis, dedit eis spiritum compunctionis*, Sed ea quæ de cęcitate oculorum & de auditu aurium per Isaiam dicta sunt: *Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, &c.* Nunc ergo sensum Isaiæ videtur Apostolus suis sermonibus protulisse. Similiter & de his faciendum quæ de Dauid scriptura pronunciat, *fiat mensa eorum, &c. Spiritum compunctionis, &c.*] .i. inuidiæ & odij, quibus eorum mentes pungerentur .i. stimularentur aduersus Christum, & suos. *Oculos*] .i. rationem per se videre non valentem, *& aures* .i. non alio docente intelligentes, *fiat mensa eorum.*] Quod ex Isaia vel ex Dauid videtur assumptum, in vtroque vnus sensus quodammodo exponitur

nitur. Item idem quod dixit *in captionem*, in Pſalmo non habetur ſcriptum, neque in LXX. neque in Hebræo. Et rurſum in Pſalmo habetur *coram ipſis*, Apoſtolus autem non poſuit coram ipſis. *Menſa eorum coram illis* .i. ſcriptura veteris Teſtamenti eis tradita,& ab eis frequentata, vnde cibum animæ intelligentes ſumunt,*in laqueum & in captionem*] .i. vt laqueũ, quo ipſi non alios capiant, ſed capiantur, & detineantur ne via veritatis incedant,quæ ait : *Ego ſum via, veritas, & vita*, dum.ſ. nihil ibi miſticè accipiant, ſed ad litteram, quæ occidit, cuncta exponunt, vel in captionem, dum ſæpe Domino vel ſanctis Doctoribus confligentibus cum eis, his quæ de ſcriptura eis obijciuntur teſtimonia ita capiuntur & conſtringuntur, vt ſe expedire ab objectis non valeant. Quale eſt illud quod Dominus eis oppoſuit dicens: *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, &c. In ſcandalum & in retributionem*] hoc eſt in retributionem ſcandali animæ ſuæ .i. damnationis, non ſalutis. Sed verbum Domini, quo ait: *Eſt qui accuſet vos Moyſes*, Et ſecundum quod Apoſtolus dicit, Et qui in lege peccauerint per legem iudicabuntur. Scandalum etiam lex eis facta eſt offenſæ & indignationis cauſa cũ multa Chriſtum & ſuos vel dicere vel facere viderent, quæ legi contraria crederent. Vnde illud eſt quod dixerunt. *Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Obſcurentur*] vnde ſcãdalũ hoc procedat, vel illaqueatio ſupponit, ex excæcatione ſcilicet ipſorum, & cupiditate terrenorum, quæ ſemper in Iudæis maxima regnat. *Incurua*] verbum eſt imperatiuum, ac ſi dicatur. Tu Deus incurua dorſum eorum, vt cupiditate appetendi terrena non erigantur ad cœleſtia. Notandũ verò huiuſmodi verba quæ imprecationis videntur cum à ſanctis dicuntur, magis ad propheticam enunciationem quàm ad deſiderium vindictæ pertinere, vt videlicet cum dicitur fiat, tale ſit ac ſi prædiceretur. Sicut enim quandoque futuro indicatiui modi verbi imperatiue vtitur ſcriptura, vt *diliges Dominum* pro dilige : *Non occides*, pro non occide : ita è conuerſo nonnunquam facit. Quid etiam obeſt ſi aliquis ſanctus per ſpiritum illuminatus diuino aſſentiens iudicio optet fieri de vindicta etiam malorum quod rectè faciendum eſſe intelligit, & in diuina præfixum videt eſſe ſententia? Velle quippe fieri quod iuſtum eſt fieri, quæ eſt iniuſtitia? Alioquin quædã

nobis diſpliceret iuſtitia, & ipſam quoque Domini ſententiã cognitam haberemus exoſam. Sed de hoc diligẽtius Theologiæ noſtræ tractandum reſeruamus.

D I C O *ergo*] Quandoquidem ſic de eorum reprobatione prophetatum: *Nunquid offenderunt Deum*] videlicet vt non tantum titubarent in fide, ſed penitus *Caderent*] .i. ſine recõpenſatione alicuius commodi damnarentur à Deo, qui omnibus malis bene vtitur, *ſed illorum delicto*] dum videlicet prædicationem Chriſti à ſe repellerent, & Apoſtoli ad gentes tranſirent, tanto facilius à gentibus eſſent recepti; quantò à Iudæis ſummis earum inimicis repulſos eos & afflictos viderent, vel in hoc etiam quod diſperſi per mundum in perpetuam captiuitatem pro peccato in Chriſtum commiſſo fidei noſtræ plurimum atteſtantur & magna potentiæ Chriſti prẽconia præbent. *Vt illos æmulentur*] .i. vt deinceps è conuerſo gentes faciant Iudæis quod olim Iudæi faciebant gentibus in proſelitis .i. zelo Dei illos ad imitationem ſui conuertant vel prouocent. Emulari aliquem eſt zelum .i. vehemens deſiderium erga eum habere vt illum imitetur vel ille eum è conuerſo, iuxta quod ſtatim dicturus eſt, *ſi quomodo ad æmulandum prouocem, &c. Quod ſi*] emulantur illos, & meritò. Quod ſi delicto eorum tam benè vſus eſt Deus .i. tanta inde conſecuta eſt vtilitas, vt vniuerſus inde mundus in gentibus profecerit, quanta erit vtilitas de ipſorum pariter conuerſione cum gentibus? Et hoc eſt, *Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi*] .i. ex delicto illorum, & reprobatione populi mundus in cæteris ſpiritualiter eſt ditatus, *& diminutio eorum*] .i. quod minus in illis modo habet mundus, de ſpiritalib. bonis recompenſatur in gentibus. *Quanto magis plenitudo*] ei erit, ſubaudi, diuitiæ mundi .i. ſi & ipſi pariter cum gentibus mundũ impleãt bonis operibus, multò ampliùs ipſe ditabitur. Et hoc eſt quidem iſtud, quod quidam, ſed aduerſatiuum, ad hoc ſcilicet quod primitus dixerat de eorum peccato, & nunc de conuerſione loquitur: vt ſic videlicet iuxta litteram continuetur ad præmiſſa. Ita delicto eorum ditatus eſt mundus in gentibus. Quod ſi delictum illorum, &c. Vobis enim] Et quaſi aliquis de hac plenitudine futura deſperaret, iam penitus Iudæos vlterius à Deo reprobatos eſſe oſtendit, propoſito exemplo deſperandum non eſſe, quia & ipſe ad hoc quotidie

Digitized by Google

laborat, cùm ſit Apoſtolus gentium, vt etiám aliquos ex Iudæis conuertat. Quod quidem eſt officium ſuum prædicandi ſcilicet honorare .i. maximè commendare, cum ex abundanti hos etiam dico lucretur, quorum Apoſtolus .i. prædicator non eſt ipſe conſtitutus *Apoſtolus gentium*] Etſi videlicet minimè Iudæorum, *ſi quomodo*] tam verbis quàm exemplis, tam authoritate quàm ratione, tam aperta veritate quàm vtili ſimulatione vel diſſimulatione, de qua alibi dicit, *factus ſum Iudæis Iudæus, & omnibus omnia factus vt omnes lucrifaciam. Carnem meam*].i. Iudæos, qui de genere meo ſunt, *ad æmulandum*] i. imitandum me in conuerſione, *Aliquos*] ſaltem ſi non multos. *Si enim*] Et merito in hoc perſiſto, vt etiam eos conuertam, quia cum amiſſio illorum reconciliatio ſit mundi in gentibus, ac per hoc vtilis, multo mirabilior & vtilior erit aſſumptio eorum quæ erit quaſi mortuorum reſuſcitatio. Mirabilius eſt enim mortuum ſuſcitare, quam illum qui non vixit animare .i. vitam reddere quàm dare. Quotidie enim ſcimus in vteris matrum naturaliter carnes animari nec miramur, mortuos autẽ reuiuiſcere miraculi eſſet potiùs quàm naturæ. Gentes itaque conuerſas ad Deum, quarum populus antea per fidem non vixit, animari .i. viuificari potius dicere poſſumus quam reſuſcitari. Iudæos verò, ſi redeant ad Deum, & conuertantur corda Petrum in filios, quaſi mortui ſuſcitantur, cùm populus ille .ſ. antea per fidem vixerit. Et certè difficilius eſt iuſtum cum lapſus fuerit ſuſcitare, quàm qui iniquus perſtiterit ad iuſtitiam trahere. Quod quotidie in ipſis conuentibus Religionum experimur, cùm eos qui de ſeculi malitia ad monachatum conuertuntur facilè in bono perſeuerare videamus propoſito: ſeculares verò monachos vix aut nunquam redire. Amiſſio Iudæorum merito dicitur cùm eos Deus per infidelitatem amiſerit, quos priùs ſubjectos per fidem tenebat. Mundi nominie gentiles deſignat, qui magis inter inſenſibiles mundi partes ſenſu ac ratione carentes dum idola colerent, quàm inter homines rationales creaturas computandi fuerant.

QVAE *erit.*].i. cuiuſmodi .ſ. *aſſumptio*] Iudæorum amiſſorum, *niſi vita ex mortuis*] .i. niſi reſuſcitatio mortuorum in peccatis? *Quod ſi*] delibatio eſt deguſtatio alicuius partis ſumptæ de toto, per quam explorari poſſit quale illud ſit totũ.

i. cuius ſaporis. Semper autem in populo Iudæorum fuit aliqua maſſa fidelium incarnationem Dei & paſſionem in ſuam redemptionem expectantiũ, quales Zacharias & Elizabet, Simeon & Anna, Natanael & Nicodemus, & nonnulli alij in tempore etiam Chriſti reperti ſunt, quibus quidem reuelata eſt perſona ipſa diuinitus & determinatè oſtenſa, in qua promiſſum quod expectauerant crederẽt eſſe complendum. Et fortaſſe tales antea omnes ſancti fuerunt Apoſtoli; vnde tam facile vocantem Chriſtum ſequerentur ſiue antea diuinitus inſpirati, ſiue teſtimonio Ioannis edocti. Quorum vnus Andreas diſcipulus Ioannis Simoni fratri dixit, *Inuenimus Meſſiam.* Et Philippus Natanael, *Quem ſcripſit Moyſes & Prophetæ in lege inuenimus Ieſum.* Ex quibus quidem verbis oſtenditur eos ex lege & Prophetis inſtructos Chriſtũ expectauiſſe, ſed nondũ prefinitum tempus nec determinatam perſonã cognoſcere. Ad quod quidẽ cognoſcendũ ſiue etiã alijs manifeſtãdũ diuina eos gratia aſsũpſit, & eis aſſumptis de maſſa præcedentiũ fideliũ, & tã facile ad vnius iuſſionis vocẽ Chriſtũ ſecutis omnibus ſuis quaſi delibatio facta eſt, in qua poſſit oſtẽdi cuius fidei maſſa illa extiterit. Vnde ipſi quaſi reliquiæ ſunt aſſumpti ad hoc quod fide tenuerãt, viſibiliter vel reipſa exhibendum. Continuatio. Et quomodo, inquit Apoſtolus, ex tam nequam populo & tam rebelli ſemper poſſunt aliqui aſſumi? Bene, inquit Apoſtolus, & ſecundum ſuæ originis naturam faciliùs quam ex gentibus, quia maſſam oportet ibi ſanctam fuiſſe, vnde delibatio facta eſt. Quia qualis delibatio, talis maſſa: & è conuerſo, ſicut mox adiungit. *Et ſi radix ſancta, & rami*] Radicem quippe maſſam illam fidelium præcedentiũ dicit ramos, modo credentes dicit eos qui inde aſſumpti ſunt. *Quod ſi quidam ex ramis*] .i. aliqui de maſſa illa fidelium, quod antea recte crediderant adhuc futurum expectantes, *fracti ſunt*]. i. ſtatum priſtinum fidei, quem habebant, amiſerunt. *Tu autem*] gentilis ſcilicet, *cum Oleaſter eſſes*] .i. ſterilis naturaliter & ſilueſtris, *inſertus es in illis*] .i. aliena operatione loco illorum ſubſtitutus. *Et ſocius radicis*] oliuæ frugiferæ factus per fidem, & pinguedinis per caritatem. Pinguedo enim calidæ naturæ eſt, & ideò caritatis ignem ſignificat, & fides radix eſt & fundamentũ caritatis. *Noli gloriari aduerſus ramos*]. i. eis inſultare de ſuæ fractionis detrimento, & de ſuo ſuperbire ſtatu, id. ſ. meritis vel virtuti tuæ tribuẽs. *Quod ſi glo-*

Digitized by Google

riaris] ſcias quod *nõ tu radicẽ portas*].i. à radice eorum proceſſit ad te quod habes,non à te ad radicẽ,quia populus Iudęorũ fidelis aſina eſt mater pulli.i. pariẽs in fide gentilem populum.

Dicis *ergo*] quia v. contra radicem nõ potes gloriari, vis te ſaltem ramis illis præferre, in hoc quod *fracti ſunt* illi vt tu inſeraris .i. fracti ſunt illi & .... iterum ſitu inſerti loco eorũ. Benè quidem dicit Apoſtolus .i. verum eſt quod dicit, ſed non ideo potes gloriari, quia non ſunt illi fracti propter bonum tuum quod ante haberes, vnde te Deus eligeret inſerendum, ſed propter malum ſuum .i. incredulitatem. *Noli altum ſapere*,] ſuperbiendo .ſ. aduerſus eos, *ſed time*] .ſ. committere tale quid vnde & tu frangaris. Et reuera oportet te timere. Quid autem timeat ſubiungit, *Si enim non pepercit*] à fractione .ſ. ramis nationalibus, illi videlicet ſuæ radici, ex qua erant, time ſubaudi ne forte, &c. Et vt hoc timeas ſiue exemplo aliorum correptus, ſiue ſuſceptæ gratię amore ſuccenſus,attende memoriter bonitatem gratiæ & ſeueritatem iuſtitiæ ſi permanſeris in ipſa bonitate ſuſcepta .i. ſi culpa tua ſuſceptam gratiam amiſeris. Alioquin .i. aliter ſi erit quàm moneo, *etiam tu excideris*] à radice ſancta in qua per accidens es inſertus, non ex ea natus. *Sed & illi*] etiam poſt fractionẽ ſuam inſerentur loco tui exciſi, ſicut tu è conuerſo priùs loco illorum fractorum. Et quaſi quæreretur, quid hoc poſſit facere, cùm Deus pro culpa ſua eos fregerit, dicit quia ipſemet per miſericordiam ſuam id facere poteſt qui eos fregit propter ipſorũ culpam. Et hoc eſt quod dicit, *Potens eſt enim Deus iterum*] .i. poſt tuam inſertionem, & ſuam fractionem. Dixi quia potens eſt Deus & illos inſerere, nec mirum, quia multo id facilius & conducibilius naturæ videtur ſecundum ſuprapoſitã de oliua ſimilitudinẽ, vt proprij rami inſeri poſſint, quã alieni. Et hoc eſt quod à minori oſtendit, dicens: *Nã ſi tu gentilis exciſus es ex Oleaſtro*] tibi naturali .i. ex arbore infœcũda gentilis populi aſsũptus, *contra naturã*] .i. conſuetudinẽ inſerendi. Neq; enim infructuoſæ arbores inſeri ſolent fructuoſis, nec ſilueſtres domeſticis, nec ſurculus fructum radicis ferre ſolet. Sed propriæ naturæ quanto magis .i. quàm facilius ſecundũ naturam ſuæ originis *inſerentur ſuæ origini*] ex qua videlicet nati fuerunt. *Nolo enim*] ac ſi diceret: Ideo cõmemoro toties ô gentiles veſtræ electionis gratiam & reprobationis illorum

iuſtitiam, & poſtmodum conuerſionem ipſorum futuram. *Quia volo vos i. h. m. i. h.*] diuinæ diſpenſationis occultum iudicium, quia videlicet *Cæcitas contingit in Iſrael ex parte*] .i. quidam Iudæorum excæcati aduentum Chriſti, per quem de fide illuminarentur non recognouerant, donec plenitudo gratiæ intrauit, ideſt de vniuerſitate omnium gentium multi cõuertentur, & ſpiritualem Dei ciuitatem, .i. Eccleſiam intrabũt, & *ſic*] tandem poſt eorum introitum *omnis Iſrael*] ſecundum ſingulas videlicet tribus, vnde multi conuertentur in fine per prædicationem Enoch & Heliæ, non tamen omnes, cùm de Antichriſto Veritas eis dicat: *Alius in nomine ſuo veniet, illum ſuſcipietis*, vt nec in fine mundi, ſicut nec in aduentu Chriſti omnes Iudæi conuertentur, ſed ſolæ Domini reliquiæ. Vnde Ieronymus ad Edibiam de quæſtione nona ſcribens, Clamat Iſaias pro Iſrael: *ſi fuerit numerus filiorum Iſrael, &c.* .i. etiamſi multitudo non crediderit, tamen pauci credent. De fine autem ſeculi ita Iſidorus loquitur lib. 2. contra Iudæos cap. vi. Malachias quoque ante finem mundi Heliam ſic eſſe dicit mittendum ad conuerſionem Iudæorũ; *Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & conuertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Item, Hic eſt populus in nouiſſimis conuertendus, quem Iacob Patriarcha ſub figura Beniamin lupum mane comedentem & veſpere ſpolia diuidentem propherat, quia initio legem accepit, in veſpera autem mundi crediturus diuidet inter nouum Teſtamentum & vetus. Idem cap. 12. Amos Prophetæ, *domus Iſrael cecidit, non adijciet vt reſurgat.* Ergo Iſrael proiecta eſt in terram ſuam, non eſt qui ſuſcitet eam. Sequitur in eodem Propheta, *venit finis ſuper populum meum Iſrael.* Quæ omnia pertinent ad carnale ipſius regnum vel obſeruãtiam quia vltra in reprobabilia erũt. Nam illæ repromiſſiones reparationis, quas earum ſermo cõplectitur illi parti promittuntur, quæ ex Iudæis creditura eſt. Nam nec omnes Iudæi redimendi ſunt, nec omnes ſalui erũt, ſed qui fide electi fuerint ſaluabuntur. Quod autem nonnulli ſanctorum dicunt in fine per prædicationẽ Heliæ & Enoc conuertendos eſſe, quibus & ipſe Apoſtolus concordare videtur dicens: & ſic omnis Iſrael ſaluus fiet, aut ſecundum vniuerſitatem tribuum, non perſonarum, eſt accipiendum vt

Digitized by Google

diximus, aut fortaſſe hi qui primitus Antichriſtum ſuſceperint ritus Iudaicos reducentem, poſtea per prædicationem Heliæ & Enoch correcti, vel viſo interitu eius de quo Veritas dicit, *& niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro*, conuerſi ad Chriſtum ſaluabuntur. Greg. in Moral. lib. .... ſed in extremo Iſraelitæ omnes ad fidem cognita Heliæ prędicatione occurrent, & tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum conuiuium celebratum. Remigius in Pſal. XII. Cum auerterit Dominus cap. &c. Dum Iudaica perfidia in ſua crudelitate impœnitens extitit, duriori ſe captiuitatis laqueo irretiuit. Quæ tamen captiuitas ſoluetur ad prædicationem Heliæ & Enoch, cùm ad eorum prædicationem omnes in Chriſtũ Iudæi crediderint. Haimo. Impietates à Iacob auertet pleniter ſicut ſcriptum eſt, *Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.* Et cùm plenitudo gentium *intrauerit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet. Vt non ſitis vobis ipſis ſapientes*] .i. Ideo nolo vos iſtud occultum ignorare, ne viſa illorum excæcatione de illuminatione ſapientiæ quam habetis ſuperbè illis inſultantes, de dono Dei quaſi de veſtro proprio gloriemini, quod eſſet ſapientẽ eſſe ſibi potiùs quàm Deo. i. ad gloriam ſui non dantis ſapientiam ſuam accommodare. Haimo. Myſterium eſt res occulta, & ſecretum aliquod in ſe continens, quare Iudæos quondam peculiarem populũ abjecerit, & gentiles peccatores per fidem ſibi copulauerit.

SICVT *ſcriptum eſt*] Or. In Iſaia, vnde teſtimonium iſtud Paulus aſſumpſit, ſcriptum eſt, *veniet propter Sion*, & quod ait hic, *cùm abſtulero peccata eorum*, ibi omnino ſcriptum non eſt. Apoſtoli tamen authoritate præſumptum eſt, Sion .i. Ieruſalem pro Iudæa ponit, partem videlicet quæ caput regni eſt, pro toto ipſo. Et tale eſt quod dicit, *veniet de Iudæa*] naſcendo ſcilicet in ea qui Iudæos ſaluet, vel ſecundum Origenis verba, veniet propter Sion .i. ſaluandum ſicut determinat dicens: *Qui eripiat*] eam, & liberet à captiuitate diaboli ſiue iugo peccati, quod animam captiuat à Deo. Et hoc ſtatim aperiens dicit. *Et auertat impietatem à Iacob*]. i. à populo Iudęorum. Poſſumus etiam ſic diſtinguere, eripiat ſcilicet à peccato cum quo naſcimur, originali vel eo quod ipſe in eis inuenit, & auertat à reliquis quæ commiſſuri eſſent, niſi ipſe illa auerteret. Attende cum dicit eum naſciturum in Iudæa, vel

Digitized by Google

propter Sion venturum quandam in Iudæis gloriam aſcribere, qua ſuperbam gentium inſultationem reprimat. *Et hoc à me illis*] vbi nos dicimus teſtamentum in Hebræo dicitur pactum .i. firma promiſſio. *Dicit Dominus*] Nam & quæ teſtamento confirmantur maximè ſtabilia ſunt: promiſſio, inquã, tunc implenda. *Cùm abſtulero*] .i. remiſero *peccata eorum ſecundum Euangelium.*] Iſti duo nominatiui plurales *inimici, & cariſſimi*, vnde pendeant ſecundum ſeriem conſtructionis non ſatis apparet, niſi longe ſuperius ad præmiſſa referantur, vbi videlicet dictum eſt, quanto magis hi ſecundum naturam inſerentur ſ. o. ipſi quidem inquam ſubaudi etiam *inimici* modo ſecundum Euangelium propter vos, &c. Et fortaſſis iuxta Hebraicæ linguæ cõſuetudinem nominatiuis ſine verbo abſolutè vſus eſt Apoſtolus, ſicut ibi dicitur. *In conuertendo Dominus, & Dominus in cælo ſedes eius.* In Epiſtola ad Galatas ipſe Paulus de pernicioſa ſimulatione Petrum arguens, *Situ*, inquit, *cum Iudæus ſis gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare?* Item, *Ego autem fratres ſi circumciſionem p. q. a. p. p.* Ex quibus apparet Paulum maximè & cæteros libertatis Euangelicæ prædicatores maximas à Iudæis & conuerſis inimicitias ſuſtinere propter onera legis, quæ gentibus nolebant imponere, ſcientes iam legales illas obſeruantias omnino inutiles, & gentes vix aut nunquam in eas induci poſſe. Et hoc eſt quod nunc Paulus meminit, dicens: *illi dico inimici*] .i. aduerſantes mihi & conſimilibus meis ſecundum Euangelium .i. ſicut ex noſtra patet prædicatione eorum gloriationi maximè infeſta, cùm onera legis penitus interdicat, & hoc propter vos ô gẽtiles, quibus hæc onera imponere nolumus. *Sed tamen cariſſimi nobis*] .i. pro cæteris noſtro inhærentes deſiderio, vt conuerſi ſaluentur *propter patres ipſorum*] iuſtiſſimos & magnæ authoritatis, Patriarchas ſcilicet & Prophetas. *Secundum electionem*] tamen Dei magis quàm ſecundum propria eorũ merita, qui eos per gratiã ſuam gentibus reprobatis elegit, ac miraliter ſublimauit. Nam & Deum ipſum erga filios propter patres gratiam ſuam exhibuiſſe non ignotum eſt, quem Salomoni idolatræ propter iuſtum patrem peperciſſe nouimus, & Moyſem veniam delinquenti populo propter merita patrum imploraſſe atque impetraſſe.

SINE *pœnitentia enim*] Quaſi aliquis diceret, quæ cura de illa

electione antiquorum patrum, ſeu promiſſionibus vel beneficijs à Deo illis olim factis, cum nunc prorſus appareat in malitia filiorum eorum quæ in precibus egerit Dominus ipſi diſplicere. Reſpondens Apoſtolus, immò, inquit, ſine pœnitentia ſunt dona Dei & v. d. i. nunquam ei diſplicet ſe alicui quicquam donaſſe, vel ad fidem quenquam vocaſſe, quia videlicet incommutabilis eſt omnino eius voluntas, nec vnquam quod ſemel faciendum eſſe iudicat ſe illud feciſſe improbat: quod vtique eſſet de facto ſuo pœnitere. Alio tamen modo etiam Deus nonnunquam pœnitere dicitur, mutando ſcilicet vel dolendo quod fecerat, non improbando factum ſuum .i. non iudicando illud fuiſſe malum, quod proprie pœnitentia diceretur iuxta illud Philoſophi, Pœnitentia enim malum factum comitatur. In electis Dei dona eius eorum vocationem præcedunt, dum eorum ſcilicet proſperat voluntatem, vt vocanti eos ad ſe aſſentiant, & iubenti obediant. *Sicut enim*] Dixi plenitudine conuerſarum gentiũ, etiam Iudæos ad fidem conuertendos. Nec mirum ſi fiat ita de illis, ô vos gentiles, ſicut & de vobis factum eſt. Et hoc eſt, *Sicut enim, &c. Propter illorum*] .i. dum videlicet illis repellentibus à ſe prædicationem Apoſtoli ad gentes tranſire cito cõpulſi ſunt. *Ita & iſti* .i. Iudæi *nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam*] .i. non receperunt prædicationem qua vos miſericordiam à Deo conſecuti eſtis, vt poſt vos ad fidem poſtmodum & ipſi veniant, & eò humiliores efficiantur quod ad fidem vos ſequantur, quaſi exempli veſtri magiſterio hinc edocti. *Concluſit autem*] .i. cæcitate infidelitatis iam conſtringi omnes, tam Iudæos ſcilicet quàm gentes promiſit, vt in omnium poſtmodum conuerſione magnam ſuam clementiã oſtenderet, quibus videlicet ante fidem nullum ineſſe meritum conſtat, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

O altitudo.] Exclamatio admirantis eſt ſuper iſtam multã abyſſum diuini iudicij, de prima ſcilicet electione Iudaici populi, & reprobatione gentilium, & de noua nunc electione gentilium in conuerſione multorum, & reprobatione Iudæorum, tam paucis modo ſcilicet conuerſis, ſed poſt modũ plenius conuertendis: vt qui olim in fide gentes præceſſerant, poſtmodum ſequantur, & fiant nouiſſimi primi. *Altitudo*] .i. profunditas occulta nobis diuitis & copioſæ *ſapientiæ*] Dei, quantum ad præſcientiam ipſius, & ſcientiæ quantũ ad ipſius

operis effectum, ex quo præuisa illa iam sciri possunt. *Quam incomprehensibilia*] .i. quam impossibiles sumus ad causas illas cognoscendas dispensationum vel dispositionum eius, quare videlicet sic decuerit agendum esse antequam fierent,& post effectum operum, *Ininuestigabiles viæ eius*] viæ quippe Dei, quibus videlicet ad cognitionem eius venitur, eius sunt opera,sicut idē Apostolus supra meminit, dicens :*Inuisibilia enim ipsius à creatura, &c.* Opera itaque Dei, quæ sensu quotidie experimur, inuestigabilia nobis sunt, quia occultas eorū naturas nondum discutere ratione suscipimus. Nec mirū. *Quis enim cognouit sensum Dei*] .i. rationem quam habuit in sua præsciētia de his quę facturus erat comprehendere per se potuit, aut quem de his quæ facturus erat consuluit, vt eius instrueretur consilio quid vel qualiter agendum esset? *Aut quis*] post summam incomprehensibilem Dei sapientiam ostēdit summam eius bonitatem,quia omnia nobis priùs largitur quàm à nobis quicquam accipiat. Deinde in actione gratiarum Apostolus admirationem suam terminans, ait : *Quoniam ex ipso sunt omnia*] .i. quælibet substantiæ natura tanquam ab ipso creata vt esset, *per ipsum*] scilicet conseruata vt maneret, *in ipso*] tanquam fine optimo consummata, dum eorum videlicet opifex optimus atque dispositor in ipsis glorificatur atque laudatur, propter quod ea condidit atque conseruat, sicut in Prouerbijs scriptū est, *vniuersa propter semetipsum creauit Deus, impium quoque ad diem malum.* Vt quinto super Genes. B. meminit Augustī. quælibet creaturarū quātum in te vespera est, quantum verò ad laudem creatoris relata mane dicitur, & in se considerata quasi defectum habet, in laude verò Creatoris profectum. Quærat fortasse aliquis quomodo natura quælibet substantiæ conseruetur, vt maneat, cùm spiritus irrationalium animalium carne regi, & cum carne deficere penitus credantur. Sed profectò si illi quoque spiritus sicut & nostri substantiæ sunt, quædam scilicet raritas elementorū vt quibusdam videtur, cum deserunt esse spiritus .i. viuificare cessant corpora illa,non tamen deserunt esse substantiæ sicut & caro,cum qua deperire dicuntur : cum caro deseret esse, non tamen corporeæ substantiæ naturam amittit. Quæri etiam potest cùm Deus ipse propter se potius quam propter opera sua sit laudandus, quomodo dicat Apostolus, eum propter

Digitized by Google

opera ſua eſſe glorificandum .i. maxima laude dignum. Ex ſe ipſe quippe bonus vel laude dignus eſt, potiùs quàm ex operibus ſuis & propter ipſum opera eius potius ſunt laudanda vel bona quàm ipſe propter opera. Sed licet ex ſeipſo potius quàm ex effectis ſuis ipſe bonus ſit, vel dignus laude, actio tamen ipſa gratiarum vel effectus laudis noſtræ, quam ei perſoluimus ex operibus quę per ipſum cognoſcimus, conſequitur ſicut & cuiuſlibet artificis laus in operibus eius cognoſcitur, & quamuis propter ſciẽtiam quam habet iam dignus ſit laude, ex notitia tamen operum eius laudatio eius conſequitur. Nec Apoſtolus hoc loco dicit Deum dignũ laude propter opera quæ fecit, ſed nos ad eius hortatur laudem propter opera eius quæ cognoſcimus. *Ipſi gloria*] inquit, ſit .i. optima & ſumma & late patens fama, *In ſecula*] .i. per omnes ſucceſſiones temporum, *Amen*] .i. fiat quod eſt aduerbium optandi, aliquando etiam confirmandi, quando videlicet ponitur pro, ita eſt, vel verum eſt.

OBSECRO *itaque*] quia videlicet talis vel tantus eſt, ex quo omnia, per quem, &c. obſecro vt vos ipſos ei hoſtiam præparetis potius, quàm pecora veſtra ipſi mactetis. Quaſi adiurando eos coarctat, cum dicit: *per miſericordiam Dei*] ac ſi diceret, ſicut de miſericordia eius confiditis, ita & ad ipſam obtinendam quantum valetis vos præparetis. Corpora pecorum cum offerebantur in ſacrificio occidebantur, noſtra autem corpora cum Deo immolantur vitijs ita moriuntur, vt vita non priuentur. Et hoc eſt quod dicit, hoſtiam viuentem, & tunc profecto immolationis noſtræ obſequium rationabile eſt, ſi nos ipſos ita immolemus potius quam pecora noſtra ei mactemus, vel nos ipſos propter eum interficiamus. *Conformari huic ſeculo*] .i. ſeculares qui præſentem vitam diligunt imitari, *ſed reformamini*] .i. ſtudete reparare ac renouare humanæ rationis ſenſum peccatis iamdudũ obtenebratũ. *Vt ſic probetis*] .i. cognoſcere valeatis, vel etiã alijs oſtendere, & ratione probare poſſitis: *Quæ ſit voluntas Dei*] .i. quid Deus à nobis fieri velit vt boni ſimus in nobiſmet ipſis, imò alijs quoque, vel ipſi Deo beneplacentes, & tandem perfecti in virtutibus conſummati, creſcendo ſemper in melius, vel in cœleſti vita perfectæ beatitudinis. *Dico enim.*] Dixi, *nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini, &c.* & merito id vos moneo,

CAP. XII.

quia hoc dico *per gratiam quæ data eſt mihi* .i. per magiſterium mihi ſuper vos iniunctũ dicere compellor omnibus qui ſunt i. v. i. apud gentes confuſis, quare ſpecialiter Apoſtolus ſum deſtinatus, *Non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere vſque ad ſobrietatem*] Ille ſapit pluſquàm oportet, qui mala ipſa non ſolum notitia rationis à bonis diſcernit iuxta illud Philoſophi, mali quippe notitia iuſto deeſſe non poteſt, verum etiam experiẽtia dicit, ſecundum quam lignum ſcientiæ boni & mali dictũ eſt. Et hic quidem eſt ſenſus, ſeculi .i. ſecularium & carnaliũ hominum, vt experientia voluptatum, quaſi quadam ſaporis dulcedine illecti mala ipſa cognoſcunt. In qua quidem experientia ſobriæ & honeſtæ vitæ terminos excedũt dum voluptatibus ſuis turpiter inſeruiunt. *Et vnicuique*] ſcilicet noſtrũ hoc ipſum dico .i. non plus ſapere. &c. *Sicut Deus diuiſit menſurã fidei*] .i prout credit faciendum eſſe, ita hoc impleat, *ſicut enim.*] Ac ſi aliquis quæreret, Eſt ne in diſcretione boni & mali diuerſa exiſtimatio infidelibus? Reſpondet Apoſtolus quod eſt, ſed & diuinæ gratiæ dona in eis ſunt diuerſa, & hoc eſt quod cõpetenti ſimilitudine demonſtrat, dicens: *Sic enim & non eundem actum habent*] .i. non idem officium ita multi nos ſecundum perſonarum diuerſitatẽ in vno corpore Chriſto & in eiſdem ſacramentis vniti ſumus. *Alter alterius membra*] .i. ſupplentes officium ſuum pro altero, & ei adminiſtrantes quod iſte implere non poteſt. Tunc enim oculus quaſi membrum manus efficitur, cum viſum ſubminiſtrat, vt illa operari queat: & ſimiliter vnuſquiſque fidelium donum gratiæ quod habet in alterum miniſtrare debet, vt maximè ſibi inuicem caritate colligẽtur fideles cùm ſibi viciſſim ſubueniũt, & vnuſquiſq; alterũ eſſe recognoſcit. Dixi, ſinguli alter alterius mẽbra, ſed merito quia *habẽtes*] dona diuerſa gratiæ Dei illis collatæ. Quæ ſtatim dona ſub diuidit dicens, *ſiue prophetiã*] .ſ. habentes .i. gratiã interpretãdi .i. exponẽdi verba diuina. vnde & ad Corin. dicit: Nã qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationẽ *ſecundum rationem fidei*] Prophetam habet qui in ſua prædicatione ſecundum hoc quod credit auditoribus eſſe neceſſarium verba ſua moderatur, & quid his ſiue illis pro capacitate eorum prædicari oporteat diſcernit vt modo lac paruulis, modo ſolidum cibum maioribus miniſtret, ſicut & ipſe Paulus ad eoſdem Corinthios ſcribẽs proprio docet exemplo. Quam quidem Apoſtolorum diſcretio-

Digitized by Google

nem Psalmista præuidebat cum diceret, *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Tale est ergo secundum rationem fidei suæ, ac si diceretur, secundum discretionem quam se credit habere, vbi forte si errauerit, caritas eius ignorantiam eam excusat. *Siue ministerium in ministrando.*] Per hæc omnia subaudiendum est secundum rationem fidei, vt videlicet omnia discrete faciamus, secundum quod faciendum esse credimus. Ministerium dicit corporalis operis officium, sicut est suendi vel fabricandi. Ministerium habet in ministrando alijs, qui inde maiorem vtilitatem aliorum quam propriam quærit, sicut idem Apostolus alibi ait: *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.*

SIVE *qui docet in doctrina sit*] .i. doceat quæ docenda credit. Similiter *qui exhortatur*] .i. ad persuadendum. Loquitur secundū rationem fidei, qui prophetiā quam superius intellexit per doctrinam & exhortationem non distinguit. Quisquis enim ad ædificationem loquitur, aut docendo aliquid, aut exhortando aliquid loquitur. Sic expone, siue qui docet. s. rationem fidei, *in exhortando* sit discernens scilicet quantum valet, quæ quibus hominibus persuadenda sint, sicut & docēda, iuxta illud Veritatis, *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas ante porcos. Qui tribuit*] .i. sua largitur egentibus, *In simplicitate*] subaudi id faciat .i. non duplicem ibi habeat intentionem, tam pro temporali scilicet quàm æterna remuneratione. Quod & alibi prohibet Dominus dicens, *Cùm facis elemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Aliter in simplicitate .i. non sit duplex finis in intentione, vt videlicet elemosynæ suæ finem tam in se quàm in Deo constituat, sed tantummodo in Deo, vel ita vt non dolosè id faciat, sicut hypocritæ faciunt, qui aliud simulant quàm intendant, cùm se videlicet propter Deum id facere fingant, quod magis propter humanā gloriam agunt, vel sicut faciunt qui aliquid largiuntur alicui, amplius inde se recepturos sperantes, se id ex caritate facere simulant, quod ex cupiditate potius agunt. *Qui præ alijs*] .i. Prælati vicem gerit. *In solitudine*] subaudis præsit, eorum scilicet lucra quærendo potius quàm sua. De qua quidē solicitudine Prælatorum erga subditos Salomon admonet, dicens: *Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris sui, &*

Digitized by Google

captus es proprijs ſermonibus tuis. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera quia incidiſti in manum proximi, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. Ne dederis ſomnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ.

QVI *miſeretur*] .i. ignoſcit delinquentibus in ſe, lætus & ſine omni rancore animi hoc faciat, non erubeſcentiam inferat pœnitenti, neque illi turpiter peccatum ſuum improperans, quaſi magis triſtem ſe oſtendat de propria læſura quam hilarem de conuerſione peccatoris. *Dilectio*] ſubaudis ſit immutabilis, vera, non ſimulata: ſicut alibi ſcriptum eſt, *filioli non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate. Odientes*] vicia. *Adhærentes*] virtutibus, vel recedentes conuerſatione ſeu moribus à peruerſo homine, & imitantes bonum, attendentes quod ſcriptum eſt: *Cum ſancto ſanctus eris, &c. Caritatem fraternitatis*] .i. effectus fraternæ caritatis inuicem exercentes, vt vnuſquiſque alijs tãquam fratri ſubueniat, & Deo tãquam Patri obediat. Non ſolùm de vtilitate proximorum, verum etiam de honore ipſorum prouidendum admonet, dicens, *honore*] ſcilicet alter alterum .ſ. *præuenientes*] .i. inter vos hoc prouidentes, vt cùm alius vos honorare voluerit, vos prius eum honoretis, & beneficium eius veſtrum præueniat, vt quaſi debitum vobis reddatur potius quàm tribuatur. Sũt autem qui noſtris non egent beneficijs, & qui magis ad dilectionem honore quàm vtilitate trahuntur: ideoque poſt vtilitatem beneficij de honore quo diligunt Apoſtolus prouidit. *Sollicitudine non pigri*] hoc eſt effectus prouidentiæ noſtræ erga ſubjectos implere non differentes, ſicut ſcriptum eſt, *Quæcunque poteſt manus tua inſtanter operare, &c. Spiritu feruentes*] Ac ſi diceret, Et ſi non poteritis hæc ſupradicta penitus implere, zelo ſaltem caritatis ad hæc implenda ferueatis, & boni deſiderij voluntas apud Deum ſufficiet. *Domino ſeruientes.*] Poſt fraternam caritatem erga proximum, ad caritatem Dei, qua deſeruitur conſcendit. Benè autem cùm dicturus eſſet, *Domino ſeruientes*, præmiſit Apoſtolus, *Spiritu feruentes*, vt hæc ſeruitus filialis reuerentiæ ſubjectio ex amore potius quàm ſeruilis ex timore intelligatur, Chriſtiana magis quam Iudaica. Soli Domino ſeruimus, cuicunque ſeruitium impendamus, ſi totum noſtræ ſubjectionis finem in Deo conſtituamus, ſi videlicet ſolam reuerentiam, quam Prælatis exhi-

Digitized by Google

bemus, propter Deum, cuius vicarij ſunt, & à quo prælationis poteſtatem acceperunt, eis exhibemus. Qui enim legato vel vicario alicuius prælati obſequium impendit, propter ipſum tantummodo prælatum, à quo deſtinantur, ipſi ſolummodo prælato in hoc deſeruire dicuntur, & ei ſoli propter quem tantum id agitur ſeruitium vel honorem impendere. *Spe gaudentes*] vt videlicet ſitis, *in tribulatione patientes.*] Vnde & Apoſtolus Iacobus, *Omne gaudium*, inquit, *exiſtimate fratres mei, cum in tentationes incideritis, ſcientes quòd probatio, &c.* Dicturus, *in tribulatione patientes*, benè præmiſit, *ſpe gaudentes*, vt ſpes remunerationis præcedens fortes efficiat contra paſſiones, dum illud attendunt quod ſcriptum eſt, *in paucis vexati, in multis bene diſponentur, &c. Spe gaudentes*] .i. expectatione futuræ beatitudinis, cùm ſpes non niſi de bono ſit & de futuro, & quia ex noſtra virtute hanc in paſſione conſtantiam habere non poſſumus, vt orationem ſuper hoc frequentemus admonet, dicens: *Orationi inſtantes*] .i. in oratione ſuperſtantes potius quàm iacentes. Quaſi enim iacentes ſunt, qui ſe ad Deũ per deuotionem non erigunt, vt oratio ſuũ conſequatur effectum, & verba ſolummodo præparant, non corda: de quibus Dominus per Iſaiã conqueritur. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Neceſſitatibus ſanctorũ communicantes*] .i. fidelibus penuriam vel aduerſitatem patientibus ita compatientes, vt eorum penuriæ vel tribulationis participes efficiamur, dum videlicet quod nobis ſubtrahimus eis impendimus, vel pro ipſis etiam eripiendis ſeu defendendis periculum vel damnũ incurrimus. Vnde alibi dicit: *Alter alterius onera portate. Hoſpitalitatem ſectantes*] non ſolum impendentes, cùm videlicet recedentes à nobis inſequimur, vt etiam reluctantes ad hoſpitium trahamus, ſicut Loth in ſuſceptione Angelorum egit.

BENEDICITE *perſequentibus vos*] hoc eſt, illis etiam vt bene ſit orate, vt ſic in eis caritatem ædificetis, ſicut ſcriptum eſt: *tunc enim carbones ignis congeres ſuper caput eius*: vel ideo vt otatio veſtra tanto faciliùs effectum aſſequatur, quantò Deo gratior erit, qui ait. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Quam quidem dilectionis perfectionem tam Dominus ipſe quàm Protomartyr eius Stephanus in paſſionibus ſuis pro inimicis orando nobis exhibuerunt. *Benedi-*

cite & nolite maledicere.] Bis dicit, *benedicite*, vt tam in ore quã in corde benedictionẽ habeamus. Nec dixit, ne maledicatis, ſed *nolite maledicere.* Cùm enim aliquem pro ſuæ culpæ obſtinatione excommunicamus, profecto in eum maledictionis ſententiam intorquemus. Ipſe etiam Paulus in Actibus Apoſtolorum ei maledixiſſe legitur cui ait, *deſtruat te Dominus paries dealbate.* Sed quia zelo iuſtitiæ cõpulſi talia ſancti faciunt, maledictionis actionem habent, non voluntatem. Hoc vno loco non dicitur, vt penitus non maledicant, ſed vt maledicere non velint, vt videlicet voluntas maledictionis nõ actio prohibeatur ſicut & Dominus dicit: *nolite iurare.* Voluntatẽ potius iurandi interdicit quam actionem. Sic & iudex cùm aliquem lege ſua coactus occidit, non voluntariè ab homicidio excuſatur, quia id ab eo voluntate non geritur, cui omnino diſplicet quod ille qui punitur illud commiſerit, pro quo lex eum interfici præcipit, vt magis eum lex ipſa quàm homo puniat, immò ipſe Deus legem inſtituens qui ait: *Ego occidam & ego viuere faciam, & mihi vindictam, ego retribuam*, quia ipſe miniſter Dei. Non immerito quærendum videtur cùm ad corda potius Deus quam ad verba reſpiciat, tamen verbis etiam ipſum deprecemur. Sed duabus id cauſis geri exiſtimo. Vna quidem ad honorem Dei, altera eſt ad vtilitatem noſtram accommodata. Cùm enim aliquid à Deo orando poſtulamus, ex ipſis verbis noſtris oſtendimus non niſi ab eo id nos poſſe habere, quod oramus. Ipſa verba quæ proferimus affectum noſtrum & deuotionem intellectu ſuo in Deum excitant, & commouent: vt tanto efficacior ipſa ſit oratio, quãto in orante maior eſt deuotio.

GAVDERE *cum gaudentibus.*] Infinitiuis pro imperatiuis vtitur, dicendo ſcilicet *gaudere & flere* pro gaudete & flete .i. cum fidelibus de profectu eorum exultate, vel de ipſorum effectu compatiendo contriſtemini. Eſt enim falſa lætitia iniquorum, cui congaudendum non eſt, & falſa eorum triſtitia, cui contriſtandum minimè eſt. Vnde Dominus; *Mundus*, inquit, *gaudebit, vos autem contriſtabimini.* Et Salomon in Prouerb. de peruerſis, *Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Cùm autem idem Salomon alibi dicat, *Non conſtriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit.* Et ipſe Apoſtolus ſupra, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in*

bonum

Digitized by Google

bonum,&c. Quid poteſt accidere electis vnde flendum ſit, aut quomodo rationabiles ſunt illæ lacrimæ Rachel de interfectione filiorum, de miſeria ſic ad beatitudinem tranſeuntium? Vnde & de illo fletu fidelium in tranſitu B. Martini ſcriptum eſt: Cùm ſentiret magis eſſe gaudendum, ſi rationem vis doloris amitteret. Ieronymus ad Tyraſium de morte filiæ, Tantas taleſque tempeſtates vitæ, tot impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot ſeculi clades euaſit: & lacrimas fundimus, quaſi ipſi neſciamus quid quotidie patiamur. Propter quod & Dominus ſic admonet diſcipulos: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem.* Plane mortuum Lazarum fleuit, doluit non morientem, ſed potius reſurgentem, & flebat quem cogebatur pro ſaluandis alijs ad ſeculum reuocare. Hanc vitam dans Dominus ingemiſcebat, quam tu doles eſſe ſublatam. Contra lacrimas eius pugnant tuæ. Ille nolebat reddere laboribus quem dilexerat, & tu amare te credis, cui laborum volebas adhuc reſtare tormenta. De hoſtili patria migrauit ad cœlum. Apoſtolus memorat, *Quamdiu ſumus in hoc ſeculo, peregrinamur à Deo.* Vnde ergo illæ lacrimæ Rachel? vnde compaſſio fidelium ſuper interfectione iuſtorum quæ finit in eis miſeriam & cõfert gloriam? vel etiam cùm omnia quæ accidunt electis, eis vt dictũ eſt cooperantur in bonum? vel quicquid eis accidat non contriſtentur? Vnde nos ſuper eos dolere conuenit, vel ipſos de aliquo pœnitere, quos in alia vita licet ſuorum peccatorum memores, conſtat tamen nullo modo dolore pœnitentię affici: attendentes ſcilicet ipſa etiam peccata ſibi in bonum fuiſſe cooperata. Denique cùm omnia optimè à Deo non dubitemus, adeo vt ipſa quoque mala bonum ſit eſſe, & iuxta veritatis vocem neceſſe ſit, vt veniant ſcandala; quid contingere poteſt vt rationabiliter doleant? Si enim vt B. meminit Auguſtinus, bonum eſt malum eſſe, quiſquis de malo dolet, de hoc profecto dolet quod bonum eſt eſſe: & quiſquis vult ipſum non eſſe, vtique vult non eſſe id quod bonum eſt eſſe: & ita tam diuinæ diſpoſitione quam rationi contrarius eſſe videtur, & fruſtra dicitur ad Deum, *fiat voluntas tua*, cuius ſcilicet voluntati ſeu diſpoſitioni quantũ in ſe eſt aduerſatur. Sed quia hæc diſcutere altioris eſt philoſophiæ, perfectioni noſtræ reſeruamus Theologiæ.

ID *ipſum inuicem ſentientes*] per caritatis videlicet affectum ita alios ſicut ſeipſos reputantes, iuxta illud Veritatis, *Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem illis facite.* Et illud: *Quod tibi non vis, alij ne feceris*, vel ita idipſum cum alij ſentiẽtes, quaſi bona eorum ſicut detrimenta noſtra eſſe reputantes, vel idipſum de fide ſentientes, vt nulla ſint ſciſmata in fide Catholica. Ad quod maximè pertinere videtur quod ſubditur: *Non alta ſapientes*] .i. non ſuperbe aliquid per hæreſim præſumentes, dum ex nouitate aliqua quærimus gloriari. *Sed humilibus*] quibus videlicet Deus dat gratiam, ſuperbis reſiſtens, *Conſentientes*] in fidei ſcilicet vnitate nos eis ſociantes. Quod qualiter faciamus docet cùm adiungit, *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos*] .i. prudentiam veſtram, ſi quam habetis nolite ad gloriam veſtram conuertere, nec de illa in vobis gloriari, vos etiam dico *Nulli malum pro malo reddentes*] .i. neminem quia nos leſit, ſed potius quia iuſtum eſt punientes. Poſſumus etiam quod dictum eſt, *nolite eſſe prudentes, &c.*] ita accipere, vt hoc illi competentiùs adiungatur, ille etenim prudens apud ſemetipſum dicitur, qui totus ſuo iudicio nititur, vt quicquid iſtum eſſe decreuerit, exequi velit: vt cum nemini iraſcenti ſua ira videatur inuiſa in quocunque offenditur vlciſcendum putat. Cui quidem periculo occurrit, dicens: *Nulli malum pro malo reddentes.* Superius dixerat, *nolite maledicere perſequentibus vos:* hic facta mala ſicut etiam verba mala prohibet. *Prouidentes bona, &c.*] .i. nitentes quantum poſſumus vt opera noſtra non ſolum Deo, ſed etiam hominibus bona videantur, vt ea ſcilicet imitari velint, vel Deum indè glorificent, ſicut & Veritas ait: *luceat lux veſtra coram hominibus, &c. Si fieri poteſt cum omnibus hominibus pacem habẽtes*] itaq; vt diximus nulli .v. malũ pro malo reddentes, & prouidẽdo bona etiam corã hominibus. *Quod*] .ſ. pacem habere cum omnibus, *ex vobis eſt*] .i. ex propria natura habetis, vt .v. eis maximè concordes ſitis, quos per naturam affiniores conſpicitis. Vnde alius dicit Apoſtolus, *Qui enim proximum quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* Quo enim natura magis ſumus affines, ampliùs ipſa nos ad dilectionem inuitat. Adeo inquam cum omnibus pacem habentes, vt ſi aliquem offendendo exceſſeritis, *non voſmetipſos defendatis*] .i. proprias culpas excuſetis, *ſed date locum iræ*] .i. cedite irato

Digitized by Google

& offenſo fratri patienter, ſcilicet eius iram ferentes, non eũ iterum per excuſationem veſtram commouentes. Tũc enim iræ eius reſiſteremus vt amplius æſtuaret, vel in eo remaneret, non cederemus vt ab eo tranſiret.

SCRIPTVM *eſt enim*] ſcilicet in Prouerbijs, *mihi vindictam*] Ac ſi diceret, ideò cum offenditis alios debetis offenſos patienter tolerare, & eorum iram quantum poteritis lenire, quia etiam ſi ab eis offenſi eſſetis, hortatur vos Dominus ne vos indè vindicetis: ſed ei vindictam reſeruetis dicenti: *Mihi vindictam*, ſubaudi reſeruate, *& ego retribuam*, illam, vt ſcilicet vlciſcar vos. Et notãdum quòd ſi hoc intelligatur exhortatio ad perfectionem potius quàm præceptum, ſicut & quod veritas ait, *& tua ne repetas*: poteſt & illud quod dictum eſt ſuperius, *non noſmetipſos*, *&c.* ita exhortatio perfectionis intelligi, vt cùm à perſecutoribus defendere nos poſſimus, perfectiùs tamen dicat eſſe omnino non defendere, ſed potius inde nobis illatam ſuſtinentes, quàm defendendo corpus animam noſtram vulnerãtes, eum videlicet per iram interficiẽdo, à quo fortaſſe nos aliter defendere non poſſumus. Sed ſicut & illud ſuperius pro præcepto expoſuimus, poteſt forſitan & hoc pro præcepto intelligi, *Mihi vindictam*, *&c.* ſicut enim iudex lege vel amore Dei qui legem inſtituit conſtrictus reum interficit, non tantum ipſe hoc facere dicitur quam lex vel Deus ipſe qui hoc facere præcipit, & ad hoc faciendum tanquam inſtrumento vtitur, ita & cum zelo iuſtitiæ vel amore vindicta eſt imputanda. Quod itaque præcipit Deus, ſibi vindictam reſeruari, vt ipſe illam faciat, tale eſt vt nemo vindicare præſumat, nec vt dictum eſt, Deus hoc per ipſum agat, qui ait: *Ego occidam*, *& ego viuere faciam*: Vnde Auguſt. quæſt. in Leuit. cap. 71. Cùm homo iuſte occiditur, lex eum occidit, non tu. Idem de Ciuit. Dei lib. 1. Non occides, his exceptis quos Deus occidi iubet. Non autem ipſe occidit qui miniſterium debet iubenti, ſcilicet adminiculum gladio vtenti. Tunc itaque homo occidit cùm ex ſe id, non ex Deo agit. Cùm vero ex diuina inſtitutione vel iuſſione id facit, Deus potius tanquam inſtrumentum id facit, quàm homo ipſe. Sic quippe quemlibet potentem aliquid ædificare vel facere dicimus, cum ad eius imperium illud geritur. Homini itaque, non Deo prohibitum eſt occidere. Sic & for-

taſſe noſtra repente prohibemus, quia .v. noſtra ſunt, ſicut & diligere eos qui nos diligunt .i. quia nos diligunt. Quæ enim propter nos habere non debemus, vt huius .ſ. poſſeſſionis in nobis finem conſtituamus, multo minus propter noſmetipſos repetere ablata debemus : quod videlicet fortaſſe Deus per alios melius quàm per nos diſponere vult, vel qui nobis nocitura præuidebat. Itaque repetere licet nos quæ Dei ſunt potiùs quàm quæ noſtra ſunt.i. propter Deũ potius, vt ſecundum voluntatem ea diſponamus quæ propter nos, & tunc potius Deus in nobis ſua repetit, quam nos noſtra, dum hoc videlicet agimus vt potius Dei faciamus eſſe quàm noſtra.

SED *ſi.*] Dixi, non vindicetis vos, ſed potius Deus, vt dictum eſt, ſed è contrario benefacite malè facientibus. Et hoc eſt, *ſed ſi, &c. Hoc enim*] Reddit cauſam quare ſic faciendũ ſit inimicis, quia propter hoc facile poterimus ad ſalutem trahere. Caput quidem eſt principalis pars in corpore, tanquã in omnibus ſenſibus corporis ornatum, mentem ſiue animã noſtram ſignificat. Carbones ignis incendia ſunt caritatis, vel lamenta pœnitentiæ quibus anima penitus excruciatur, & contra ſemetipſam indignationis flammis accenditur. Hos itaque carbones ſuper mentem inimici noſtri congeramus, ei benefaciendo; dum per hoc eum ad amorem erga nos vel ad pœnitentiam malorum, quæ nobis intulit, accendimus. *Noli vinci*] .i. ſuperari à vitio tuo, ſi .v. ira tibi adeo dominatur, vt reddas malum pro malo: ſed vince & reprime ipſam iram tuam per bonum malo recompenſatum. Non enim malum eſt ſeruire homini, ſed vitio. Vnde ſtatim adiungit.

CAP. XIII. OMNIS *anima*] .i. quælibet rationalis creatura *ſubdita ſit*] .i. libenter obediat. Quod quidem aduerſus quorundam fidelium opinionem dicit, quibus omnino iniuſtum & inconueniens videbatur vt quiſlibet iam ad fidem Chriſti conuerſus terrenæ poteſtati amplius deſeruiret, ſeu obediret: quaſi tales omnino poteſtates à Deo conſtitutæ non eſſent. Vnde & Dominus ipſe pro ſeipſo & Petro cenſum Cæſari perſoluere dignatus proprio ad hoc nos hortatus eſt exemplo. *Sublimioribus*] .i. ſibi prælatis à Deo .ſ. ſicut ſtatim annectit dicens, *Non eſt enim poteſtas*] ſiue bona ſcilicet ſiue mala videatur, *niſi à Deo*] .i. per eius diſpenſationem conſtituta. Cum enim Principes boni ſunt, diuini muneris eſt. Cùm autem mali,

Digitized by Google

vel ad vindictam peruerſorum hominum, vel ad purgationem ſeu probationem bonorum à Deo ſunt inſtitui, qui quãlibet impietatem etiam benè diſponit. Vnde & poteſtas diaboli vel cuiuſlibet impij bona perhibetur, licet voluntas eorũ ſit peſſima, vel operatio peruerſa. Poteſtatem quippe à Deo accipiunt, à ſe verò voluntatem malã habent. Vnde & iniquo Pilato Veritas ait: *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* Et diabolus in nullo aggredi Iob poterat, donec huius poteſtatis licentia ſibi à Deo conceſſa. *Quæ autẽ ſunt à Deo*] ſcilicet inſtituta, ſed non tamen permiſſa. Nam & peccata Deus ipſe permittit, non inſtituit. *Ordinata ſunt*] .i. rationaliter inſtituta. *Itaque qui.*] Quandoquidem omnis poteſtas à Deo eſt inſtituta. *Damnationem acquirit*] .i. hoc faciendo damnari merentur, quia Deo potius quàm homini reſiſtunt. Aliud eſt autem reſiſtere tirannidi mali Prælati, aliud iuſtæ eius poteſtati quam à Deo ſuſcepit. Cùm enim aliquid per violentiam agit quod ad eius poteſtatem & inſtitutionem non pertinet, profectò cùm ei in hoc reſiſtimus, tirãnidi magis quàm poteſtati obuiamus, homini potius quàm Deo: quia hoc ex ſe præſumit, non ex Deo agit. Quando vero in his ad quæ legitimè conſtitutus eſt ei reſiſtimus, tunc poteſtati contraimus. *Nam Principes*] .i. eorum poteſtas non eſt timenda his qui bene operantur, ſed male. Quod ſtatim oſtendit dicens: *Vis*] tu aliquis, *non timere poteſtatem*] potiusquã hominem, bene operare, & parcendo tibi approbabit opera tua, & te bene agere teſtificabitur. *Gladium portat*] .i. non irrationabiliter ad occidendum etiam eſt inſtructus, quia .v. in hoc Deo deſeruit, qui ſuper hoc eum inſtituit, vt vindicet mala. Et hoc eſt, *Dei enim, &c. vindex in iram*] .i. vindex iraſcendo male agenti potius quam homini. i. malitię potius eius quam ſubſtantiæ. Ideo quia. ſ. miniſter eſt Dei, obedientes ei eſtote tãquã Deo, & hoc *neceſſitate*] .i. pro manifeſta vtilitate, quam ex miniſterio Principũ percipitis, *non ſolum propter iram*] eorũ. ſ. *ſed & propter conſcientiã veſtrã*] .i. nõ ſolũ propter fortitudinẽ vindictę ipſorũ qui nos inobediẽtes ſibi ſtatim punirent, verũ etiã quia vobiſmetipſis cõſcij eſtis eos vobis neceſſarios eſſe ad malitiam reprimendã, *Ideo enim*] quia .v. ita vobis neceſſarij ſunt, vindicãdo. ſ. de his qui malè agũt vt dictũ eſt, *tributa*] eis perſoluitis, *In hoc ipſi*]. ſ. Deo ſeruiẽtes, quod vindicãt

mala, vt de hoc ipso quod tributa suscipiunt officium suum implere valentes, quod nequaquam sine his expensis possent exercere, & ideo quia sic conscij estis, vel quia hic ita Deo militant.

REDDITE *illis omnibus*] quæ pro hoc debetis. *Cui tributum*]scilicet debetis *tributum*]reddite. Origenes, Tributa terræ vectigalia negociationis. Haymo. Cui tributum debetis reddere, reddite: sicut & ipse conditor pro se & pro Petro didragma. Tributum dicitur à tribunis, & Tribuni à tribus, siquidem Romulus in tres partes populum sibi subditum diuisit,in Senatores scilicet qui & Cõsules vocabantur,in milites & agricolas, & vnicuique parti principem vnum constituit, qui etiam tribunus dicebatur eo quod vni ex partibus præesset. Census verò qui à subditis exigebatur tributum dicebatur. *Cui vectigal*] vectigal est tributum fiscale, & dicitur à vehendo, eo quòd accipiatur de vecticijs .i. deportatis mercibus. *Cui timorem*] Iracundis maximè Prælatis timor est exhibendus, ne ira commoti plus vindicent quàm oporteat. Mansueti verò tanto amplius sunt honorandi, quo eos patientia digniores vel benigniores facit.

LIBER QVINTVS.

NEMINI *quicquam debeatis*] .i. ita ab omnibus debitis absoluite, vt nihil præter caritatem debere vos recognoscatis. Quæ sic semper est soluenda vt semper debeatur, & sic semper est impendenda, vt tunc maximè retineatur cùm impenditur. Pecunia autem cùm persoluitur ei cui redditur accedit, & à reddente discedit. Diligere alterum est ei propter ipsum bene optare. *Inuicem*] .i. inter vos vt sit mutua dilectio. Proximum intellige omnem hominem qui humanitatis natura nobis coniunctus est, & ex eodem patre Adam cõmunem nobiscum dicit originem: si enim Apostolus proximum intelligat Iudæum tantum secundum quod in lege dicitur, *non fœnerabis proximo tuo*, sed alieno: nequaquam stare potest quod ait, eum qui diligit proximum non adulterari, &c. cùm videlicet hæc etiã

committi in infidelibus poſſint. *Legem*] Moyſi dicit vbi quæ ſubiungit præcepta continentur. *Nam non adulterabis*] Adulterari ſiue mœchari pro omni illicito concubitu lex ponere videtur alioquin nuſquam illam fornicationem excluderet, quæ ab eis committitur qui coniugati non ſunt. Cùm itaque dicit, non adulterabis, ſpeciem pro genere ponit, ſicut è conuerſo ſubdit: *Non occides*, genus pro ſpecie. Non enim occidi ab homine beſtiam, ſed hominem vetat. Tunc autem homo hominem occidit, non Deus per eum, vt ſupra quoque innuimus, quando id propria gerit voluntate, non diuinę legis ſanctione conſtrictus, de qua quidem iniuſta occiſione Dominus Petrum inſtruens ait: *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Qui per ſe acceperit ait, non cui à poteſtate traditur, ad iuſtitiam ſcilicet exercẽdã, gladio perire dignus eſt. Tunc etiam ipſe tantummodo abſque Deo id facit .i. cum ad propriam voluntatem implendam non ad iuſtitiam exercendam id agens homicida ſit. Vnde Auguſt. quæſt. in Exod. cap. XXVII. Cùm miniſter iudicis occidit eum quem lex iuſſit occidi, profectò ſi id ſponte faciat, homicida eſt, & ſi eum occidat quem ſcit à iudice occidi debuiſſe. *Non furaberis*] .i. non fraudulenter aliena tolles. Non enim Hebræi furtum fecerunt, cùm iuſſu diuino Ægyptios ſpoliauerunt ab his quæ Dei magis quàm ipſorum erant. *Falſum teſtimonium*] contra conſcientiam ſcilitet loquendo. *Non concupiſces*] aliena ſcilicet non tantummodo non tolles. *Et ſi*] mandatum ſubaudi dilectionis in hoc præcepto completur, *diliges, &c.* Aliud eſt dicere ſicut te, aliud eſt quantum te. Ibi quippe ſimilitudo, hîc æqualitas oſtenditur. Vnde & cùm Veritas ait, *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis*, ſimilitudinem potius miſericordiæ quam æqualitatem expreſſit. Si autem vnumquemque quantum me diligere deberem, omnes æqualiter à me diligendi eſſent. At verò cùm nemo niſi propter Deum diligi debere videatur, tanto amplius quiſque diligi dignus eſt, quanto Deo carior habetur & melior eſt. Si enim Deus quia melior eſt ſuper omnes eſt diligẽdus quicunq; poſt eum meliores ſunt, amplius diligendi ſunt quàm alij. Aliter quippe caritas ordinata non eſt. Eum autem plus diligimus cui vt beatior ſit optamus, licet ei de corporalibus bonis minus quam de noſtra vel eorum qui ſpecia-

liter nobis adhærent curam agamus. Tunc autem quemlibet ſicut nos diligimus, cùm eum ad beatitudinem ſicut nos peruenire volumus, eadem ſcilicet intentione circa eum habita, qua circa nos, quia videlicet hoc ei bonum exiſtimamus eſſe ſicut & nobis. Fortaſſis enim cùm quis alium odit, eum in paradiſo iam eſſe vellet, quo nil melius ei optare poteſt: nec tamen ideo eum diligit, cùm id non tam propter eum quàm propter ſe ab eo liberandum faciat. *Dilectio proximi*] vere qui diligit proximum non adulterabit, non occidet, &c. quia nullum penitus malum operatur. Vnde apparet Dauid dum cum Berſabee fornicaretur vel Vriam ad mortem proderet, nequaquam proximum dilexiſſe: ſed & cùm alius dicat Apoſtolus: *Qui enim non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* vtique nec Deum tunc dilexiſſe videtur. Quomodo etiam dici poteſt alterum diligere ſicut ſemetipſum, cum nec ſemetipſum vere diligat, qui à morte animæ ſibi parcendo non parcit? Scriptum quippe eſt, *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

PLENITVDO *ergo.*] Quandoquidem .ſ. proximi etiam dilectio legem implet, vt dictum eſt: ego multo magis de genere ipſius, quod eſt dilectio, id recipi conſtat. Cùm verò tota meritorum noſtrorum ſumma in dilectione Dei conſiſtat, & proximi, diligenter vtraque ſi poſſumus à nobis eſt deſcribenda, & inſuper demonſtrandū quomodo prætermiſſa Dei dilectione, quæ maior eſt, auſus ſit Apoſtolus dicere dilectionem proximi legem implere. Dilectio Dei ex toto corde in nobis eſt optima illa erga Deum voluntas, qua ei tantò amplius placere ſtudemus, quantò amplius ei placendum eſſe recognoſcimus. Ex toto autem corde ſeu ex tota anima id agimus, quando ſic ad eum penitus noſtræ dilectionis intentionem dirigimus, vt non tam quid nobis vtile ſit quàm quid ei placitum ſit attēdamus. Alioquin nos potius quàm ipſum dilectionis noſtræ finem .i. finalem & ſupremam inſtituerемus cauſam. Dilectio vero Dei erga nos eſt ipſa diuinæ gratiæ de ſalute noſtra diſpoſitio. Proximum verò tanquam ſe diligit qui propter Deum tam bonam erga eum voluntatem habet, vt ſic ſe propter eum gerere ſtudeat, ne ille de ſe iuſtè conqueri poſſit, ſicut nec ipſe ſibi ab illo vult fieri, de quo iuſtè conqueri queat. Ad hanc autem proximi dilectionem illa

duo

Digitized by Google

duo naturalis legis præcepta pertinent: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Et, *quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*. Quorũ quidem præceptorũ intelligentia quæ ſit habenda, non fortaſſis omnibus patet. Sæpe enim alijs ex caritate honorem aut beneficium impendimus, quod ab alijs ſuſcipere recuſamus, vel ſæpe alios pro iuſtitia punimus, vel etiam interficimꝰ, cùm hoc ab alijs nullo modo pati velimus. Quis etiam neſciat nonnunquam nos velle ipſa nobis fieri quæ non conuenit? non tamen ideo nos alijs ea facere debere. Vt ſi velim mihi aſſentiri in malo, nũquid alijs ſimiliter aſſentiri debeo ad peccandum? Sæpe etiam Prælati de ſubditis exigunt talia obſequia quæ nequaquam conuenit eos ſubditis reddere, & pauperes à diuitibus multa ſibi fieri volũt, quæ minimè ipſi alijs facere poſſunt: vt videlicet hoc implere queant, *quæ vultis vt faciant vobis*, &c. niſi forte dicatur hoc non eſſe generale præceptum, ſed his tamen hoc præcipi, qui vicem beneficiorum referre poſſunt, ſicut & cùm dicitur, *date eleemoſynam*, vel, *frange eſurienti panem tuum*, ijs tantum qui hoc poſſunt iniungitur. Vt autem breuiter objectis reſpondeamus, cum dicitur, *Quod tibi non vis*, &c. & *quod vultis vt*, &c. ſic accipi debent, vt illud de iniurijs cauendis, iſtud de beneficijs impendendis intelligas, ac ſi dicatur: Sicut iniuriari non vis, ſic ab alienis abſtine offenſis, & ſicut tibi in neceſſitatibus tuis vis miſericorditer ſubueniri, ita & alijs ſubueni ſi poſſis in ſuis. Nemo autem bonus ſe id poſſe fatetur, qui ſui iuris non eſſe, vel ſibi minimè conuenire credit. Cùm autem Deus propter ſe tantum ſit diligendus, proximus autem propter Deum, conſtat in dilectione proximi dilectionem Dei includi: cùm videlicet ſine dilectione Dei eſſe non poſſit. Vnde & cùm eam deſcriberemus prouidè propter Deum adiecimus. Dilectio vero Dei cum naturaliter prior ſit dilectione proximi, ſicut & Deus naturaliter prior eſt proximo, non ita è conuerſo dilectionem proximi neceſſariò cõprehendit, vt ſine proximo Deus diligi ſicut eſſe poteſt. Vnde benè dilectionem proximi, quam dilectionem Dei legem adimplere videtur Apoſtolus dixiſſe. Non immeritò quæri poteſt, ſi eos quoque diligere debeamus, qui in inferno ſunt, vel qui prædeſtinati ad vitam non ſunt, aut ſi ſancti in alia etiam vita omnem proximum ita vt ſe diligant, tum eos ſcilicet quos dam-

Digitized by Google

natos iam vident vel damnatos Deo reuelante præuident, quã electos. Sed cùm in proximo ſicut diximus omnis homo ſit intelligendus, quomodo dilectionẽ proximi retinebunt, ſi quoſdã non diligant, aut quomodo ibi quàm hic perfectiores habentur ſi in eis dilectio proximi ſit cõtracta vel diminuta? Neque enim cũ ſanctos Angelos diligamus, peruerſos diligere debemus. Quomodo ergo rationalis eſt vel eorum vel noſtra dilectio, ſi in ipſa etiam diaboli mẽbra cõplectamur? Nunquid quia in hac vita qui prædeſtinati ſint vel non ſint ignoramus, ideo rationabiliter omnes diligimus, vel pro omnibus etiam oramus? aut ſi hoc fieri rationabile non eſt, quomodo id facere iubemur pro ipſis, & non potius pro nobis, cùm nobis magis quàm ipſis proficiat? Quomodo etiam recta intentio quæ erronea? quia enim id eis profuturum eſſe credimus id agimus, aut ſi nos adhuc ignorantia excuſat, quid de hoc reſpondemus quod cum non omnes ſaluandos eſſe ſciamus, vel pauciſſimos iuxta illud veritatis, *multi vocati pauci verò electi*: &, *arcta eſt via quæ ducit ad vitam, &c.* tamen omnes ſaluari volumus, & pro omnibus oramus, ſcientes ſcilicet nec noſtram voluntatem nec orationem effectum conſequi debere? Sed dicis illud Auguſtini: Habe caritatem, & fac quicquid vis. Et recordaris illud Hieronymi, Caritas menſuram non habet. Vnde ſæpe caritas modum nos ita excedere compellit, vt fieri velimus quod fieri nequaquam bonum eſt aut iuſtum, & è contrario nolle fieri quod fieri bonum eſt, ſicut interfici ſanctos vel affligi qui etiam eis cooperantur in bonum. Sed hanc Ethicæ noſtræ reſeruamus diſcuſſionem.

Et *hoc ſcientes.*] Sic conſtrue. Et hoc ſcientes tempus, quia *hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.*] Abijciamus opera tenebrarum, &c. de ſomno & negligentia vel torpore boni operis. Cùm dicit, hora quæ modicum eſt tẽpus, non dicit vel hebdomadam ſeu menſem vel annum, ſine dilatione nos id facere adhortatur. Quo enim breuius eſt tempus quo aliquid eſt agendum, citius hoc faciendum eſt. *Non enim*] Ideo celeriter ſurgendum nobis eſt à ſomno, quia non iam fidei noſtræ bonis operibus ſuperadditis propinquiores ſumus ad percipiẽdum æternæ vitæ brauium, *quia eum* primo *credimus*] in ipſo ſcilicet noſtræ conuerſionis exordio. Metaphora quæ ducitur à ſomno, iam nobis ſurgendum eſſe conuenientibus

Digitized by Google

proſequitur verbis, dicens iam noctem præceſſiſſe, quæ dormitionis eſt tempus,& diem adueniſſe. Nox ignorantia ſalutis eſt, dies cognitio vel illuminatio. Non mirum dum hac nocte premebamur, ſi pigri ad operandum eramus. Expulſa eſt cæcitas infidelitatis de cordibus adueniẽte doctrina Chriſti qui ait, *Ego ſum lux mundi.* Nec tam nos ab hac nocte quàm ipſa à nobis receſſit, nec tã nos ei quàm ipſa nobis appropinquauit: quia nobis nequaquam id requirentibus diuina ſic operata eſt gratia, ſicut de ipſo ſcriptum eſt Domino, *Inuentus ſum à quærentibus me, &c. Abijciamus ergo.*] Quandoquidẽ .ſ. nox iſta iam præceſſit,& dies appropinquauit. Nec dicit iã abijciantur ſed abijciamus, quia iam per fidem illuminati operari valemus. *Opera tenebrarum.*] Dicit mala opera iuxta illud veritatis, *Omnis qui male agit odit lucem*, vel opera infideliũ & tenebroſorum, quibus nondum ſol iuſtitiæ ille ortus eſt, vt eorũ illuminet corda. *Arma lucis*] virtutes ſunt fidelium quibus contra vitia vel diabolicas tentationes dimicant. Sic, inquam, induamur arma lucis, vt ita induti honeſtè ambulemus tanquã in die, quando precioſioribus indumentis quiſque induitur, *Non in*] quæ ſint abiicienda opera, prius docet, *Non in commeſſationibus*, ſubaudi ambulemus. i. pedes noſtros qui affectus animi intelliguntur, in iſtis non ponamus. Commeſſatio dicitur conuiuium de diuerſis familiis cõgregatum, vbi quiſque de ſuo aliud ponit, & ideo ſecurius comedit tanquam de ſuo veſcens atque auidius, ne quaſi minus cibi conſumens& æqualiter expendens iniuriari videatur,& tanto licentius gulæ indulget, quando plurimorum exemplis incitatur. Dicitur itaque commeſſatio quaſi corporis vt dictum eſt eſus, à comedendo. i. ſimul edẽdo. Hieron. Commeſſatio eſt menſæ collatio. Quales quidẽ commeſſationes & Salomon in Prouerbiis interdicens ait, *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in commeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt, quia vacantes potibus& dantes ſymbola conſumentur.* Haymo. Cõmeſſatio dicitur menſæ alternatio: ſunt enim conuiuia quæ celebrantur alternatim, & præparantur à ſocijs per dies & vices. Sunt alia quæ ex communione, quando vnus affert panem, alius carnes, alius vinum, &c. Bria genere maſculino dicimus calicem aptum potationi, à quo dicitur ebrietas, quæ eſt potatio nimia. Quod autem hoc loco dicit Apo-

ſtolus, *non in commeſſationibus & ebrietatibus*, ad illud reſpicit quod in Euangelio Dominus ait, *videte ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate* .i. ſuperfluo cibo & potu.

NON *in cubilibus*] Quæ commeſſationes & ebrietates ſequantur, conſequenter adiungit, vt eo amplius vitentur, quo ex eis peiora proueniunt. Cubilia proprie ferarum ſunt, vel irrationalium animalium, quibus ebriorum lecti comparantur, in quibus, imagine Dei .i. ratione per ebrietatem extincta, facti ſunt ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Ebrietatem quoque impudicitia ſequitur. Vnde & idem alibi adhortatur Apoſtolus : *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quod peſſimo nobis exemplo B. Loth ebrietas exhibuit. Tale eſt ergo in cubilibus & impudicitijs, ac ſi diceret in cubilibus impudicis, vbi abſque omni reuerentia quaſi pecudes ebrij luxuriantur. Ad has maximè commeſſationes & ebrietates impudicitiæ prædicator Ouidius fornicarios venire adhortatur, vt inde facile fornicationum ſuarum occaſionem aſſumant. *Non in contentione*] Tumultuoſa eſt ebrietas, & facile in contentionem prorumpit, vt litiget. Emulationem dicit zelum malum, ideſt commotionem odij in alterum, quod maximè ex conuicijs vel iniurijs contentiones ſequantur: fere enim omnes & maximè liberales homines magis ex turpitudine verborũ quàm ex iactatione dãnorum in odium accenduntur. Poſt opera tenebrarum, quæ abijcienda dicit, arma lucis .i. virtutes Chriſti quas induamur ſupponit dicens, *ſed induimini*] Agnum vel leonem induere dicitur quicunque habitum manſueti vel crudelis aſſumit: Sed & Chriſtum qui plenitudo eſt omnium virtutum induere dicitur, qui eius ſequendo veſtigia, omnibus pro poſſe ſuo ſtudet ſe adornare virtutibus. Dicit idem Apoſtolus alibi de Chriſto : *Qui factus eſt ſapientia nobis à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio.* Ac ſi apertè dicat. Eum nobis omnes virtutes fieri, vt cùm virtutibus adornamur Chriſtum induere recte dicamur. Et vt ſpecialiter Chriſtum induere poſſitis, carnaliter ne viuatis, cùm videlicet caro aduerſus ſpiritum concupiſcat .i. Chriſtum, *Curam ne feceritis in deſideriis*] in deſiderijs, inquit .i. non in ſuperfluitate voluptatum, ſed in neceſſitate alimentorum. Oportet enim & corpori quoque noſtro neceſſaria impendi, ſicut ſuperflua ſubtrahi : vt vide-

Digitized by Google

licet naturæ ſubſtantia conſeruetur, & vitiorum fomenta denegentur. Non ergo ait ſimpliciter, *carnis curam ne habueritis*, ſed, *in deſideriis* .i. in voluptatibus potius quàm in neceſſitatibus. Non enim naturæ, ſed vitiorum hoſtes eſſe debemus.

INFIRMVM *autem*.] Cum ſuperius dixiſſet, *non in contentione*, hîc præcipuè cuidam peruerſæ contentioni in primitiua Eccleſia ſtatim expoſitione finem imponere ſtudet. Quidam enim ad fidem nouiter conuerſi Iudæi & nondum de libertate Chriſtianæ fidei ſatis inſtructi, putabant adhuc etiam carnales obſeruantias legis retinendas eſſe, & præcipuè à carne porcina, & cæteris cibis quos lex interdixit, noſtrum quoque abſtinendum eſſe eo maximè fortaſſis quod quicquid abſtinentiæ eſſe videtur virtuti deputatur. Sicut ergo ſuperiùs ſuperfluas commeſſationes interdixit, hic ita ſuperfluis abſtinentijs conſulit, ne per huius contentionis diſſenſionem infirma adhuc .i. imperfecta Iudæorum conuerſorum à Deo ſcandalizaret, vt ad Iudaiſmum redirent, ſi ab his .ſ. interdicerentur abſtinentijs, quas lex antea ſanxerat, immò ipſe Dominus per legem, vnde his qui inter Romanos perfectæ fidei vel doctrinæ iam ..... erant, conſulit Apoſtolus, vt ſi quis de nouiter conuerſis Iudæis adhuc infirmus .i. imperfectus in fide ſit, nondum .v. credens Chriſtum ſeu Euangelicam doctrinam ad ſalutem ſufficere ſine carnalibus legis obſeruantijs, non ideo eum abijciant, ſed aſſumant eum venientem ſcilicet ad conuerſionem, non diſceptantes de cogitationibus eius .i. de hoc quod in talibus credit, non contendentes: facile enim contingere poteſt vt qui in exordio ſuæ conuerſionis imperfectæ eſt fidei, paulatim poſtmodum inſtructus ad perfectionem perueniat. *Alius enim*] vnde diſceptationes huius ſint exponit dicens, quia alius quam ille ſ. præmiſſus, qui imperfectæ eſt fidei. *Credit ſe manducare omnia*].i. licere ſibi quibuſlibet cibis veſci, vt nullum .v. indè reatum propter legem incurrat. *Qui autem*] Ac ſi diceret, ſed qui hoc non credit, abſtineat ab his .ſ. quos v..... cibis, ne .v. contra conſcientiam propriam agens peccet. Et hoc eſt: Qui infirmus eſt, in hac ſcilicet fide verborum timens .ſ. ſe contaminari quibuſdam cibis, *olus manducet*] .i. id ei conſulo, vt eis vtatur cibis, quos & facile poſſit habere, & minus ſcãdali alijs inde præbere, & nonnullam etiam ſuæ Religionis commen-

CAP. XIIII

dationem accipere. Si enim alias carnes ederet, alias non; facile iudaizare conuinceretur. Sed cùm ab omnibus communiter abſtinet, & vilioribus cõtentus eſt cibis, religioni potiùs quàm errori fidei deputatur.

Is *qui*] Poſtquam dixit in talibus non eſſe contendendũ, dicit etiam non ab altero in corde ſuo, & quaſi damnandum cenſeat, qui non manducat omnia .i. à quibuſdam abſtinet. *Et qui non manducat*] ſcilicet omnia ſimpliciter, nõ ideo iudicet i. damnandum cenſeat manducantem, quaſi legis tranſgreſſorem. *Deus enim illum*] tam ſcilicet qui manducat quàm qui abſtinet, aſſumit, non abjicit: multi etenim ad fidem conuerſi ſunt in multis adhuc errantes, & poſtea paulatim inde correpti & edocti ſunt. Nota quod ait *aſſumpſit*] potiùs à Deo quàm per ſe venientem iuxta illud veritatis: *Nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum. Tu quis es.*] Ac ſi diceret, Quem te eſſe exiſtimas, qui præſumis ſeruum alterius iudicare. i. de his quæ agenda ſunt ei pro tuo arbitrio diſponere? Quod eſt dicere: Dimitte hanc ordinationem vitæ ſerui Domino ſuo, qui vel per ſeipſum vel per vicarios ſuos de his cùm voluerit eum inſtruat, non tu qui conſeruus es nec veniſti imperare, ſed obedire ſicut & ille: */uo Domino*] .i. arbitrio Domini ſui tam bonus eius ſtatus in fide, vnde lapſus in errorẽ relinquendus eſt, & ad ipſum tantummodo ſpectat vtrumque à quo ipſe quod meruerit recepturus eſt. *Stabit autẽ*] ac ſi diceret, dixi, */tat aut cadit.* Sed quia quæ dicta ſunt in meliorem partem interpretari vel exponere debemus, dico potius ſtabit .i. non propter hoc damnabitur, quod vel zelo legis abſtinet, ne contra conſcientiã peccet. *Potens eſt enim*] Ac ſi diceret, Ideo quidẽ melius eſt opinor vel caritatiue aſſero, quia nil aduerſari videtur quin hoc ſperandum non ſit. Et hoc eſt, *Potens eſt Deus, &c.* Ideo enim Deus poſſe dicitur quod ne ab eo fiat nulla impediri ratione videtur .i. vel authoritate contradicitur. Tale eſt ergo, *potens eſt Deus*, ac ſi dicatur. Nulla ne hoc faciat contraire ratio videtur. *Nam alius*] vnde ita alij alios iudicent vel reprehendant ſubiungit Apoſtolus, ex proprijs ſcilicet conſcientijs, cùm alius ſcilicet cenſeat obſeruandum in abſtinentia ſupradictorum *diem inter diem*] .i. diem aliqua alia die interpoſita, ſicut modo quarta & ſexta feria, quibus maximè ab omnibus quoque carnalibus abſtineri ſolet prop-

Digitized by Google

ter edomandam ſcilicet carnem, non propter aliquod legis mandatum. *Alius omnem diem*] ſcilicet obſeruandum eſſe, ab his videlicet carnibus, quas lex interdicit.

VNVSQVISQVE] in talibus his ſcilicet diiudicandis vel deliberandis, de quibus nulla adhuc diſcuſſio vel ratione vel authoritate facta eſt. *Abundet in ſuo ſenſu*] .i. ſuam magis opinionem quàm alterius ſequatur. Nondum enim ab Apoſtolo vel alijs doctorib⁹ manifeſta ratio tradita Romanis iſtis fuerat, cur propter præceptum legis hæc abſtinentia ſeruanda non eſſet. *Qui ſapit diem*] Ac ſi diceret, Ideo quiſque noſtrum in talibus adhuc prorſus iudicio relinquatur, quia aliter contra conſcientiam agendo peccaret, ſicut poſtmodum ſcilicet dicitur quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, & hoc eſt, *Qui ſapit diem*, hoc eſt credit aliquam obſeruari debere, ad honorem Domini hoc facit, cui .ſ. per abſtinentiam hanc moderatam placere ſe credit. *Et qui manducat*] .i. à nullis ſibi vnquam abſtinendum credit, cùm videlicet nullam rebellionem carnis quæ domanda ſit ſentiat, vel infirmitatem patiatur quæ abſtinentiæ contraria ſit. Nondum enim in tempore Apoſtolorum quadrageſimæ vel ſextæ ferię ſic inſtitutam eſſe abſtinentiam vel confirmatam credimus. *Domino manducat*] .i. ad honorem eius ſimiliter, propter hoc videlicet quod ſtatim ſubiungit, quia *gratias ei agit*] .i. laudē refert, de refectione ſcilicet ab eo ſibi præſtita. Ex quo propendendum eſt, quantæ ſit culpæ has grates poſt cibum Domino non referre. *Et qui non manducat*] .i. penitus abſtinet propter legem ab his quæ ipſa prohibet ad honorem Domini, non manducat .i. abſtinet. Non enim hanc obedientiæ reuerentiam legi exhibet, niſi propter Deum qui eam dedit, & cùm abſtineat inſuper de perceptione alterius cibi conceſſi, & à Deo præſtiti, gratias agit. *Nemo enim*] Ideo & manducans & abſtinens ad honorem Dei hoc agit, quia ſemper tam viuendo ſcilicet quam moriendo electi Dominum honorant atque glorificant: viuendo quidem glorificant iuxta illud veritatis, *luceant opera veſtra bona, vt glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Mors quoque iuſtorum Dominum glorificat, ſicut de Petro dicitur *ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum*, quādo nec in exitu quoque ſuo iuſtus à bonis operibus & oratione & à laude ſui creatoris ceſſat. Tanto enim

ſollicitius quiſque ſe præparat, quanto amplius ad coronæ ſuæ perceptionem propinquat. Sibi viuere vel ſibi mori dicitur, qui ad cõmoda ſua vel propter gloriã potius quàm ad honorem Dei diſponere intendit. Multi etenim morte quoque ſua magnitudinem animi ſui oſtentantes, gloriam ſibi acquirere cupierunt, vel ſibi etiam inferentes manus morte cruciatus ſuos finendos eſſe crediderunt.

SIVE *ergo*] Quandoquidem ſcilicet nos electi Deo, non nobis, vt dictum eſt, viuimus aut morimur. ergo morimur. Ac per hoc ſiue viuimus .i. tam vita noſtra quàm mors Deo potiùs, ad cuius honorem fit, quàm nobis eſt aſcribenda .i. eius potius pro hoc dicenda eſt quàm noſtra. *In hoc enim*] ac ſi diceret. *In hoc quod mortuus eſt*] pro nobis ſcilicet & propter iuſtificationem noſtram, ſicut idem ſupradixit Apoſtolus, meruit tam morti noſtræ quàm vitæ dominari, vt ſicut vtrũque fecit pro nobis, ita tam moriendo quàm viuendo non niſi ei obedire, & eius voluntatem implere quæramus. Aliter enim mortuorum Dominus non eſt, ſed quaſi hoſtis puniendo, niſi etiam vſque ad mortem in eius obedientia perſiſtamus, parati animam non ſolum propter eius confeſſionem, ſed etiam pro fratribus ponere. *Tu autem qui*] Poſt quam dixit, *Tu quis es qui i. a. s.* addit nunc, *fratrem tuum*, vt ſi hoc videlicet pro iniuria quam facit Domino ſuo non dimittit, ſaltem pro fraterna dilectione, ne ſcilicet fratrem ſuum ſcandalizet, eum ſic iudicare deſiſtat. Aut ſi non iudicas, quare *ſpernis*] in talibus vbi magis intentio quàm actio diſcutienda eſt, cum nondum videlicet inde certa ſit prælata ſententia. Pro talibus enim & ſimilib⁹ diffiniẽdis vnde Romani altercabantur, in ipſo Epiſtolæ ſuæ principio Apoſtolus dixit ſe ad eos deſiderare venire, vt aliquẽ in eis ſicut & in cæteris gentibus fructũ haberet. *Quis enim*] Ac ſi diceret, Non ita præſumatis dubia iudicare, qui de cæteris à Deo cũ alijs omnibus hominibus eſtis iudicandi: ſed ei potiùs hoc iudiciũ reſeruate, qui omnibus habet iudicare. Et hoc eſt, *oẽs enim*] vnde & Veritas, rectè de *Nolite iudicare, & non iudicabimini* .i. nõ appetatis iudicare, ne hinc quoq; iudicemini atq; damnemini. Et ipſe alibi cens Apoſtolus, *Nolite ante tempus iudicare quoaduſque, &c.* Si autem diligentiùs conſideremus, ſicut Dei eſt potius occidere quàm noſtrum, ſic & iudicare. Et poſtremò ſicut omnia

ad

Digitized by Google

ad gloriam eius debemus facere, ita ipſe potius per nos cuncta hæc operari debet; quàm nos ipſi. Tunc vero Deus iudicium facit potius quàm homo, quando ipſe vel per legem aliquam vel inſpirationem internam quid dicendum ſit nos inſtituit, vt à nobis recitandum poſtea ſit eius iudicium non faciendum. Tribus itaque modis de aliquo prius dubio iudicari videtur, per Dominum videlicet ipſum ſicut expoſuimus, per aliquam rei manifeſtationem, per hominem de ſua ſcilicet opinione præſumentem. Cum autem aliquo euentu rei quod dubium fuerat manifeſtatur, ipſa res iudicare, non homo dicitur. In dubijs itaque tantum homo iudicare dicitur, quod omnino prohibetur, quando videlicet propriam tantum exiſtimationem ſequens præſumit definire, cùm nec per Deum adhuc, nec per ipſam rei experientiam contingit eum certum eſſe. *Stabimus*] dicit quaſi erecti, vt cognoſci ab omnibus poſſimus, *ante tribunal*]. i. ſedem iudiciariam Dei potius qui falli non poteſt, & iuſtus eſt, quàm hominis. Hanc quidem ſedem Dei hominem à verbo aſſumptum intellige. Pater enim omne iudicium dedit filio, quia filius eius eſt. In hoc quippe homine aſſumpto filius Dei tam mortuus eſt quã reſurrexit ſicut nunc diximus, & inde maximè iudiciũ damnationis imminet, ſi mortuo pro nobis, vt dictum eſt, & reſuſcitato pro nobis tam mors noſtra quam vita inſeparabiliter non adhæreat, atque ad obediendum parata ſit.

SCRIPTVM *eſt enim.*] Iſaiæ teſtimonio probat quod omnes à Deo ſint iudicandi. *Viuo ego*] Ac ſi diceret, per memetipſum indeficienter viuẽtem iuro. Genu flectitur iudici quãdo ſuppletur eius ſententia; exſpectatur cui reſiſti non poteſt. Omnis lingua in illo iudicio confeſſionem laudis Deo faciet, quia nullius conſcientia contra illius iudicis rectitudinem murmurare poterit. Vnde mali quoque pœnitentiam inter te agentes & ingemiſcentes, hoc ipſo quod facient atteſtabuntur iuſtam te damnationis accipere ſententiam. In illo itaque iudicio tam iudicantes quàm iudicandi, vel qui iam etiam iudicati ſunt genu flectent, quoniam omnes vel timore pœnarum vel perceptæ gratiæ beneficio ſub tanto ſe iudice humiliabunt. Itaque quia videlicet ita omnes aſtabimus ante tribunal tanti iudicij. *Rationem reddet*] .i. quantum ratio exegerit recipiet à Domino de pœna vel præmio. *Non ergo.*]

Digitized by Google

Quia videlicet ipſe ita de omnibus & maximè de his quorum dubia eſt intentio iudicare habet. *Amplius*] .i. poſt admonitionem hanc noſtram ſeu præceptionem. *Inuicem*] Alter videlicet alterum pro talibus damnandum eſſe reputando, *ſed hoc magis*] .i. potius obſeruandum cenſere ne *Ponatis offendiculum fratri*] .i. ne aliquid faciatis, cuius exemplo corruptus ipſe corruat, vel ſcandalizatus & exaſperatus reprehenſione veſtra à fide recedat. Et quoniam tota hæc contentio ex cibis lege interdictis naſcebatur, dicit neminem ex qualitate ciborum contaminari, ſed ex conſcientia tantum tranſgreſſionis ſi eis contra conſcientiam veſcatur. Et hoc eſt, *ſcio*] .i. nõ ex me, ſed confidenter hoc dico, ex doctrina Domini qui ex his ſolummodo quæ de corde exeunt, non ex his quæ intrant in os, coinquinari hominẽ dicit. Et mittens ad prædicandũ diſcipulos ait, *edentes & bibentes quæ apud illos ſunt*, quia nullus cibus communis & immundus eſt per ipſum .i. ex ſemetipſo, ſed potius ex conſcientia comedentis. Et hoc eſt, *Niſi ei*] Ac ſi diceret, ſed ei qui exiſtimat quem .i. aliquem cibum eſſe immundum .i. animam ſuam inde pollui, illi immundus eſt, quia contra conſcientiam ſuam illum comedendo peccat. Quæ communicantur ſiue publicantur, tantò amplius immunda ſunt quanto minus cuſtodiuntur: ideoque commune pro immundo ponitur. Vnde & in actibus Apoſtolorum inquit Origenes, Dominus dicit ad Petrum, *Quod Deus mundauit tu ne commune dixeris*. Marcus etiam Euangeliſta communicare pro coinquinari ponens ait, *Non intelligitis quod omne extrinſecus introiens in hominem non poteſt eum communicare, quia non introit in cor eius, ſed in ventrem vadit. Quæ de homine exeunt illa communicant hominem. Si enim.*] Dixi, non ponatis offendiculum fratri, Quia quiſquis es, ſi propter cibum tuum, &c. i. ſi ſuſtines eum ſic offendere. *Noli*] Poſt offendiculum vetat etiam ſcandalum, quia offenſus facile recederet à fide. *pro quo*] ſcilicet ſaluando, *etiam Chriſtus*] Ac ſi diceret, ne paruipendas ſalutem eius, pro quo tantum precium datum eſt.

NON *ergo*] generaliter admonet nos vitare blaſphemiam omnem, per quam videlicet à noſtra fide alios repellamus, ac ſi dicat: Quia videlicet exemplo Chriſti lucrandi ſunt potius homines nobis quàm perdendi, caueamus facere quantum

poſſumus per quod bona noſtra fides blaſphemetur. *Non eſt*] .i. nullo genere cibi vel potus promeremur vt Deus in nobis regnet vel habitet. Quæcunque enim exterius bene fieri videntur, & maximè quæ ad abſtinentiam pertinent, æquè reprobis vt electis communia ſunt, & hypocritis ſicut veris fidelibus, *Sed iuſtitia*] æquitas illa per quam quod tibi non vis alteri ne facias, *& pax*] inde .i. proueniens à concordia cum fratribus, & deinde *gaudium*] ſpirituale hinc exortum, *in hoc*] ſcilicet quod dixi, vt ſcilicet ſcandalum fratris vitet & iuſtitiam ſectetur & pacem, vt dictum eſt. *ſeruit Chriſto*] hoc eſt, ei hoc præcipienti obedit, *& probatus eſt*] .i. hominum quoque iudicio probatur, laudatur atque commendatur. *Itaque*] i. & ita .ſ. vt dixi ſcandala vitando prius quæ ad pacem pertinent, vt dixi *ſectemur*] .i. maximè ſtudeamus concordiam teneri, cum fratribus quoque vt dictum eſt infirmis, & ſic poſtmodum quæ ſunt ædificationis, *inuicem cuſtodiamus*] .i. alter qui perfectioris eſt fidei alterius imperfectam adhuc fidem inſtruat, & ad perfectionem promouere intendat. *Noli*] tu .ſ. qui perfectiorem habens fidem omnia comedis, ſcandalizando nouiter conuerſum, & adhuc infirmum fratrem, *Opus Dei*] .i. illud fidei quod iam habet in eo deſtruere. *Omnia quidem*] Ac ſi diceret, Reuera tecum aſſentimur, quia nulla genera ciborum eſu ſuo polluunt animam, ſed damnoſum eſt tamen hoc ſcienter comedere, vbi offenditur frater. *Bonum eſt homini*] Ac ſi diceret, ita vt dixi comedere malum eſt, ſed è contrario penitus abſtinere propter offendiculum fratris vitandũ ſalubre eſt, exẽplo Daniel qui à vino quoque infidelis regis abſtinebat, Iudæi etiam conuerſi ab omni vino infidelium abſtinendum cenſebant. *Offenditur*] penitus à fide recedendo vel ſaltem ſcandalizatur .i. apud ſe perturbatur quaſi talem fidem, ad quam conuerſus ſit, iudicans legi contrariam & peruerſam. *Aut infirmatur*] in fide ſcilicet ſuæ profeſſionis de ipſa dubitando ſi non penitus eam damnando. *Tu fidem*] Ac ſi diceret, tu quidẽ qui omnia credis manducanda, *habes fidem apud te*] .i. hoc eſt tuo iudicio approbatam, ſed, *habe illam & coram Deo*] .i. vt ei placeat & eius iudicio approbetur. Ea enim quæ coram nobis ſunt videre poſſumus atque cognoſcere, & ea Deus ſcire dicitur quæ approbat, & neſcire quæ reprobat.

BEATVS *eſt*] ſubaudi *qui non iudicat ſemetipſum*] hoc eſt qui non acquirit ſibi damnationem ex his quæ ipſe potiùs quàm Deus probat .i. approbat, vel non improbat eſſe faciẽda: ac ſi diceret, qui tantæ diſcretionis eſt vt etiam de his quæ credit licite fieri ita peruidet, ne ipſa indiſcretè faciendo dãnationẽ vel iram Dei incurrat. Vt enim Salomon ait, *ſunt viæ hominis quæ videtur rectæ, nouiſſima autẽ illarũ deducunt ad mortẽ.* Et ad Cain Dominus ait, *Nonne ſi recte offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti? Qui autem*] Ac ſi diceret, ſicut ille beatus eſt, qui à licitis abſtinet, ne his indiſcrete vtendo ad ſcandalũ, ſcilicet fratris damnationem incurrat, ita è contrario ille qui contra conſcientiam ſuam illicitis vtitur, peccat. Et hoc eſt, Qui autem diſcernit. i. diſtinguit quoſdam cibos edendo, eos ſcilicet propter prohibitionem legis non eſſe comedendos, & tamen contra cõſcientiam ſuam eos comedit, dum videlicet credit ab ipſo non debere comedi, reus per hoc ſtatuitur, quia non ex fide eſt quod facit, immò contra fidem ſuam agit, ideſt contra hoc quod credit agit. Credit enim non eſſe comedendum, & tamen comedit, acper hoc peccat. *Omnem enim*] ac ſi diceret, Quia quicquid contra hoc quod creditur fit, ſiue in eſu ſiue in alijs, *peccatum eſt*] Deus enim qui cordis inſpector eſt, non tam quæ fiunt quàm quo animo fiunt attendit. Non immeritò autem quæri poteſt de his qui interficiebant fideles quos ſeductores putabant, iuxta illud veritatis, *venit hora vt omnis qui interficit vos a. o. s. p. Deo*, vtrũ in hoc peccauerint. Si enim credebant eos ſeductores animarum, & ideo dignos morte, quomodo contra conſcientiam ſuam eis parcere debebant? Quippe ſi parcerent, contra conſcientiã ſuam agerent, & ita peccarent. Sed rurſus cum interficiunt innocentes, immò electos Dei, quod iniquum eſt, dicemus eos non peccare, aut eos in hoc bonam intentionem habere, quia maximè errat, ideoq; bona æſtimatur potius eſſe quàm ſit. Quomodo etiam ignorantia excuſat eos à peccato cùm cõſtet nõnulla etiã peccata ignorãtię dici? Alioquin quomodo Pſalmiſta diceret ad Deũ: *Effunde iram tuã in gentes, quæ te non nouerunt.* Et Veritas de perſecutoribus ſuis, *Pater ignoſce eis, quia neſciũt quid faciũt.* Vbi enim culpa non præceſſit, quid eſt opus ignoſcere? Si enim ignorantia vel etiã fidei error excuſet penitus à culpa, vnde Iudæi aut Gentiles, vel quilibet infideles de infidelitate ſua dãnandi ſunt, cùm vnuſquiſq; fidem

Digitized by Google

ſuã rectã eſſe putet? Quis enim ſponte in ea perſiſtat fide, quã erroneam credat, vt ſibi partem eligat deteriorem? De talibus tamen Veritas ait, *Qui non credit, iam iudicatus eſt*. Sed huius rei diſcuſſionem Ethicæ noſtræ reſeruamus.

QVAERENDVM quoque arbitror cur hoc loco Apoſtolus conſulat alimentis & cibis propter ſcandalum infirmorũ fratrum abſtinendum, cùm in Epiſtola ad Galatas dicat ſe in hoc Petro reſtitiſſe, quia reprehenſibilis erat, ſed hoc definiẽdum illi loco reſeruamus. Quærendum etiam ſi iuxta ipſum Apoſtolum omnia munda mundis, & nil reijciendum in cibis quod cum gratiarum actione percipiatur. Cur enim Apoſtoli vel ſancti Patres quædam nobis in cibo ſicut etiam lex interdixit? Vnde etiam in Actibus Apoſtolorum continetur, *Surrexerũt quidam de hæreſi Phariſæorum qui crediderant, dicentes quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque lege Moyſi, Surgens Petrus dixit ad eos, Quid tentatis Dominum imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluari quemadmodum & illi.* Item reſpondens Iacobus & dicens, *Notum à ſeculo eſt Domino opus ſuum, propter quod ego iudicio non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, ſed ſcribere ad eos vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulacrorum & fornicatione & ſuffocatis & ſanguine.* Moyſes enim à tẽporibus antiquis, habetur in ciuitatibus ſingulis quæ eum prædicant, in ſynagogis vero per omne ſabbatum legitur. Origenes in hac Epiſtola ſupra vbi ſcriptum eſt, *ſi igitur præpucium legis, &c.* Vis autem videre vſque ſanguis eſt ipſius, quod inuenies ſuperius in 11. quaternione Ambroſ. in Epiſ. ad Galat. de Apoſtolis. Præterea cum legem dediſſent, non moleſtari eos qui ex gentibus credebãt, ſed vt ab ijs tantum obſeruarent. i. à ſanguine & fornicatione & idololatria, non vtique ab homicidio prohibiti ſunt, cum videntur à ſanguine obſeruare: Sed hoc acceperunt quod Noe à Deo didicerat vt obſeruarent à ſanguine edendo cum carne. Quæ ſophiſtæ Græcorum non intelligentes, ſcientes tamen à ſanguine abſtinendum adulterarunt, ſcriptum quartum mandatum addentes, & à ſuffocato obſeruandum, quia iam ſupradictum erat quod addiderunt. Hieronymus in Ezechiel. Omne morticinium & captum à beſtia de auibus & pecoribus non comedunt Sacerdotes, & iuxta litteram omni

generi electo, regali ſcilicet & ſacerdotali, quod propriè ad Chriſtianos refertur, qui vncti ſunt oleo ſpirituali, de quo ſcriptũ eſt: *Vnxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis.* Hęc præcepta conueniunt, vbi morticinium non comedant tam de auibus quàm de pecoribus, cuius nequaquam ſanguis effuſus eſt. Quod in actibus Apoſtolorum dicitur ſuffocato, & quia neceſſario obſeruanda Apoſtolorum Epiſtola monet, & capitur à beſtia, quia & ipſe ſimiliter ſuffocatus eſt. Ex pœnitentiali Theodori. Animalia quæ à lupis ſeu canibus laceranturnon ſunt comedenda, nec auis nec capra ſi mortui inuenti fuerint, niſi forte ab homine adhuc viua occidantur priùs, ſed porcis & canibus dentur. Aues verò & animalia cætera ſi in retibus ſtrangulentur, non ſunt comedenda, nec ſi oppreſſerit accipiter, & ſi ſic mortua inueniuntur, quia in Actibus Apoſtolorum præcipitur abſtinere à fornicatione, à ſanguine ſuffocato, & idololatria. Itẽ ſi porci vel gallinæ ſanguinem hominis comederunt, mox occidantur, & penetralia proijciantur, & cætera caro manducetur: ſi autem tardatur occidi non comedantur: ſi autem cadauera laceraverint mortuorum macerentur, & poſt anni circulum comedantur. Si autem porci occiderint hominem, ſtatim interficiantur, & ſepeliantur. Item, Qui manducat carnem immundam aut morticinam aut dilaceratam à beſtijs, quadraginta dies pœniteat. Si autem neceſſitate famis contingat, multo leuius eſt. Item, Qui ſanguine vel quocunque immundo polluitur, ſi neſcit quod manducat leue eſt. Item, Qui ſanguinem aut ſemen biberit pro aliqua re, iiij. annis pœniteat. Item, piſcis mortuus inuentus in flumine non eſt edendus. Si verò piſcando tactus fuerit & ipſo die inuentus, qui non hæſitat mãducet: qui autem dubitat, non manducet. Ex Concilio Gangrenſi poſt Nicenum Concilium cap. 11. Si quis carnem mãducans ex fide cum religione præter ſanguinem & idolis immolatum & ſuffocatum ediderit, condemnandus tanquam ſpem non habens quid eas manducat, anathema ſit. Auguſt. de fide ad Petrum, Firmiſſime tene, & nullatenus dubites omnem creaturam Dei bonam eſſe & nil rejiciendũ eſſe quod cum gratiarum actione percipitur: & Dei ſeruos qui à carnibus aut vino abſtinent, non tanquam immunda quæ à Deo facta ſunt reſpuere, ſed à fortiori cibo & potu pro

Digitized by Google

ſola corporis caſtigatione abſtinere. Sed ſi hæc in Apoſtolis & Apoſtolicis viris, quæ contraria vidētur diliguntur, in ipſa radicis intentione diſcutiamus, reperiemus hæc & illa pro tēpore & loco modo prohibenda eſſe modo concedenda, & nonnunquā in aliquibus prohibēdis magis de honeſtate vitæ quàm de religione fidei præuiſū eſſe. Sic enim in Examer. B. Ambroſ. allium quod ad medicamen ſumi concedit, ad cibū ſumi interdicit: quod .ſ. fœtore ipſi⁹ honeſti viri facile ſcādalizētur. Sic & de nōnullis alijs vilibus cibis propter honeſtatem conſeruandam fieri credimus. Nec mirum etiam ſi ea diſcretione, qua Apoſtolus hic à cibis quibuſdam eſſe abſtinendum propter ſcandalum ſcilicet infirmorum fratrum, & Iacob in primitiua Eccleſia quæ infirmæ adhuc fidei erat, eorum interdixit eſum, in quibus fideles tunc maximè offendi conſiderabat. Nam & Apoſtolus ipſe cùm penitus circūciſionem interdicat, ad horam tamen ei ceſſit, Timotheum circumcidi permittendo, vel ſeipſum etiam in ritu Iudaico cum quibuſdam conuerſis Iudæis conſecrando. Quod ergo aliqui ſanctorum Patrum in quibuſdam locis vel temporibus propter ſcandalum eorum, cum quibus conuiuebant, rationabiliter prohibuerunt, poſtmodum alij fide noſtra iam optimè roborata laudabiliter conceſſerunt. Alioquin Moyſi Apoſtolus inueniretur contrarius, ſi videlicet quod vno tempore prohibitum eſt vel permiſſum, ſemper eſſet tenendum. Nonnulla etiam quæſtio eſſe poteſt de Iudæis ſeu proſelitis ante aduentum Chriſti per legis obſeruantias profeſſionem ſuam ſeu votum facientibus, vtrum poſtmodum ad fidem conuerſi votum illud vel in cibis vel in alijs tranſgredi queāt. Tunc quippe ſtatum ſuum adhuc lege retinente legitimè factum fuiſſe votum huiuſmodi videtur. Vnde nequaquam violandum eſſe videtur, nec ille qui tunc illud fecit poſtea factus Chriſtianus ab abſtinentia illa ciborum abſolutus eſſe videtur: maximè cùm remiſſius viuatur à nullis abſtinendo, quàm à quibuſdam: nec votum legitime votum bene quis intermittat, niſi ad maiora conſcenderit, quæ illud tenere impediant. Ad quod quidem reſpondendum arbitror, quod ſi hoc non tam pro antiſtatelegis non obſeruet, quàm pro voti ſui diſpoſitione, nequaquam culpandus eſt, nec ab hoc abſoluendus eſt voto, niſi fortè propter aliquorum ſcandalū eum

adhuc in hoc Iudaizare credentium, quasi nunc quoque statum suum legitime retinere crederet, & ob hoc abstineret. Videtur nec tale votum legitimè vel rationabiliter tunc esse factum, sed per errorem ab eo in professionem illud promissum esse, cum legem scilicet in pristino vigore suo perseuraturam crederet.

DEBEMVS] Dixi superius nil esse commune, immò omnia munda fidelibus, sed tamen debemus eorum qui aliter credunt & infirmiores sunt in fide debilitatem tolerare, & *non nobis placere*] .i. non nostram de eis voluntatem implere, ipsos scilicet repellendo, sed eorum quærere salutem, eos scilicet tolerando. Placeat, .i. placere studeat in eo quod culpabile non est, propter *ædificationem*] scilicet ipsius. Aliter enim à nobis ædificari non poterit nisi nostram doctrinam susceperit, & hoc exemplo Christi faciamus. Et hoc est, *& enim.*] .i. homo ille assumptus à verbo, qui secundum eius vnctionem specialiter Christus dicitur, non tã humanę quàm diuinæ voluntatis placitum implere studuit. Vnde & ipsemet ait, *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Voluntas quippe hominis ea propriè dicitur, quæ ex infirmitate vel passibilitate carnis illata eã naturaliter quietare appetit, quæ nullis affligatur molestijs, sed ab omni penitus pœna sit immunis, sicut & primis parentibus ante peccatum concessum est, & in futura vita pleniùs nobis concedendum est. Sicut enim miseriæ pœnam, sic quietem constat esse, & sicut quod beatitudinis vel quietis est quisque appetit, sic quod miseriæ vel laboris est, refugit. Talis itaque appetitus humana in nobis voluntas dicitur, quã voluntatẽ quisq; obediendo sequitur. At inquies, Quomodo Christ⁹ nõ sibi placuit si placuit Deo patri? Nũquid alteri placere potest quod alteri displiceat? Nunquid omnes iusti Christo placent sicut & patri? An voluntas Patris est alia quàm voluntas Christi? Quid itaque est, Christus non sibi placuit, vel non venit facere voluntatem suam, nisi quod nũquam homo ille assumptus aliquid facere appetiuit quod hic sibi suaue esse sperauit, sed quia hoc Deo placere credidit? Omnes vero alij quantumcumq; sint sancti, quia omnino expertes peccati .i. non sunt, nonnulla ex infirmitate vel passibilitate carnis appetunt, non alia de causa nisi vt ipsi infirmitati satisfaciant, & præsentem passionem

ſionem vel afflictionem euitent. Quod quidem eſt ſibi placere, vt ſuam voluntatem facere .i. ad tantum vel præcipuè agere, quia ſibi credat illud eſſe ſuaue, in ſeipſis ſcilicet huius actionis ſuæ finem conſtituentes. Quod à Chriſto longe penitus fuit. Tale eſt ergo, Chriſtus non placuit ſibi, ſed videlicet Deo patri, quia nil homo ille appetiuit quod ſuaue ipſi eſſet, ſed quia hoc Deum approbare ſciret, vel eius in hoc præceptum haberet. Cui & ipſemet ait, *Propter verba labiorum tuorum e.c.v.d.* Quam quidem paſſionis aut laboris pœnam propter obedientiam ſuſceptam Apoſtolus ſtatim adiungit, vt videlicet per hoc oſtendat eum Patri magis quàm ſibi placuiſſe, ſed ſicut ſcriptum eſt in Pſal. 78. *Improperia, &c.* Quiſquis enim exprobrat nuntio alicuius, vel eum in aliquo deturpat ſeu honorat, non tam ei qui mittitur, quàm ei qui mittit imputandum eſt. Vnde & Saulo dicitur, *Saule Saule quid me perſequeris?* me, inquam, potiùs quam meos, quia propter me potius quam propter ipſos. Quid autem improbare * Deo patri, niſi irridere generationem eſſe in diuinitate, quam carnaliter eorum intelligentia capere non poterat? Hæc ergo irriſio ſuper Chriſtum cecidit, quia dum hanc genarationem prædicaret, vel ſe filium Dei diceret, Patris in hoc gloriam, non propriam quærendo, nõ ſolum irriſioni indè eſt habitus, ſed ad mortem quoque traditus, ſicut ſcriptum eſt, *Deum ſe Patrem habere gloriatur, videamus ſi ſermones illius veri ſint, &c.* Et in Euangelio, *Confidit in Deo, liberet eum nunc ſi vult. Dixit enim quia filius Dei ſum.*

* *f* impro-perare

QVAECVNQVE *ſcripta ſunt*] ac ſi diceret, Quid ad nos nouę legis profeſſores teſtimonium veteris teſtamenti, maximè cùm eius opera reſpuamus? Reſpondet quia quæcunque ſcripta ſunt, tam in veteri ſcilicet quam in nouo Teſtamento, ad noſtram .i. Chriſtianorum, &c. Non enim illi in veteri Teſtamento docentur, ſed excæcantur qui litteram occidentem ibi ſequuntur, ſed illi maximè qui frangentes exteriorem cruſtam mica interiore ſaginãtur, ſed & ſeculares litteras nõ niſi ad doctrinam aliquam vel morum vel literaturæ, vel vt in aliquo ſacræ ſcripturæ opitulentur Deus ſcribi permiſit, licet hoc illarum ſcriptores ignorarẽt. *Vt per*] Ad hoc inquam eis inſtruimur, & docemur, vt per *patientiam*] videlicet in aduerſis, *& conſolationem*] in ſcripturis factã de brauio videlicet

æternæ beatitudinis, ſpe per omnia corroboremur in Deo, ſcientes quia ſi compatimur & conregnabimus, & in patientia veſtra poſſidebitis animas. Hæc autem ſpes illa eſt, de qua ſuperius dictum eſt, *Spes autem non cõfundit.* Bene autem cum de aduerſitatibus præmiſiſſet dicens, *Improperia improperantium, &c.* patientiam contra illa ſcilicet neceſſariam & conſolationem ſcripturarum appoſuit. Cum autẽ in exordio huius Epiſtolæ prædixiſſet omnem ſcripturam diuinam aut docere aut mouere intendere, quomodo nunc dicit, *quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe?* ſed profecto ea etiam quæ admoneret ad doctrinam ſcripta ſunt, non quidẽ vt doceant quod fiat, ſed vt doctrina efficaciam habeant. i. vt implere velimus quod edocti ſumus. *Deus autẽ*] .i. ſicut Chriſti non placuit ſibi, ſed Deo, nec propriam gloriam, ſed Patris quæſiuit: ita ipſe Deus, cuius eſt & patientiam & conſolationem dare, det vobis idipſum ſ.i. a. i. inter vos hoc quærere, vt alter alteri placeat in bonum *ſecundum Ieſum Chriſtum*]. i. eius vt dictum eſt exemplo, *vt vnanimes*] .i. communiter tam infirmi in fide quàm firmi, concordi *ore*] laudetis, *Deum*] de miſericordia ſcilicet redemptionis noſtræ per filiũ ſuum nobis exhibita. Vnde & cùm dixiſſet Deum, addit eundem, & *Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*] Qui non ſolum ad gloriam ſuam, ſed ad noſtram etiam ſaluationem habere talem filium gloriatur, vt per eum etiam noſter ſit pater, qui deſcẽdit quærere fratres. *Propter quod*] vt videlicet ita communiter ab omnibus honorificetur Deus, *ſuſcipite*] vos inuicem, .i. non abijciat vel exaſperet alter alterum, ſed qui firmior eſt in fide atque perfectior infirmum toleret. Et hoc exemplo Chriſti facite, qui nos videns & duræ ceruicis non ſolum infirmos fide, ſed mortuos in infidelitate non repulit, ſed ſuſcepit; immò etiam traxit ad glorificandum Deum ſcilicet & laudandum tam de noſtra ſcilicet conuerſione quàm de aliorum per nos, *miniſtrum fuiſſe circonciſionis*] .i. Iudæorum, quibus ſolis per ſemetipſum prædicando verbum vitæ miniſtrauit, ſicut & ipſemet ait, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Propter veritatem Dei*] .i. vt promiſſio Dei conſiſteret, qui ſpecialiter & frequenter eis ſe mittere ſaluatorem promiſerat. Et hoc eſt quod ſubdit *ad confirmandas*] .i. vt firmæ & inconcuſſæ permaneant promiſſiones illæ antiquis patribus

Digitized by Google

factæ de Christo eis mittendo. Voluit enim debitorem se teneri promittendo, vt solutor fieret propitiando.

GENTES *autem*] Ac si diceret, Dico Christum ministrum, &c. sed & gentes dico, subaudis *super misericordia*] sibi à Deo impensa, præcipuè nunc *honorare Deum*] Qui videlicet quanto ampliùs olim per idololatriam à Deo remoti fuerant, tanto nunc ad cultum Dei maiori copia propinquauerunt, vt vbi abundauit peccatum superabundaret & gratia. Et nota quod superius propter promissionem Iudæis factam non tam misericordiam dixit quàm debitum intellexit. In gentibus verò tantum rectiùs misericordiam vocauit, quantò eis pro multiplici sui erroris culpa minus debebatur, *sicut scriptum est*] in Psalm. loquẽte scilicet ad Patrem in persona Christi dicentis Patri, *Confitebor tibi in gentibus* .i. laudari te faciam etiam à gentibus conuersis, & tibi per me acquisitis. Quarũ quidem primitiæ Magi fuerunt, siue Samaritani etiam illi, quibus per Samaritanam illam innotuit, & fortasse etiam Gentiles illi, qui circa passionem per Philippum & Andream ad eum accesserunt, eum videre cupientes : de quibus ait, *Nunc clarificatus est filius hominis. Et nomini tuo*] ad honorẽ tuum v. tuam dilatandam notitiam spiritalibus canticis eos vacare faciam. Quod verò ait propterea superiùs, continuatur in Psalmo vbi præmissum est, *Et ab insurgentibus in me erue me, &c.* Exaltatus quippe est per ipsos qui eum crucifigentes nomen eius delere crediderũt, de qua quidem exaltatione ipse quoque prædixerat, *Et ego si exultatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, non solum videlicet Iudæos, sed & gentes conuertendo. *Et iterum*] per Isayam scilicet præuidens Ecclesiam tam ex Iudæis quàm ex gentibus congregandam, hortatur communiter vtrosque ad exultandum & laudandum Deum de sua conuersione. Plebem Dei & quondam peculiarem populum eius Iudæos dicit, *Et iterum*] per ipsum Dauid *magnificate*] idest bonis operibus glorificate, *omnes populi*] idest quælibet fidelium multitudo, non solum ex gentibus congregata, *Erit radix*] Aliud testimonium de conuersione gentium post incarnationem scilicet Domini ab eo regendarum, & in eo sperandarum, sicut radix residuum est arboris incisæ, & si in terra sit recondita, multas ramusculorum emittit propagines. Ita Iesse patre Dauid olim de-

functo,& tanquam arbore de vita præsenti abscisso, quasi radicem& residuum sui Christum habuit longe postea de semine suo nasciturum. Radix hæc in terra recondita est, dum in ipsa carne sua, quæ terrenæ substãtiæ est, sepultus iuxta quod de semetipso ait, *sicut fuit Ionas in ventre ceti, &c.* in multam propaginem fidelium resurgendo pullulauit, secundum illã ipsius parabolam, *Nisi granum frumenti, &c.* Scimus autem & tunc maximè radicẽ quãlibet generari, & quasi impinguari, vt multiplicetur, si ei fimus adhibeatur, & stercora iuxta illud Dominicæ parabolæ, *dimitte & hoc anno, vt mittam stercora.* Quid autem fimus vel stercora sunt huic radici admota, nisi sordes peccatorum nostrorum quæ susceptt..... & portauit in corpore suo, vt de ipso tanquam radice & omnium origine in numeri propaginis fructus in Ecclesia nascerentur? Nil quippe nasci profuit, nisi redimi profuisset. Hoc itaque spiritus per Isaiam promittens, ait: *Erit radix Ieſſe* .i. eo defuncto, supererit ei de suo semine posteritas per quam restauretur vberius in prole quod deperijt in arbore, quia plures fideles orientur quàm antea de Ieſſe extiterant, *Et qui*] Ac si diceret, & ille erit ista radix, *qui exurget*] conscendendo vehementer donec eius corpus quod est Ecclesia vbique dilatetur, quarum regimini ipse semper tanquam caput præerit, sicut & promittit dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* De quo etiam regimine idõ Propheta alibi dicit, *Et puer parvulus minabit eos, In eum*] .i. de gratia eius, non de lege vel suis viribus confident, hoc est radix, de qua idem etiam quodam loco dicit Propheta, *Radix Ieſſe quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius glorioſum*, de quo scilicet sepulchro radix illa exurgens in magnam creuit ramorum fructicem. *Deus autem.*] Dixi, *Lætamini gentes,&, in eum gentes sperabunt,* & hoc in vobis Romanis ipse impleatur. Et hoc est Deus spei, de cuius gratia sperandum est omnibus, soli electi omne gaudium habere possunt tam in hac scilicet vita in spe quàm vel illa in re & *pace*] remouendo scilicet à vobis superbam illam contentionem, pro qua sedanda hæc scripta est Epistola. *In credendo vt*] ac si diceret, vt ex fide, per quam creditur, & quæ omnium bonorum est fundamentum proficiatis in spe & caritate, quæ naturaliter inde sequũtur. Virtutem quippe Spiritus

ſancti amorem Dei in nobis dicit qui contra omnia fortis eſt, ſicut ſcriptum eſt, *valida eſt ſicut mors dilectio.* Et iterum, *omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Certus ſum*] Quos culpando diu terruerat, laudando ne deſperent in fine mitigat, dicendo ſcilicet etiam apud eos eſſe qui & dilectione & ſcientia pleni ſunt, vt ſcilicet alios inſtruere velint & poſſint. Et hoc eſt, *certus ſum*, ac ſi diceret: Ac ſi ita corrigam vel moneam, *& ipſi*] .i. ſicut in quibuſdam perſonis pleni eſtis ſuperba contentione vel ignorantia, ita & ipſi in quibuſdam pleni, &c. *Omni ſcientia ita vt*] .i. ad hoc ſufficientem habetis ſcientiam, vt poſſitis inuicem vos adhortari ad bene operãdum. *Audacius autem ex parte*].i. aliquantulum maiori fiducia ſcripſi vobis, qui in loco mihi commiſſo eſtis, qui ſcilicet doctor ſpecialiter ſum tam gentium quàm Iudæorum. Et hoc eſt quod exponit, dicens, vt pote ſollicitus de vobis, *propter gratiam*] .i. officium Apoſtolatus prædicandi gentibus mihi iniunctũ, de qua quidem gratia ipſemet ait, *Gratis accepiſtis, gratis date.* Miniſter Chriſti prædicator eſt, dum non ſua lucra, ſed Chriſti quærit, & quia nonnulli benè prædicantes malè viuunt, addit, *ſanctificans*] .i. vita quoque mea commendans prædicationem quã de Deo facio, vt oblatio .i. oratio etiam mea quam pro ipſis facio, *fiat accepta Deo*] .i. *ſanctificata in Spiritu ſancto*].i. per Spiritum ſanctum, qui vt ſupra dictum eſt, docet nos quid orandum ſit, & poſtulat pro nobis gemitibus ... .i. ſanctum conſequatur effectum vt nos omnes ſanctos efficiat.

HABEO *ergo*] Quia videlicet ita facio quæ Chriſti ſunt quærendo, habeo *gratiam*] hinc pro Chriſto, cui in hoc deſeruio, ad quod *Deum*] .i. pretium diuino iudicio, ſi non humano, hinc acquiro. Quod quidem dicendo exemplo ſuo ad fraternæ dilectionis ſollicitudinem eos adhortatur. *Non enim*] oſtendit quomodo ſanctificet vel commendet prædicationem ſuam, dicens ſe non præſumere aliquid loqui .i. ſibi imputare per iactantiam, quorum non habeat efficaciam, ſicut pſeudo Apoſtoli faciebant. *In obedientia gentium*].i. propter hoc vt obedientiam inter gentes traham, hæc efficit inquam, *in verbo*] .i. per verbum ſuum, *& factis*] .i. per miracula. Quæ ſtatim facta ſubdiuidit dicens, *in virtute*] .i. per potentiam mihi collatam, *ſignorum & prodigiorum*].i. ſignorum mirabilium. Sunt enim ſigna quædam naturalia, de quibus

non miramur, ſicut de planetis ſcriptum eſt, vt ſint in ſigna & tempora. Quæ verò contra naturam, .i. vſitatum naturæ curſum veniunt, vt leproſos mundare, vel mortuos ſuſcitare, hæc prodigia .i. admiratione digna dicuntur. Vnde prodigiũ quaſi prodendum digito dicitur. *Virtute Spiritus ſancti*] .i. ex poteſtate per gratiam Dei mihi collata, ad differentiam ſcilicet miraculorum Antichriſti ſeu magorum. O R I G. Signa appellantur, in quibus cùm ſit aliquid mirabile indicatur quoque aliquid futurum. Prodigia verò in quibus tantummodo mirabile aliquid oſtẽditur. Scriptura interdũ abuſiuè & prodigia pro ſignis, & ſigna pro prodigijs ponit. Signa & prodigia pro vno accipiuntur hoc loco, *Ita vt*] gloriam, inquam, habeo apud Deum, tantum ſcilicet de labore meo, vt totam illam terram ab Ieruſalem vſque ad Illiricum repleuerim prædicatione Euangelij, vt videlicet oſtendat dignum ſe à Romonis exaudiri, qui à tot & tantis ſit exauditus. Haymo. Illiricum Prouincia eſt finis Aſiæ ad principium Europæ. *Sic autem*] ſcilicet verbo & factis & virtute ſignorum in his locis, vbi priùs de Chriſto nil omnino auditum fuerat, vt videlicet non ſit mirabile ſi apud vos iam Chriſtum confeſſos prædicatio mea locum habeat. *ne ſuper*] ac ſi diceret, hoc ſcilicet mihi contingente, vt niſi ædificium fidei collocarem ſuper aliorum prædicationem præcedentem, quæ quaſi meæ prædicationis fundamentum eſſet. In quo difficilius oſtendit quod ibi fecit quàm quod apud Romanos facere cupit. *Scriptum eſt*] in Iſaia .i. vt per me contingeret quod per illum prophetatũ eſt *de eo*] .i. Chriſto, *videbunt*] ſcilicet intelligendo. Quod ſtatim exponens ait, *& qui, &c. propter quod*] quia videlicet ad tot penitus ignaros intendebam conuertendos. *Impediebar*] vt pſeudoapoſtolorum commenta excludat dicentium eum ad tales vel tantos accedere non audere, & maximè preſentibus, vel vt ſe rationabili cauſa excuſet, *plurimum dicit*] .i. maximè quia & aliæ nonnullæ potuerunt huius impedimenti eſſe cauſæ, *locum*] ſcilicet prædicandi vel cauſam morandi omnibus bene confirmatis. O R. Videtur hoc in Achaïa poſitis dicere apud Corinthum. In Hiſpania, in tranſitu ſe eos videre promittit, quaſi innuens apud eos qui iam conuerſi erant non diu ſibi immorandum eſſe, ſicut & in exordio Epiſtolæ eos in aliquibus confirmandos dixit potiùs quàm con-

Digitized by Google

uertẽdos, decet etiam quemquam bonum virum minus promittere quàm facere, & boni doctoris tanto gratior mora fit, & amplius desideratur, quantò breuior speratur. Præuenit ita illos, vt in aduentu suo se præparent, & de quibus instrui velint præuideant. *Spero.*] Nil videlicet ex meipso de me præsumens, sed totum Deo committens, *& à nobis*] Vult enim eos comites itineris sui esse, tum vt authoritate Romanorum cæteræ gentes faciliùs subjectæ conuertantur, tum etiam vt aduersus pseudoapostolos & quoslibet ei detrahentes prædicationem eius quàm ipsi audierint valeant attestari, & eis diu secum in prędicatione circumeuntibus sic saltem recompenset quod in transitu eos viderit. Bene dicit deduci se ab illis, quasi tutum se ostendens per conductum eorum quæ cæteris imperant. In quo & eos de mora sua apud illos consolatur, quasi in eorum arbitrio hanc constituens. *Si vobis*] Haymo. Frui est aliquid cum delectatione possidere, & amplecti & videre, & attende quod cùm proprie Dei frui sit, vt B. meminit Augustinus, hic non dicit frui simpliciter, sed frui ex parte, sicut & ad Philemonem cum diceret, *fruar te*, adiunxit statim *in Domino*, Deo quippe omnino fruimur dum illum propter se tantum obtinere cupimus, proximo verò fruimur ex parte, dum sic eum propter vtilitatem ipsius per amorem amplectimur, vt tamen huius fruitionis finem. i. finalem & supremam causam in Deo ponamus. Partim quippe proximus in causa est, sed causa Deus suprema est. Ex parte itaque fruimur proximo, sed ex toto fruimur Deo, quia ipse fruitionis suæ tota est causa, proximus verò non tota suæ fruitionis vt diximus causa est, cum sit superior Deus, cum videlicet de proximo quoque propter Deum cogitemus. Nota quod dicit proficiscì cœpero, quia cum ad Romanos propter ipsos veniat, non sibi imputat proficiscì ad Hispaniam, nisi cum ab ipsis recesserit, quando videlicet propter Hispanos totum egerit. Et attẽde quòd cùm dicit, si vobis primum, iterum eorum beneuolentiam captat, quasi necessarium sibi iudicet, nec se aliter de Hispanis facere posse, nisi priùs eos visitet.

NVNC *ergo.*] Quia videlicet hic vltimus, non habeo locum, *nunc*. i. antequam veniam ad vos, cùm in gentibus specialiter Apostolatũ accepissem. Vnde & solus doctor gẽtium

appellatur quantam etiam de Iudæis cõuersis habeat curam ostendit, sed quod alibi ait, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quod etiam fortassis ad excusationem quandam sui prætendit, si ad eos scilicet venire differat, *Ministrare sanctis*] .i. illis qui ibi sunt fidelibus ex Iudæa conuersis, cibum ad necessitatem eorum à me collectum illis deferre. Habebat quippe in consuetudine Apostolus sicut sæpe testatur de illa Ierosolimitana Ecclesia per ipsum Christum olim & per Petrum & Iacobum cæteroſve Apostolos conuersa, in corporeis necessitatibus maximam sollicitudinem, vt eis saltem corporalem cibum ministraret, quibus aliorum prædicatio spiritualem. Præcipuè verò eis subueniendum putabat pluribus de causis. Plurimam quoque authoritatem fidei nostræ dabat populus ille conuersus, qui locus à Deo legem suscipiens peculiaris eius populus vocatus est, & cùm primo credidisset quasi in nostræ fidei fundamento & cæteris exemplo positus plurimũ ne deficeret sustentandus erat. Denique sicut in Act. Apost. legitur, tanta deuotione conuersi sunt vt omnino propriũ relinquẽtes, omniaquæ habebant ad pedes Apost. ponerẽt, & sicut ipse in Epist. ad Heb. meminit, maiorẽ violentiam Iudæorum in amissione suarum rerum sustinuerant. Hinc autem præcipuè formam & exemplum Epistolis Apostolus proponit, vt cùm pauperes Ecclesias seu Monasteria conspexerint, eorum prædicatio eis alimẽta colligat. *Probauerunt enim*] Vide quàm cautè Romanos aliorum exemplo ad hanc elemosynam similiter Hierosolymitanis faciendam inuitet, dicens eos qui hanc tribuant, per seipsos id faciendum probasse .i. laudasse potiùs quàm aliqua coactione vel exhortatione Apostoli. Vnde & dicit, *probauerunt* .i. quasi suo id iudicio approbantes ad hoc me compulerunt. Haymo. Isti qui scientiam prædicandi non habebant, vt ad prædicandas gentes possent ire, erant in Ierusalem vacantes orationibus & ieiunijs. Quibus etiam Apostoli de singulis prouincijs & locis in quibus prædicabant, quicquid pecuniarum, argenti & auri & frumenti & vestimentorũ accipiebant, eis mittere satagebãt. Maximè tamen Paulus, qui pluribus gentibus prædicabat. Vnde dicunt doctores, quòd aliquando amplius quàm tres aut quinque modios argenti eis mittebat. Item, Macedonia & Achea, quæ Achaia vocatur, à qua & populi eius dicuntur

cuntur Achei, Prouinciæ ſunt nobiliſſimæ Græcorum ſibi adjacentes, quas Apoſtolus Eccleſijs repleuit. Cum dicitur Macedonia & Achaïa, continens ponitur pro contento, ideſt nomina terrarum propter nomina habitatorum, ſicut & potũ calicem appellamus. *Collationem*] quam ſymbolum Græcè dicimus, vbi ſcilicet diuerſa conferuntur à diuerſis, ſicut in cõmeſſationibus fieri ſolet. Iſti verò ſubſtantias, ſed paupertim commeſſationes de ſuo congregabant. *Placuit enim*] ac ſi diceret, benè dixi, *proba*, vt hoc voluntarij potius quàm coacti agant. Quia ex eorum voluntate magis quàm ex noſtra concitatione id geritur, & merito placuit, quia ſcilicet *debitores ſunt*] Quod ſtatim à minori conuincit dicens, *nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt, Gentiles debent & in carnalibus miniſtrare eis*] .i. cùm ſpiritualium bonorum, quæ illi habebant, ſicut legis, Prophetarum, vel etiam orationum & obſequiorum diuinorum, quæ quotidie ibi pro ſalute gentium celebrant, *hoc ergo*] quia videlicet illis ſicut iuſtum eſt placuit.

CVM *conſummauero*] .i. perfecero hanc legationem, & perueniens illuc *aſſignauero eis fructum hunc*] videlicet eleemoſynæ, hoc eſt, diſtinxero qui benè eis mittant, vt pro eis tanquam benefactoribus ſuis orent, *proficiſcar, &c.*] Quamuis dicat Apoſtolus ſe profecturum in Hiſpaniam, incertum eſt adhuc vtrum id fecerit, propter diuerſorum opiniones. Iero. in Iſai. lib. IIII. *Volabunt in nauibus alienigenarum, & mare ſimul deprædabuntur*. Quod de vnius Pauli Apoſtoli intelligamus exemplo, qui per Pamphiliam & Aſiam & Macedoniam & Achaïam, & diuerſas Inſulas atque prouincias ad Italiam quoque, & vt ipſe ſcribit ad Hiſpanias alienigenarum portatus eſt ratibus. Caſſiodor. ſuper hanc ipſam Epiſtolam Pauli, *proficiſcar per vos in Hiſpaniam*, quod frequenter dicit, ſed nũquam legimus fuiſſe completum. Vnde deſideratur quod dicitur, ſed non prophetali veritate completur. Nemo tamen Apoſtolum reum mendacij arguat, ſi hoc quod credidit non impleuit. Non enim per duplicitatem locutus eſt, vt videlicet aliud diceret quàm intenderet .i. ore quàm corde. *Scio autem quoniã veniens ad vos*] .i. ſpiritu reuelãte didici, quãuis ſcilicet me tranſitum per vos habere dixerim. In quo quidem notandum eſt, quòd dum hoc ſibi reuelatum dicit, vt

ſciat, innuit illud quod de Hiſpania præmiſit ex opinione potius quam ex aſſertione protuliſſe. *In abundantia benedictionis Chriſti veniam*] vt videlicet ſicut de Ioſeph legitur, ad introitum meum Dominus largam vobis cæleſtis gratiæ benedictionem infundat .i. in ſpiritualibus multiplicet. *Obſecro ergo vos fratres*] vt videlicet quod volo poſſim *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & per caritatem Spiritus ſancti, vt adiuuetis me,*] ſi videlicet in eo amplius perficere vultis, & dilectionem Dei habetis, *in orationibus ad Deum vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei.*] Multotũ enim princeps fidelium quamuis imperfectorum multum apud Deum obtinere credit. *Ab infidelibus*] dum ita ſcilicet pro fidelibus qui ibi ſunt laboro, *obſequij mei*] .i. mihi inimica ab his qui per me hoc mittunt, vel etiam à Domino qui me miniſtrum ſiue diſpenſatorem Eccleſiæ conſtituit. *Oblatio*] eis tanquam ad altare Dei ſacrificium per me delatum, *accepta fiat in Ieroſolyma ſanctis vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei*] .i. placens & læta. Si enim mihi graue aliquod ibi propter hoc acciderit, maximè contriſtabuntur, *refrigerer vobiſcum*] tum à longo labore requieſcendo, tum deſiderium meum implendo. *Deus autem*] ſiue ſcilicet veniam ſiue non. *Pax ſit cum omnibus vobis amen*] .i. vos inuicem à ſuperba contentione pacificãs. Quod quidem in fine Epiſtolæ reſeruans, ad quod præcipue ipſa tendat Epiſtola inſinuat, & quæ in ea finalis ſit cauſa ſiue intentio.

CAP. XVI. COMMENDO *autem vobis Pheben*]. ſ. precibus meis. Phebe per quam hanc Epiſtolam Romanis de Corinthio mittere creditur, diues quædem & nobilis mulier dicitur, quæ de facultatibus ſuis vel aliorum fidelibus illis qui erant Cẽchris neceſſaria miniſtrabat, exemplo ſcilicet ſanctarum feminarũ, quæ Domino ſeu Apoſtolis feciſſe memorantur. Hæc autem negotium quoddam habebat, pro quo Romam venire neceſſe habebat. Pro hac ergo Romanos Apoſtolus adhortatur & rogat vt eam honorificè ſuſcipiant, & in ſuo negocio quantum poſſint adiuuent. *Sororem noſtram, & aſſiſtatis ei in quo negocio veſtro indiguerit*] fide, non carne. Miniſterio .i. obſequium illorum fidelium qui ſunt Cenchris .i. in eo loco qui ſic vocatur, & dicitur eſſe portus Corinthi. *Suſcipiatis*] hoſpicio, *in Domino*] .i. amore Dei, & ita honorificè ac benignè

Digitized by Google

ſuſcipiatis, prout dignum eſt atque conueniens ſanctis ſuſcipere ſanctam. *Et aſſiſtatis ei*] .i. adiuuetis eam. *Et enim ipſa quoque aſſiſtit multis & mihi ipſi*] Quod enim debetur ex multis eius præcedẽtibus meritis, vt non tam hoc ei tribuatur quàm reddatur. O R. Apoſtolica authoritate docet etiam feminas in miniſterio Eccleſiæ conſtitui, in quo officio poſitam Pheben apud Eccleſiam, quæ eſt Chone, magna cum laude & commendatione proſequitur, quia in neceſſitatibus Apoſtoliciſque laboribus aſtiterit. Locus hic duo docet, & haberi feminas miniſtras in Eccleſia, & tales debere aſſumi in miniſterium, quæ aſtiterint multis, & per bona officia vſque ad Apoſtolicam laudem meruerint peruenire. Hieron. In miniſterio Eccleſiæ & nunc etiam in oriẽtalibus locis Diaconiſſæ mulieres in ſuo ſexu miniſtrare videntur in baptiſmo ſiue in miniſterio verbi, quia priuatim docuiſſe feminas inuenimus, ſicut Priſcillam cuius vir Aquila vocabatur. Idem in Epiſtola ad Timoth. *Adoleſcentiores autem viduas deuita*, in miniſterio diaconatus præponere. Sanctus Epiphanius Ioanni Ieroſolimitano: Nunquam ego ordinaui Diaconiſſas & ad alias miſi prouincias, neque feci quicquam vt Eccleſiam ſcinderem. Quas itaque antiquitus Diaconiſſas.i. miniſtras, nunc Abbatiſſas.i. matres vocamus. Caſſiodorus ſuper hunc eundem locum Pheben ſignificat Diaconiſſam fuiſſe matris Eccleſiæ, quod in partibus Græcorum hodie quaſi militiæ cauſa peragitur, quibus & baptizandi vſus in Eccleſia non negatur. Claudius quoque in expoſitione huius Epiſtolæ. Hic locus docet etiam feminas in miniſterio Eccleſiæ conſtitui, in quo officio poſitam Pheben apud Eccleſiam, quæ eſt Cenchris, Apoſtolus cum magna laude & commendatione proſequitur.

SALVTATE *Priſcam & Aquilã adiutores meos*] In fine Epiſtolæ quoſdam nominatim ſalutando plurimum commẽdat, vt eorum præcipue conſilio & authoritati qui perfectiores erant cæteris acquiſcant. Priſcam hic appellat Apoſtolus, quæ in Actibus Apoſtolorum Priſcilla nominatur, pulchra quadam fortaſſis nominis alluſione, vt eam .ſ. ſu.....ſenſu, & moribus matrem inſinuet. Erat autem Priſcilla vxor Aquilæ, & ambo de Iudaiſmo conuerſi ad Chriſtum. *In Chriſto Ieſu qui*] .i. pro Chriſto adiutores in multis fuerunt, quas

olim cum cæteris Iudæis per Claudium Româ expulſas Apoſtolus Corinthum veniens ibi inuenit, & quia eiuſdem artis erat penitus .i. ſcenefactoriæ, iunxit ſe illis, vt ſimul operarẽtur. Vnde Beda in Act. Apoſt. Erant enim ſcenefactoriæ artis quaſi exules & peregrini, tentoria ſibi quibus in via vtantur ædificant. Scenæ enim Græcè tabernacula dicuntur, etymologia ab obumbrando ducentia, apud quos vmbra ſcena dicitur. Scenæ enim vel ſcenomata quaſi vmbracula ſonant, quæ ex lineis aut laneis aut cilicinis, ſiue ex arborũ frõdibus, aut virgultis veteres eſſe ponebant. Miſticè autem ſicut Petrus piſcando nos à fluctibus ſeculi extraxit, ita Paulus vmbracula protectionis erigendo ab imbre nos criminum, ab arbore tentationum, & à ventis inſidiarum verbo factiſque defendit. Chryſoſt. in Epiſtola ad Heb. ſerm. 1. Qui eſt ſplendor gloriæ & caracter ſubſtantiæ eius Apoſtolica ſententia, magis autẽ Spiritus ſancti, miranda gratia. Non enim exintellectu proprio hæc loquebantur. Vnde enim ille hoc? Nũ & ex ſcalpellis, aut pellibus, aut in ... hæc operatio majeſtatis? Non enim has intelligentias ſua mente procurabant, quæ tunc erat tam debilis & extrema, vt nil amplius haberet à plebeis & populis. Quomodo enim aliquid diuinum poſſet ille ſentire, qui circa precia vendendi & circa confectionem pellium totam ſuam vitam, totumque ſuum ſtudium continebat? Ambroſ. de Priſcilla & Aquila: Hi credentes facti ſunt ſocij laboris Apoſtoli, vt etiam ipſi exhortarentur ceteros ad fidem. Denique & Apollo quamuis fuerit exercitatus in ſcripturis, ab iſtis iam viam Domini diligentiùs inſtructus eſt. Ideo ſocios laboris ſui dicit eos in Chriſto Ieſu. Cooperatij enim eius fuerunt in Euangelio. Vnde præcipuè docet quantum obedire eis Romani debeant. OR. Poteſt autem fieri, vt quia illo tempore pulſis ex vrbe Iudæis per præceptũ Cæſaris Corinthum venerunt, rurſus edicti ceſſante ſæuitia regreſſi ſalutarentur à Paulo. Quod tamen apparet Iudæorũ inſidijs Paulo periclitante ſemetipſos obiecisſe, vt ille liber abſcederet. *Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt, quibus non ego ſolus gratias ago, ſed &*].i. vita conſeruanda morti ſe oppoſuerunt. *Cunctæ Eccleſiæ*] quarum. v. Apoſtolus prædicator ſeu doctor ſpecialiter dicitur, *domeſticam eorum Eccleſiam. Salutate Ephenetum dilectum mihi qui eſt*].i. totam ipſorum familiã ad fidem ſimiliter conuerſam, *primitiuus Aſiæ in Chriſto. Salutа-*

te Mariam] Haymo. Siue quia priùs omnium credidit, ſeu etiã quia magnæ dignitatis atque nobilitatis erat, vt oſtenderet nobiles etiam ad fidẽ venire, ac per hoc inuitaret primos Romanorũ ad fidem. *Quæ multũ*] O R. Docet etiam debere etiã feminas laborare pro Eccleſijs. Laboratur cum docetur adoleſcentulas omnia quæ de officijs mulierum ſcripta referuntur. *Laborauit in nobis. Salutate Andronicum & Iuliã*] Ambroſ. Ad exhortationem illorum. Haymo. laborauit officium .ſ. prædicationis feminis ſui ſexus impendẽdo per domos. Nam in Eccleſia non docebant mulieres. *Cognatos*] Ambroſ. etiam iuxta carnem & S. Spiritum. *Concaptiuos meos qui ſunt nobiles*] Haym. Iſti ſunt exules effecti propriæ ſedis ob gratiam Dei, ſicut & Paulus. *In Apoſtolis qui & ante me fuerunt*] .i. inter prædicatores. Videtur hoc loco etiam feminam Apoſtolicã dicere, niſi forte iſtum *qui ad* Andronicũ tantũ & ſupradictos viros violenter referamus. *In Chriſto. Salutate Ampliatũ dilectũ mihi in Domino. Salutate Vrbanum adiutorẽ noſtrũ in Chriſto & Stachin*] .i. in fide Chriſti. *Noſtrũ*] mei .ſ. & aliorum. *Dilectũ meum ſalutate*] etſi non ita adiutorẽ, *Appellẽ*] O R. Puto hũc Appellẽ poſt multas tribulationes tranſiſſe ſapienter, & ideò pronunciauit probũ ſecũdũ quod ipſe in alijs dixit quia operatur patiẽtia probationẽ. Videndũ eſt ne ipſe ſit qui in actibus Apoſtolorũ nuncupatur Alexandrinus in ſcripturis eruditus. Ambroſ. hunc Apellem non quaſi amicũ aut principem operis ſalutat, ſed propterea quod tentationibus probatus eſt in Chriſto fidelis inuentus. Haymo. Licet quidã faciant ex hoc duo nomina propria, dicentes ita, ſalutate Apellem & Probum .i. probatũ in fide, & laude dignũ. *Ariſtoboli domo. Salutate Herodionẽ*] fortaſſe hic iam defunctus erat, quem ſatis laudat, familiam eius ſalutando, & fidem eius in ea commendando. Ambroſ. Iſte congregator intelligitur fuiſſe fratrũ in Chriſto. *Cognatũ meum. Salutate eos qui ſunt ex*] Ambroſ. Quem cognatũ tantum appellat oſtendit deuotũ in caritate, non tamen vigilantiam eius deſignat. *Narciſci domo, qui ſunt in Domino. Salutate Triphænam & Triphoſam quæ.*] O R. Neque dilectos neque probos neque adiutores nominat, ſed forte nil vtile habebant in meritis, idcirco eos ſolo titulo ſalutationis honorauit. *Ex Narciſſi domo*, Videntur plures fuiſſe ex Narciſſi domo vel familia, ſed non omnes in domo fuiſſe. Ambroſ.

Narciſſus hic illo tempore Preſbiter dicitur fuiſſe, ſicut legitur in alijs codicibus,& quia præſens non erat, ſalutat ſanctos qui ex eius erant. Hic ergo Narciſſus Preſbyter peregrini officio fungebatur exhortationibus firmans credentes. *Laborãt in Domino. Salutate Rufum.*] O R. Multi laborant, ſed non in Domino. Ambroſ. Has vno ore dignas declarat in Chriſto, laborant .ſ. miniſtrando ſanctis. *Quæ multum*] O R. Videtur hic magis laudari & in exhortatione & in miniſterio ſanctorum, & in preſſura, & in egeſtate propter Chriſtum, quia & domus ſuas relinquebat fugatis, & opprobrio erat infidis. *Electum in Domino, & matrem*] Haymo .i. promotum ad ſacerdotium eius,*& meam.*]Sic prius legi matrem eius & matrem meam,vt duæ ſint vel vt eadem ſit illius ſcilicet mater ſecundum carnem, Apoſtoli ſecundum beneficium quod fortaſſis eum olim alibi de ſua ſubſtantia tanquam mater aleret, vel pro reuerentia ſanctitatis eam matrem ſuam dicit cui .ſ. tanquam matri honor ſit deferendus. *Aſſincritum & Phlegontem, Hermem, Patrobam,& qui cum eis ſunt fratres. Salute Philologum & Iuliam, Nereum & ſororem eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis ſunt ſanctos. Salutate*] Ambroſ. Hos ſimul ſalutat, quia ſciebat eos eſſe concordes in Chriſto .i. vnitos in amicitia Chriſtiana, nec fideles in amicitijs. *Hermen*] O R. Puto quòd Hermes iſte ſit ſcriptor libelli illius qui Paſtor appellatur, quæ ſcriptura mihi valde vtilis videtur, & vt puto diuinitus inſpirata. Quod verò nil laudis ſcripſit, illa opinor eſt cauſa, quia videtur ſicut ſcriptura illa declarat, poſt multa peccata ad pœnitentiam fuiſſe conuerſus. Intelligatur quod ſimul habitauerint hi quorum ſalutatio ſociata eſt. Eccleſiaſtica Hiſtoria lib. III. cap. I. Et libellus Hermæ qui appellatur Paſtoralis, cuius Paulus in Epiſtolis ſuis meminit, à plurimis non eſt receptus, ab alijs autem neceſſarius iudicatus eſt propter quẽ primi ad fidem inſtitutionis imbuuntur. Vnde & in nõnullis Eccleſijs legitur, & multi veterum ſcriptorum vſi ſunt teſtimonio eius. Hieronym. de illuſtribus viris cap. x. Hermem, cuius Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribens meminit, *ſalutate Phlegontem, Hermem,* aſſerunt authorem eſſe libelli qui appellatur Paſtor, & apud quaſdam Eccleſias Græciæ publicè legitur. Reuera vtilis liber, multique de eo veterum ſcriptorum vſurparunt teſti-

Digitized by Google

monia. Sed apud Latinos penè incognitus eſt. *Philologum & Iuliam.*] OR. Poteſt fieri vt coniuges fuerint, cæteri domeſtici eorum. Hieron. ſuo exemplo nos docet quales debemus noſtris litteris ſalutare non diuites ſeculi facultatibus honoratos, ſed gratia Dei & fide locupletes. Ideo paulò ante primitiuos Eccleſiæ Aſianæ iſtos omnes quos ſalutat intelligimus, vel ex omnibus fuiſſe peregrinos quorum exemplo atque doctrina non abſurdũ exiſtimat credidiſſe Romanos. *Inuicem in oſculo*].ſ. nos ipſos. Quia ſigillatim omnes ſalutare non poterat, præcipit vt ex parte eius & loco eius mutuo ſe ſalutent, ſicut ipſe faceret ſi adeſſet, & ſic inuicem ſibi oſculo reconciliati ſuperbam finiant contentionem. Oſculo ſalutant vos non luxurioſo aut ſubdolo quale fuit Iudæ proditoris, ſed quod nos in amore fraterno conciliet. *Omnes Eccleſiæ Chriſti*] .i. congregationes Chriſtianorum, ad differentiam ſcilicet Eccleſiæ malignantium, quam Pſalmiſta denotat, eodem affectu dilectionis quo ego optant vel orant vobis ſalutem. Qui enim alterum ſalutando dicit ei, ſalue, profecto vt ſaluus ſit precatur.

Rogo *autem vos fratres vt obſeruetis eos qui.*] Pſeudoapoſtolos tangit, vt ab ipſis caueant, ne fides eorum per illos corrumpatur *obſeruetis*, .i. diſcernatis, *diſſertiones*] .i. pericula errorum in fide. Illi dico exiſtentes, *propter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per*] ideſt mollicijs carnalibus intenti, *dulces ſermones*] .i. adulationes. Hieron. in Amos lib. 11. Pulchrè adulator apud Philoſophos definitur blandus inimicus, vertens amara. Vnde Apoſtolus, *Inimicus vobis factus ſum veritatem dicens, & amicus, obſequium amicos, veritas odium parit. Quapropter & Paſcha cum amaritudinibus comedamus, &c.* Vas electionis docet Paſcha celebrandum cum veritate & ſanctitate. *Benedictiones, ſeducunt corda*] quaſi dona Spiritus ſancti per manuum impoſitionem vel cõſignationem conferentes, *Innocentium*] .i. ſimplicium vel imperitorum, qui eos deprehendere non valent. *Veſtra enim obedientia in omni loco diuulgata eſt.*] Ideo id vos rogo, quia tanto periculoſior eſſet ſeductio veſtra, quantò fidei veſtræ obediẽtia magis eſt diuulgata, tanquam in capite ſcilicet mundi cõſtituta. *Gaudeo igitur in vobis, ſed volo vos ſapientes eſſe in bono*]

Quia .v. ita eſt diuulgata in bono. ſ. diſcernendo. *Et ſimplices in malo*] .i. quaſi neſcientes cuiquam illud machinari, iuxta illud Veritatis, *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Deus autem pacis conterat.*] Ac ſi diceret, Ego quidem ita rogo, vt fiat, ſed Deus pacis potius quàm diſſentionis ita vt poſtulo efficiat. *Satanam*] .i. omnem animæ veſtræ aduerſariũ *conterat ſub pedibus veſtris velociter*] .i. quaſi impotentem vobis ſubijciat, vt ei per omnia prævalere poſſitis, & eorum omnia machinamenta conculcare, ſicut ea quæ ſub pedibus præmuntur, *velociter*] ſcilicet in aduentu meo. Quos iterum ſicut deprecor obſeruetis. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Salutat vos Timotheus.*] Quamuis dixerit, ſalutant vos omnes Eccleſiæ, ſpecialiter tamen & nominatim ex parte illorum quos habebat præcipuos ſalutare ipſos decreuit, vt tãtorum teſtimonio virorum ſcripta Epiſtola roboraretur. *Adiutor meus, & Lucius & Iaſon.*] In prædicatione ſcilicet tanquam Coepiſcopus vt ait Ambroſ. Hic eſt ille diſcipulus Pauli filius cuiuſdã mulieris Iudææ fidelis ex patre gentili, quem ipſe Paulus circuncidere compulſus eſt, ſicut in Act. Apoſt. continetur. Orig. Lucium quidam perhibent eſſe Lucam, qui Euangelium ſcripſit, pro eo quod ſoleant nomina interdum ſecundum primam declinationem Græcam Roman. proferri. Iaſon ille eſt, de quo etiam in Actibus Apoſtolorum ſcribitur, quod dum Teſſalonicam pro Paulo & Sylea ſeditionem commouentibus turbis ſemetipſum dederit, vt Apoſtolis diſcedendi faceret libertatem. *Soſipater, cognati mei. Saluto vos ego*] Suſpicor quod ipſe ſit qui in Actibus Apoſtolorum ſcribitur Soſipater Piriberonenſis. Mouebit quomodo Paulus ex Hebræis Timothei conſanguineus dicatur, vel Iaſonis vel Soſipatris. Nunc verò cum cæteris nequaquã hoc nomen indulgeat, certum eſt eum quandam nominationem nominare quam cognationem vel conſanguinitatem ſine dubio ſciat. Ambroſ. Cognatos dicit partim generis, partim fidei cauſa. *Tertius, qui ſcripſi Epiſt. in Domino. Salutat vos Gaius*] hoc eſt primum nomen eius qui dictante Paulo hanc Epiſtolam ſcribebat, tanquam notarius Apoſtoli ſicut nũc eſt Cancellarius Apoſtolicus, quod fortaſſe diuino quodam factum eſt præſagio, vt videlicet ille tertius diceretur nomine, qui tertius erat in operatione. Spiritus quippe ſanctus inſpirabat

quæ

quæ Apoſtolus dictabat ſeu proferebat, quæ iſte qui Tertius dicitur vt dictum eſt ſua manu ſcribebat. Ambroſ. Hic eſt ſcriba Epiſtolæ cui Apoſtolus conceſſit ſuo nomine ſalutare populũ Romanum. Quia nec immerito factum eſt vt proprijs ſcilicet ille vteretur verbis, quæ humano tantum ſenſu probata ſunt. *Hoſpes meus.*] Orig. Videtur indicare de eo quod vir fuerit hoſpitalis, qui non ſolum Paulum receperit, ſed & Eccleſiæ vniuerſæ in domo ſua conuenticulum præbuit. Fertur traditione maiorum, quod iſte Gaius primus Epiſcopus fuerit Teſſalonicenſis. Ambroſ. Hic eſt Gaius, vt arbitror, ad quem ſcribit Ioannes Apoſtolus exultans in caritate eius, quam exhibebat fratribus præbens ſumptus illis neceſſarios. Haymo. Iſte eſt Gaius etiam captiuus, qui baptizatus eſt ab Apoſtolo, ſicut dicit in Epiſt. ad Corin. *Neminem veſtrũ baptizaui niſi Criſpũ & Gaium. Et vniuerſæ Eccleſiæ. Salutat vos Eraſtus*] Ambroſ. Hic nominatiuum pluralem intelligit, ac ſi diceretur, ſalutant vos vniuerſæ Eccleſiæ. Sed melius eſt, ſecundum Orig. genitiuus ſingularis, vt dictum eſt, vt videlicet ita intelligatur, hoſpes meus, & hoſpes vniuerſæ Eccleſiæ. Cùm enim iam ſuperius dixiſſet Apoſtolus, *ſalutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti*, quid opus erat vt hoc repeteret, *ſalutant vos vniuerſæ Eccleſiæ? Eraſtus arcarius ciuitatis.*] Orig. Puto eſſe Eraſtum quem dicit, quia remanſit Corintho, arcarium eum .i. diſpenſatorem illius ciuitatis, cuius conditor eſt Deus. Secundum Hieronym. vocatur archarius ciuitatis ſecundum hoc quod olim fuerat, non modo. Haymo. Archarius, id eſt princeps vel diſpenſator qui præerat archæ, vbi cenſus ponebantur Regis tributorum & vectigalium. *Et Quartus frater*] Proprium nomen eſt, ſicut & Tertius, *Gratia Domini noſtri.*] Iero. hæc eſt ſcriptio manus eius in omnibus Epiſtolis, vt in ea etiam commemoret beneficia Chriſti. Haymo. Gratia dicitur gratis data, & nomine gratiæ debemus intelligere quicquid boni gratis accipiunt electi à Deo, vt videlicet ſpem, caritatem, remiſſionem peccatorum.

Et *autem qui potens eſt vos.*] Capitulum hoc Marcion, à quo ſcripturæ Euangelicæ atque Apoſtolicæ interpollatę ſunt, de hac Epiſtola penitus abſtulit. Sed & ab eo loco vbi ſcriptum eſt, *Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt*, vſque ad finem cuncta diſſecuit. In alijs verò exemplarijs quæ non ſunt à

Marcione temerata, hoc ipſum capitulum vel diuerſe poſitũ inuenitur. In nonnullis etiam codicibus poſt eum locum, *Omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt*, ſtatim habetur. *Ei autem qui potens eſt vos confirmare.* Alij verò codices in fine id vbi nũc eſt poſitum continent. Conſummata ſalutatione eorum terminat Epiſtolam ſuam in actione gratiarum, quaſi de expleto Opere ſuo ei grates referens, qui hoc ei inſpirauit. Ac ſi ita continuet, vobis inquam ſit gratia, ſed ei qui potens eſt &c. perpes ſit gloria. Et notandum quod cum dictum ſit, *ei qui potens eſt*, videtur ſuperfluere ad ſenſum vel conſtructionem, quod in fine ſubpoſuit, *cui*, cùm in principio ſcilicet dixiſſet *ei*, niſi forte propter longam interpoſitionem id fieri dicatur. Multa quippe ſunt interpoſita inter illud *ei*, quod eſt præmiſſum, & hoc quod in fine ſubiungitur, *honor & gloria.* Ideoque quaſi oblitus ſit imperitus lector cui adiungatur honor & gloria, ſuppoſitum eſt *cui.* Vt ergo litteræ conſtructio quoquomodo texatur, ita huius verſiculi principium fini coniunge. *Ei autem qui potens eſt vos, &c.*] honor & gloria ſit, ſubaudi & rurſus, *cui* ſubaudiatur eſt, ac ſi videlicet dicatur: Ei ſit honor & gloria, cuius eſt, ac ſi dicatur ſicuti reuera eſt, ſit inquam per Ieſum Chriſtum, per quem glorificandus eſt Pater. Ex hac quidem fine Epiſtolæ arbitror Eccleſiaſticos doctores expoſitiones & ſermones ſuos conſimili fine concludere, in actione videlicet gratiarum Dei. *Confirmare*] in fide ſcilicet quæ eſt omnium bonorum fundamentum, *iuxta Euangelium meum & prædicationem Ieſu Chriſti*] ſecundum doctrinam meæ prædicationis, quæ eſt etiam Ieſu Chriſti, non alia prædicatio, quia idem quod ille prędico Euãgeliũ meum ſiue prædicationẽ Ieſu Chriſti dico factam, *ſecundũ reuelationẽ myſterij*] vel confirmari ſecundum reuelationem meam. Myſterium dicitur ſecretum & occultum. Vnde & myſtica locutio dicitur ſignificatiua, quæ non eſt aperta. Myſterium quod nunc patefactum eſt, ipſe eſt redemptionis noſtræ modus, qui olim latebat in propheticis ſcriptis nondum expoſitis: ſed nunc ipſis tam à Chriſto quam à nobis expoſitis, reuelatus eſt. De Chriſto quippe ſcriptum eſt, quia *incipiens à Moyſe & omnibus prophetis* .i. *ſ. taciti æternis temporibus, quod nũc patefactum eſt per ſcripturas prophetarum ſecundum præceptũ æterni Dei ad obeditionem fidei*] .i. abſcõnditi vſque nunc ſemper, nec

per expoſitionem reuelati vnquam vlterius. Quippe cùm ipſi quoque ſeptuaginta interpretes in ſuis tranſlationibus quæ de filio Dei dicuntur maximè reticuiſſe, vel velaſſe credantur, prophetarum dicit potius quam legis, quia maximè hoc myſterium in Prophetis continetur, vbi apertiùs ſiue pleniùs de Chriſto erat prophetatum. Patefactum eſt dico in omnibus gentibus ſecundum præceptum æterni Dei .i. Chriſti dicentis, *Euntes in mundum vniuerſum, &c.* Dei dico, *Æterni*] licet ſecundum hominem initium habuit. Ad hoc, inquit, eſt patefactum, non ſolum vt credant omnes gentes, ſed magis vt ei obediant .i. ſecundum fidem operentur. *Ei*, inquam, *cognito nunc per Ieſum Chriſtum ſoli ſapienti Deo*] .i. qui nunc ſingulariter ſapiens apparet ex hoc quod per Chriſtum egerit in hoc redemptionis noſtræ myſterio, de quo ait Ioannes. *Ex prudentia ſua percuſſit ſuperbum*. Solus ſapiens dicitur in cuius comparatione nullus eſt ſapiens dicendus, ſicut & bonus iuxta illud Veritatis, *Nemo bonus niſi ſolus Deus*. Solus quoque ſapiens dicitur, quia ſolam illam & ſingularem habet ſapientiam quam nil latere poteſt. *Honor & gloria*] .i. glorioſus & ſingularis honor, *Amen*.

Digitized by Google

MAGISTRI

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS,

SERMONES PER ANNVM LEGENDI,

Ad Virgines Paraclitenſes in Oratorio eius conſtitutas.

EX VETERI COD. MS. NOBILISS. Viri FRANCISCI AMBOSII, *Regis in ſanctiore Conſiſtorio Conſiliarij, &c.*

Digitized by Google

MAGISTRI

PETRI ABAELARDI

NANNETENSIS,

SERMONES PER ANNVM LEGENDI,

Ad Virgines Paracliten ſes in Oratorio eius conſtitutas.

EPISTOLA AD HELOISSAM.

LIBELLO quodam Hymnorum vel Sequentiarum à me nuper precibus tuis conſummato, veneranda in Chriſto & amanda ſoror HELOISA, nonnulla inſuper Opuſcula Sermonum, iuxta petitionem tuam, tam tibi quàm ſpiritalibus filiabus tuis in Oratorio noſtro congregatis, ſcribere præter conſuetudinem noſtram vtrumque maturaui. Plus quippe lectioni quàm ſermoni deditus, expoſitionis inſiſto planitiem, non eloquentiæ compoſitionem: ſenſum litteræ, non ornatum Rhetoricæ. Ac fortaſſe pura minus quàm ornata locutio quanto planior fuerit, tanto ſimplicium intelligentiæ commodior erit; & pro qualitate auditorum ipſa inculti ſermonis ruſticitas quædam erit ornatus vrbanitas, & quoddam condimentum ſaporis paruularum intelligentia facilis. In his autem ſcribendis ſeu diſponendis ordinem Feſtiuitatum tenens, ab ipſo noſtræ redemptionis exordio ſum exorſus. Vale in Domino eius ancilla, mihi quondam in ſeculo cara, nunc in Chriſto cariſſima: in carne tunc vxor, nunc in ſpiritu ſoror, atque in profeſſione ſacri propoſiti conſors.

IN ANNVNTIATIONE BEATÆ VIRGINIS MARIAE,

Ad Virgines Paraclitenſes.

SERMO. I.

EXORDIVM noſtræ Redemptionis, hodiernus eſt Conceptus Dominicæ Matris. Concepit Dominum femina, vt Creatorem pareret creatura. Communis quidem ſalus hæc eſt hominum, ſed ſpecialis gloria feminarum. Primus Adam de terra plaſmatus, non de femina eſt natus: imò de eius coſta femina eſt formata. Secũdus Adam, ac prioris & omnium tam factor quàm Redemptor, noſtri ſexus formam de femina decreuit aſſumere: vt in vtróque ſexu conſiſteret gratia, ſicut in vtróque præceſſerat culpa: & eædem naturæ, per quas vulnus eſt inflictum, curationis afferrent medicamentum: & vnde illata eſt plaga, inde mirabiliter conficeretur cataplaſma. Actor plagæ diabolus, miniſter curationis Angelus. De quo nunc dicitur: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, &c.* Serpens à diabolo immiſſus, hic à Deo memoratur miſſus; vt ex ipſa ſtatim fronte lectionis, ſpe diuinæ gratiæ ſaucij releuentur ad nuncium ſalutis. Benè autem Angelus ex nomine deſignatur, cùm dicitur Gabriel; vt cùm idem referatur miſſus ad Mariam, quem jam ſuperiùs Euangeliſta dixerat miſſum ad Zachariam: ſic & iſta promiſſio complenda credatur, ſicut illa completa iam noſcitur. Vnde & ipſe poſtmodum Angelus illam in huius argumentum inducens: *Et ecce*, inquit, *Elizabeth cognata tua, &c.* Quò verò mittatur, diligenter Euangeliſta deſcribit, cùm ait: *In ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Ciuitas quippe non paucorum, ſed multorum eſt. Et iſta curatio non vnius languidi, ſed totius humani generis eſt futura. Et quia non ſingulorum hominum, ſed eorum tantùm, qui in ſua non remanentes ignauia, de valle vitiorum migraturi ſunt ad montem virtutum; rectè ciuitas iſta memoratur eſſe de Galilæa. Quæ & benè Nazareth, hoc eſt flos, nominatur; vbi hodie ille flos conceptus

ceptus eſt à virga, de quo Iſaias prædixerat: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet.* qui etiã de ſemetipſo ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Vt ergo hunc florem virga illa producat, ad Virginem ipſam Angelus mittitur, qui eam ad hoc præparet, & quaſi quodam ſuæ annunciationis ſarculo ad fœcunditatem excolat. Vnde & poſt locum, quò mittitur, de perſona ſubditur, ad quam iſte legatione fungitur: *Ad virginem*, inquit, *deſponſatam.* Virginem prę̃mittit deſponſatæ, non tam temporis quàm dignitatis ordine. Sed quæ iſta, quæſo, eſt dignitas, eſſe Virginem in carne, ſi iam per conſenſum corrupta fuerat mente? non enim deſponſari, vel matrimonium contrahi, niſi pari duorum conſenſu poteſt; nec aliter ipſa coniunx vel vxor Ioſeph vocaretur ab Euangeliſta. Quis igitur iſte conſenſus fuit? Nunquid commixtionis carnalis, vt in hoc iam Virgo conſenſiſſet, quòd florem dignitatis amitteret? Abſit hoc à pijs mentibus, vt quæ prima virginitatis munus obtuliſſe Deo creditur, in hunc conſenſum ducta æſtimetur, in quem tot virgines ne venirent vitæ diſpendium elegerunt; & ſic Agnum ſequi quocumque ierit, non ſolùm permanentes virgines, verùm etiam factæ mulieres. Quis hic autem conſenſus intelligendus ſit, tam in ſponſa quàm in Virgine, ſequentia ni fallor inſinuant. De ſponſo quidem, cùm nec nomen ipſius reticetur, cùm dicitur: *viro cui nomen erat Ioſeph.* Ioſeph quippe, quod interpretatur augmentum, quid aliud nobis innuit, quàm magnam in eo perfectionem virtutum? Quem etiam, vt beatus meminit Hieronymus, virginem ſicut ſponſam ipſius conſtat permanſiſſe. A qua profectò virginitatis perfectione ſi per conſenſum imminutus eſſet carnalis concupiſcentiæ, nequaquam dignum eſſet ab Euangeliſta commemorari eum Ioſeph nominari. Qui poſtmodum comperto Virginis conceptu, tantò grauiùs id eum ferre non eſt mirabile, quanto ſe magis illuſum dolebat, quem ad continentiæ conſenſum ſponſa pertraxerat. Ipſa etiam Virgo, cùm de ſe poſtmodum ait *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*, patenter innuit, nequaquam in vſum carnis eam conſenſiſſe, nec in concupiſcentia ſe viro fœderaſſe. Vt quid enim diceret, *quomodo fiet hoc, quia virum non cognoſco*, ſi in mente haberet viro commiſceri? Et ſi enim jam commixta non eſſet, poſſet vtique poſtmodum commiſceri, vt miran-

dum non esset, si ipsa quoque, sicut Elizabeth per diuinæ gratiæ donum ex viro conciperet. Sciebat etiam nec homines latere integritatem virginitatis suæ. Cur ergo quasi admirans quæreret, qualiter id fieri posset; cùm virum ipsa non cognosceret? Si hanc, inquam, cognitionẽ viri ad commixtionem carnis referret, quomodo de Adam vel nonnullis aliis dictum est, quia cognouerunt vxores suas? Quid est ergo quod ait, *virum non cognoui*, nisi quia nulli vmquam consensu carnali me commiscere adquieui? In quo ergo consenserat Ioseph cùm ab eo desponsaretur, nisi vt castimoniæ virtutem pari custodirent consensu? Videbat quippe se à parentibus ad nuptias cogi, ex ipsa maximè Legis sanctione, quæ sub maledicto ponebat omnes, qui non relinquerent semen in Israël. Nouerat virgo virginem Ioseph, quem ex castimoniæ amore, & cognationis propinquitate familiarem habebat. Hunc igitur elegit in sponsum, quem in suum trahere confidebat consensum, ne si alium cogeretur accipere, quod vouerat Deo non posset custodire. De qua etiam cùm dicitur, E*t ingressus est ad eam Angelus*, diligenter sanctum eius propositum describitur, quæ non in plateis exterius cum secularibus feminis reperitur: sed clauso cubiculi sui ostio Deo deuotè supplicans & orans; vt continentiæ quod fecerat votum tam sibi quàm sponso suo custodiat inuiolatum. Vnde & in ipsis suis precibus de sua petitione statim consolationem meruit accipere, & securitatem obtinere. De hoc autem cubiculi sui secreto tanquam oraculo diuino, quàm sancto ibi occupata esset studio, beatus Ambrosius libro de Virginitate secundo his scribit verbis. Hæc ad ipsos ingressus Angeli, inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentione arrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat, quæ bonas cogitationes habebat. quin etiam tunc sibi minus solavidebatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam virginem vbi reuisere solebat inuenit, & Angelum Maria quasi virum specie mutata trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in vito, quæ non est peregrinata in Angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit. Sed quæ primò turbauerat affectũ, postea promisit obsequium.

Ecce ſtudium non tam deſponſatæ quàm virginis, non ſe ad nuptias præparantis, ſed Deo penitus vacantis; non curis ſeculi, ſed ſacræ prorſus intentæ lectioni, non ſponſi quærentis ſolatium, vt colloquium mereretur Angelicum. Attendite Virgines, quæ non virum, ſed Deum elegiſtis ſponſum, & ſacrę formam profeſſionis à Maria ſumpſiſtis. Deſponſata illa homini, non hominem in publico, ſed Deum quærebat in ſecreto. Non oculos retorquebat ad mundum, ſed eregibat ad cœlum. Non canticis nuptiarum aures præbebat, ſed ſacræ lectionis pabulo mentem reficiebat. Ex quo liquidum eſt quàm ſit verum, quod diximus, nunquam eius animum ad nuptias declinaſſe, quia nullam certum eſt curam eam ſuſcepiſſe. Vnde & ab Angelo ſalutata, cuius vita non carnalis erat, ſed Angelica, audire meruit:

AVE *gratiâ plena*. Gratiam dicimus gratis datam, hoc eſt beneficium diuinum ſupra merita collatum. Vnde & Apoſtolus: *Si autem ex operibus, iam non ex gratia. Alioquin gratia iam non eſſet gratia.* Conſtat vero vnumquemque fidelium nonnihil gratiæ prȩter merita ſua collatum habere. Mariæ verò non participatio gratiæ, ſed plenitudo aſcribitur, vt tantum ei conferri demonſtretur, quantum humanæ naturæ infirmitati promittitur. Quod quidem qualiter fieret, ſi iam in conſenſum carnalis concupiſcentiæ tracta fuiſſet, nulla ratio habet. Vnde autem amplitudinem gratiæ adepta ſit, ſubinfertur cùm dicitur, *Dominus tecum*. Tecum, inquit, potius quàm in te. Qui enim vbique per præſentiam diuinitatis iam ſe vnire diſponebat carni virginis per aſſumptionem humanitatis; vt tecum, hoc eſt, cum carne tua vnum fiat in perſona. *Benedicta tu in mulieribus*. Numquid & in viros non redundat benedictio Mariæ? Numquid & ipſa de ſemine Abrahæ, & per illam Chriſtus deſcendit: in quo videlicet ſemine omnium gentium benedictio fuerat promiſſa? Quid eſt quæſo in mulieribus, & non magis in omnibus viris pariter ac mulieribus? Hæc iterum dico virgines attendite, & in vos ſpecialiter iſtam benedictionem Mariæ redundare gaudete. Paucos quippe virorum reperimus, qui in virtute virginitatis Chriſtum imitentur. Multas ſequaces hæc Mariȩ gratia in vobis habet, quarum tanto virtus, gratior, quanto ſexus infirmior. Virtus quippe in infirmitate perficitur. Quid eſt autem benedictio, niſi diui-

næ gratię multiplicatio? Benedicta igitur Maria in mulieribus potiùs quàm in viris dicitur, quia hæc eius gratia virginalis propoſiti in feminis maximè per eius imitationem multiplicanda fuerat, ſicut & Pſalmiſta antea prædixerat, dicens: *Aſtitit Regina à dextris tuis, &c.* Et rurſum: *Adducentur Regi Virgines poſt eam, adducentur in templum Regis.* Poſt eam, inquit, adducentur in templum Regis, quia per imitationem huius ſummæ Reginæ, virgines innumeræ in verum Dei templum ſunt conſecrandæ. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt.* Ad verba loquentis, & magno præconio laudis eam ſalutantis turbata memoratur eſſe, non eum qui loquebatur aſpicere. Fixis quippe oculis in lectione, vel terrę affixis in oratione, quò animus intendebat tota inhiabat, atque immobilis hęrebat; nec humanum curabat aſpectum, quæ tantum intendebat diuinum. Vnde autem turbata? Diuerſis vndique de cauſis. Tum quia viri conſortium fugiebat, tum quia lectioni vel orationi totam operam impendebat, quarum aſſiduitatem præpediri grauiter ſuſtinebat. *Et cogitabat*, inquit, *qualis eſſet iſta ſalutatio.* Ex qua videlicet intentione procederet vtrum adulationis verba hæc eſſent, an veritatis: qua temeritate, quo aditu ille cubiculi ſui ſecretum inquietare præſumeret? Quam ita perturbari Angelus non perferens, *Ne timeas*, inquit, *Maria.* Non quidem ait, Ne perturberis; ſed, ne nimia ſollicitudine affligaris: neaut te obtinere deſperes quod vouiſti, aut tanquam rea maledictum incurras legis. Et hoc quidem loco cùm ait, *Maria*: primum eam vocat ex nomine, vt quaſi familiarem ſibi maiori releuet conſolatione. Cur autem non ſit ei timendum, hoc eſt de petitione ſua differendum, adnectit cùm ait: *Inueniſti gratiam apud Deum.* Hoc eſt, ſupra omnia merita illi grata facta es, atque accepta. Quomodo autem tam legis maledictum euitet ſi virgo permaneat, quàm propoſiti ſui votum incorrupta cuſtodiat, patenter exponit dicens eam pariter tam eſſe parituram quàm Virginem permanſuram. Parituram, inquam, non ſolùm hominem, verùm etiam hominum Saluatorem; hoc eſt Ieſum. Cuius quidem virginei partus quanta ſit excellentia, diligenter deſcribit dicens: *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Ac ſi apertè dicat: Attende in hoc ipſo incomparabilem gratiam, ſingularem gloriam

Digitized by Google

tuam, vide ipſe qui Dei filius dicatur & tuus. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius*, hoc eſt, id in eo perficiet quod in typo eius Dauid promiſſum eſt, ſicut & ipſemet profitetur dicens: *Iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternũ præparabo ſanctũ tuũ. Et ædificabo in generatione & generationem ſedem tuã.* Domus Iacob, in qua regnaturus in æternum promittitur, Eccleſia eſt gentium, quæ tempore præteritorum, & gratiâ priorum Synagogã ſupplantauit, & benedictionem ei ſurripuit. Finem hoc regnum non accipit, quia nec cum vita præſenti deficit: quod tantò in cæleſtibus eſt verius, quantò felicius. *Dixit autem Maria, quomodo fiet iſtud?* Tanquam ſi diceret: Magna quidem promiſſio, & incomparabiliter nõ ſolum feminæ virtutem, ſed omnem humanam tranſcendens dignitatem. Quo itaque modo quóve ordine futura eſt completio rei tãtæ? *Virum enim*, inquit, *nõ cogno ſco.* Ac ſi diceret: Longè hoc à meo remotum propoſito videtur, vt videlicet partum habeam, quæ virgo perſiſtere decreui. Et hoc eſt, vt ſuprà jam meminimus, eã virũ nequaquam cognoſcere, nulli vmquam in commixtione carnali per conſenſum adquieuiſſe. Legerat quidem Abrahæ factam de Chriſto promiſſionem, ſicut & ipſa poſtmodũ profitetur, inquiens: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abrahã & ſemini eius.* Vnde nequaquam de hac promiſſione dubia, de modo requirebat quo eſſet complẽda, vtrum ſcilicet per admixtionem viri ſine dilectione peccati, ſicut in paradiſo fieret ſi homo nõ peccaſſet, an integritate corporis pariter & mentis conſeruata, ſicut in eius propoſito fuerat. Benè autem Angelus, cùm ei filium promitteret, modum conceptionis reticuit, donec ipſa videlicet manifeſtato voti ſui propoſito, eũ ab eo requireret: ne videlicet quia eã audieramus deſponſatam, crederetur per concupiſcentiam hanc iniſſe copulam.

SPIRITVS *ſanctus ſuperueniet in te.* Hoc eſt, ſuperiori dono Dei ditaberis, vt virgo pariter ac mater ſis. Venit Spiritus in multas fidelium animas, per aliquod diuinæ gratiæ donum, ſed in Mariam ſuperuenit, cùm ei ſuperiorem & excellentiorem omnibus gratiam contulerit. Quid autem Spiritus Dei, niſi diuinæ bonitatis amor ſeu donum intelligitur, cùm aliquid nobis ſupra merita confertur? Cùm ergo myſterium hoc Incarnationis totum per operationem

bonitatis diuinæ magis quàm per ſolitam inſtitutionem naturæ fuerit geſtum, rectè Spiritui ſancto eſt aſcriptum. *Et Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Virtus Dei Filius, hoc eſt coæterna eius ſapientia intelligitur, iuxta illud Apoſtoli: *Nos autem prædicamus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Sicut enim Deus omnia in ſapientia ſua fecit, ſic & per ipſam perdita reſtaurauit: ab hoc, vt ſuprà meminimus, noſtræ redẽptionis exordio reſtaurationem iſtam inchoans. Virtus itaque Dei Filius dicitur, qui brachium eius ſeu fortitudo, ad omnia quæ diſpoſuerit peragenda ſufficiens. Hæc Virtus obumbrauit Virgini, dum in ipſa ſuæ diuinitatis fulgorem velamine carnis operuit, & ſic ad nos quaſi calciata Diuinitas proceſſit; vt in noſtra Deus viſibilis appareret natura, qui permanet inuiſibilis in ſua. Hæc autem diuinæ Majeſtatis obũbratio in illo præfigurata eſt electro, cuius ſpeciem de medio ignis Propheta Ezechiel conſpexit. Electrum quippe eſt metallum ex auro ſimul & argento commixtum. In qua quidẽ mixtura argentum ad claritatem proficit, aurum verò à ſuo temperatur fulgore. Electrum igitur iſtud ipſe intelligitur Chriſtus, in cuius vna perſona diuinitatis & humanitatis duæ naturæ ita ſibi adinuicem ſunt vnitæ; vt inferior natura, quæ per argentum exprimitur, ſeſe viſibilem præbeat, & diuinæ maieſtatis ſplendor carnis velamine obumbratus, qui per aurum figuratur, inuiſibilis perſiſtat. Hoc electrũ in igne, Deus homo eſt in paſſione.

IDEOQVE *& quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Ac ſi apertè dicat: Ac per hanc vnionem Verbi Dei ad hominem vitæ factam, non ſolummodò ipſum Verbum Filius Dei dicetur, verumetiam ipſe homo à Verbo aſſumptus Filius Dei vocabitur. Et attende, quod ait, *vocabitur*, de homine potiùs, quàm de verbo, cui competit eſſe. Quod diligenter Euangeliſta conſiderabat, cùm diceret: *In principio erat Verbum.* Non enim dixit, vocabatur Verbum, ſed *erat.* Eſſe namque proprium eſt incommutabilitatis diuinæ, ſicut ipſe ad Moyſem loquitur. *Hæc dices filijs Iſrael, Qui eſt miſit me ad vos.* Qui eſt, inquit, hoc eſt, qui incommutabiliter conſiſtit: quia nequaquam verum habet eſſe, niſi quod eſt incõmutabile. Vbicumque mutatio fit, eſſe pariter & non eſſe concurrunt. Illi ergo proprium eſt eſſe, qui penitus ignorat

Digitized by Google

non esse. Vnde benè dictum est, *erat Verbum*, potiùs quàm vocabatur. Vocatio quippe non est æternitatis, sed temporis; nec ad naturam, sed ad placitum hominum spectat impositio nominum. Vnde rectè cùm de homine assumpto à Verbo loqueretur, cuius natura non est æterna, nec per naturam, sed per gratiam & vnionem Verbi habet esse Filius Dei, dictum est *vocabitur*, potiùs quàm erit. Quòd si etiam personam totam in duabus naturis consistentem dicamus ex Virgine nasci secundum corpus, quod indè traductum est, & totam illam personam, non solum humanitatem, Filium Dei vocari, non incongruè dicitur. Nam & surculus trunco alterius naturæ insertus toti arbori propriæ naturæ confert vocabulum: vt si esculus cœtano inseritur, esculus, non cœtanus tota arbor dicetur, à digniori scilicet parte quæ fructum affert ita nominanda, sicut & ex fructu suo cognoscenda. Quædam autem insertio diuinitatis in humanitate facta est hodie, & tanquam vna arbor facta est ex duabus naturis in vnam sibi personam conuenientibus. Scriptum quippe est de sapientia, quæ Dei Verbum intelligitur, quia *lignum vitæ est his qui apprehendunt eam.* Quid autem humanitas, nisi arbor maledicta, & tanquam lignum mortis antea erat? Quasi ergo lignum vitæ ligno mortis insertum intelligite, cùm in Virgine velut in bona terra hæc insertio sit facta. Cuius quidem insertionis ipse spiritus in eam superueniens operator fuit, tanquam illam præuidens diem, quæ ad inserendum commodior videtur; sicut communis hominum opinio tenet, qui inserendi peritiam habent, & longa hoc experientia didicerunt. Vnde & confidenter asserunt, vix aut nunquam aliquam insertionem quæ hac die fiat inutilem esse.

Et *ecce Elizabeth*. Ne de possibilitate partus Virginis quicquam suboriretur dubitationis, quasi hoc esset impossibile quod solitus cursus non haberet naturæ: in memoriam reducitur Elizabeth conceptus, quæ cùm tam senio quàm sterilitate esset infœcunda, obtinuit ex gratia quod habere non poterat ex natura. Vnde benè ab Angelo tam senectus eius quàm sterilitas memoratur. *Quia non erit impossibile apud Deũ omne verbum.* Verbum Dei hoc loco ipsa est diuina locutio, quæ à beato describitur Augustino, diuina dispositio non habens sonum strepentem & transeuntem, sed vim in perpetuo

manentem. Nullum igitur verbum Dei impoſſibile eſt ipſi, cùm quicquid ipſe diſponit vt faciat, nullo impediri caſu queat. *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini.* Quid eſt quod ais Domina? quid eſt quod reſpondes Regina non ſolum hominum, ſed & Angelorum ex hoc futura? Non dicis, Ecce mater Domini, vel etiam dilecta Dei, vel etiam ab ipſo electa; cùm ſis ſingulariter præelecta. Quantò te ad ſublimiora promiſſio intollit Angelica, tanto ſumma humilitatis virtus te deijcit ad inferiora. Vbi, obſecro, illud eſt honorabile nomen quod Vnigenitus tuus fidelibus ſuis imponit, cùm ait, *Iã non dicam vos ſeruos, ſed amicos*? Ille de honore ſuorũ in ipſo quoque nomine dignatus eſt prouidere, tu econtratio ſeruilem tibi conditionem non erubeſcis aſcribere· Ita Domina, vt ex te præcipuè illa humilitatis exempla ſumantur, ad quæ nos Scriptura exhortans ait: *Quanto maior es, humilia te in omnibus.* Ex hac maximè humilitatis virtute ad huius promiſſionis celſitudinem meruiſti conſcendere. Ex hac tuæ diſciplinæ regula virgo illa tui imitatris Agatha, & vna de numero prudentum, inſtructa dicebat: Ancilla Chriſti ſum, ideò me oſtendo ſeruilem perſonam. Et iterum, Summa ingenuitas iſta eſt, in qua ſeruitus Chriſti comprobatur. In hanc tamen regulam & humilitatis formam tuus ipſe, ni fallor, quaſi auus te induxerat, dicens: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.* Cùm enim de altitudine huius promiſſionis ad te filiam ſuam factæ præmiſiſſet, dicens: *Aſtitit Regina à dextris tuis, &c.* ſtatim de humilitate conſeruanda admonuit, ſubiungens, *Audi filia, &c.* Ac ſi apertè dicat: magnum eſt, filia incomparabile bonum te cœleſtis Regis ſponſam effici ſpiritualem, vt quaſi Regina cœlorum ei iuncto latere aſſiſtas, & cum eo ceteros omnes præcedas in veſtitu deaurato; hoc eſt in corpore ſolido & incorrupto, omni virtutum diuerſitate intus adornata. Sed quia magna ſunt feminæ naturæ tanta præconia, & humanæ infirmitatis tam excellens gloria, audi quæ dicuntur, & intelligendo vide: vt cùm hæc tibi nunciabuntur, non diffidas impleri, & tantæ promiſſionis altitudinem aure humili ſuſcipe, quaſi obliuiſcendo populum tuum, & domum patris: hoc eſt, non ſuperbiendo de genere Iudæ & regia ſtirpe, nec attendendo quid habeas ex natura; ſed quid tibi conferatur ex gratia. Atque ita Rex ille cœleſtis concupiſcet

piscet decorem tuum, qui superbis resistit semper & humilibus dat gratiam. Cuius quidem exhortationis Domina non immemor facta, dixisti: *Ecce ancilla Domini.* Et rursum, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ex qua profecto humilitate meruisti quod sequitur obtinere. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Hoc est, vt ipsum Dei Verbum iuxta tuæ promissionis verbum concipiam integra, & pariam incorrupta, Amen.

IN NATALI DOMINI,

Ad easdem Virgines,

SERMO II.

LÆTENTVR cœli, & exultet terra; quoniam hodie cœlorum Rex ortus singulas terras insignivit, vt hinc cœlestes ciues colligeret, per quos cœlestia restauraret damna. Vnde & Angeli de reparatione sui lapsus & nostro profectu exultantes, in ipso statim huius Natiuitatis die, tam suum quàm nostrum commune gaudium nunciarunt, dicentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ac si apertè fateantur: Natus est hodie, de quo spiritualiter * à supernis Spiritibus sit laudandus, & per quem forti armato alligato, immò prostrato, credentes in eum & sperantes veram pacem adipiscantur. Natus est hodie Deus in terris, vt homines nascerentur in cœlis. Natus est hodie de Virgine matre, qui ante tempora genitus est ex Deo patre. Hinc enim ad eum Pater ipse loquitur: *Ex vtero ante Luciferum genui te*, hoc est, ex ipsa mea substantia, antequam Lucifer crearetur, es genitus. Vtraque Natiuitas eius mirabilis, vtráque ipsius generatio ineffabilis: vt ad vtramque pariter, tam ad temporalem videlicet ex matre, quàm ad æternam generationem eius ex patre, illud Isaiæ non incongruè referatur: *Generationem eius quis enarrabit?* In huius itaque typo ille præcessit Rex & Sacerdos Melchisedech, quem tantum sine patre vel matre, hoc est sine genealogia commemorat Apostolus extitisse. Non quòd ille quidem patre vel matre caruerit; sed quod

* al. specialiter

Digitized by Google

eius genealogiam ſcriptura non doceat, vt à nobis commemorari queat. Sic & Chriſtus Rex vniuerſorum per diuinitatis potentiam, Sacerdos hominum factus per aſſumptæ humanitatis hoſtiam; ſine patre vel matre dicitur eſſe, non quòd vtrumque non habeat, ſed quòd neutrum quis quomodo ſit diſcere queat, vt ſicut ibi Scripturæ teſtimonium, ita hîc rationis humanæ deficiat ingenium; & tantò eius vtráque Natiuitas ſit mirabilior, quantò ineffabilior: cùm illa videlicet ex patre ſit ſine matre, iſta ex matre ſit ſine patre.

De huius quoque nouitate mirabili, quam habet ex matre, ſcriptum eſt Hieremia prophetante: *Creauit Dominus nouum ſuper terram, femina circumdabit virum.* Ac ſi apertè dicat: Ille qui, ſicut ſcriptum eſt, fecit quæ futura ſunt; iam altiſſimo ſuæ diſpenſationis conſilio, futuram cuiuſdam hominis creationem nouam, & ceteris omnibus diſſimilem prędeſtinauit. Qui cùm adiunxit, non in terra, ſed *ſuper terram*, oſtendit hanc creationem non tantum ſupra merita hominum eſſe; ſed etiam ſuperiorem & excellentiorem ceteris omnibus creationibus terrenis exiſtere. Quæ ſit autem huius creationis nouitas, ſubſequenter exponit dicens *Femina circumdabit virum*. Hoc eſt ex propria ſubſtantia mulier ſola ſine virilis ſeminis ammixtione præbebit corpus, quo ſe diuinitas circumdet ac veſtiat, viri formam in ea ſuſcipiens. Vnde & benè virtus Virginis, quaſi circulus omni parte integer, virum illum in ſe conceptum, non per coitum extrinſecus immiſſum, vndique circumdare dicitur. Totum quippe corporale indumentum ex ſubſtantia Virginis eſt cõtextum, & vir ille in ea quaſi in circulo continuo fuit: quia eius integritatem nec conceptus nec natus diſſoluit. Quantùm verò noua, & à ceteris ſit diuerſa huius creationis nouitas, animaduertemus; ſi ceteras hominum creationes ab exordio reuoluamus. Primus homo de terra formatus, nec ex patre nec ex matre carnis originem traxit. Eua autẽ, quæ de coſta eius formata eſt, ex patre ſolo eſt, non ex matre. Ceteri vero homines ex patre ſimul & matre generantur: hoc vno quidem excepto, qui ex ſola matre, vt dictum eſt, naſcitur. Vnde & proprie ipſe ſolus filius hominis, nõ hominũ, dictum eſt: quia eum videlicet ſecundum carnem ſola virgo

genuit, & ipſe ei quoque ſolus & vnicus filius extitit ſicut & patri, vt eius excellentiæ ſingularitas per omnia commendetur.

Hvivs quidem caro Virginis, qua ſe verus Agnus induit, illud eſt niueum vellus innocentiſſimæ ouis, de quo Pſalmiſta longè antè cecinerat: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, &c.* Legimus in Libro Iudicum, ad petitionem Gedeon, vt confirmaretur ad prælium per viſibile ſignum, vellus in area poſitum rore ita fuiſſe madefactum, vt circumquaque ſicca terra maneret: ac poſtmodum ad petitionem eiuſdem econuerſo contigiſſe. Quo quidem ſigno præfiguratum dicitur, gratiam Dei, quæ rore deſignatur, Iudaico populo in medio terrarum olim habitandi, quaſi velleri in area poſito, collatam primò fuiſſe, gentili populo reprobato: ac poſtmodum ab hac gratia vellere ſiccato, id eſt Iudæa priuata, eam circumquaque terrarum in gentes defluxiſſe. Sed quia ros comparatione pluuiæ tenuis eſt, & minus irrigare ſufficit; deſcenſum diuinæ gratiæ in Virginem pluuiæ ſeu ſtillicidijs magis quàm rori Pſalmiſta comparauit. Omnẽ quippe, vt diximus, tam Iudaici quàm Gentilis populi gratiam ea tranſcendit, quæ Matri Domini collata eſt: & eius dona, quæ quaſi terra & ſtillicidia ſuſcepit, ceteris donis longè ſunt eminentiora. Vellus cùm ſit de corpore, carnis infirmitatem ex læſura non ſentit in dolore, & ab omni corporeo ſenſu penitus alienum eſt. Et Virgo virginum cum infirmitate carnalis concupiſcentiæ concepta fuerit vt ceteri homines; hanc tamen penitus infirmitatem ipſa numquam ex conſenſu pertulit in mente, nec vllum illecebræ carnalis attactum experta eſt in carne. Vnde factum eſt, vt ſic de carne orta eſſet, vt vitia carnis ignoraret, & ſic de carne eſſet quaſi caro non eſſet; & tanquam mortua in carne, & tota viuens in ſpiritu, carnalium ſenſuum, qui maximè in concupiſcentia carnis vigent, oblectationem neſciret. Vnde meritò ipſam præ cæteris cæleſtis Regis filius quaſi palatium ſuæ habitationi congruum, quod ante non inuenerat, adipiſci gauiſus eſt, & in ipſa quaſi pluuia in vellus à ſupernis placido deſcendit illapſu. Pluuia quippe in vellus veniens, ipſum ita inundat & abluit, vt nullo ei ſenſu paſſionem ingerat: & dum ab eo non ſentitur, ſic in eo eſt quaſi non ſit. Ita & ſuperna ſapientia,

cuius hauſtus aquæ comparatur, iuxta illud : *Aqua ſapientiæ potauit eos Dominus*, quia de plenitudine eius omnes accepimus, vt de Virgine carnem acciperet, ipſo ſuo deſcenſu gratiæ ſuæ donis eam irrigando, ab omni humanæ infirmitatis contagio inundauit, & nullam ei paſſionem carnis vel in conceptu vel ex partu attulit; & dum eam tam ante partum, quàm poſt partum Virginem conſecrauit, ſic in ea fuit quaſi non fuerit: & ſic ipſa grauida facta eſt quaſi grauida non eſſet, cùm nullum indè paſſionis grauamen incurreret. Stillicidia autem pluuiæ terram, quam inebriant, ab ariditate ſua in fœcunditatem conuertunt. Et ſpiritus ſui donis ita eam Filius Dei repleuit, vt non ſolum ipſa Deum pariendo fructum afferret, verumetiam fidelibus omnibus ipſum conferret, quæ ſalutem omnium mundo peperit.

HAEC illa eſt fidelium omnium terra communis, & ager ſpecialis*, cuius & Spiritus ſanctus colonus, & verbum Dei ſemen extitit. Quod etiam ſuprà memoratus Propheta per ſpiritum præuidens, ad ſingularem ſecum exultationem, & diuinæ laudis confeſſionem, omnes pariter admonet dicens: *Confiteãtur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.* Quod quidem ſi quis de terrenæ ſegetis fructu accipiat, quid ad Dauid iſta exhortatio laudis; quaſi in diebus eius terra inciperet fructificare, vel copioſiorem fructum afferre? Iſaac ſeminaſſe, & centuplum collegiſſe tanquam in admirationem diuini beneficij meminit Scriptura: ſed nullam inde gratiarum actionem, de tanta ſcilicet fructus abundantia eum Domino perſoluiſſe. Intelligamus itaque Dauid in Prophetia huius fructus, quem alibi ſibi à Domino commemorat promiſſum eſſe, dicens: *De fructu vẽtris tui ponam ſuper ſedem tuã*, ad congratulandũ ſibi omnes pariter adhortari, quorum in hoc communẽ conſiderat ſalutem. Hic eſt ille fructus terræ ſublimis, quem & Iſaias præuidens, *Erit*, inquit, *germen Domini in magnificentia, & in gloria, & fructus terræ ſublimis: & expectatio his qui ſaluati fuerint de Iſrael.* Quid enim germen Domini, ſublimẽ fructũ terræ, cõmunẽq; omniũ hinc exultationẽ fideliũ, niſi Chriſtũ oportet intelligi: qui & ante ſecula genit° ex Patre, & hodie quaſi de terra prodijt natus ex Virgine? Cuius quidẽ ſublimationẽ ac magnificentiam definit Apoſtolus, dicens: *Propter quod & Deus illũ exaltauit, & donauit*

* *f.* ſpiritalis

illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomẽ. quod etiã nomen, id eſt Ieſum, quod Saluator interpretatur, idem Propheta, cùm de ipſo terræ fructu alibj præconaretur, ait: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul. Ego Dominus creaui eum.* Quid enim cœli vel nubium nomine, niſi Angeli vel ſancti Patres dignitate cæteris præminentes, & tanquàm in ſupernis animo cõuerſantes, intelligendum eſt? Qui dum aduentum Mediatoris vel parabolicè, vel manifeſtè prænunciauerunt: quaſi rorem vel pluuiam verba ipſorum fideles ſuſceperunt. Ros quippè pluuia ſubtilior, & minutiſſimas habens guttas, vt vix conſpici queat: verba ſunt allegorica ad intelligendum difficilia. Quæ verò aperta ſunt, pluuiæ comparantur. Hæc igitur verba terram ſanctam, id eſt immaculatam irrigarunt Virginem, vt hunc nobis fructum afferret: quia promiſſionibus tam per Angelos quàm per Prophetas de Chriſto factis erudita, dum eorum auditui credidit, quaſi aure concepit; & ex fide audibilis verbi illud concipere Verbum Dei meruit; de quo ſcriptum eſt: *In principio erat Verbum*, ſicut & conſequenter oſtenditur cùm dicitur, *Et Verbum caro factum eſt.* Ad hunc itaque rorem ſeu pluuiam diuinarum promiſſionum ſuſcipiendam terra ſe aperuit, cum per intelligẽtiam & fidem non ſolùm corporis, ſed etiã cordis aures eis apertas habuit: vt quæ videlicet dicerentur ſimul intelligeret & crederet. Vndè benè in eam verba iſta pluere iuſtum potiùs quàm peccatorem dicuntur; quia ſolus iſte ſine concupiſcentia carnali cõceptus ab omni penitus peccato fuit alienus. Tale eſt ergo, *pluant iuſtum*, ac ſi diceretur: doctrinæ ſuæ Verba conceptum, à peccato prorſus immunem, conferant Virgini: & ad illa per fidẽ ſuſcipienda ſe ſe aperiat terra, hoc eſt, de impoſſibilitate talis cõceptus nec dubitet femina, quando videlicet hæc ſemina in eam tanquam in terram promiſſo jecerit Angelica, dicens: *Ecce concipies, &c.* Cum quo ſimul juſtitia oritur, quia ipſe non ſolum juſtus in ſe, ſed etiam nos per fidem ſui, non per opera legis iuſtificans, *factus eſt*, vt ait Apoſtolus, *ſapientia nobis à Deo & iuſtitia. Ego Dominus creaui eum.* Hoc eſt, ab æterno iam diſpoſui hãc eius creationem, non per concubitum virilem, ſed per meæ potentiæ peragere virtutem. Quod ergo ibi tanquam futurum prædicitur, *aperiatur terra & germinet Saluatorem*, hîc quaſi iam completum oſtenditur, *Terra dedit fructum ſuum.*

QVOD verò ſubditur, *Benedicat nos Deus*, oratio eſt poſtulantis efficaciam huius fructus, in illa videlicet benedictione inde mundo promiſſa, quæ Abrahæ primò facta eſt, cùm ei à Domino dicitur, quia *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* In primo quippe Adam terra maledicta, in ſecundo benedictionem recepit: quia ille in condemnationem omnes ſecum pariter traxit, à qua nos iſte ſolus liberans, vt propriè Ieſus, id eſt Saluator vocaretur, obtinuit. Ante aduentũ quippe ipſius iuſti etiã apud inferos propter peccatũ primi hominis plectebantur; pro quib. indè liberandis ipſe quoque ad inferos deſcendere dignatus eſt, illud Oſeæ complens vaticinium: *O mors, ero mors tua: norſus tuus ero, inferne.* Aperta itaque per ipſum iam nobis ianua Paradiſi, vt videlicet nullus electorum ampliùs à regno differatur, illam iam querimoniam fidelium ſopiuit: *Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Quorum quidem querimoniæ ſtatim ipſe reſpondens, & tẽpus gratiæ de aduentu ſuo promittens, ait: *Viuo ego, ſi erit vltra fabula hæc in prouerbium in Iſrael.* Et in ſequentibus, *Anima*, inquit, *quæ peccauerit ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, &c.* Quid eſt autem comeſtio vuæ acerbæ, quæ à patribus facta, in pœnam etiam filiorum redundat, tanquam ipſi quoque vuam illam comediſſent; niſi tranſgreſſio priorum parentum, quę poſteros omnes ante aduentum Domini opprimebat, vt nullus quantumcumque iuſtus ad beatitudinem tranſiret: ſed vnius vetitæ arboris comeſtionem tota poſteritas plecteretur? Eam verò arborem, quam ſcientiæ boni & mali Dominus appellat, plerique Iudæorum vitem eſſe autumant, cuius fructus hoc loco vua eſſe dicitur. Quam etiam indè ſcientiæ boni & mali, ſicut Dominus appellat, meritò dici volunt, quia ſicut vinum moderatè ſumptum acuit ingenium, ita cùm modum excedit obtundit ipſum. Vnde quaſi bonum & peruerſum ſenſum conferens, ſcientiæ boni & mali arbitrantur dici. Cui etiam opinioni non mediocriter illud ſuffragari videtur, quòd poſt comeſtionem ſtatim in ſe illi motum luxuriæ ſentientes, erubeſcentiâ confuſi pudenda texerunt. *Luxurioſa* quippe *res vinum eſt*, ſicut ſcriptum eſt. Et Apoſtolus, *Vinum*, inquit, *in quo eſt luxuria.* In medio autem paradiſi tam lignum vitæ, quàm lignum ſcientiæ boni & mali fuiſſe referuntur, quaſi ſibi inuicem ita copulata, vt alterum alteri adhæreret, ſicut vitis ab vlmo ferri ſolet,

Digitized by

& quaſi in vno mors & vita ſimul ſint collocata, tanquam lignum vitæ ex proprio fructu vitam miniſtraret, & ex adiacente vite mortem inferret. Dominus quippe Ieſus in ruinam & in reſurrectionem multorum poſitus eſt, & ex ſe ipſo vitam credentibus præſtat: & reprobos, quos diu tolerando portat, per iuſtitiam condemnat. In cuius, vt dictum eſt, aduẽtu illud præmiſſum prouerbium ceſſare promittitur, quia in electis, qui per Iſrael deſignantur, iam illa pœna originalis peccati finem accepit: vt iam vlteriùs nullus credentium niſi ex proprio delicto differatur à regno, ſed anima, quæ peccauerit in Iſrael, hoc eſt inter videntes Deum, etiam rationis compotes, ex proprio tantum peccato, non ex alieno puniantur: nec iam filius peccatum patris portet, vbi nullum fidelium iam originale peccatum à beatitudine ſeparat. Vndè benè hoc tempus gratiæ, quo plenam remiſſionem conſequimur, ſicut illud iræ dici conuenit. De hac plenitudine temporis & abundantia diuinæ gratiæ, qua decreuerat Deus implere quod cœperat, & conſummare quod promiſerat, ait Apoſtolus. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit* DEUS *filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, &c.*

HAEC igitur mulier ſexu, ſed infirmitatis ignara muliebris, quę virgo perpetua diuino conſecrata eſt partu, porta illa eſt Orientalis ſemper clauſa, quam Ezechiel ſibi per ſpiritum reuelatam deſcribit, dicens: *Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam* DOMINUS DEUS *Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Per hanc quippe Virginem quaſi portam quandam ad nos quaſi in templum ſuum Dominus ingreditur, dum ſe in ea noſtræ copulat naturæ. Sed hęc eadem porta ſemper clauſa permanet, & vir per eam non tranſiet; quia nullus virilis coitus. Quæ benè porta ad Orientẽ reſpicere dicitur, ſecundum quod ipſa Orienti congruè comparatur. Sicut enim ibi ſol iſte corporalis oritur, & indè ad ceteras mundi partes diffunditur: ſic in iſta ſol verus iuſtitiæ Chriſtus, ſecundum quod ſcriptum eſt, naſcens, (quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt) claritatis ſuæ radios ad illuminandas totius mundi tenebras dilatauit. Vnde & Euangeliſta Ioannes: *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.* Hæc itaque lux, ideſt Verbum Patris, & coæterna eius ſapientia, ſic ad nos per Virginem, quemadmodum claritas per ſolidiſſimi vitri ſpecular ingreditur. Omnibus quippe metallis vitrum ſo-

Digitized by Google

lidius eſt ac ſplendidius,ſed tamen fragilius,nec poſt fracturam ita reparabile vt cetera. Et ſanctæ Virginis integritas,quam definiens Apoſtolus ait,*Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu*,maximam habet ſoliditatem,& tantò Deo reſplendet acceptabilior, quantò eſt huius virtus ſublimior.Sed quia hæc facile deperire poteſt, ſtatim videlicet ſi vel mens corrupta fuerit, nec iam vlteriùs recuperari vel integrari valet:quàm ſit hoc tamen bonum fragile liquet,&quàm diligenti cuſtodia indiget.De hoc itaque tanquam fragilj vitro ipſa Dei virtus & ſapientia , cui velle poſſe eſt , quaſi ſpecular quoddam in Virgine ſibi compoſuit ; per quod ſe nobis ſummus ille diuinæ claritatis ſplendor infudit, & nec per conceptum ingrediens,nec per partum egrediens illud diſſipauit.Et notandum quòd ſpecular quidem plenam lucis claritatem ſuſcipit,ſed adeò plenam non refundit , nec tantam reddere poteſt , quantam capit. Sic & ille diuinus fulgor, cùm ſe ad nos per illud virginale ſpecular immittit , longe ampliore gratia Virginem quàm nos illuſtrat per Virginem. Vnde & benè ab Angelo gratia plena ſalutatur, & in eã ſuperuenire Spiritus ſanctus nunciatur.Ipſa quippe , quantum humana capere poteſt natura , omnibus diuinæ gratiæ donis cumulata totum ſimul accepit quod particulatim diſtribuitur aliis.Venit itaque ſæpe Spiritus ſanctus in alios fideles per aliquod gratiæ ſuæ donum,ſed in iſtam ſuperuenit:quia longe ſuperiorem hic aduentum habuit, vbi fidelium omnium operatus eſt ſalutem. Secundum quam quidem operationem Saluator ipſe non ſolum ex Virgine natus , ſed de ipſo quoque Spiritu natus eſſe dicitur; ſeu conceptus. Aliter tamen ex illa, aliter ex illo. Ex illa videlicet tanquam ex matre , de cuius ſubſtantia carnem accepit : de illo autem non vt de patre, ſed tanquam de huius natiuitatis operatore. In hac quippe conceptione vel natiuitate non conſuetudo naturæ , ſed diuinæ operatio gratiæ conſideratur:nec quid natura poſſit , ſed quid omnipotens voluit attenditur. Quòd verò ad gratiam Dei magis quàm ad merita hominum reſpicit , Spiritui ſancto ſpecialiter tribuitur , quia ipſe amor ſeu bonitas Dei propriè nuncupatur.

HVIVS tanquam artificis cuiuſdam operatione,lapis ille de monte ſine manibus abſciſſus eſt , qui in Daniele ſtatuam comminuiſſe legitur, ac poſtmodum in montem magnum creuiſſe,

& vni-

& vniuerſam terram impleuiſſe dicitur. Quem etiam lapidem per Iſaiam nobis Dominus promittens, ait: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, precioſum, &c.* De quo & Pſalmiſta antè cecinerat: *Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factũ eſt iſtud &c.* Huius lapidis de monte ſine manibus abſciſio facta, ipſa eſt incarnatio diuina, in quam illa, quæ Virginem repleuit, ſola operata eſt Spiritus ſancti gratia. Ipſe quippe ſua operatione carnẽ illum, qua indueretur filius Dei, de carne Virginis ſeparauit, & in membra formauit. Quid autem manus, niſi humanã operationem ſignificant? Sine manibus igitur id actum eſt, vbi nulla humani coitus operatio fuit. Mõs, de quo lapis hic eſt abſciſus, virginalis eminentia eſt dignitatis, quæ cæleſtem in terris ducebat vitam. De cuius quidem ſubſtantia ſecundum carnem homo ille eſt aſſumptus, qui in vnam perſonam Verbo Dei eſt vnitus, quod totum eſt Ieſus Chriſtus. Hic grandem & ſublimem ſtatuam comminuit, quia dilatatam in gentibus idololatriã deſtruxit, ſicut & ipſe per Iſaiam antea promiſerat, dicens: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum: & mouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius.* Ægyptus quippe, quæ tenebræ interpretatur, mundus eſt ſumma idololatriæ cæcitate percuſſus? In quem Dominus per carnem manifeſtẽ veniẽs, huic ipſi carni quaſi leui nubi inſedit, quia homo ille à Verbo aſſumptus, de quo ſcriptum eſt, *Verbum caro factum eſt*, nullum ex corruptibili corpore, quod aggrauat animam, pondus traxit peccati. Sol vapore ſuo exhalationes terræ generans nubem attrahit, de qua poſtea manans pluuia terram inebriat vt fructificet. Vapor itaque ſiue calor ſolus, Spiritus ipſe eſt à Deo procedens, qui & ipſius amor dicitur. Hic vbi vult ſpirans, & terrena corda in Deum accendens, quaſi quaſdam exhalationes terræ generat, dum ipſorum gemitus atque ſuſpiria in Deum excitat. Vnde & Apoſtolus, *Ipſe*, inquit, *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, dum nos videlicet poſtulantes facit, & orantes quæ ſuggerit. Summa ergo in antiquis Patribus hæc ad Deum oratio fuit expectatio, vt promiſſum eis mitteret Saluatorem: ſicut & de beato illo legitur Simeone. Quod & beatus commemorans Auguſtinus intelligit: Fratres, inquit, quantum deſiderium habebant antiqui Sancti videre Chriſtum! Sciebant illum eſſe venturum, & om-

nes qui cupiebant dicebant: O ſi me inueniet illa natiuitas! O ſi quod credo in Scripturis Dei videam oculis meis! Idem poſt aliqua de beato illo prædicto ſene quaſi deſiderante & ſuſpirante, quotidie in orationibus ſuis dicente: Quando veniet, quando naſcetur, quando videbo? Putas durabo? putas hic me inueniet? putas iſti oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelabuntur? Dicebat iſta in orationibus ſuis, & pro deſiderio ſuo accepit reſponſum, quòd nõ guſtaret mortem donec videret Chriſtum Domini. De his quoque Sanctorum deſideriis & vehementiſſimo clamore cordis iliud eſt Iſaiæ: *Clamabunt ad Deum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem. &c.* Tales igitur clamores vel gemitus fidelium, quaſi quædam erant exhalationes terrarum. Ad quorum quidem poſtulationem & expectationem, ſol ſibi verus vapore ſuo nubem attraxit, dum operatione Spiritus ſancti Verbum Dei de Virgine carnem accepit. De qua etiam carne tanquam de nube pluuiam dedit, cùm incarnationis eius myſterium prædicatio terris omnibus nunciauit, & fidei fructum indè extulit. Cum hac itaque, vt dictum eſt, carne, ipſo in Ægyptum veniente, mota ſunt ſimulacra Ægypti, quia inde remota eſt idololatria, conuerſis ad ipſum gentibus. Et tunc profecto iuxta Danielem, ſtatua comminuta lapis ille in montem magnum creuit, & vniuerſam terram repleuit: quia eius corpus non ſolum hanc morientium, quod eſt Eccleſia, vbi terrarum fides, dilatauit, cùm infidelitatem expulerit. Quod denique corpus non ſolum hanc morientium, ſed magis illam viuentium eſt terram repleturum. Hic eſt mons ille domini præparatus in vertice montium, qui per diuinitatis eminentiam omnium tranſcendit cacumina Sanctorum. Qui nobis hodie quaſi de valle naſcitur, quia de inferiori ſexu & humillima Virgine, ſummus ille diuinæ maieſtatis ſplendor ad humanos hodie prodit obtutus, carnis velamine obumbratus, vt in noſtra ſaltem videri poſſit ſubſtantia, qui inuiſibilis perſiſtit in ſua.

Hæc illa ſpecies electri, quam Ezechieli Prophetæ legimus reuelatam. Electrum quippe quædam eſt auri & argẽti mixtura; in qua & argentum ad claritatẽ proficit melioris ſ. admixtione metalli, & aurum à ſuo fulgore temperatur, dum inferiori metallo ſociatur. Sic & Chriſtum vnã ex duabus naturis intelligimus perſonam, in quo diuinitas auro, humanitas verò infe-

riori comparatur metallo. In hac igitur perſona, quę Chriſtus eſt, hoc eſt Deus & homo, ſic ſibi diuina & humana coniunctæ ſunt naturæ, vt ille incomprehenſibilis diuinæ claritatis fulgor carnis velamine obumbratus, humanis ſe oculis temperaret, & ſuſcepta humanitas ad claritatem proficeret: cùm videlicet homo ille quaſi quædam lutea teſta ſapientiæ ſupernæ illius, cui eſt vnitus, incomparabili luce accenſus, noſtræ illuminans tenebras, tam verbis quàm exemplis, omnium nobis plenitudinem virtutum exhiberet, & longè puriorem & intelligentia potiorem, quàm in paradiſo creata eſſet, noſtram repararet naturam. Vt autem Verbum Dei carnem de Virgine ſumens, hoc ſe velamine obumbraret, ipſum quoque Virgini priùs obumbraſſe dicitur, vt poſtmodum ex illa ſic obumbratum naſceretur. Cùm enim magnus ille cæleſtis Paranymphus Gabriel Archangelus Virgini prædixiſſet, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: ſtatim exprimens in quo hic ſuperior aduentus Spiritus ſancti conſiſteret, adiecit dicens: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Et quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Virtus quippe Patris Filius dicitur, quem Dei virtutem & Dei Sapientiã Apoſtolus nominat; eo quòd quæcunque per ſapientiam facta diſponit, per eandem potenter efficit. Hæc igitur Patris coæterna Sapientia obumbraſſe Virgini dicitur, quaſi videlicet eam occultaſſe, & de vniuerſa humani generis maſſa ipſam ſibi ſpecialiter elegiſſe, atque attraxiſſe, in qua noſtræ reparationis operaretur myſterium, & altiſſimum ſuæ diſpenſationis compleret arcanum. Quod autem nunc à Gabriele dicitur, *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te ſanctum, &c.* hoc in Iſaia diligenter iuxta Hebraicæ linguę proprietatem iam expreſſum fuerat. Vbi enim nos dicimus, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, in Hebræo pro virgine ponitur *alma*, quod ſonat abſcondita. Quam igitur ibi Propheta dicit abſconditam, hanc nos ſecundum aſſertionem Angelicam dicimus obumbratam.

QVALITER autem diuina Sapientia obumbrauerit Virgini, id eſt, quàm ſapienter Deus, vt dictum eſt, eam ſibi occultauerit, illæ quoque rationes nos docent, quibus de deſponſata naſci voluit, nec eam grauidam à viro ſeparari permiſit: quem ipſa etiam occurrens infamiæ hominum vnigeniti ſui patrem appellare decreuit, ne videlicet conceptus ſui vel

partus veritas audita nec credita pœnam ei vel infamiam apud infideles magis compararet quàm gloriam. Duobus itaque modis à Deo dicitur obumbrata, cùm & veritatem partus eius occultauerit mundo, & eam abſconderit protegendo: ad illum videlicet modum, quo dicitur à Propheta, protectio in vmbraculum & in abſconſionem eſſe. Et illud Pſalmiſtæ, *ſub vmbra alarum tuarum protexit me.* Quod enim protegimus, ne lædatur occultamus. Hanc verò Virginis abſconſionẽ illa etiam quæ in ea pręceſſerunt vel quę ſubſecuta ſunt, non incongruè inſinuant. Miſſus quippe ad illam Angelus ad eam ingreſſus eſſe memoratur, vt eam ſcilicet non in publico cum ſecularibus feminis ludentem, ſed in occulto vacantem Deo, & tanquam orantem cubiculo clauſo reperiſſe doceretur. Cuius etiam corpus nunc vſque abſconditum humanis obtutibus penitus eſt ſubtractum. Benè etiam abſcondita dicitur, quę in hoc conceptu vel partu nec viro eſt cognita, nec naturæ vel ſexus ſui legem experta: vt ei ſoli huius myſterij ratio reſeruetur, qui de abſcondita natus eſt abſconditus, & de obumbrata proceſſit obumbratus: vt ſedentem in tenebris & vmbra mortis vera ſuæ lucis claritate mundum illuſtraret, & qua rediremus ad patriam ipſe nobis viam oſtenderet, & facultatem præberet, & aditum patefaceret. Denique nec ipſam Chriſti genealogiam, quam enarrandam ſuſceperunt Euangeliſtæ, vſquę ad matrẽ ipſius texuerunt, ſed potiùs ad Ioſeph ſponſum eius perduxerũt: innuẽtes quidem huic, non tamen exprimentes, Mariam quoque de ſtirpe Dauid pręcedere; cùm referant eam ſecundum legẽ contribuli ſuo deſponſatam fuiſſe, tanquam in hac quoque ſua narratione illud ſupradictum attendentes Propheticũ, *Generationẽ eius quis enarrabit?* Narrant quippe vtrumque, ſed non enarrãt, & rem tangunt, ſed non pertingunt, quia Mariæ proximos parentes non exprimunt, magiſque ſeriem generationis ad ſponſum, vt dictum eſt, quàm ad ſponſam perducunt, vt illius patefacta, huius relinquatur abſcondita. Vnde & huic quoque benè Apoſtolus Chriſto Melchiſedech comparauit, quòd eum ſine genealogia eſſe dicit. Sicut enim illius generationem ſcriptura non exprimit, ita nec humanam etiam Chriſti generationem, vt dictum eſt, ipſa definit. Quod ergo ſupputata genealogia Ioſeph Matthæus adiecit, *Chriſti autem generatio ſic erat*, non tam ad præcedentia ſpectare videtur, quàm ad ſe-

quentia vbi mox ſubinfertur: *Cùm eſſet deſponſata mater eius, &c.* Ac ſi apertè diceretur: Talis eſt generatio Ioſeph ex ſupradictis Patribus vſque ad ipſum deducta, ſed humana generatio Chriſti patrem neſciens ex ſola eſt Virgine per operationem Spiritus ſancti facta. Quam etiam abſconſionē ipſi infideles Iudæi ex promiſſo vaticinio profitentes dicūt: *Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem cùm venerit nemo ſcit vnde ſit.* Legimus homines olim naturalium ſuorū venerationem celebrare ſolitos eſſe, ſicut & Euangeliſta commemorat de Herode. Poſtquàm verò Creator omnium tantam nobis exhibuit gratiam, vt naſcendo de Virgine noſtram ſuper Angelos ſublimaret naturam; ſtatim totam hanc natalium noſtrorum deſerentes vanitatem, ad eius Natiuitatis conuertimur celebrationem, non iam attendentes quando hîc naſcamur, ſed quomodo per ipſum cœlo renaſcamur. Cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto vna eſſentia, eadem majeſtas, & inſeparabilis gloria per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI,

Ad eaſdem Virgines,

SERMO III.

CIRCVMCISIONIS Dominicæ ſeu Baptiſmi rationem quærentibus, prima nobis occurrit quæſtio, cur illa in antiquo populo præceſſerit: Deinde cur poſtmodum ea ceſſante Baptiſmus ei ſucceſſerit. Denique cur poſt Ioānis aduentum, vſque ad quem Lex & Prophetæ, Dominus vtráque ſuſceperit: maximè cùm id,, pro quo auferendo inſtituta dicuntur, nullatenus habere potuerit. Quas quidem tres quæſtiones, ſi Domino annuente ſoluere poterimus, præſentis intentionis operam conſummabimus. Nunc de prima primùm videamus. Conſtat ante Abraham, à quo circumciſio incœpit, nonnullos extitiſſe iuſtos, velut Abel, & Enoch, ſiue Noe, & ipſum quoque Abraham per veram cordis circumciſionem priùs quàm circumcideretur carne, iuſtum fuiſſe: ſicut ex teſtimonio Geneſis apertè conuincit, ſic de hoc inter cetera

ſcribens ad Romanos: *Quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Quid enim dicit Scriptura? *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Et poſt aliqua: *Dicimus quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam.* Quomodo reputata eſt? in circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio. *Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculũ iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, &c.* Ex quo liquidè conuincit Apoſtolus, quòd is qui ex Dominico præcepto primus eſt in carne circumciſus, ante hanc circumciſionem dum adhuc præputiatus eſſet, ex fide ſit iuſtificatus, nec iuſtitiam ex circumciſione ſit conſequutus. Pro ſigno autem iuſtitiæ iam habitæ circumciſionem ſuſcepit, vt videlicet interiorem mentis à vicijs circumciſionem, hoc eſt iuſtitiam fidei, exterior circumciſio carnis oſtenderet potiùs quàm faceret. Interim autem præcedentium Patrum iuſtitia Deo acceptabilis extitit, vt vnus eorum, id eſt Enoch, vitæ præſentis ærumnis ſubtractus, in Paradiſum viuus à Domino ſit tranſlatus, ſicut Eccleſiaſticus quoque meminit, & Iſidorus de ortu & obitu Patrum his aſſerit verbis: Enoch meruit in eum locum transferri viuens, vnde fuerat protoplauſtus expulſus, in conſummationẽ mundi reſtituens cum Helia mortalis vitæ conditionem. Alius verò cum tota domo ſua, id eſt Noe, à diluuio liberatus, in ſeminarium humani generis ſolus reſeruari meruit. Iob quoque gentilis ſanctitas, quem longè poſt Abraham conſtat extitiſſe, adeò Dominico teſtimonio commendatur, vt non ſit ei vir ſimilis in terra, nimirum eo tempore quo multi de filijs Abrahæ iam circumciſi ſupererant. Quem quidem lex naturalis, ſicut & pleroſque alios Gentiles veriùs iuſtificauit, quã Iudæos ſcripta fecerit. De qualibet quidem in eadem Epiſtola, ſupra commemorans Apoſtolus ait: *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordib. ſuis teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum.* Et poſt aliqua: *Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur, & iudicabit quod ex natura eſt præputium legem conſummans te, qui per litteram & cir-*

cumciſionem carnis prævaricator legis es? Non enim, qui in manifeſto Iudæus eſt, neque quæ in manifeſto eſt in carne circumciſio, ſed qui in abſcondito Iudæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Et rurſum: *Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. An Iudæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? Imò & Gentium. Quoniam quidem vnus eſt Deus qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Quod & beatus Hieronymus diligenter attendens, & talium vitam tanquam Deo acceptam commendare non veritus, quodam loco Mathæum exponēs, ait: Ex eo quòd malus ſeruus auſus eſt dicere, *Metis vbi non ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti*, intelligamus etiam Gentilium & Philoſophorum bonam vitam recipere Deum, & aliter habere eos qui iuſtè, aliter eos qui iniuſtè agunt: & in comparationem eius, qui naturali lege ſeruiat, condemnare eos qui ſcriptam legem negligunt. Conſtat ergo in antiquo populo æquè incircumciſos ſicut & circumciſos ex fide iuſtificari: nec eos qui circumciſi ſunt, ex circumciſione hoc, vt iuſti fierent, aſſecutos eſſe; ſed magis ex fide per dilectionem, vt ait Apoſtolus, operante. Quid igitur cauſæ fuerit vt hoc circumciſionis ſignum ſolus Abraham cum ſemine ſuo, vel quos poſſidebat tam de cognatione ſua quàm de alienigenis ex præcepto Domini ſuſceperit, merito quæritur. Ipſã quippe iuſtitiam, cuius hoc ſignum eſſe Apoſtolus ait, æquè in cæteris, vt dictum eſt, ſicut in Abraham, conſtat extitiſſe: nec tamen ad hoc ſignum eos conſtringit præceptum, ſed ſolùm, vt diximus, Abraham cum ſemine ſuo, vel ad poſſeſſionem ſuam pertinentibus. Hinc enim ſcriptum eſt, Domino ad Abraham dicente: *Statuam pactum meum inter me, &c. & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno; vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Dabóque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ.* Et rurſus: *Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc eſt, quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri: vt ſit in ſignum fœderis intra me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris. Tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne mea in fœdus æternum.*

Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Et post aliqua: *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac. Et cõstituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismael quoque exaudiui te, ecce benedicam ei, & multiplicabo eum valde. Pactum verò meum statuam Isaac.* Quem quidem Isaac solum ad semen Abrahæ pertinere, postmodum Dominus patenter indicauit, dicens: *quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Iuxta quod etiam ipsum Isaac vocat vnigenitum Abrahæ, dicens: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito, &c.* Constat itaque neminem circumcisionis præcepto constringi, nisi Abraham cum semine suo, & his qui ad domum vel possessionem eorum pertinent. Cuius quidem circumcisionis causam Dominus quoque interserens, ait: *Vt sit in signum fœderis inter me & vos.* Ac si apertè dicat: non vt vos mihi fœderet atque iungat, sed vt fœderatos ostendat. Rufinus quoque iuxta Origenem Epistolam Pauli ad Romanos exponens, occasionem huius præcepisti de circumcisione facti tam in hoc quàm in ceteris diligenter assignat ex verbis ipsius legis, quæ præcepta eius ad solos Iudæos, quæ ad omnes generaliter homines pertineant. Discutiamus, inquit, vtrum hoc mandatum etiam eos, qui ex gentibus crediderãt, constringat. Nunquam fecit proselyti, idest aduenæ mentionem: sed vernaculum seruum vel precio emptum circumcidi iubet, non liberum. Perscrutemur ergo Leuitici legem: *Loquere*, inquit, *filijs Israel, & dices ad eos; Mulier si peperit masculum, octaua die circumcidetur, &c.* Intueamur & hîc, quemadmodum de lege circumcisionis tantũ ad filios Israel Moyses loqui iubetur, & alienigenarum nulla fit mentio: cùm in quibusdam mandatis non solùm filijs Israel, sed & proselitis, id est aduenis, loquatur. Necessariò vtique obseruanda distinctio est, quia sicut ibi dicitur: *Loquere ad Aaron*, & alibi, *ad filios Aaron*, & alibi, *ad Leuitas*: certum est non subjacere reliquos his legibus etiam quæ filijs iubentur, nec alienigenæ memoria vlla sit. Non est putandum comme esse mandatum, vbi appellationis habetur exceptio. Sic ergo nõ alius circumcisionis lege constringitur, nisi ex Abraham originem trahens, vel vernaculus eorum, vel precio emptus. Vis autem videre quia sicubi vult etiam alienigenas lege connecti,

uecti, significanter ostendatur? Audi quid scriptum sit: *Homo ex filijs Israel & aduenis, quicumque manducauerit omnem sanguinem, animam illam disperdam: quia anima omnis carnis, sanguis illius est. Et ego dedi vobis vt ex ipso super altare propitiaretur pro animabus vestris, quia sanguis pro anima expiabit.* Vides ergo hanc legem, quæ aduenis data est, obseruari & à nobis, qui ex Gentibus credimus? Ergo legem de obseruatione sanguinis communem cum filijs Israel & gentium suscepit Ecclesia. Hæc namque ita intelligens in lege scripta, tunc beatum illud Apostolorum Concilium decernebat, decreta gentibus scribens, vt abstinerēt à sanguine & suffocato. Verùm requires fortassè, si etiam de suffocato communis filijs Israel cum aduenis data sit lex. Audi, *Homo*, inquit, *ex filijs Israel, & ex aduenis qui sunt ex vobis, quicumque venatus fuerit feram aut auē quæ manducatur, effundat sanguinem eius, & cooperiat terra, quia anima omnis carnis sanguis illius est.* Verùm quia inter illa, quæ de Leuitico superiùs protulimus, etiam hoc refertur: *Homo ex filijs Israel vel aduenis qui sunt in eis, quicumque fecerit holocaustum aut sacrificium, & ad ostium tabernaculi non adduxerit illud facere Domino, exterminabitur de populo suo.* Et per hoc videbitur etiam de Gentibus Ecclesia holocaustis obnoxia fieri. Nō vt faciat iubet, sed si fortè fecerit, quomodo facere debeat docet. Certum est enim quòd cum Hierosolymis templum constaret, & Religio tradita patribus vigeret, plurimi etiam gentium veniebant ad templum, adorare & offerre sacrificium. Sed hoc quoniam in loco vno fieri præceptum est, de quo etiam hîc mandat, vt ad ostium tabernaculi iugulanda victima deducatur: tamdiu potuit legitimè fieri, quamdiu status loci permansit incolumis. Denique Saluator ad decem leprosos, quos mundauerat, inquit. *Ite, ostendite vos sacerdotibus, & offerte pro vobis hostias, sicut præcepit Moyses.* Nunc verò quid exigitur ab aduenis, quod exhibere quidem nec proprijs cultoribus licet? Quam quidem Dominicæ rationis causam si diligentiùs inspiciamus, facile est ad omnem obiectionem nos satisfacere.

PRIMVS Abraham de terra Chaldæorum & cognatione sua diuino eductus imperio, propriæ terræ promissionem sibi & semini suo suscepit à Domino. In qua videlicet terra populus Dei à gentibus viueret separatus, & diuino cultui ser-

uiet expeditus: cùm antea fideles paſſim cum gentibus habitare & victitare conſueuiſſent. In hac igitur terra tanquam in ciuitate quadam populum ſuum Dominus congregaturus, & à Gentibus eum tam loco quàm vita ſegregaturus, decreuit ei legem inſtituere, à circumciſione inchoans. Vnde vt ſuprà meminimus, facta promiſſione terræ, qua populus Dei ab infidelibus diſiungeretur, & Domino firmiùs coniungeretur ac fœderaretur, ſtatim circumciſionis præceptum inducitur, quod ſit videlicet in huius fœderis ſignum. Ex genitali quippe membro humanę generationis eſt propagatio. Hoc igitur membrum circumciſum Abraham & ſuos à ritu & moribus originis ſuæ, ideſt infidelium Chaldęorum, ſegregatos eſſe oſtendit, & hac carnis expoliatione iam eos veterē & carnalē exuiſſe hominem, & nouum ac ſpiritalem induiſſe, qui ſecundū Deum creatur & renouatur de die in diem. Ad quod etiam huius ſigni conſideratione præcipuè admonerētur. Cuius inſuper ſigni, quaſi diuini cuiuſdam in homine ſignaculi non mediocre commodum Dominus præuidebat ad fidelium ſalutem tutiùs muniendā, & eos ab infidelibus maximè diuidendos. Conſtat quippe tātas eſſe carnalis voluptatis illecebras, vt facilè homines ad idololatriam quoq; iſtam cōcupiſcentia inclinet, ſicut de ſummo ſapiente actum eſt. Ne igitur fideles infidelibus feminis copulati, in ritu earum tranſirent, & à Domino recederent, quaſi quadā maceria interpoſita, hoc ſigno maximè, talium copularum familiaritatem abſcidit: vt ſi videlicet rurſum filij Dei filias hominum cōcupiſcerent, illæ tamen eorum copulam ſpernerēt, huius membri detruncationem tanquā turpiſſimam abhorrentes: & illi cōtrà hoc ſigno fœderis Dei membra ſanctificata à turpitudine infideliū ſeruarent intacta. Vnde & populus Iſrael eo tēpore, quo in deſerto ſegregatus à Gētibus fuit, nequaquā circūcidi cōpulſus eſt. Tūc verò maximè hāc maceriā interponi neceſſe fuit, cùm in Abrahā fideliū peregrinatio inter infideles cœperit, & in ea cuius iā acceperat promiſſionē terra. Facilè nāq; peregrinantes ab incolis qua poſſunt occaſione familiaritatē captant, quāex matrimonijs maximè contrahi conſtat. Quo quidem contactu ſi populus Dei populo Chananæorum vinciretur, difficile illum delere, vel à terra expellere ſuſtinerent, ſicut poſtmodum diuino actum eſt conſilio. Solet etiam

communio menſæ maximum familiaritatis vinculum eſſe. Vnde & lex poſtmodum delicatos interdicens cibos, hanc quoque familiaritatis abſtulit occaſionem. Et quo difficilioribus obſeruantijs Iudæos implicuit, tantò amplius ab eis gẽtes remouit, & maiores inimicitias hac interpoſita maceria peperit. Quod quidem tunc fieri opus fuit, cùm nondum Gentilem populum vocare Deus decreuerit, ſed tantùm Iudaicum. In plenitudine verò temporis gratiæ, cum Gentilõ quoque populum ſua vocatione dignaretur Deus, vt Eccleſiam in duos populos dilataret, & eos ſibi capiti in vno corpore coniungeret, & magna inuicem concordia ligaret; illam legalium obſeruationum maceriam remouit, quæ inimicitias pepererant, vt ſic eos adinuicem vinculo caritatis colligaret. Quam quidem diuini conſilij prouidentiam ſummus Eccleſiæ Doctor & ſpecialis Gentium Magiſter ad Epheſios ſcribens his aperit verbis: *Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos gentes eratis in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumciſio in carne manufacta: quia eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites Teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes; ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu, vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans; vt duos condat in ſemetipſum, in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo, &c.* Iudæi quippe quaſi peculiaris populus Dei de legitimis ſuis gloriantes, quamdiu lex ſtatum ſuum obtineret, ſemper Gentes deſpicerent, nec ſe illis æquari paterentur. Qui etiam poſt Euangelium de præterito ſtatu legis adeò intumeſcebant, vt hoc ſibi priuilegio ſingularem in Eccleſia prærogatiuam vendicarent. Ad quam quidem ſuperbiam maximè reprimendam Apoſtolus frequenter in Epiſtolis opera legis & eius gloriationem deprimere vel extenuare compellitur, & ea omnino remouere decreuit; ne videlicet de his Iudæi Gentibus inſultarent, aut Gentes eorum Legi ſe ſubdere prorſus dedignarentur, de qua illi maximè aduerſus eos gloriabantur. Quã quidem Apoſtoli diſcretionem intantũ poſtea ſancti Patres æmulati ſunt, vt cùm in Gẽtibus Eccleſiaſticas dignitates ſecundum priſtinos ciuitatum

gradus ordinarent, in illo Hierosolimam honore illam quondam Dei egregiam ciuitatem extulerunt ; imò ipsam adeò depresserunt, vt eam Metropoli subiugarent : ne forte priuilegio ciuitatis suæ vel templi gloriari superbus ille posset popul⁹, sicut nec vel cerimonijs suis. Vnde nec in illis paraſceuæ solẽnis orationib⁹, cùm pro Gẽtilibus & Hereticis quoq; siue Schismaticis genua flectam⁹, solos in hoc Iudæos præterimus, qui genu flexo illudentes Domino dicebant: *Aue Rex Iudeorũ.*

SICVT autem lege cessante perfectior Euangelij doctrina successit, ita post circumcisionẽ, Baptismi subijt sacramẽtum, quod tam viros quàm feminas æquè sanctificat, & eum iã venisse demõstrat, qui nos à peccato penitus abluat, & ipsam etiã peccati pœnã cœlos referando deleat. Vnde & bene hoc sacramentum super totum hominem, non in aliqua eius parte agitur: quo post Saluatoris hostiam ita penitus peccatũ deletur, vt pœna quoque peccati omnino relaxetur. Quod etiam Sacramentum tantò ampliùs Dominici aduentus gratiã cõmendat, quanto & ad salutem perfectius est, & ad tolerandũ leuius, vt tantò lex noua sit gratior, quanto quæ præcessit fuerat onerosior: & qui legis iugum ferre consueuerant Gẽtiles, nulla Sacramentorum difficultate vel multitudine territi repellerentur. A quo quidem oneris grauamine ad Euangelicam libertatem Dominus inuitans aiebat: *Venite ad me qui laboratis & onerati estis. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Vt enim, legalium vindictarum seueritatem prętereamus, vbi dicitur *dentem pro dente, &c.* quis vitam tenera parte corporis acutis lapidibus circũcidi non horreat? Non enim alio instrumento hanc fieri lex monstrat, cùm & Sephora vxor Moysi filium circumcidisse scribatur, & Iosue cultris lapideis ex præcepto Domini populũ circumciderit : quanquam id modo pro difficultate rei nequaquã Iudęi obseruent. Quod diligenter Apostolorũ Princeps considerans, manifestè fatetur, neque se, neque Patres suos iugum legis portare potuisse. Nec solùm perfectione vel lenitate sui baptismus commendatur ; verumetiam quadam in semet specie decoris adornatur, cùm videlicet quælibet anima Deo copulanda huius ablutione sacramenti cõuenienter innuat, neminẽ ei, nisi qui à sordibus peccati lotus fuerit, sociari. Quoddã namq; specialis desponsationis cõiugium in baptismate cum Deo inimus,

Digitized by Google

cùm prius in ſcrutinio catechuminorum ei ſponſione noſtra fœderati & quaſi deſponſati, poſtmodum in baptiſmo corpori eius, quod eſt Eccleſia, conuenimur;* tanquam ſi ſponſa poſt balneum in amplexus ſponſi ſuſcipiatur. Sunt qui etiam circũciſionem ad originalis peccati, ſiue actualium quoque remiſſionem dixerint fuiſſe neceſſariam, & ob hoc inſtitutam. Nobis autem illa, quam ſuprà reddidimus, cauſa probabilior atque rationabilior videtur; cùm videlicet conſtet priores iuſtos hoc ſacramento nequaquam eguiſſe, nec feminas, quæ eiſdem obligatæ ſunt peccatis, & à quibus peccatum incœpit in nobis, hoc ſacramento ſanctificari. Quis etiam dubitet antiqua ſacramenta excellentiæ nouorum multum derogatura eſſe, & in maximum errorem nos tractura, ſi ipſa quoque cum nouis pariter remanerent: tanquam hæc ſcilicet ſine illis ſufficere non valerent? Hæc ad propoſitas duas priores quæſtiones: de inſtitutione ſcilicet circumciſionis ſeu legis, & poſtmodum ceſſatione, dicta nunc ſufficiant.

* *f.* connimur

SVPEREST autẽ, vt tertiæ reſpondentes, præſentem operam conſummemus. Cur videlicet Dominus legem finiens, & Euangelium inchoans, ipſa etiam quæ finiuit legalia ſuſcepit, quaſi nos ſuo adhortans exemplo, vt à lege incipientes, in Euãgelio conſummemur, nec ſic ad noua tranſeamus ſacramenta, vt derelinquamus antiqua. Et quippe, vt Salomon ait, *Oculi ſapientis in capite eius*. Quod quaſi exponens Apoſtolus: *Qui dicit ſe in Chriſto*, inquit, *manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare*. Sicut ergo Dominus, qui ait, *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, poſt circunciſionem ſuſcepit baptiſmum, poſt veteris Paſchæ ſacrificium celebrauit nouum; ita nos eius veſtigia ſequentes, ab his minimè, inquiens, cõuenit declinare. Sed id profectò rectè diceretur, ſi eadem nunc in nobis ratio eſſet, quæ in illo quondam extitit. Vt enim ſcandalum declinaret, & hoc quoad poſſemus vitandi formam nobis præberet, antiqua ſuſcepit ſacramenta. Alioquin apertè reus legis crederetur, & à ſemine Abrahæ & toto Iudæorum populo penitus alienus, vnde promiſſus expectabatur. Iuxta namque Domini ſententiam, quiſquis in illis circumciſus non fuerat, de populo ſuo peribat, cùm ſine hoc ſacramento nemo tunc poſſet connumerari Iudæis, ſicut nec modo ſine baptiſmo Chriſtianis. Vnde & pro ſcandalo Iudæorum vitando in exordio naſcentis Eccleſiæ,

Digitized by Google

nondum Euangelica veritate roborata, intantum Apoſtoli ſuperfluis iam legis operibus diſpenſatiuè ad tempus conſenſerunt, vt Paulus ipſe maximus Legis perſecutor Timotheum diſcipulum circumcideret, & ipſe poſtmodum ex conſilio Iacobi, & qui Hieroſolymis erant fidelium, aſſumptis quibuſdam alijs viris ſecundum Nazaræorum ritum obſeruare ſe legem exhiberet. Qui tamen poſtmodum de ipſa legis ſimulatione Petrum manifeſtè arguit, vbi iam videlicet Euangelicam veritatem confirmatam eſſe intellexit: Diuerſis itaque de cauſis, ſed vtriſque rationabilibus, Deus tam antiqua quàm noua ſuſcepit ſacramenta. Illa quippe, vt dictum eſt, pro vitando ſcãdalo, hęc in noſtræ imitationis exemplo. Sicut enim mediator Dei & hominum factus duas in ſe naturas habuit, diuinam ſcilicet atque humanam, quas reconciliare venit: ita duos populos ſibi coniungens, & quaſi duos parietes lapis angularis colligans, tam priorum fidelium quàm poſteriorum ſacramenta ſuſcepit: vt iuxta illud Apoſtoli, omnibus omnia factus omnes lucri faceret. Si enim ſe à ſacramentis Iudæorum ſubtrahens eos ſcandalizaret, magis eos à ſe repelleret, quàm ſibi alliceret. Quiſquis enim ab his inter quos viuit, diſſimilem vitam eligit, magis eorũ familiaritatem ſibi tollit. Vnde & Angeli hominibus olim apparentes, cum nec hoſpitio nec cibo egerent, hæc tamen pro neceſſitate poſtulantes vel accipientes, tantò nos ſibi eos familiariores reddebant, quantò infirmitati noſtræ magis condeſcendebant, & eorum ad quos veniebant conſuetudinem nõ reſpuebant. Hanc & Dominus prouidentiam tenens, nihil in cibis vel in humana conuerſatione præter peccatum tam à ſe quàm à diſcipulis vitari decreuit. Qui ſi etiam legis onera non ſuſcepiſſet, nequaquam poſtmodum hanc remouiſſe videretur, tam propter mutilationem eius, quãtum propter grauamen ipſius. Qui nunc profectò ampliùs à nobis dilegendus videtur, quoniã & illius onera propter nos ipſe ſuſcepit, & ab ipſis poſtmodum nos liberauit. Sunt & alia nonnulla, quæ & Dominum egiſſe meminimus, & ea tamen ſalubriter declinamus omninò, vel alio tempore & alio modo conuenienter celebramus. Legimus quippe ad nuptias Dominum inuitatum cum matre & diſcipulis conuiuio illi interfuiſſe: quod nunc quidem prouida diſpenſatione ſacerdotibus Chriſti locis ſpecialiter obtinentibus à Sanctis Patribus interdictum eſt penitus. Alia quippe in

Digitized by Google

illo ratio fuit,alia in nobis.Noſtra namque infirmitas ad tentationem prona, in conuiuijs maximè non ſolùm religionis, verum etiam communis honeſtatis modum excedit. Nec ille ad nuptias tam propter conuiuium,quàm propter miraculi beneficium,quo ſe manifeſtaret, & in ſe diſcipulos confirmaret, venire dignatus eſt. Quod diligenter Euangeliſta conſiderans, ait:*Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Scimus & ipſum poſt baptiſmum ſtatim in heremum condeſcendiſſe, & XL. dierum ieiunium tunc inchoaſſe,& ſic conſummaſſe,nec ipſos Apoſtolos ab eo ſacramentum corporis & ſanguinis ſui ieiunos accepiſſe. quæ tunc quidem ſic fieri oportebat, & nunc aliter alia ratione in conſuetudinem venerunt Eccleſiæ.Sic & Dominus ne Iudæos ſcandalizaret,circumciſionem ſuſcepit, & nos poſtea vt dictum eſt repelleremus,hãc omnino reſpuimus. Multa quippe ſunt,quæ ſecundum temporis oportunitatem alio tempore ſunt probanda, & alio improbanda: etſi ab eiſdem priùs & poſtmodum gerantur perſonis. Habent quippe in omnibus loca & tempora ſuas rationes,ſecundum quas in eis eadem modo fieri,modo vitari conuenit. Adeo pro ſcandalis vel repulſione gentium vitandis, quædam nunc à nobis legitima caueri manifeſtum eſt,vt pote circumciſionem & ſabbati ſeu feſtorũ obſeruationes, & ſacrificiorum ritum, ſiue quorumdam abſtinentiam ciborum; quòd in quibus Apoſtoli vel ſancti Patres nullum præſenſerunt ſcandalum, imò aliquid vtilitatis vel decoris intellexerunt,ea retinere non abhorruerunt.Vnde & adhuc IIII. Temporum ieiunia celebramus, & ipſos Eccleſiaſticorum Officiorum gradus,ab Oſtiario ſcilicet,vel ab ipſa etiam clericatus tonſura vſque ad Epiſcopum: necnon & ſacerdotalis vel Eccleſiaſtici cultus ornamenta ex antiqua retinemus & confirmamus auctoritate. Veluti candelabra,coronas, & vela; Eccleſiarum quoque dedicationes, vel altarium conſecrationes,in tantum ex antiquitate ſuſcepimus, vt in his peragendis nihil fere niſi de veteri teſtamento cantetur vel recitetur: vbi & ad antiquæ aſperſionis exemplum hyſopum & cinerem adhibemus.Quis etiam illud intelligens,*Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ignoret noſtri ſacrificij formam legem etiam præceſſiſſe, & indè originem ſeu teſtimonium accepiſſe? In quo quidem nos Latino azimo veſcentes aliquam etiam de veteri Paſcha retinemus figuram,iuxta illud Apoſto;

Digitized by Google

r non in fermento veteri, ſed in azimis ſinceritatis.
mixturam ſalis & aquæ in aſperſionem fidelium
xemplo Heliſæi conficimus, ſicut & ipſa bene-
teſtantur.
r aliqua ex antiquitate retineamus, aliqua reſ-
vel opportunitates penſandæ ſunt in ſingulis.
minus attendentes, indè omnia iam reſpuenda
figuræ fuerunt ſubſequutæ veritatis, & per Chri-
pletæ. Vnde meritò illa iam omnino ſuperflua cē-
præfigurabant veritas completa eſt: nec fortè ſi
ſa veritate retinerentur figuræ, quæ ipſam præſi-
uc expectaretur futurum quod iam eſt completū.
c profectò rationem, omne rei futuræ ſacramentū
yſticam manere non conuenit poſtquam res eius
. Vnde & coniugium, quod Chriſti & Eccleſię con-
entum, vel ipſam Regum & Sacerdotum vnctionē,
præditimus à nobis retineri, ceſſari iam oportet.
licet nec ſacrificium Melchiſedech in figuris ſequa-
taria chriſmate conſecremus, nec Eccleſias dedice-
ndelabra in Eccleſiis erigamus, & cetera quæ dixi-
s remoueamus. Quod quia nemo fidelium vel diſ-
approbat, conſtat aliquas eſſe rationes, cur ex veteri
o nonnulla in rerum ſignis ſicut in verbis omnia re-
Quamuis enim prolationes verborum manifeſtius
ræ ſacramentorum demonſtrent id quod ſignificant;
en veteris Teſtamenti verba reſpuimus, etiam cùm a-
i videntur quàm ſeiam rei veritas habeat: veluti cùm
Ecce virgo concipiet. Quid ita mirū, cùm tam rebus quàm
quæ nunc completa ſunt vetus Teſtamentum prænū-
nulla eius ſacramēta poſt rerum etiam completionem
amus, cuius nulla reſpuere verba præſumimus? Tantò
maior eſt concordia veteris & noui Teſtamenti, & hoc
illo magis confirmatur, quantò non ſolum verbis verumetiā
ipſis coniuncta videntur.

NOTANDVM verò quod ſolis infantibus circumcidendæ
certum præfinitum tempus, id eſt octaua dies, quia eos ſolos,
innocenter viuunt, quaſi modo geniti infantes, rationabi-
es, ſine dolo, certum eſt ad illius veræ octauæ gaudia perueni-
re: vbi tam animarum quàm corporum veram ac perfectam
circumciſionem

circumciſionem aſſequimur, veterem penitus hominem tam per culpam ſcilicet quàm per pœnam exuentes, vbi mens omnino ſit libera, & caro à corruptione vel paſſibilitate pariter aliena. Totum quippe tempus vitæ præſentis VII. diebus comprehenditur. Vnde meritò perpes illa Sanctorum claritas, quæ poſt ſeptenarium huius vitæ ſequitur, octaua nominatur. Iuxta quod Pſalmi qui ſpecialiter ad reſurrectionem pertinere videtur, intitulari pro octaua dicuntur. Legimus à Ioſue filios Iſrael cultris petrinis ſecundò circumciſos eſſe: cùm poſt tranſitum Iordanis iam in terra promiſſionis eſſent introducti. Populus quippe de Ægypto egreſſus, & in heremo defũctus, filios in deſerto natos incircumciſos reliquerat. Quos poſtmodum Ioſue circumcidens, ſecundò circumcidiſſe filios Iſrael dicitur: non quidem iuxta hiſtoriam in eiſdem perſonis conueniẽtius accipere poſſumus. Multi quippe alij in populo Iudæorum multos circumciderunt, & nemo præter Ioſue ſecundam circumciſionem dicitur peregiſſe. Legimus Abraham priorẽ circumcidi vel circumcidiſſe, primò quidem Iſmahelem & vernaculos ſuos, poſtea vero Iſaac. Sephoram quoque vxorẽ Moyſi cum acutiſſima petra filium circũcidere Dominus coegit. Nulla tamen harum circumciſionum ſecunda ſiue prima dicta eſt, vel ex ordine diſtincta, niſi quæ à Ioſue memoratur facta. Vnde igitur iſte ſolus ſecũdò circumcidiſſe dicatur, vel cuius primę cõparatione hęc ſecunda circumciſio vocetur, non facilè ſolui credo, niſi ad allegoriam ſtilo conuerſo. Ad quam nos quidem Apoſtolus inuitans: *Hæc*, inquit, *omnia in figura contingebant illis*. Secunda autem circumciſio dicitur, cùm terræ promiſſionis heredes efficimur, hoc eſt cùm terram viuentium in illa felici, quam diximus, octaua conſequimur. Prima verò eſt circumciſio, quæ hic mentem & carnem à vitiis, vel carnalibus illecebris, quantum nobis datum eſt abſcindimus, vt illam quam ſuprà meminimus, veram & integram circumciſionem illic aſſequamur, à vero S. Ioſue, id eſt Ieſu noſtro, imò omnium Saluatore. Hic quippe ille Ioſue, qui Moyſi ſucceſſit, & in terram promiſſionis introduxit, tam nomine ipſo quo Ioſue dicitur, id eſt *Ieſus*, quàm factorum ſuorum excellentia ſpecialiter exprimere videtur. Qui, vt dictum eſt, Moyſi ſuccedens, & populum de Ægypto profectum in terram promiſſionis introducens, quod ille incœpit conſummauit: quia

lex per Moysem tam significata quàm data, nihil, vt ait Apostolus ad perfectum adduxit. Impossibile enim est, inquit, sanguine hircorum aut taurorum auferre peccata. Vnde Moysi Iosue succedere necesse fuit, quia frustrà processisset legislator, nisi sequeretur Saluator. Qui profectò post transitum Iordanis introductos in terram promissionis cum petra circumcidit, dum videlicet nos in baptismo regeneratos, atque ad supernæ vocationis hereditatem perductos, veram sibi nobis circumcisionem per semetipsum in petra figuratum tribuit, cui est cum Patre & Spiritu sancto æqualis gloria, coæterna maiestas, per infinita seculorum secula, Amen.

IN EPIPHANIA DOMINI,

SERMO IIII.

EPIPHANIAE præsens sollemnitas vocabuli sui proprietatem multis & varijs rerum euentibus mundo exhibuit. Quod enim Theophania vel Epiphania Græcè dicitur, id Latinè Dei Apparitio, vel Superapparitio nuncupatur. Saluator igitur mundi post illam temporalis sui ortus apparitionem, qua de vtero prodiens Virginis carne se visibilem mundo præbuit, & in præsepio Pastoribus innotuit: vna postmodum per reuolutionem temporum die signis mirabilibus sese amplius manifestare decreuit: vt qui eum ex scriptura non cognoscerent, rerum saltem admiratione traherentur ad fidem. Nouum quippe cœlestis Regis ortum in terris noua stella Magis reuelauit: & super baptizatum Dominum cœlis apertis, & columba in eum descendente, & paterna voce de filio testificante, non solum populo circumstanti, verum etiam ipsi Baptistæ Ioanni plenariè quantus esset inuotuit, sicut & ipse Ioannes profitetur dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum: hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.*

Digitized by Google

Denique miraculo aquæ in vinum cõuerſæ diuinitatis eius potentia declaratur, ſicut Euangeliſta cõmemorat dicens: *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Chana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam. Et crediderunt in eum diſcipuli eius.* Nunc igitur ſingulas iſtas reuelationes Domini ordine proſequentes, ad præſentis diei gloriam incœptam conſummemus operam.

Bene' Magi primitiæ gentium ad fidem primò tracti fuerunt, vt qui maximè erroris tenuerant magiſterium, ipſi poſtmodum etiam ſuæ conuerſionis exemplo fidei facerent documentum, & magiſtrorum conuerſio diſcipulorum maxima fieret ædificatio: ſicut & in Gamaliele, Nicodemo, Paulo, Dionyſio Areopagita, & multis alijs tam in lege quàm in Philoſophia præminentibus, poſtmodum actum eſt. Quis enim Magos, ſiue Ariolos intantum deteſtandos eſſe ignoret, vt non ſolum ipſos, ſed etiam quemlibet ad eos declinantem lex interfici iubeat? quorum nefariam & execrabilem doctrinam à dæmonibus inuentam atque aſſumptam, ipſe quoque Hieronymus in Eſaiam his aſſerit verbis: Magi ab Oriente docti à dæmonibus, vel iuxta Prophetiam Balaam intelligentes natum filium Dei, qui omnem artis eorum deſtrueret poteſtatem, venerunt Bethleem, & oſtendente ſtella adorauerunt puerum. Iſidorus quoque etymologiarum lib. IX. Magorũ etiam proprietatem diſtinguens, Magi ſunt, inquit, qui vulgò malefici, ob facinorum magnitudinẽ nuncupantur. Hi elementa conuertũt, turbant mentes hominum, ac ſine vllo veneni hauſtu violentia tantum criminis interimunt. Vnde & Lucanus:

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Incantata perit ——— ———

Dæmonibus enim accitis audent ventilare, vt quiſque ſuos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam ſanguine vtuntur & victimis, & ſæpè contingunt corpora mortuorum. Quod verò ait Hieronymus, quòd edocti à dæmonibus Magi venerint quærere Saluatorem, per quem magiſterium ſuum deſtrui formidabant, non ita accipere cogimur, vt hac eos intentione diabolica ſuggeſtio vel exhortatio mitteret, vt ſe ad Dominum Chriſtum conuerterent, ſed magis vt eum inquirẽdo proderent, quem Herodis ſiue Iudæorum nequitia ad perdendum inueniret; quaſi ab eo metuentes, vel ſummum eum magum, vel maleficum opinantes, ad quem tam citò magos cõfluere vi-

derent. Vnde & callidè eos ad Herodem & metropolim Iudæorum vrbem primò direxit, vt consulendo eos proderent quem quęrebant. Qui enim cõcubitus hominum quando fuerit non ignorat: nõ immeritò videtur agnouisse eũ de Virgine natũ fuisse, cuius nullũ nouerat cõcubitum, & siue per Angelum ad Mariã primò missum, siue per Angelos postmodum Pastorib. apparentes, vel certum habere vel suspicatum esse quàm excellẽs ipse fuerit, & suę contrarius malignitati. Cui etiam nonnulla alia præcedentia signa, quæ in Historijs continentur Ecclesiasticis, satis indicio potuerunt esse, quanta rerum in proximo naturus excellentia præmineret. Qualia quidem sunt illa, quę Paulus Orosius Antiquitatum ab Vrbe condita libro VII. commemorat. Docet quippe ibi, Augusto Cæsare ab Oriente triumphos importante, tantam à Domino pacem mundo esse collatam, vt ipse Augustus sopitis finitisque omnibus bellis, iam portas pacis prorsus obstruxerit, cuius in templo arma conseruabantur. Vt etiam iuxta litteram illa impleretur Isaiæ Prophetia, qua pax mundo maxima in aduentu Domini fuerat promissa, cum dicitur: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lances suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Hodie, inquit prædictus Paulus, primùm ille Augustus consalutatus est, atque ex ea die summa rerum & potestatum penes vnum esse cœpit & mansit, quod Græci Monarchiam vocant. Porro autem hunc esse eumdem diem dicit VIII. Idus Ianuarij, quo nos hodie Regi summo Epiphaniæ laudes excolimus. Ad quem etiam hodie quasi salutandum atque adorandum, fideles gentium primitiæ Magi conuenerunt, quasi eum alterum Augustum, imò plus quàm Augustum æstimantes, quem cœlum pariter & terra tantis signis prædicarent tam apud Romam, quæ caput erat Gentium, quàm apud Hierosolymam Metropolim, vt dictum est, Iudæorum.

Refert quippe idem Paulus in eodẽ tractatu, prędicti tẽpore Imperatoris hora circiter tertia repentè liquido serenóque die circulum ad speciem cælestis arcus orbem solis ambisse, & Romæ sub eodem Cæsare de taberna meritoria olei largissimum liquorem per diem integrum emanasse. Quæ profectò quid aliud prætendebant, nisi eum eodem tempore nasciturum esse, qui tam cæli quàm terræ Monarchiam obtineret?

Digitized by Google

Quid enim prędicta ſolis corona, aut de terra vnctio profluēs, niſi cœli pariter ac terræ promittebat Regem? Ipſe quippe Saluator tam Sol iuſtitiæ, quàm Chriſtus à chriſmate, id eſt vnctus ab vnctione nuncupatus eſt. Hæc autem ſecundum humanam naturam larga eius vnctio, illa eſt ſpiritalium donorum & ſeptiformis gratiæ plena & perfecta ei facta collatio, de qua ipſi dicitur: *Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* De huius plenitudine vnctionis, ſicut ſcriptum eſt, omnes accepimus, tanquam de taberna exuberanter oleum manat, ſecundum quod ei dicitur: *Oleum effuſum nomen tuum.* Quaſi namque taberna quædam eius ſeu tabernaculum aſſumpta humanitas fuit, in qua, vt Apoſtolus meminit, plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitabat. De hac itaque ipſius humanitate, diuinæ gratiæ donis, vt diximus, inuncta; hoc in nobis gratia deriuante, quaſi de taberna oleum per totum diem manans exuberat. Diem autem totum hoc tempus gratiæ vocat, quod aduentus ſui præſentia Dominus illuſtrauit, de quo illud eſt Apoſtoli: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Per hanc totam diem oleum indeficienter à capite illo noſtro defluit ad membra, cùm de eius plenitudine tempus hoc gratiæ ſpecialiter dicatur. Vnde hoc ipſum eius nomen, quod Chriſtus eſt, ad huius quoque gratiæ abundātiam denotandam, quaſi vnguentum in nobis effuſum atque dilatatū rectè dicitur, dum ex eius nomine inſigniti, à Chriſto vocamur Chriſtiani. Meritoria autem taberna illa domus æſtimatur, vbi emeriti milites fouebantur. Quæ tanto magis eorum neceſſitatibus quotidianis ſufficere poterat, quanto amplius eius porticus venalium rerum abūdabat copia. Hoc in loco Baſilica S. Mariæ, quæ ideò fundentis oleum agnominata Romæ adhuc oſtenditur, celebris habetur. Merito autem domus illa, quæ propitiationis benè merentibus exiſtebat, aſſumptæ à Domino humanitati comparatur, per quam vniuerſis fidelibus propitiatus eſt Deus. Quis enim Spiritu ſancto ſuggerente factum eſſe non videat, vt cùm in tantam ſublimatus gloriam Auguſtus præmineret, ſe Dominum vocari omnino interdixerit, nec vel ioco id ſe appellari, ſed ſolummodò Auguſtum permitteret; quaſi quadam diuina diſpoſitione venturo Chriſto huius appellationis decus reſeruaret, qui diſcipulis ait: *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benè*

dicitis: sum etenim. Vnde & eius humilitatem Dominus ipse respiciens, qui ait, *qui se humiliat exaltabitur*, ipsum Augusti nomen proprium adeò extollere decreuit, vt deinceps Romani Imperatores se generaliter Augustos vocitari gloriarentur: & quod priùs erat proprium atque personale, factum est generale vocabulum & Imperiale. Patenter eum auunculo suo Iulio Cesari in humilitate cõtrarium videmus, cùm ille, vt Lucanus quoque meminit, omnium dignitatum gradus in se retinens, iam non se numero singulari, sed plurali proferri permittet; non se iam quasi vnum hominem, sed plures iuxta dignitatum multitudinem considerans. Quem adhuc nostra superbia quantum valet æmulans, non solum rerum, sed etiam nominum gloriam intantum amplectitur, vt non solum Abbates, verumetiam Domni vocari gloriemur; & magnæ imputemus iniuriæ nos, qui humiliores esse debemus, si in appellatione nostra subjecti alterum prætermittant vocabulum. Sed nec illud à tempore gratiæ & veræ libertatis alienum est, quod omne seruorum genus à suo penitus dominio remouit, nec à se aliquem seruitute opprimi ferret; sed omnium libertate gauderet, quibus tanquam amicis prodesse magis quàm tanquam seruis præesse eligeret, & amari potiùs quàm timeri appeteret. Qui etiam intantum seruitutem à regno suo studuit extirpare, vt sicut prædictus Historiographus meminit, omnes seruos, quorum dominos reperit, eis restituerit, ceteros verò seruos omnes necari fecit: ne videlicet eorum posteritas in regno remaneret. In quo quid aliud præsignabat, quàm Christianam libertatem futuram, & seruitutem tam legis quàm peccati per Christum remouendam, qui ait: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Et alibi, *Si vos*, inquit, *filius liberauerit, verè liberi eritis.* Hinc & Apostolus tempus timoris sub lege à tempore gratiæ distinguens conuersis inter Romanos Iudæis scribit: *Non enim subditi estis iterum in timore, &c.* Idem ad Galathas: *Vos*, inquit, *in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem seruite inuicem.*

Svnt qui prædictos Magos non sic appellari autumant, quia fuerint malefici; sed quod Astrorum periti, quasi Astronomici, vel quacumque alia de causa sic vocati. De quibus quid antiquitus scriptum fuisse Chrysostomus referat,

Digitized by Google

non eſt incongruum hoc loco ſubijcere. Ait quippe ſic prædictus Doctor, cùm Mathæum exponeret. Legi apud aliquẽ Magos iſtos, ex libris Balaam Diuinatoris apparituræ illius ſtellæ ſcientiam accepiſſe, cuius diuinatio poſita eſt & in veteri Teſtamento. *Orietur ſtella ex Iacob, &c.* Et audiui aliquos referentes de quadam ſcriptura, etſi non certa, non tamen deſtruente fidem, ſed potiùs delectante; quoniam erat quædam gens ſita in ipſo principio Oriẽtis iuxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam ſcriptura inſcripta nomine Seth, de apparitura hac ſtella, & muneribus eiuſmodi offerendis, quæ per generationes ſtudioſorum hominum patribus referentibus filijs ſuis habebatur deducta. Itaque elegerunt ſeipſos XII. quidam ex ipſis ſtudioſiores, & amatores myſteriorũ cæleſtium, & poſuerunt ſeipſos ad expectationem ſtellæ illius: & ſi quis moriebatur ex eis, filius eius, aut aliquis propinquorum, qui eiuſdem voluntatis inueniebatur, in loco conſtituebatur defuncti. Dicebantur autem Magici lingua eorũ, quia in ſilentio & voce tacita Deum glorificabant. Hi ergo per ſingulos annos poſt meſſem trituratoriam aſcendebant in montem aliquem poſitum ibi, qui vocabatur lingua eorum mons victorialis, habens in ſe quandam ſpeluncam in ſaxo, fontibus & electis arboribus amœniſſimus, in quem aſcendentes & leuantes ſe orabant & laudabant Deum in ſilentio tribus diebus. Et ſic faciebant per ſingulas generationes expectantes ſemper ne fortè in ſuas generationes ſtella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit eis deſcendens ſuper montem illum victorialẽ, habens in ſe quaſi formã pueri parui, & ſuper ſe ſimilitudinẽ crucis: & locuta eſt eis, & docuit eos, & præcepit vt proficiſcerentur in Iudæam. Proficiſcentibus autem eis per biennium præcedebat ſtella, & neque eſca neque potus defecit in peris eorum. Cetera autem, quæ geſta eſſe referuntur ab eis, in Euangelio compendioſè poſita ſunt. Tamen cùm reuerſi fuiſſent, manſerunt colentes & glorificantes Deum ſtudioſiùs magis quàm primùm, & prædicauerunt omnibus in genere ſuo, & multos erudierunt. Legimus mortem terrenorum Regum, vel commutationes Regnorum ſtellis quibuſdam, quas Cometas appellant, deſignari ſolere: non tamen nouis, ſed nouiter de ſe quaſi quendam crinem producentibus. Vnde & Cometæ, quaſi à coma, crinitæ ſunt appellatæ. Summi verò Regis nouum natiuita-

tis modum, ſicut & conceptum, noua ſtella & incomparabili ſplendore præſignare debuit. Cuius etiam mortem tanquam expaueſcens, vel de ſceleris magnitudine dolens ſol obſcuratus, mundo indicauit vniuerſo; vt tam ortum quàm occaſum veri ſolis & cæleſtis Regis gloriam cæleſtia proteſtarentur ſigna.

SVNT qui non mediocri admiratione mouentur, quomodo tam paucis diebus, à Natali ſcilicet Domini vſq; ad Theophaniam, Magi ab Oriente vſque Bethleem peruenire potuerunt. Quod quidem tunc rectè mirarentur, & quæreret; ſi conſtaret hanc ſtellam nequaquam ante Dominicam natiuitatem apparuiſſe, nec Magos iter hoc arripuiſſe. Cùm verò Chryſoſtomus ex ſupradicta Scriptura commemoret eos per biennium proficiſcentes ſtellæ apparentis ducatum habuiſſe, & tandem Domino iam nato Hieroſolimam peruenisſe, nihil quæſtionis relinquitur. Illud autem fortaſſis plurimum mouet, quomodo tantus, vt dicitur, ſplendor ſtellæ ſolos commouerit Magos, nec ab Herode vel ceteris comperiri potuerit; maximè cùm eam propinquiorem quàm ceteris extitiſſe pleriſque arbitrentur, quo melius ſuper puerum veniens locum magis deſignaret. Sed cùm nihil impoſſibile Deo eſſe credatur, non eſt dubitandum eum quibus voluerit hanc ſtellam occultaſſe, & eis tantùm qui digni fuerant reuelaſſe. Potuerunt & iſti Magi tanquam præ ceteris Aſtrorum habuiſſe notitiam, vt ſoli nouam animaduerterent ſtellam, & in eius progreſſu vel ſtatione non oberrarent. Dequibus cùm ſcriptum ſit, quia *viderunt eam in Oriente*; & rurſum quia *antecedebat eos ſtella, vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer*: patet profecto eos à terra ſua vſque Hieroſolymam, & rurſumà Hieroſolyma vſque Bethleem, præcedentis ſtellæ ducatum habuiſſe. Quòd ergo illis ab Herode recedentibus ſcriptum eſt, *Et ecce ſtella quã viderant in Oriente antecedebat eos*: Et iterũ, *Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde*, ſatis innuitur quòd ex conſortio Herodis, vel impiæ Vrbis ad quam diuerterunt, ſtellę apparitionem quamdiu ibi fuerunt amiſerunt. Quod eo maximè factum eſſe credimus, vt per hoc eis Dominus intimaret, nequaquam ſe ab Herode & ſceleratis illis hominibus cognoſci voluiſſe.

NONNVLLI hos Magos Reges arbitrantur fuiſſe, iuxta illam

illam Pſalmiſtæ Prophetiam: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Vnde & Iſidorus contra Iudæos cap. XIII. ita meminit, Quia ei magi munera obtulerunt, Iſaias ait: *In tempore illo deferetur munus Domino à populo terribili.* Hoc autem propter Perſarum gentem terribilem, & cuius potentiæ nullus populus comparabatur. De his muneribus & Dauid, *Reges Tharſis & Inſulæ*, &c. Nam & Magos Reges habuit Orient. Quot verò iſti Magi fuerint, ex numero trinæ oblationis tres eos fuiſſe multi ſuſpicantur; cùm hoc tamen nulla auctoritate ſcripturæ definiatur, & iuxta hoc quod Chryſoſtomus ſuperius retulit, XII. Magi fuiſſe memorentur; ac ſi iam in ipſis gentium primitijs, primi diſcipulorum Chriſti præſignarentur Apoſtoli. Cùm autem præſens ſolemnitas, vt ſuprà meminimus, non ſolùm ex apparitione ſtellæ mirabilis, verumetiam ex Dominico baptiſmo, vel nuptiarum miraculo habeatur inſignis, iuuat & de iſtis pauca memorare in huius maxima diei laude.

FACTVM *eſt*, inquit Euangeliſta, *cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato & orante apertum eſt cœlum, Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. Et vox de cœlo facta eſt, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.* Quòd Dominus cum populo ad baptiſmum venerit, vel inter turbas dignatus ſit baptizari, magnum eſt humilitatis indicium, atque congruum myſterij ſignum. Baptizatus quippe cum ceteris, nequaquam circumciſus fuiſſe legitur cum alijs. Ex quó non abſurdum eſt præſignare, non iam populo Dei circumciſionem neceſſariam eſſe, ſicut baptiſmi ſacramentũ, quod conſtat generaliter cunctis ab ipſo inſtitutũ eſſe. Quòd baptizatus ad orationem ſe conuertit, innuit patenter his qui baptizati ſunt ſemper neceſſarium eſſe opem diuinam poſtulare, vt in ea quam perceperunt ſanctificatione valeant permanere, & ſic ſibi aperiri ianuam cæleſtis vitæ. Quod ſtatim declaratur, cùm eo iam baptizato & orante cœli aperiri referuntur, & ſpiritus deſcendere commemoratur. Baptiſmus quippe cœlos referat, & perſeuerantiæ gratiam oratio nobis impetrat. Multis cum Ieſu pariter baptizatis, nemo eſt præter eum, ſuper quem aperiri cœlum, vel ſpiritus deſcendere memoretur: quia quicumque in corpore eius, quod eſt Eccleſia, non continentur, tam à ianua cœli quàm à gratia Dei

ſunt excluſi. Solus quippe ipſe eſt qui aperit, & nemo claudit, per quem vnumquemque ſaluandum ad vitam ingredi neceſſe eſt.

De columba autem, in qua Spiritus ſanctus figuratus oſtenditur, ſicut & de ſtella, ſciendum eſt, vt ex elementis ſcilicet creata nouiter vtræque credantur: quæ officio ſuo ad quod creatæ ſunt completo eſſe deſierunt, in elementa ipſa reſolutæ. Spiritus autem, qui per præſentiam diuinitatis vbique eſt, nec localiter quoquam deſcendere poteſt in ſua ſubſtantia incorporali atque inuiſibili, dicitur tamen deſcēdiſſe ſuper Dominum in ſpecie corporali ſicut columba: eò videlicet quòd ad plenitudinem Spiritus ſancti, quam ſemper habuit, demonſtrandam, vera illa columba licèt nouiter facta, ſuper eum inſederit iuxta illud Propheticum: *ſpiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me: ad annuntiandū manſuetis miſit me.* Vnde & benè in huiuſmodi aue, quæ præ cæteris intantum blanda & manſueta eſſe creditur, vt iracundiæ felle carere dicatur. Quanta manſuetudine vel innocentia iſte Agnus Dei, ſicut de ipſo Baptiſta proteſtatur, præminuerit, vniuerſa eius opera loquuntur atquæ præcepta, quæ tantam ſuauitatē redolent caritatis, vt nec inimicis liceat iraſci. Nec putandū eſt ita Spiritum ſanctū in ſpecie columbę viſum eſſe, vt vllatenus ei incorporaretur, aut in perſonam vniretur; ſed ſolummodo ea vſum eſſe pro ſigno, ſicut & linguis illis igneis, quib⁹ ſuper Apoſtolos oſtenſus eſt. Vnde & beatus meminit Auguſtinus, numquam Spiritum ſanctum patre minorem dici legimus, ſecundum aliquem vnionem naturæ: cùm tamen filius ſecundum humanitatis aſſumptionem, Patrē ſe maiorem eſſe teſtetur. Columba ſuper Dominum inſidente, & eum à ceteris diſtinguente, & tanquam digito ſuo, qui Spiritus intelligitur, Patre ipſum demonſtrante, vox deſuper Patris audita eſt. Quæquidem vox in perſona patris in aere facta eſt ſiue per Angelum, ſiue quocumque alio modo formata. Non enim Pater corpus habet, aut ipſum vnquam aſſumit, vt corporalibus inſtrumentis ipſe vocem formare poſſit. Diligenter verò dictum eſt, non in quo placuit, ſed in quo complacuit, vt non ſolùm caput ipſum ſibi placere inſinuet, ſed cum ipſo etiam ac per ipſum membra eius grata ſibi denunciet.

Digitized by Google

RESTAT denique tertiam Dominicæ manifeſtationis apparitionem, in miraculo ſcilicet nuptiarum, breuiter comprehendere. De quo quidem Ioannes refert, quòd poſt vocationẽ Philippi die tertio, ab hac videlicet eius vocatione nuptiæ factæ ſunt, ad quas Ieſus & diſcipuli eius conuocati fuerunt. Quod autem Dominus ad nuptias venire dignatus eſt, & eas tam præſentia ſui, quàm beneficio miraculi decorare, eorum hæreſim patenter damnat qui nuptias damnant. Sunt nonnulli Clericorum, qui hoc ipſum Domini factum in exemplum trahentes, moleſtè ſuſtinent, & grauiter ferunt quòd ad conuiuium nuptiarum Sanctorum auctoritas Patrum parcere decreuit atque inhibere. Non quidem attendentes, Dominus qua illud ratione geſſerit, & quòd opportunè hoc eis poſtmodum interdictum ſit. Venit quippe ad nuptias Dominus, qui nulla tentatione commoueri poterat, ſed vt præſentia ſui magis eas ſanctificaret, & ipſum de nuptijs vt dicitur, ſponſum magnitudine miraculi ad ſe traheret, & nuptiarum copulam non eſſe improbandam, virgo ipſe probaret. Si quis igitur Clericorum tantæ opportunitatis occaſionẽ ſe habere confidit, accedat intrepidus: gerat quæ Chriſtus, & ei indulgemus. Cùm autem vita hominis tentatio ſit, & inter epulas maximè ſobrietas pereat, honeſtas periclitetur, luxuria conualeſcat: tantò hæc conuiuia amplius vitanda ſunt, quantò eorũ in virtutibus præminere decet. Quod verò aquis in vinum conuerſis conuiuas Dominus refecit, patenter oſtendit nequaquã ex indigẽtia cibi ſe ad nuptias veniſſe, ſed quaſi more illorum qui ſymbola conferunt plus illic poſuiſſe quàm ſumpſiſſe. Ipſe quippe eſt, qui nihil gratis accipit, teſte Apoſtolo qui ait, *Beatius eſt dare magis quàm accipere.*

QVANTVM igitur præſenti ſollemnitati vniuerſa debeat Eccleſia, ex his quæ dicta ſunt attendat. Magos primitias Gẽtium noua hodie ſtella quaſi quodam prædicationis modo ad fidem conuertit, & ad Chriſtum adduxit. Vnde nos, qui de Gentibus vocati venimus, hanc præcipuè feſtiuitatem tanquam noſtræ conuerſionis exordium celebremus. In baptiſmo etiam Chriſti ipſum totius Chriſtianitatis initiũ nobis commendatũ veneremur. Honor denique nuptijs exhibitus per ipſum, magnum eſt ſolatium infirmitati coniugatorum. Benè omnia fecit, & benedictus in ſecula ſit, Amen.

IN PVRIFICATIONE S. MARIÆ,

SERMO V.

CVM *essemus paruuli*, Apostolus ait, *sub elementis mundi eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba Pater. Itaque iam non est seruus, sed filius. Quòd si filius, & heres per Deum.* Quanta perfectione doctrinæ pariter & vitæ Christiani debeant præminere, præsens Scripturæ locus patenter insinuat, plenitudinem temporis gratiæ ab imperfectione præcedentium temporum & perfectionem Euãgelij ab inchoatione distinguens legis. *Cùm essemus*, inquit, *paruuli*, *&c.* Tota hæc Epistola, quæ Galatis scripta est, ad eos specialiter intẽdit, qui de Iudaismo conuersi pristinum onus Legis reducere volebant, non arbitrantes sufficere ad salutem Euangelicę doctrinæ perfectionem. Quibus se connumerans Apostolus tanquam similiter conuersus ait: *Cùm essemus paruuli*, *&c.* Constat paruulos, cùm ad disciplinam litterarum applicantur, priùs litteralium elementorum figuras vel pronunciationes addiscere, quàm integras orationes valeant formare. Elemẽta itaque mundi hoc loco dicuntur imperfecta documenta legis, quæ carnali populo & amatoribus mũdi, tam doctrinâ quàm vitâ paruulis, primò per Moysem lata est. Vt enim ad Hebræos idem Apostolus scribit, *Nihil ad perfectum adduxit lex*, sed quod illius imperfectioni ad consummationem iustitiæ defuit, abundantia suppleuit Euangelij. Vnde & nouum Testamentum Discipulis Dominus tradens; *Nisi abundauerit*, inquit, *iustitia vestra*, *&c.* Benè etiam documenta legis rudi populo data, litteris cõparantur potius quàm dictionibus vel orationib. Litterę quippe carent significatione. Et intellectus Legis tanquã litterę occidẽtis mysticis obũbratus verbis rudi illi populo nõ patuit. Verba itaq; legis quasi litteras Iudæi habuerunt, quia in eis spiritales & mysticos sensus nõ intellexerunt, in quibus præcipuè vtilitas cõsistit intelligentiæ. Quæquidẽ spiritalis intelligentia legis spiritus vitæ est in rotis, sine

qua lex ipſa literę comparatur occidenti. Qui enim ſolo litterę ſenſu cõtenti ſunt,& in hoc iuſtitiæ finẽ ſibi conſtituunt, ipſam ſibi literã in mortẽ conuertunt. Vt enim b. meminit Hieron. Timere ſeruorum eſt, amare filiorum. Sub elementis iſtis ſeruiunt qui timore pœnarum in lege conſtitutarum, cùm dicitur, *dentem pro dente, &c.* ad obedientiam coguntur vt ſerui, non amore ducuntur vt filij. Vnde & poſtmodum ipſe Apoſtolus duo Teſtamenta per Agar ancillam, & Saram liberam diſtinguens, illud in ſeruitute, iſtud in libertate declarat populum Deo generare, & quaſi ad obediendum ei creare. Vnde & illud ſeruitutis, hoc Teſtamentum dicitur libertatis: illud timoris, hoc amoris: illud inchoationis, hoc perfectionis. De qua nunc perfectione ſubiungit. *At vbi venit plenitudo temporis.* Plenitudinem temporis perfectam mundi ætatem dicit, poſt illud tempus paruulorum quod præmiſit. Non enim iam paruuli vita vel doctrina Chriſtiani dicendi ſunt, ſicut illi fuerunt. Dicitur etiam plenitudo temporis conſummatio eorum, quæ promiſſa fuerant de aduentu Chriſti. Quale eſt illud Iacobi Patriarchæ: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c.* Et illud in Daniele de numero hebdomadum annorum, & de inſtitutionis defectu vel ſacrificij, quando inungetur Sanctus Sanctorum. Hæc ergo plenitudo quaſi quidam eſt defectus legis, vt cùm ritus eius deficeret, & Moyſes defunctus eſſet, Euangelium legi, & verus Ioſue ſuccederet Moyſi, vt conſummarentur in iſtis quæ incœpta fuerant in illis. *Vbi venit*, inquit. Nam etſi Deus quod promittit differat, nullatenus tardat, ſed ſingula tempora ſic diſponit, vt in eis peragat quod promittit. Hinc & Abacuc dicit: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Longe ante aduentum Chriſti de ipſo promiſſum id fuerat. Aliud eſt itaque moram facere, aliud tardare. Moram quippe facere eſt differre per aliquod tempus ſpacium quod faciendum eſt. Tardare verò propriè dicitur, cùm differtur aliquid, quando debere fieri videtur. Deus itaque etſi differat implere quod promittit, tardare nullatenus poteſt, quia nõ ſegniùs id agit quàm debet. Quod patenter & in geminatione illa monſtratur qua dicitur, *quia veniens veniet*, hoc eſt, indilatè, & abſque impedimento, cùm oportuerit id aget. Sollicitus de noſtra ſalute Dominus non tardat implere promiſſum, prout nobis iudicat neceſſarium. Vtinam ſic & de illa ſolli-

citi, ad obediendum ſine tarditate eſſemus prompti!

MISIT *Deus filium ſuum*, videlicet Pater. Pater quippe ſicut à nullo eſt, ſic à nullo mitti poteſt. Filius verò, vel Spiritus ſanctus ab illo mitti ad nos dicuntur, cùm aliquid pro nobis vel in nobis agunt: quia ſicut ab ipſo habent eſſe, ita & ab ipſo quod faciunt habent facere. Quod & patenter Filius tam de ipſo quàm de Spiritu profitetur, dicens; *A me ipſo non loquor*: vel, *à me ipſo facio nihil*. Et rurſum de Spiritu: *Non enim loquitur à ſemetipſo*. *Suum*, inquit, hoc eſt proprium & conſubſtantiale, non adoptiuum. *Factum ex muliere*, quia temporalem ſecundum humanitatem, quam aſſumpſit de matre qui natus eſt; non factus ſecundum æternitatem, quam habet ex patre. Quidam hoc loco natum ex muliere potiùs quàm factum ex muliere dicunt. Sed diligentiùs Apoſtolus factum quàm natum hoc loco dixit, vt hanc natiuitatem ab illa, quæ de patre eſt, patenter diſtingueret, cùm eam temporalem his verbis oſtenderet. Beda ſuper Lucam: *Beatus venter qui te portauit, &c.* Neque enim audiendi ſunt qui legendum putant, *natum ex muliere*, *factum ſub lege*, ſed *factum ex muliere*. In vtero Virginali carnem non de nihilo, non aliundè, ſed materna traxit ex carne. Alioquin nec filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Ne parum videretur pro nobis actum ad humilitatis exemplum, quòd de inferiori ſexu Dominus eſt incarnatus, additur quòd etiam ſub lege factus, hoc eſt, obedientiam legis non neceſſitate, ſed diſpenſatione complens. Non enim in eo erant peccata, cui legis ſacramenta eſſent neceſſaria. Circumciſus tamen eſt more aliorum, & cum hoſtiis templo præſentatus, & more feminarum mater eius purificationem obſeruauit legalem, in qua nihil purificandum fuerat purgandum. Quæ enim Virgo de Spiritu ſancto concepit & peperit, nihil legi debebat in ritu purificationis.

QVOD igitur Euangeliſta dicit, *dies purgationis eius*, in qua, vt dictum eſt nihil culpæ purgandum fuerat in lege: ritum, non effectum purgationis purgationem vocauit. Qui profecto ritus in lege ſancitus, cùm his tantùm mulieribus iniungatur, quæ ſuſcepto viri ſemine pepererunt, patenter oſtenditur, nequaquam ſubiacere huic legi, quæ Virgo concepit & peperit. Quod inſuper dicitur, *adaperiens vulvam*, nihil ad eam pertinere cenſetur, cuius integritas nulla eſt apertione diſſoluta. Ille

Digitized by Google

quippe clauſo vtero matris eſt natus,qui clauſis ianuis poſtmodum ad diſcipulos eſt ingreſſus. Sic ergo mater , ſicut & filius, legem in ſacramentis tenuit,non aliqua,vt dictum eſt , neceſſitate,ſed magna humilitatis diſpenſatione. Nec ſolùm ſub lege diuina obtemperando facti ſunt,verumetiam ſub humana. De matre quippe legimus, quòd cum viro profecta eſt Bethleem, vt perſoluendi cenſus Cæſaris ſuſciperet legem:ac ſub illa profectione cum ibi morarentur,ipſa peperit vnigenitum. Qui etiam poſtmodum non ſolum, vt dictum eſt, legi Dei,ſed etiam legi obtemperans mundi, cenſum Cæſari perſoluit , quem & perſoluere ceteros admonuit,dicens : *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari,& quæ ſunt Dei Deo.* Scriptum in Matthæo. *Cùm veniſſent Capharnaum,acceſſerunt qui didragma exigebant ad Petrum, & dixerunt:Magiſter veſter non ſoluit didragma? At ille,Etiam. Et cùm intraſſet in domum,præuenit eum Ieſus,dicens:Quid tibi videtur,Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filijs ſuis an ab alienis? At ille dixit , Ab alienis.Dixit illi Ieſus, Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum. Et eum piſcem qui primus aſcenderit tolle:Et aperto ore eius inuenies ſtaterem: Illum ſumens,da eis pro me & pro te.*

BENE' ergo factus ſub lege dicitur, qui cùm nihil penitus legi deberet, ſub lege tamen tam Dei quàm ſeculi ſeſe humiliauit,& filius Dei pariter & hominis tam Deo quàm homini ſe per legem ſubiecit:ne quis fortè per elationis timorem cuiuſcumque poteſtatis contemneret prælationem.Ecce,fratres , à cenſu vel tributo ſecularium poteſtatum liberos nos abſoluit, qui ſibi libertatem vendicare voluit.Filii hominum ſumus, & de ſeruili conditione,vel viliſſima plebe Deo nos ipſi mancipauimus,& propitios in hoc terrenos Dominos habuimus , qui cum ſuæ dominationis diſpendio manumiſſos dedicauerunt Deo, & eius dominum prætulerunt proprio.Ipſi Domini noſtri cùm ante nos venerint , ſubmiſſis capitibus habitum noſtrum venerantes , Deum in nobis adorant. Securi iam ſupplicationem illorum ſuſcipimus , ad quorum conſpectum priùs trepidabamus.Tanquam Dominos ſuos ipſi nos recognoſcũt, quorum graue dominium fugientes , neceſſitate magis quàm voluntate hanc fortaſſe libertatem elegimus. A lege ſeculi & intolerabili iugo liberati,illius ſuaue iugum,& onus leue ſuſcepimus, cui ſeruire regnare eſt. Magna hæc dignitas, & egre-

gia libertas, si non tam corporalis sit quàm spiritalis', nec tam seruitutem hominum fugiamus quàm vitiorum. Non enim turpe est aut damnosum hominibus seruire, sed vitiis; nec istã tollere seruitutem, sed illam Dominus venit. quem nec Apostolus dicit sub lege factum, vt eos qui sub lege etant redimeret. quid est hoc, fratres, quod legis onus susceptit, & sic ab eo liberauit, & vt nobis parceret sibi non pepercit? Quæ est ista quæso, vel ratio fuit, vt non in se illam prius quassaret, & sic postmodum proprio exemplo nos ab ea liberaret? Attendite ergo summi Consiliarij summum consilium, & supernæ sapientiæ magnum prouidentiæ profundum. Certè si legis onus susci pere renuerit, de qua ipse ait, *vsque ad Ioannem lex & Prophetæ*, videretur eam tanquam non à Deo datam improbare, nec tam eam pro eius inutilitate, quàm pro difficultate præceptorum à se remouere. Vnde illud est in Homelia Ioannis Episcopi de proditione Iudæ: *Vbi vis paremus tibi mãducare Pascha*? Non illud quod nostrum est, sed Iudęorum. Illud quidem discipuli præparabant, istud autem quod nostrum est ipse constituit. Sed ipse factus est Pascha. Et cur illud mãducauit? quia omnia quæ legis sunt adimpleuit. Nam quando baptizabatur dicebat: *Sic enim decet nos implere omnem iustitiã*. Item, Deus filiũ suum misit natum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret, & ipsi legi requiem daret: & vt nemo dicat quia ideò eam euacuauit, quia eam complere vt molestam & arduam non valuit, ipse priùs eam compleuit, & sic fecit requiescere.

FACTVS est itaque sub lege, vt sic competentiùs nos liberaret à lege, & de seruitute legis in libertatem transferret Euangelij, & de timore seruorum in amorem traduceret filiorum. Liber quippe est, quem timor ad seruiendum non cogit, sed ad obediendum amor spontaneum facit. Quæ duo diligẽter idem Apostolus attendens, & libertatem filiorum, quorum perfecta caritas foras mittit timorem, à conditione seruorum distinguens, quodam loco Romanis scribit. *Non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba pater.* Et in hac ipsa Epistola: *Vos*, inquit, *in libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem seruite inuicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Attendite,

Digitized by Google

Attendite,fratres,quòd cùm dixiſſet, *In libertatem vocauit nos Deus*,ſtatim adiecit,*tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis*.Tanquam ſi diceret:Hoc vnum in hac obedientia libertatis prouidentes,ne fortè quia legis pœnam non timemus,occaſionem de impunitate ſumentes ſecuriùs carni ſeruiamus,& libertas corporalis deleat ſpiritalem.quam & alibi præueniens occaſionem,Romanis dicebat: *Peccatum vobis nõ dominabitur. Non enim ſub lege eſtis,ſed ſub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege,ſed ſub gratia? Abſit. Neſcitis quoniam exhibetis cui vos ſeruos ad obediendum:ſerui eſtis cui obediſtis,ſiue peccati ad mortem,ſine obeditionis ad iuſtitiam*.quibus patẽter verbis dedecoroſam & damnoſam inhibet ſeruitutem peccati, qui hominibus ſeruire ſæpè iubet. quale eſt illud: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*.Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Et rurſum: *Seruus vocatus es?non ſit tibi curæ:ſed ſi potes liber fieri, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt,ſeruus eſt,Chriſti pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum*. Quo enim expeditius Deo deſeruire poſſimus,minus hominum ſeruitutem appetere debemus. quam vtique ſi iam incurrimus, iniuſtum eſt vt debitum eis ſeruitium ſubtrahamus, cum quo ſeruitus Chriſti humiliùs conſeruatur. Hinc iterum dicit, *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri,ſicut Chriſto:Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes:ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate ſeruientes ſicut Domino, & non hominibus*. Cùm enim propter Deum homini ſeruitur, Deo magis quàm homini ſeruitium impenditur. Vnde ſcriptum eſt. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Quod vt liberum po ſſit eſſe ſeruitium, ipſe Dominus ſub lege factus nos à ſeruitut[e] l egis redemit,vt adoptionem filiorum reciperemus. Filius Dei, fratres,facere venit,& vt nos in filios ſublimaret de ſeruis.Vnde & Euangeliſta meminit dicens,*In propria venit, & ſui eum non r[e]ceperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*.Propter quam cauſam, vt h ic idem Apoſtolus ad Hebræos ſcribit, non confunditur fratres eos vocare, dicens ad Patrem:*Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*. Et in Euangelio ad Mariam loquitur:*Vade ad fratres meos,& dic eis:Aſcendo ad Patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*. Qui & omnino ſeruorum nomen à filiis

remouens iuxta illud Isaiæ, *Et seruos suos vocabit alio nomine*, ait illis : *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*. Hoc quippe sunt amici Christi, quod filij Dei, amore iustitiæ magis quàm timore pœnæ Deo subiecti. Hæc vera libertas de qua ipsemet dicit : *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*. Moyses quanquam fidelis in domo Dei, sicut ipse Apostolus Hebræis scribit, tamen famulus eius, non filius erat, nec liberare potuit qui seruitutem legis attulit.

CHRISTVS verò factus pro nobis maledictus, sicut factus sub lege, nos à maledicto legis, & eius intolerabili iugo quod suscepit, absoluit. Factus est pro nobis maledictum secundum legem, dum ignominiosum crucis patibulum sustinuit, quod in maledictionem, hoc est pœnam reorum, maximéque blasphemorum lex instituerat. Hanc ergo legis maledictionem, hoc est pœnam subiens, ab vniuerso legis maledicto nos absoluit; vt iam nemo nostrum quicquid delinquat, propter præceptum legis debeat puniri: magisque seculi leges ad vindictam malorum sunt reseruatæ, quàm lex diuina, & instituta Cæsaris potiùs quàm Dei: ne videlicet superbus ille Iudæorum populus habeat aliquid vnde possit gloriari. Has tamen seculi leges nequaquam iussas, sed permissas Christianis intelligimus, vt misericordiæ locus reseruetur. Quod nequaquam in lege licebat, quæ ad vindictas omnes ex præcepto cogebat, cùm nullum vindictæ præceptum, sed misericordiæ tantum nouum habeat testamentum, nec timore pœnæ, sed amore iustitiæ malitiam reprimit. Nemo quippe tam innocens est dicendus, qui timore, non voluntate à malo cessat, magisque animi quàm corporis esse malitia est dicenda; sicut virtutes vel vitia ad animum tantum, non ad corpus pertinent. Vt ergo veros innocentes Christus efficeret, necessitatem in voluntatem, & timorem conuertit in amorem. Quem videlicet amorem per hoc plurimum ampliauit, atque ad perfectum duxit, quod onus legis voluit suscipere, à quo nos venerat liberare: tanquam per hoc nobis propitius magis factus quàm sibi. Vnde nunc rectè dicitur, sub lege factus, qui legi non erat obnoxius, vt à seruitute legis redimeret, quos in Dei filios adoptaret. Ipse quippe vnigenitus Dei solus eius est filius naturalis atque consubstantialis, cuius summa bonitas, cùm fratres ha-

bere non poſſet proprios, quæſiuit adoptiuos; nec ſolus hereditatem patris habere voluit, qui cohæredes ſibi fecit. Quomodo autem hanc adoptionem filiorum Deus compleret, poſt miſſionem filij adnectit Apoſtolus miſſionem Spiritus ſancti: vt nihil pater conſubſtantiale habuerit quod nobis per gratiã non impertierit, tàm videlicet proprium filium quàm Spiritum ſanctum ad nos dirigens. Et de filio quidem ipſe Apoſtolus ad Romanos dixerat, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Tanquam ſi diceret, Qui poſt tantum donum noluit dare donum. Nunc verò cùm dicitur, non ſolum filius, ſed & Spiritus ad nos miſſus, maxima circa nos diuinæ bonitatis ſollicitudo monſtratur, qui nihil proprium habuit per naturam, quod non communicaret nobis per gratiam. Miſit primò filium ſuum, hoc eſt coæternam ſibi ſapientiam, cuius doctrina nos inſtrueret, vbi ſalutis ſumma conſiſteret. De quo & alibi ſcriptum eſt: *Erat lux vera, quæ illuminat, &c.* Miſit & Spiritum ſanctum, hoc eſt ſui caſtum nobis infudit amorem, quo ſincerè eum diligeremus propter ipſum, nec tam in eo commoda noſtra quàm eius gloriam, & honorem quærentes.

HVNC Spiritum & ipſe Filius tanquàm ſuum dedit. Vnde & diſcipulis inſufflans ait: *Accipite Spiritum ſanctum.* Hunc & ipſe qui miſit ait: *Cùm aſſumptus fuero mittam eum ad vos.* Hic amor cùm nos voluntariè operari facit quod Filius docuit, nos adoptat in filios, quos timore pœnæ non conſtringit vt ſeruos. Vnde nunc dicitur: *Quoniam nunc eſtis*, hoc eſt ad efficiendum id quod iam eſtis, miſſus eſt Spiritus, hoc eſt, caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. *Spiritum*, inquit, *filij ſui*, vt ſicut ille naturalis filius per dilectionem patris obtemperat, factus obediens vſque ad mortem, ſic & nos adoptiui pro noſtro faciamus modulo. *Clamantem Abba*, hoc eſt recognoſcere firmiter nos facientem, quòd eum magis pro patre quàm pro Domino habeamus, reuerentiâ filiali, non timore ſeruili obedientes. *Abba*, Hebraicum nomen vel Syrum, id eſt quod Græcè vel Latinè *pater dicitur*. Ne igitur hæc filiorum adoptio ad ſolos eos pertinere videretur, quibus de Iudaiſmo conuerſis ſuperius dixerat, *Cùm eſſemus paruuli, &c.*

ponit diuersa nominia linguarum, quibus nunc in diuersis terris inuocatur Deus, qui priùs in Iudæa tantùm habebatur notus. Itaque quia videlicet Spiritum filij sui nobis dedit, iam non est aliquis nostrum seruus per Deum, quia neminem iam cogit obedire timore pœnarum, sed amore spontaneos ducit. *Quod si filius*, inquit, *& heres*. Seruus quippe non manet in domo in æternum, nec perpetuam hereditatis possessionem meretur, quamuis non omnino mercede priuetur. Scimus & Iudæos nullam de obedientia sua in cælestibus promissionis remunerationem accepisse, sed tantum abundantiam terrenorum in mercedem eis constitutam esse, quos timor seruos, non amor faciebat filios. Vt autem nos homines efficeret filios Dei, & cohæredes suos in regno patris, id est Dei filios, fieri dignatus est filius hominis, vt nostræ particeps infirmitatis, communicaret nobis suæ fortitudinem æternitatis: & cùm ad ima descenderet, nos ad sublimia subleuaret. Felix commercium nobis Domine non tibi, participans nostra, communicans tua, infirmus factus, vt nos fortes efficeremur.

In huius tantæ gratiæ typum, qua de Adam secundo fuerat Ecclesia formanda, de costa primi Adæ ita est femina creata, vt pro costa Dominus nequaquam in viro costã reportaret, sed pro costa carnem suppleret. Quid enim costa, quæ est ossea naturæ, nisi fortitudinem, vel quid caro mollis nisi debilitatem figurat? Cum ergo de costa viri mulier creatur, & nec caro pro costa suppletur, vnde vir infirmatus est, inde femina fortis facta est: quia nostræ infirmitatis in Christo susceptio nostra facta fortitudo: & vnde ille est infirmatus, nos fortes, vt dictum est, facti sumus. Et hæc quidem costa de Adam dormiente in mulierem est traducta, quia memoria Dominicæ Passionis ad omnia pro ipso toleranda, fortes nos facit, & vnde ipse pro nobis obdormiuit in morte, indè nos in præceptis suis facit vigilare, tanquam illud semper cum Propheta dicentes: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Calicem salutaris accepit, qui passioni communicat Christi. Ex qua & ipse Iesus, hoc est Salutaris siue Saluator est dictus, quia per eam nos saluauit, quam sustinuit. In hoc maximè Christo pro nobis mortuo vicem reddimus,

Digitized by

dum vſque ad mortem pro eo dimicamus : illud totum implentes quod poſſumus. Vnde & ipſemet ait : *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Sed quia hæc virtus non eſt ex nobis, ipſe eſt inuocandus vt hanc nobis conferat, qui exemplo ſuæ paſſionis nos ad eam inuitat. Ipſe nomen dicitur Dei, qui plenam eius notitiam mundo attulit. Nomine quippe ſuo res quælibet declaratur, & quodammodo dignoſcitur. Quædam nobis tribuit Deus, quædam retribuit. Nos verò nihil ei poſſumus tribuere, ſed nonnihil retribuere. Ipſe quippe eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Ipſe nos præuenit vt velimus, ipſe nos ſubſequitur vt poſſimus; & ipſam voluntatẽ quam inſpirat, adiuuat ne deficiat, voluntatem qua mereamur gratis tribuit, & ipſa merita quæ in nobis efficit remunerat retributione mercedis. Non enim in nobis remunerat, niſi dona ſua, vt tam meritum quàm retributio non ex nobis ſit, ſed ex ipſo. Ipſe nobis tribuat per quod mereamur, cuius eſt retribuere cum meruerimus. Ipſe nos offerrat Patri ſuo, cui hodierna die cum noſtræ carnis ſubſtantia præſentatus eſt in Templo. Ipſe quod fidelibus promiſit, in nobis compleat, vt vnuſquiſque noſtrum qui eum expectat cum beato Simeone dicere queat, *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace*, Amen.

IN SEPTVAGESIMA,

SERMO VI.

ECCLESIASTES ad huius vitæ vanitatem & inconſtantiam contemnendam nos adhortans ait: *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo.* Et poſt aliqua, quid nobis in hac mutabilitate & incertitudine vitæ ſit faciendum vel expectandum ſupponit dicens: *Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi & tempus ſaltandi. Omnia*, inquit, *ſub cælo tempus habent*, hoc eſt temporaliter mutantur ; & more temporis inceſſanter defluunt. *Sub cælo*, inquit, non ſuper cœlum : quia hic vanitas, ibi veritas : hîc defectus, ibi perennitas : hîc incerta proſperitas & miſeriæ ſemper lætitia permixta, ibi ſicut indeficiens,

ita & inæstimabilis felicitas. *Suis*, inquit, *spatijs vniuersa transeunt*, quia quò maius spatium vitæ quilibet habuit, tantò breuius est habiturus, & singulorum vita quanto longior extitit, tanto breuior est futura, & suis incrementis semper ad defectum properat. Id quoque ipsum, quod vitæ dicitur, ita miserijs est implicitum, vt mors potius quàm vita sit dicendum; defectus, non profectus sit appellandum: nocti potius quàm diei, mœrori magis quàm gaudio sit comparandum. Quod Philosophi mundi, mundum maximè contemnentes, adeò censuerunt, vt cùm se multis annis vixisse cernerent, eos tantum dies ascriberent vitæ suæ, quos se sine molestia recordabantur egisse: vix in centũ annis inuenientes duos dies, quos ipsi morientes sepulturæ suæ titulo inscriberent, cum dierũ vitæ numerum assignarent. Iacob Patriarcha verior Dei Philosophus quàm mundi, interrogatus à Pharaone quot vitæ dies haberet, cùm Rex eum conspiceret longæuũ, respondit, *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt.* In qua quidem interrogatione vel responsione diligenter nobis intuendum est, quòd cùm homo Gentilis quasi veræ vitæ ignarus de diebus vitæ requireret; nequaquam homo sanctus vitam istam reputans vitam suam, peregrinationem vitæ potiùs quàm vitam censuit appellandam esse. Vt enim Apostolus ait: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Deo*, & per exilium properamus ad patriam, & quasi per mortem festinamus ad vitam. Quibus idem alibi Apostolus ait. *Si consurrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Abscondita, inquit, est vita fidelium, sicut manifesta vita reproborum, qui hoc exilium pro patria ducunt, & quasi conciues iumentorum tam corpore quàm mente in terram proni, nequaquam quæ sursum sunt quærunt, nec conciues esse sataguntAngelorum. Terra quippe ista brutis animalibus pro patria, & vita præsens eorum est propria, ad quam solam ipsa cõstat esse creata tam corpore quàm anima hîc desitura. Horum igitur rectè conciues dicendi sunt, qui sensibus magis quàm ratione reguntur, & cælestium obliti, ad quæ sunt conditi, solis inhiant terrenis, pecudes magis quàm homines vocandi. Qui tantò ardentius vitæ huius amaritudinem appe-

Digitized by Google

tunt, quanto futuræ dulcedinem minus aduertunt. Ad quam ille vehementer ſuſpirabat inter regias epulas, qui dicebat. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Timentibus Deum potius quàm mundum, & animæ magis quàm corporis damnum. Hæc dulcedo dicitur abſcondita, tanquam eis ſolis in futurum repoſita & reſeruata, non pro reprobis communicanda.

Hoc illud eſt Manna abſconditum quod in Apocalypſi legimus à Domino fidelibus promiſſum. *Vincenti*, inquit, *dabo manna abſconditũ*, hoc eſt cæleſtis panis refectionem. In cuius typum corporale manna refecit in deſerto populum, cuius ſatietatem is quoque vt diximus confidenter expectabat cùm diceret: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quibus vtique hîc ſe ſemper eſurire demonſtrat, vt ibi ſatiari mereatur, iuxta illud Veritatis: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini.* Cùm apparuerit, inquit, gloria tua, ſatiabor: quia cũm de ipſa viſione, quæ nunc latet, me refeceris, nihil ſupereſt requirendum, quouſque, donec perueniam: quantiſcumque interim delicijs affluam, ſemper mendicum me recognoſcã. Qui & alibi ad patriæ ſuæ beatitudinem totis votis anhelans & vitæ preſentis exilium deplorans, ingemiſcit dicens, *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Tanquam ſi diceret: Væ mihi peregrinanti in huius exilio vitæ, & tam tardè ad patriam venienti! Quid enim eſt incolatus niſi peregrinatio extra proprium ſolum? Vnde & exilium meminimus dictum. Prolongatum itaque ſuum dolet incolatum, quia præſentem vitam, qua, dum ſumus in corpore peregrinamur à Deo, & tanquam exules patriam deſideramus, qui, vt ait Apoſtolus, *non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futurã inquirimus*: ſicut & ipſe qui dicebat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, grauius ſuſtinemus, & longiorem quàm vellemus eſſe, cùm quærimus quãtò ad illã, quæ ſine fine eſt, citiùs peruenire cupimus. Nec ſolùm hanc vitam peregrinationi, verumetiam tenebris cõparans, quo grauiorem eam demonſtret, *Habitaui*, inquit, *cum habitantibus Cedar*, hoc eſt cum his qui in tenebris commorantur. Cedar quippe interpretatur tenebræ. Et comparatione ſupernæ claritatis tenebræ dicendus eſt ſtatus vitæ præſentis, & nox potius quàm dies appellandus. Vnde &

longæ peregrinationis grauamen replicans, adhuc ingemiſcit dicens : *Multum incola fuit anima mea.* Ac ſi apertè dicat: Multum hîc & diu me peregrinari doleo, qui alibi patriam recognoſco.

In cuius profectò peregrinationis & patriæ figuram ipſe Iſraelitici populi longe poſtmodum per Babylonios captiuati deplorationem deſcribens, ait: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur Syon. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra, &c.* Duæ quippe ſunt electorum & reproborum ciuitates, quæ hoc loco ſub ſpecie Hieruſalem & Babylonis deſcribuntur. Altera hîc proſperatur, quæ reproborum eſt, & Babylonia dicitur. Altera hîc iugiter per illum afflicta tantò ampliùs ad ſupernæ pacis viſionem anhelat, quantò grauiores preſſuras hîc tolerat. De hac itaque vita fideles ad ſupernam mentis oculos erigentes, & tanquam de exilio ad patriam ſuſpirantes, & de captiuitate Babylonica liberari, ad libertatem ciuitatis ſuæ Hieruſalem ſemper anhelant hi, quorum nunc perſona Pſalmus iſte cõpoſitus ipſos ad modum exulum deplorantes inducit, cùm ait: *Super flumina Babylonis, &c.* Flumina Babylonis vitia ſunt, quibus conſentiendo ſi quis ea intrauerit, ad Babyloniam, id eſt confuſionem defluit, quia damnationem incurrit. Habet quoque ciuitas electorum propria flumina, de quib. ſcriptum eſt: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et rurſum, *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ad differentiam igitur horum bonorum fluminum noxia flumina ſunt Babylonis dicta, ſicut eſt guloſitas, luxuria, auaritia, & his ſimilia. Quæ vtique tanquam flumina Babylonis fideles attendentes, nequaquam hæc per conſenſum intrant: ſed quaſi deſuper ſedendo premunt, dum eorum motus quaſi quoſdam intumeſcentes fluctus in ſeipſis reprimũt, contrarijs virtutibus quaſi quibuſdam nauigij remis ipſos ne prævaleant contundentes. Sic igitur ſuper flumina peſtifera ſedentes, quæ tanquam obſtaculum & impedimentum maximum ad tranſitum patriæ conſpiciunt more captiuorum, in recordatione illius à qua ſe adhuc differri dolent, flere memorantur, cùm dicitur: *Et fleuimus, dum recordaremur tui Sion.*

Sion mons eſt, in quo ciuitas Hieruſalem ſita eſt. Per

hunc

hunc ergo montem celsitudo supernæ patriæ, in qua est Hierusalem, id est continua visio veræ pacis exprimitur. Cuius desiderio fideles accensi ad illam iugiter quasi flentes suspirant, & de hac valle lacrimarum tanquam de captiuitate Babylonica, quo ampliùs conscendere cupiunt, differri ab illa grauiùs gemunt. Ordo congruus priùs sedere super flumina, & postmodum fletus referuntur lamenta, quia nemo dum vicijs subijcitur, & voluptatibus subiugatur, erigere se per desiderium ad supernam valet ciuitatem: nec nisi priùs à malo declinemus, bonis faciendis operam damus. Quantum autem voluptates seculi fugiant electi, ne libidinibus depressus animus minus se attollere ad superna valeat, sequentia declarant: *In salicibus*, inquiunt, *in medio eius suspendimus organa nostra.* Salices infructuosæ sunt arbores, & in humidis locis abundant, vbi diabolus quasi sus immunda volutatur, & quiescit; qui loca inaquosa perambulans requiem non inuenit. Vnde benè in descriptione Behemot dicitur; *Sub vmbra dormiuit in secreto calami, in locis humentibus.* Infructuosæ itaque reproborum mentes, in fluxu carnalium voluptatum radicatæ, salices sunt in medio Babylonis plantatæ, & carnalis concupiscentiæ vitijs irretitæ, atque in profundo vitiorum, quod Babylonis intelligatur medium, iam submersæ. Inter tales electi conuersantes, quamdiu præsens vita tanquam area quædam simul grana continet & paleas, suspendunt organa sua; dum fletibus magis & lamentis vacantes, à canticis exultationis cessant, tam ærumnas suas vel dilationem patriæ, quàm aliorum mortem deflentes. Vt autem organa sua inter tales suspendant, hoc est à vocibus gaudij cessent; ne illas in terra maledictionis deponant, quas cœlo potiùs reseruandas iudicant, subinferunt: *Quia illic, &c.* hoc est qui nos captiuauerant, nobis insultantes, & sollemnitatum nostrarum celebrationem irridentes, tanquam Deus quem colimus nos de manibus eorum liberare non possit, *Interrogauerunt nos verba cantionum*, hoc est, illudentes improperabant nobis, vt nunc quoque cantaremus more pristino. Ac si apertè dicerent, causam huius rei manifestam esse, quia vanis canticis illi nos constat deseruisse, de cuius plurimum confidebamus ope. Vnde & has laudes diuinas non tam cantica quàm cantilenas, & fig-

menta quædam iudicant appellandas.

SATELLITES iſti prædoneſque Babylonici, per quos captiuamur, & de amœnitate Paradiſi, quo quiete vix vnus tanquam de terrena Hieruſalem in has miſerias dejecti ſumus, dæmones intelliguntur. De quibus adhuc ſubditur: *Et qui abduxerunt nos*, hoc eſt ab illa nos excuſſerunt amœnitate, dicebant, ſubaudis: *Hymnum cantate nobis de Canticis Sion.* Quod eſt dicere: Laudem illam Dei, quam dicebatis Hieruſalem in illis canticis veſtris, ad nos conuertite: tanquam diuino cultu derelicto dæmonibus ſeruiendo, qui ſubiectis promittunt quæ dare non poſſunt. Quorum vnus in tantam prorupit inſaniam, vt ipſi fidelium capiti dicere auderet: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Quorum quidem illuſioni competenter reſpondent electi, & eorum electionem manifeſta refellunt oratione, dicentes: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Hoc illud eſt veritatis documentum, quo fidelibus præcipit: *Nolite ſanctum dare canibus, nec margaritas veſtras ſpargatis ante porcos*, quia immundis & irriſoribus diuinorum verborum, & more canum adhoc oblatrantibus, non ſunt eloquia committenda diuina, ne vileſcere videantur irriſa. Terram alienam dicit infidelium vitam à ſorte fidelium excluſam, & dæmonibus magis quàm Deo ſubjectam. In hac itaque tam manifeſta dæmonum poſſeſſione laudes Dei penitus ſunt reticendæ, & lamenta potius aſſumenda quàm cantica. Quibus, vt dictum eſt, lamentis non ſolum patriæ dilationem in miſerijs huius peregrinationis deploremus, ſed magis diabolicas fraudes, per quas tot miſeri deluduntur.

HIC tempus flendi nobis debetur, alibi ridendi promittitur. De quo & Eccleſiaſtes poſt illa, quæ in exordio Sermonis præmiſimus, verba, ſubjecit poſt aliqua. *Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* Prius inquit, flendi ſiue plangendi, & poſtmodum ridendi ſeu ſaltandi: quia deplorandæ ſunt præſentes miſeriæ, vt de his liberatis veræ ſuccedant gaudia lætitiæ. Vnde & Pſalmiſta: *Qui ſeminant in lacrimis, in gaudio metẽt.* Quod per ſemetipſum Veritas: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis cùm vos oderint homines, & exprobrauerint propter filium hominis: Gau-*

dete in illa die, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo. Verumtamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis saturati, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis. Væ vobis cum benedixerint vobis omnes homines. Et alibi hanc reproborum & electorũ sortem distinguens: *Mundus*, inquit, *gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quam mox tristitiam & subsecuturum gaudium, in comparationem mulieris parientis conferens ait: *Mulier cùm parit tristitiam habet. Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium.* Quid enim partus mulieris cum dolore parientis, nisi opera fortia sunt animæ fidelis, quæ per filium magis quàm per filiam designantur? Hæc illa sunt fidelium semina, de quibus suprà meminimus: *Qui seminant in lacrimis*, hoc est in huius vitæ pressuris tanquam hieme quæ colligant in æstate. Seminemus & nos, carissimi, flentes, quæ metamus ridentes. Ad quod nos præcipuè ipsa quoque præsentis temporis institutio admonet, quòd in lamentis pœnitentiæ præuenit lætitiam Resurrectionis Dominicæ. Vbi & illæ speciales gaudij voces *Alleluia*, &, *Gloria in excelsis Deo*, substractæ, mœroris potiùs quàm lætitiæ tempus istud insinuant esse, & planctus magis quàm cantici. In quo ad modum captiuorum, quos diximus, organa nostra suspendentes, & à canticis cessantes, mœrori magis quàm exultationi vacare nos conuenit, semper attendentes exilium quod sustinemus, & ad patriam suspirantes, ad quam creati sumus. Cuius quidem patriæ felicitas in resurrectione capitis membris est exhibita, sed nondum in ipsis completa. Vnde tantò ardentiùs nos conuenit ad illam suspirare, quantò certiùs in capite nouimus hanc completam esse; vt nec post luctum pœnitentiæ perfectis desint dilationis lacrimæ dissolui cupientibus, & cum Christo esse. Totum itaque tempus vitæ præsentis in lacrimis deducendis vel pœnitentiæ vel dilationis, sicut est prædictum, hoc temporis intercapedo, à præsenti scilicet die vsque ad octauas Paschæ, vnde ipsa dicta est Septuagesima, nobis figurat. Quid enim dies octauus Dominicam Resurrectionem subsequens, nisi communem fidelium exprimit resurrectionem? Quæ tanto se-

curiùs expectatur à membris, quanto illa certiùs in capite præcessit. Cuius desiderium ipse sic in nobis semper augeat, vt de hac peregrinatione ad patriam, de hac valle lacrimarum ad supernæ felicitatis trahat gaudium, Amen.

IN RAMIS PALMARVM,

SERMO VII.

HODIERNA solemnitas & tanquam Imperialis pompæ triumphalis iocunditas, qua Dei filius Regio more à turbis est susceptus, & tanquam filius Dauid recognitus & salutatus, longè antea fuit ab ipso Dauid prophetata exhortante nos ad eam reuelatione prophetica: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris.* Quos enim ædificantes hoc loco dicit, nisi Sacerdotes Iudaici populi, qui subjectos per fidem Christi ædificare deberent in templum Dei? Hoc ipsum destruere nitebantur fundamentum, in quo erigendum fuerat ædificium. Vt enim Apostolus ait, fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hæc est illa petra, in cuius fide fundata perseuerat Ecclesia, sicut & ipse Petro ait, cui eam commisit. Hic est lapis sine manibus de monte abscisus, qui hoc loco ab ædificantibus dicitur reprobatus, à turbis hodie recognitus est & susceptus: vt cùm ædificatores respuerent, ædificandi susciperent; & excæcatis magistris illuminarentur discipuli, & in condemnationem seniorum resonarent pueri laudem Dei. Referente Ioanne nouimus, quòd hodie Hie-

Digitized by Google

roſolymis multa iam erat turba non ſolum ex Iudæis, verumetiam ex gentibus qui conuenerant ad proximam Paſchæ ſollennitatem. Sic enim de gentilibus & ipſe adiecit: *Erant autem gentiles quidam ex his qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto. Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rurſus & Philippus dixerunt Ieſu. Ieſus autem reſpondit eis, dicens: Venit hora vt clarificetur filius hominis.*

A his itaque gentilibus pariter & plebe Iudaica Dominus hodie ſuſceptus, tanquam lapis reprobatus ab ædificantibus in caput anguli eſt à Domino conſtitutus: ſicut de illo lapide ſine manibus abſciſſo dictum eſt, quòd in mõtem magnum creſceret & vniuerſam terram impleret. In angulo domus duo parietes conueniunt, nec niſi conuentu duorum angulus fieri poteſt. Nouimus in Eccleſia, quæ domus Dei eſt ex Iudæis & gentibus congregata, quaſi duos parietes ſibi conuenientes erigi, ſicut hodie cœptum eſſe legimus. Vnde & ipſe Dominus ait: *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Tanquam ſi diceret: Iam eſt incœptum de multiplicatione fidelium in vtroque populo, per quod maximè filius hominis ſit poſtmodum glorificandus, vt dum à Principibus Iudæorum reprobatur, ab vniuerſo mundo ſuſcipiatur. Factus eſt itaque in caput anguli, hoc eſt à Domino conſtitutus, vt in hac iunctura duorum parietum, tanquam in angulo quodam conuenientium ipſe fidelibus pręſit vniuerſis, ſicut caput in corpore ceteris membris, & tanquam vna perſona ex ipſo fiat Eccleſia, in qua ipſe ſit caput, & illa corpus. Hoc & ipſe Dominus hodie per ſemetipſum declarauit, cùm Hieroſolymam veniens tam aſinæ primùm quàm pullo poſtmodum inſedit. Aſina quippe mater pulli fidelis eſt populus primo ad Chriſtum ex Iudęis conuerſus, ſicut Apoſtoli & ceteri fideles in primitiua Eccleſia, qui poſtmodum ſua prædicatione gentilem populum ad fidem conuertendo, tanquam mater illum pariendo genuerunt Deo. Quorum vnus ex eis dicebat: *Filioli mei quos adhuc parturio donec Chriſtus formetur in vobis.* Et iterum: *In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Sedere autem Chriſtum ſuper vtrumque populum, eſt eis tanquam equitem & rectorem præſidere, & eos quos iuſtificat per gratiam inhabitare. Vnde & in Prouerbiis anima iuſti ſe-

des dicitur Sapientiæ, hoc eſt habitatio Chriſti, quia ſapientia dicitur Dei. Cũ his, ſuper quos ſedet, Hieroſolymã venit, quia eos tantummodo quibus hic regendo præſidet ad cæleſtem Hieruſalem æternæ pacis viſionem introducit. Hos quoque duos populos per aſinam & pullum Iacob Patriarcha deſignauit, cùm in typo Chriſti Iudam filium ſuum, de quo ipſe ortus eſt, benedicens ait: *Et ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam.* Ipſe quippe Dominus diſcipulis ait, *Ego ſum vitis, & vos palmites.* Ad vitem itaque, hoc eſt ad teipſum, Domine Ieſus, aſina eſt ligata, & ad vineam pullus, hoc eſt ad palmites ipſius vitis: quia tu Domine propria prædicatione primos ex Iudæis fideles tibi copulaſti, per quos & poſtmodum gentiles conuertiſti, & eis aggregaſti, qui tuam minime viderunt in carne præſentiam.

Hoc ipſum igitur quod tam aſinæ quàm pullo Dominus inſidens exhibuit, hoc præſens verſiculus Pſalmi, lõge antè precinit, dicens: *Hic factus eſt in caput anguli*, hoc eſt conſtitutus à Deo in caput, vt diximus, duorum parietum, in vna domo Dei ſibi coniunctorum. A quo verò tam magnum quid factum ſit, ſupponitur cum dicitur: *A Domino factum eſt iſtud.* In quo patenter oſtendit fruſtra eos laboraſſe, qui quod diſpoſuerat Deus nitebantur euertere. Vnde & in mortem eius conſpirati dicebant: *Videtis quia nihil proficimus, Ecce mũdus totus poſt eum abijt. Et eſt mirabile in oculis noſtris.* Quid enim mirabilius in oculis hominium, quàm diuinæ diſpoſitionis profundum, de quo ipſe ait: *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant?* Ecce Doctores legis quem in lege promiſſum expectabant venturum, venientem tanquam incognitum reprobauerunt. Errauerunt magiſtri, in quo non errauerunt diſcipuli. Cæcitas ex parte facta eſt in Iſrael, vt plenitudo gentium ſubintraret. Fracti ſunt oliuæ rami naturales, vt ſylueſtris inſereretur oleaſter. Peculiaris ille quondam Dei populus ex magna parte Deum reprobando meruit reprobari à Deo, & quaſi filijs alienatis, in eorum locum ſucceſſerunt alieni. Quod altiſſimum Dei conſilium in tantam admirationem venit mentibus fidelium, vt ipſe Apoſtolus ſuper hoc exclamans dicat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius eius fuit?* Ad

Digitized by Google

huius temporis plenitudinem gratiæ exultare admonemur, & lætari, cùm dicitur: *Hæc eſt dies, &c.* Tanquam ſi diceret: Hoc eſt illud tempus fidelibus optatum, quod per ſemetipſum Dominus copia repleuit omnium bonorum. *Exultemus*, inquit, *& lætemur.* Ingeminat gaudium, præuidens in duobus populis Eccleſię crementum. Ad hanc itaque temporis gratiam totis votis ipſe Pſalmographus anhelans, in quam ſuam & omnium fidelium ſalutem expectabat futuram, exorat dicens: *O Domine ſaluum me fac.* Me, inquam, qui te recognoſco, qui in te ſolum tanquam omnium Ieſum, id eſt Saluatorem, ſpem totam conſtituo; quantacumque cæcitate populus meus ſit percutiendus. Et vt ſaluum facias, *benè proſperare.* Hoc eſt, proſperè agas in omnibus quæ diſponis, tuæ voluntati obtemperãtibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Quantum autem proſperari debeat in his quæ agit, demonſtrat cùm ſupponit: *Benedictus qui venit in nomine Domine.* Benedictus, inquit, hoc eſt à Deo ſanctificatus, & ex vtero matris omnibus donis Spiritus ſancti conſummatus. In nomine Domini, ſicut & ipſe ait: *Ego veni in nomine Patris mei: & alius veniet in nomine ſuo, & eum ſuſcipietis.* In nomine Patris venit, qui non propriam gloriam, ſed Patris quærit; nec tam noſci vult vt honoretur, quàm eum cognoſci facit vt glorificetur. Qui venturus eſt, inquit, quoniam tempore Prophetiæ hoc erat futurum, quod in noſtro nouimus eſſe completum.

ADEO autem ad præſentem diem Pſalmus iſte pertinet, vt hęc ipſa verba Pſalmi populus hodie acclamauerit in laudem Domini. Vnde & Mathæus meminit. Turbæ autem quæ prędecedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: *Oſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hinc & Hieronymus Damaſo de Oſanna ſcribit his verbis: Ipſa Hebræa verba ponenda ſunt. In CXVII. Pſalmo, vbi nos legimus, *O Domine ſaluum me fac, &c.* In Hebræo legitur. *Anna Adonay Oſianna, &c.* Et quia *Oſianna*, quod nos corruptè propter ignorantiam dicimus *Oſanna*, ſaluifica, ſiue ſaluum me fac, exprimatur, omnium interpretatione ſignatum eſt. Et poſt aliqua: Hebræi habent interiectionem, vt quando volunt Dominum deprecari, dicant, *Anna Domine*, quod Septuaginta interpretati ſunt, ô Domine. *Oſi* ergo ſaluifica interpretantur, *anna* interiectio deprecantis eſt. Si ex duobus velis compoſitum verbum facere, di-

ces Oſianna, ſiue vt nos loquimur oſanna, media vocali littera eliſa. Item, vbi nos legimus in Latino: *O Domine ſaluum me fac, ô Domine benè proſperare*, iuxta Hebræum legere poſſumus, Obſecro Domine ſaluum me fac, obſecro Domine proſperare. Mathæus, qui Hebræo ſermone ſcripſit, ita poſuit, *Oſanna barrama*, id eſt Oſanna in excelſis. Tale eſt ergo iuxta Hieronymũ, *Oſanna in excelſis*, tanquam ſi diceret: Precamur Domine, vt veram nobis ſalutem conferas in cælis.

BENEDIXIMVS *vobis*. Poſt benedictionem ſaluationis Domini, qui factus eſt in caput anguli, ad benedictionem quoque membrorum tanquam duorum parietum ad eum coniunctorum conuertens verba dicit Pſalmiſta, vobis de domo Domini exiſtentibus, & in ea tanquam duobus erectis parietibus, vobis, inquam, benediximus, &c. hoc eſt, pro ſanctificatione veſtra, & Eccleſiæ multiplicatione futura, nos Prophetæ Domini ſæpe rogauimus, & tanquam de re iam completa certi eum laudauimus. In huius typo futuræ benedictionis ſuper vtrumque populum, Iacob Patriarcha filios Ioſeph, Effraim, & Manaſſe, manibus cancellatis, hoc eſt in modum crucis obligatis, legitur benedixiſſe. Vbi quidem patẽter innuitur vtriuſque populi ſaluationem futuram in Chriſti conſiſtere paſſione, & hanc benedictionem tam ipſi Iacob, quàm Iſaac & Abrahæ in eorum ſemine promiſſam eſſe. Ac ne fortè quiſquam quęreret à Propheta tam longè ante aduentum Chriſti exiſtente, quis hoc ei ceteriſque reuelauerit de longinquo, tanta cæcitate in Iſrael facta de proximo, vt ſubintraret gentium plenitudo? quaſi reſpondens ait: Ipſe idem Dominus, qui nunc per ſemetipſum apparens iſtos illuminauit, nobis quoque ſuper hoc longè ante illuxit. *Conſtituite diem ſollemnem*. His pręmiſſis, quaſi concluſionem ſupponit, qui nos exhortatur ad ſollennitatem præſentis diei, tanquam ſic inferens dicat: quandoquidem ita Dominus in duobus populis Eccleſiam multiplicauit in figura, quorum qui præcedebant & qui ſequebantur hodie Dominum ſuſcepiſſe referuntur & benedixiſſe. Igitur & quicumque fideles in memoria tanti beneficij gratias acturi, *Conſtituite diem ſollemnem in condenſis*, hoc eſt in magna multitudine populi, & quaſi denſitate quadam ſpiritalium arborum incomparabilibus illis ramis palmarum vel oliuarum, quas hodie populus accepit, ſignificatarum. Quid enim illi rami vel frondes de arboribus

Digitized by Google

bus anulſæ prætendebãt, niſi vtriuſque populi aggregationem de maſſa peccatorum aſſumptam ? In quorum repræſentationem populus fidelium hodierna die arborum ramis vel frondibus, quas geſtauit, totam Eccleſiam vſque ad altare, quaſi fructetorum replent denſitate: vt iuxta litteram quoque videatur accipi quod dicitur, *In condenſis vſque ad cornu altaris*. Myſticè autem cornu altaris dicitur ſacrificium Chriſti. Per altare quippe ſacrificium, per cornu altaris extremitas eius intelligitur. Sacrificium itaque Chriſti, quod veteri ſacrificio legis ſucceſſit, per cornu altaris figuratur, cum ſit extremum hoc ſacrificium, & ſuprema hoſtia complens ceteras. In cornu quoque altaris tãquam in angulo quodam duo altaris latera ſibi iunguntur : vt quemadmodum Chriſtum factum ſuperiùs diximus in capite anguli, ad quem duo populi iunguntur; ita etiam dicamus ad ſacrificium Chriſti duos ritus ſacrificij cõuenire, ſacrificij ſ. Melchiſedech in pane & vino, & ſacrificij legis in carnalibus hoſtijs. Vtraque quippe ſactificia in figura noſtri præceſſerunt, & in ſignificatione illius conuenerunt. Conſtat etiam animalia cornuta, cùm in tranſgreſſum pugnæ venerunt, vim maximan & robur pugnandi in rigore & fortitudine cornuum habere. Cùm igitur Chriſtus pro nobis immolatus virtute huius ſacrificij diabolum ſtrauerit, quaſi cornu ſuo eum vulnerauit, atque vulneratum deiecit.

BENE' itaque per cornu altaris, ſacrificium Chriſti tanquam vituli noſtri figuratur, cùm hoc efficax & forte, vt dictum eſt, fuerit in pugna, corneum magis dicendum quàm carneum; rigidum, non molle; robuſtum, non debile. Vſque ad hoc cornu altaris celebratio noſtræ porrigitur ſollennitatis, cùm tantæ victimæ dignitate feſtiuitates decorantur Chriſtianæ. Ad hoc cornu altaris ſpecialiter hodierna ſollẽnitas peruenit, cùm in eius Miſſa primùm Chriſti Paſſio recitatur, qua pro nobis ipſe eſt immolatus. Hac die Dominus Hieroſolymam veniens paſſioni ſe obtulit, decima videlicet tunc die menſis, ſicut ex Euangelio perpenditur Ioannis. Ibi quippe habemus quòd poſt reſurrectionem Lazari, Iudæis in mortem Domini iam omnino conſpiratis, ipſe Dominus iam nõ palam ambulabat apud eos, ſed abijt in regionem iuxta deſertum, in ciuitatem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum diſcipulus ſuis. Deindè cum iam Paſcha proximum eſſet, venit Bethaniam ante ſex dies Paſ-

Digitized by Google

chæ,quasi ad victimam verus Agnus accedens, capiendus in Pascha vt immolaretur. Inde in crastinum veniens Hierosolymam susceptus est hodie à turbis, & tanquam Rex Israel, & Dauid regius heres recognitus & salutatus. Quintò itaque die ante illud Pascha Iudæorum, hoc est hodie, qui decimus dies mensis huius, venit Rex in Hierusalem. Pascha enim celebratur in quartodecimo die. Decimo autem voluit ideò ingredi, quia ita præfiguratum erat in lege, vbi præcipitur. *Decima die mensis huius tollat vniusquisque agnum per familias & domos suas.* Et paulò post: *Et seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius. Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Decima autem die mensis primi agnus qui in Pascha immolaretur, domum introduci iussus est, quia Dominus decima die eiusdem mensis, hoc est ante quinque dies Paschæ in ciuitatem in qua patereturerat ingressurus. Hanc igitur diē secundum mysterium legis competenter elegit, qua se vt dictū est offerret passioni, quam antea nonnunquam refugerat sese abscondendo, vel tentus à Iudæis liberè per medium eorum transeundo, vel frequenter ab eis declinando, quia nondum venerat eius hora. Qua profectò die quo magis honorificè susci pi voluit à turbis, & ingressus templum ejecit indè liberè omnes vendentes & ementes, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & his expulsis, accedentes ad eum cæcos & claudos in ipso templo sanauit, eo amplius inuidiam peruersorum contra se commouit, vt quod iamdudum voluerant perficere maturarent, & ab eo daretur facultas, in quibus præcesserat voluntas. Ipse quippe est. qui ait: *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam.* Nemo quippe vim ei facere potuit, vt tanquam inuitum & coactum occidere, vel etiam comprehendere posset. Vt autem maiori incitarentur inuidia, qui de morte Domini iam tractabant, & Deo magis indignarentur, quo amplius eum honorari viderent, tantum sibi honoris hodie permisit exhiberi, quantum nulli Regum legimus exhibitum. Vt enim de diuinis laudibus taceamus, & ramos vel frondes quos in via sternebant prætereamus, quàm mirabilis fuit illa singularitas honoris, qua plurima turba sub pedibus vilium iumentorum prosternebant vestimenta, nec pedibus illis, quibus ipsa Dominum baiulabat, contingi tolerabant. In quo nec modicum aduertendum est my-

Digitized by Google

ſterium. Quibus enim cæleſtis preſidet diis * nequaquam terram ſuis contingunt pedibus, quia quorum deſiderium conuerſatur in cælis, eorum affectus non adhærent terrenis; nec animos ſuos deijciũt in caducis, qui ſurſum Chriſtum quærentes ſolis inhiant æternis. Quos vt imitari poſſimus, rogamus te, Domine Ieſu vt nos quoque tua facias iumenta, quibus in fidem & regendo digneris præeſſe, Saluator mundi, cui dicitur in alio Pſalmo, *Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.* Amen.

IN EADEM DIE,

SERMO VIII.

RAT autem ſpelunca & lapis ſuper poſitus, & ait Ieſus: Tollite lapidem &c. Miſerationes Domini vniuerſis operibus eius Pſalmiſta præferens ait; *Et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Miſerationum itaque Domini recordantes, tantò hinc eum ampliùs glorificare debemus, quanto hæc eius opera ceteris præeſſe, & magis neceſſaria nobis cognoſcimus eſſe. Vnde & à turbis hodiè meruit honorari, maximè quod mœrentium ſororum Lazari miſeratus, ſuſcitatum eis reddidit fratrem iam in monumento quatuor dies habentem. Vt enim Ioannes ſcribit, propter hoc hodie turba ei obuia venit, quoniam hoc audierant factum. Ad quod tanquam hodiernæ feſtiuitatis originem oculos mentis reducentes, tantò diligentiùs eius myſterium intueri debemus, quantò hæc magna Domini miſericordia maiorem tribuit peccatoribus conſolationem. Tres quippe mortuos à Domino legimus ſuſcitatos, quibus vniuerſa peccatorum genera Doctores noſtri dixerunt figurari. Suſcitauit enim filiam Archiſynagogi adhuc in domo iacentem antequam foras efferretur. Suſcitauit filium viduæ extra portam ciuitatis Naim iam deportatum. Suſcitauit & hunc, de quo nunc nobis ſermo eſt, videlicet Lazarum, cum iam in monumento quatuor dies habe-

ret. Vnde & quatriduanus mortuus dicitur. Tres igitur iſti mortui tria peccantium genera ſignant, qui per præſentiam diuinam inſpirante gratia reuiuiſcere dicuntur: & feliciùs iſti à morte animæ, quam illæ à morte corporis per Dominum ſuſcitantur.

PVELLA quidem mortua, quæ adhuc in domo tenebatur clauſa quando eſt ſuſcitata, illos ſignificat peccatores, quorum peccata mente tantum concepta, nondum per operationem exteriùs ſunt progreſſa. Iuuenis autem extra portam delatus eos ſignificat, quorum peccata iam in effectum proruperunt, vt videri iam ab omnibus poſſint. Lazarus verò non ſolum ſepultus, verumetiam quatriduanus, eos ſignificat, qui longa conſuetudine peccandi magna peccatorum mole premuntur, & diuinæ conſuetudinis exemplo alios etiam corrumpunt: vnde & fœtere dicuntur. Tres itaque mortes animæ, tres iſti mortui, vt diximus, deſignant: peccatum ſ. cogitationis, hoc eſt contemptum Dei adhuc in mente latentem, nondum progreſſum in operationem; & peccatum operationis, hoc eſt, iam per operationem apparens, atque peccatum conſuetudinis, & iamdudum in operatione habitum. Hæc tria genera peccatorum tanquam tres animæ mortes in capite primi Pſalmi à beato viro dicuntur remoueri, cùm talis ipſe deſcribitur, qui non abierit in conſilio impiorum, non ſteterit in via peccatorum, non ſederit in cathedra deriſorum. At quoniam reſurrectio Lazari ad præſentem, vt diximus, ſollemnitatem maximè pertinere dignoſcitur, myſterium eius ſermo noſter vt cœpimus proſequatur. quod vt faciat diligentius, paulò hiſtoria altiùs replicetur.

REFERT itaque Ioannes, quod cùm facta eſſent encænia in Hieroſolymis, & ibi eſſet Dominus Ieſus, & quærerent eum Iudæi apprehendere, exijt de manibus eorum, & abiit iterũ trãs Iordanem, vbi fuerat Ioannes baptizans, & manſit illic. Et tunc Lazaro iam languente, miſerunt ad eum ſorores eius Maria & Martha, dicentes: *Domine, quem amas infirmatur.* quo audito mãſit Dominus in eodem loco duobus diebus. Deinde cùm dixiſſet diſcipulis, Lazarum interim mortuũ eſſe, venit Bethaniã cum ipſis, & inuenit Lazarum quatuor dies iam in monumento habẽtem. Et ſuſcitaturus mortuum peruenit adſepulchrũ. Erat autem, vt diximus, ſpelunca & lapis ſuperpoſitus ei. Et ait Ieſus:

Tollite lapidem. Vt ergo tulerunt lapidem, voce magna clamauit Ieſus, *Lazare veni foras.* Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dicit eis Ieſus, *Soluite eum, & ſinite abire.* Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Quidã autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: *Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, &c.* Ex quo profecto liquet, ex hoc denique miraculo aduerſus Dominum Iudæos maximè cõmotos fuiſſe, & in eius nece ex tunc præcipuè conſpiraſſe: tanquam eum occidendo poſſent delere, per quem mortuos nouerant ſuſcitatos eſſe, quaſi mortuus non poſſet reſurgere poſt triduum, qui quatriduanum ſuſcitauerat Lazarum. Cuius quidem reſſuſcitatio tanto diligentiùs deſcripta eſt ab Euangeliſta, quãto pleniùs noſtræ ſalutis continet myſteria, quos quotidie diuina miſericordia feliciùs, vt diximus, reſuſcitat à morte animæ, quàm tunc & ſemel Lazarum à corporis morte. Lazarus quippe, vt diximus, iam ſepultus, & quatriduanus mortuus, illum ſignificat peccatorem, qui longa conſuetudine peccati interim dejectus eſt in profundum, vt in illo profundo tãquam in ſepulchro putreſcat quatriduanus, nec ſe tantum perimens, verumetiam alios exemplo quaſi fœtore quodam ſuæ putredinis corrumpens. Vnde & benè fœtere deſcribitur quaſi quatriduanus. Quatuor enim dies quos in monumento habuit, vniuerſitatem peccatorum exprimunt, quibus quiſque peſſimus eſt inuolutus, tanquam in illo profundo vitiorum ſepultus, de quo ſcriptum eſt: *Peccator cùm in profundum vitiorum venerit, contemnet*: quia cum in longa perſtiterit conſuetudine peccandi, quæ iam ei facta eſt quaſi altera natura, graui iugo ipſum deprimit, ſalutiferas fidelium exhortationes vel diuina monita reſpuens cõtemnit. Vnde ipſi neceſſarium eſt, vt pro illius obſtinatione deuotio fidelium intercedat, vt interuentu eorum diuinæ gratiæ reſpectum aſſequatur, quo illi pœnitentiæ gemitus inſpiretur, & conuerſus ſaluetur. Vnde benè pro fratre Lazaro ſanando ſorores eius interuenerunt, eius infirmitatem Domino nunciando. Quem ad ſubueniendum inuitantes, ſatis hoc eſſe

censuerunt, vt Domino nunciarent amici sui mortem, & propriam de infirmitate fratris desolationem. Sic enim mandantes dixerunt. *Domine, ecce quem amas infirmatur.* nec addiderunt, veni & cura eum: nec tam orando quàm nunciando quod volebant postulauerunt. Satis enim crediderunt Domino nunciare anxietatem amici sui, atque suam; tanquàm illud prouerbiũ attendẽtes. Amicus & medicus in necessitate probantur. Vnde satis æstimauerunt amicitiam fieri cùm dicunt: *Ecce quem amas.* Magna fiducia earum in hac sua petitione plurimum nos confirmat, vt nihil hæsitantes à Domino necessaria constanter postulemus. Interueniunt pro infirmo nondum mortuo, quia viuis adhuc, non defunctis supplicatio fidelium proficit vt salubrem pœnitentiam habeant.

In Maria & Martha vniuersi fideles comprehenduntur, tam contemplatiuæ scilicet vitæ quàm actiuæ. Quarum orationes dum sibi coniunguntur, facilè pro alijs quoque impetrant quæ illi non merentur. Et notandum quod aduenientе Domino Bethaniam Martha occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Ex quo diligenter actiuorum & contemplatiuorum vita describitur. Actiui quippe sunt, qui circa proximi causam maximè occupati temporalia bona procurant, vt habeant vnde tribuant necessitatem patienti; & in exterioribus actionibus laborantes, illa implent opera misericordiæ, de quibus illis Dominus dicturus est. *Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.* Contemplatiua verò est vita, quæ amore Dei vehementer succensa, tantò sinceriùs ei vacat, & in eius contemplationẽ, & status supernæ vitæ oculos meritis perfectiùs erigit, & eò magis in hac speculatione suspensa delectatur, quanto à curis seculi amplius remota quiescit. Martha itaque tanquam in exteriori administratione occupata, Domino venienti statim occurrit, Maria verò domi sedens quiescit, nequaquam istis visibilibus intenta bonis, sed supernis inhians gaudijs, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Quam etiam Euangelista in tantum quietem suam amare describit, vt nequaquã de domo egressa, nisi à Domino priùs vocata; cùm ei videlicet Martha diceret: *Magister adest, & vocat te.* Nonnumquam viri contemplatiui de secreto intimæ quietis Deo inspirante coguntur exire, & populo illo po-

Digitized by Google

ſtulante curis implicantur Eccleſiaſticis, ſicut in beato factũ eſt Martino. Quanto autem contemplatiuorum maior religio feruentiori ſtudio adhæret Deo, tantò Mariæ deuotionem Euangeliſta magis commendans ait: *Maria autem cùm veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum cecidit ad pedes eius. Et dixit ei: Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus. Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, &c.* Nequaquam enim Martha, quæ Domino prior occurrerat, vel ad pedes eius adorando proſtrata, vel ſuper fratre dicitur lacrimata. Prior ad Dominum Martha venit, quoniam actiua vita licet in meritis ſit poſterior, naturaliter tamen in ordine temporis eſt prior. Vt enim beatus meminit Gregorius à minimis quiſque inchoat, vt ad maiora perueniat. Et imperfectior actiuorum vita quædam eſt fidelium inchoatio, in qua ſe priùs exerceant, quàm ad perfectionem contemplationis conſcendant.

QVOD verò Dominus Lazarum ſuſcitaturus infremuiſſe ſpiritu, & ſeipſum turbaſſe dicitur, hoc in ſeipſo exhibuit quod miſericorditer in nobis agit. Quo enim quiſque pœnitens maiora commiſerit, magis horrore gehennæ infremere ac turbari cogitur de peccatorum ſuorum magnitudine. Hic verò qui quatriduanus mortuus dictus eſt, per hos quatuor dies, quos iam in morte habuerat, omni peccatorum genere contaminatus fuiſſe innuitur. In eo quippe tam cogitationis quàm operationis peccatum præcedens in conſuetudinem venerat, & tandem alios per exemplum corrumpendo, in morte pariter tam aliorum quàm propria conſummatũ erat, primò vt dictum eſt, in cogitatione, ſecundo habitum in opere, tertiò dictum in conſuetudine, quarto in aliorum corruptione. Quòd verò Dominus interrogat, *Vbi poſuiſtis eum?* tanquam ignorans ſepulcri locum; hoc nobis inſinuat, tales maximè à Deo ignorari, quorum opera magis improbat, iuxta illud quod reprobis ait: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Primò lapidem præcipit tolli qui mortuum premit, vt ſicut mortuus reſurgere poſſit; quia talibus, ne de magnitudine peccatorũ deſperent, indulgentia Euangelij magis eſt prædicanda, quia dictum eſt adulteræ: *Vade, & amplius noli peccare*, quàm legis in lapide ſcriptæ duritia in contaminationem inducẽda. Hic itaque longa conſuetudine peccandi detentus, & prauæ con-

ſuetudinis iugo grauiter depreſſus, atque intantum libero arbitrio in ipſo iam debilitato, vt non ſolùm ad eum ſurgere non poſſet, vt eum requireret, ſed nec pro ſe orare ſatageret; venit ad eum miſericors Dominus, cùm ei genitum pœnitentiæ inſpirat, & viribus omnino deſtitutum erigat ægrotum. Ad quem voce magna clamans, *Lazare veni foras*, ipſo clamore inſinuat, quàm longe remotus hic ab eo abſiſtat. *Veni foras*, inquit, hoc eſt, per temetipſum culpam, quæ eſt in mente, propala confeſſione, & ſpiritali medico vulnus oſtende, à quo ſuſcipias cataplam medicinæ. Vocat Dominus Lazarum, cùm peccatori ſalubris pœnitentiæ inſpirat gemitum. In quo quidem gemitu mortuus reuiuiſcit, quia mors animę, quod eſt peccatum, per eum abſcedit. Quippe qua hora peccator ingemuerit peccatum ſuum, ſaluus erit. Et quia poſt pœnitentiam confeſſio reſtat peccati, vocatus Lazarus foras exit, dum ſe pœnitens per confeſſionem peccatorum prodit, & de profundo vitiorum tanquam de ſepulcro ſurgit.

Sed quia hic talis excommunicari meruerat, & ab Eccleſia expulſis vinculis anathematis adhuc relegatus erat pro tam manifeſtis criminibus ſuis, procedere dicitur ligatus pedes & manus, & ſudario faciem inuolutus. Quiſlibet excommunicatus à Prælatis, qui iam per pœnitentiam & confeſſionem Deo ſit reconciliatus, tamen ab ipſis Eccleſiæ miniſtris anathematis vinculis eſt abſoluendus; vt ſatisfactione peracta conſortium ei reddatur fidelium ab ipſis per quos fuerat excluſus. Pedes & manus ligatos habet, cui adhuc introitus Eccleſiæ non eſt conceſſus, vt ſatisfactionis opera ſint iuncta, quæ pro qualitate vel quantitate peccatorum à Prælatis ſunt imponenda: vt ſicut non eſt liber ad incedendum quò voluerit, ita nec ad operandum quod ipſe decreuerit. Qui enim diu malè viuendo abuſus eſt poteſtate ſua, iam non proprio, ſed alieno quod deliquit corrigere debet arbitrio, nec iam ſui iuris eſt in talibus agendis, ſed alieni. Faciem quoque inuolutam habet, quia ante ſatisfactionis impletionem deuotio pœnitentis, & verus pœnitentiæ gemitus non poteſt cognoſci. Per faciem quippe, qua quiſque cognoſcitur, notitia deſignatur. Faciem itaque pœnitentis inuolutam aperiunt, qui eius inſtituta ſatisfactione, ipſius, vt dictum eſt, deuotionem cognoſci faciunt, & reddendo ei Eccleſiam tanquam

quam fidelem eum recognoſcunt, qui eum habebant priùs tanquam incognitum, & ſicut Ethnicum vel publicanum. Soluunt itaque diſcipuli reſſuſcitatum à Domino, & liberum ire ſinunt, qui priùs extra Eccleſiam fuerat relegatus, dum introitum Eccleſiæ, & conſortium fidelium ei reddunt, & in arbitrio eius proponunt quocumque vitæ tramite velit ad Deum tendere, & quibus operibus id poſſit eligere. Et hoc eſt quod eis Dominus ait: *Soluite eum, & ſinite abire.* Ecce Dominus mortuum corporaliter ſuſcitando, diſcipuli ſuſcitatũ ſoluendo multum meliorem tam ſuſcitationem, quàm ſolutionem iuſtitiæ nobis proponunt, prout exponendo proſecuti ſumus.

ILLVD ſemel miraculum Dominus egit in corpore, quod multo feliciùs in animabus pœnitentium agit quotidie. Reddidit Lazaro vitam, ſed rurſum morituro temporalem. Tribuit pœnitentibus vitam, ſed ſine fine manſuram. Illud mirabile in oculis hominum, ſed iſtud maximum iudicio fidelium. Quo verò maius, eo appetendum ampliùs. Scriptum eſt hoc de Lazaro, non ipſo Lazaro, ſed pro ipſo; ſed nobis, & pro nobis. *Quæcumque*, inquit Apoſtolus ſcripta ſunt, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Semel vocauit Dominus Lazarum, & ſuſcitatus eſt à morte corporali. Sæpiùs nos vocat, vt meliùs reſurgamus à morte animæ. Semel ei dixit, *Veni foras*, & ſtatim prodijt ad vnum Domini præceptum. Quotidie nos Dominus per ſcripturã inuitat ad confeſſionem, hortatur ad emendationem, promittit vitam quam dare paratus eſt nobis, qui mortem non vult peccatoris. Negligimus vocantem, ſpernimus inuitantem, cõtemnimus promittentem, Inter Deum & diabolum tanquam inter patrem & hoſtem conſtituti, paternis monitibus ad vitam hoſtiles præponimus ad mortem. *Non ignoramus*, inquit Apoſtolus, *aſtutias Sathanæ*: aſtutias, inquam, illas eius maximas, quibus nos ad peccatum inducit, & ab emendatione retrahit. Peccatum ſuggerens, duobus nos exuit, quibus illi maximè poteſt reſiſti, timore ſcilicet, ac pudore. Quod enim vitamus, aut timore cuiuſque damni, aut reuerentia pudoris dimittimus. Honeſti quippe viri pluſquàm rerum cauent detrimentum, ſicut econuerſo inhoneſti faciunt. Cùm ergo Sathanas quemlibet ad peccatum impellit, facilè hoc efficit, ſi primo illum ti-

more, vt diximus, & pudore priuauerit. Cùm autem id effecerit, eadem ei reddit quæ priùs abstulit, vt sic eum à confessione retrahat, & in peccato suo mori faciat. Tunc ei latenter susurrat in animo: Leues sunt Sacerdotes, &, difficillimum est compescere linguam. Si hoc vel illud talibus confitearis, secretum esse non poterit: & cùm in notitiam venerit, imminebit periculum, vel incurres famæ detrimentum, vel damnum te sustinere, vel confundi necesse est ex vilitate. Sic misero diabolus illudens, cùm ea primum ei abstulerit, quæ per peccatum vitare debuit, eadem postmodum ei reddidit, per quæ ipsum in peccato detinere possit. Timet captiuus temporale, non animæ damnum. Erubescit homines, contemnit Deum. Pudet hoc in notitiam hominum venire, quod non puduit eum in conspectu Dei, & totius Curiæ supernæ committere. Formidat humanum iudicium, qui non veretur diuinum. De quo Apostolus ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Et per semeipsam Veritas: *Nolite,* inquit, *eos timere qui occidunt corpus, animæ verò non habent quid faciant: sed potiùs timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehennam.*

SVNT animæ morbi, sicut & corporis. Et ideò diuina pietas medicos vtrisque sanandis prouidit. Ipse quippe Dominus Iesus se spiritalem Medicum appellans, ait: *Non est opus valentibus Medico, sed malè habentibus.* Huius locum Sacerdotes in Ecclesia tenent, quibus tanquam animarum medicis peccata confiteri debemus, vt ab eis satisfactionis cataplasma sumamus. Qui mortem corporis timet, qualicumque corporis parte patiatur, quantumque secreta, quantumlibet obscœna, medico reuelare, & ad curandum exponere, non differt. Quælibet dura, quælibet aspera sustinet, vt mortẽ differat, non euadat. Quicquid pretiosum habet, dare non dubitat, vt ad modicum mortem hanc corporalem depellat. Quid ergo pro morte animæ faciendum est, quantumcumque sit grauissima, sine magno labore, sine magnis sumptibus imperpetuum medicari potest. Nos ipsos Dominus, non nostra quærit, nec nostris indiget qui omnia præbet. Ipse quippe est, cui dicitur: *Bonorum meorum non eges.* Apud eum quisque tanto maior est, quanto apud se per humilitatẽ minor. Tantò magis iustus, quantò proprio iudicio magis reus. Tantò am-

Digitized by Google

pliùs ibi noſtra tegimus, quantò hîc ea prõptiùs per confeſſionem propalamus. Ab hac itaque, fratres, nos retinentes, attendamus quod ſcriptum eſt: *Eſt confuſio adducẽs gloriam, & eſt confuſio adducens peccatum.* Et rurſum: *Venienſque Babylonem, ibi liberaberis.* Confuſio quippe duplex eſt erubeſcentiæ. Altera quidem ſalubris, cum erubeſcimus nos turpia cõmiſiſſe in conſpectu Dei. Altera lethalis, cùm magis homines quàm Deum verentes ad confeſſionem venire nos pudet: vel quotiens aliqua humilia propter Deum agere recuſamus, ne viliores apud ſtultos habeamur. Hæc profectò confuſio eſt adducens peccatum, quia ne vileſcamus hominibus, vileſcere Deo ſuſtinemus. Illa verò confuſio veram nobis adquirit gloriam, qua vileſcere hominibus nõ refugimus, vt glorioſi Deo efficiamur, & magni diuino veriùs quàm humano iudicio ſimus. Ad hanc vtique Babylonem, id eſt confuſionem laudabilẽ cùm peruenerimus, vt de peccato ſcilicet erubeſcamus, ab ipſo ſtatim liberabimur, parati iam ad confeſſionem, & condignam ſatisfactionem. Vnde & Pſalmiſta: *Delictũ meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, &c.* Delictum ſuum cognitum Deo facit, qui Vicario eius locum ipſius in Eccleſia tenenti confiteri peccatum nequaquam erubeſcit. Sicut enim ipſe in membris ſuis perſecutionem ſuſtinere vel beneficium ſuſcipere ſe teſtatur, dicens: *Saule, Saule quid me perſequeris?* Et, *Quod vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti*: ita & in vicarijs ſuis Sacerdotibus cognitũ ſibi fieri peccatum dicit. Quod ſtatim Pſalmographus exponens adnectit, *Et iniuſtitiam meam non abſcondi*, hoc eſt, non ſolum opera, verumetiam meritis nequitiam in confeſſione accuſans.

DIXI, *confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* hoc eſt, Stabiliui apud me, ac deliberaui iniuſtitiam meam confiteri Sacerdoti. Confitebor, inquit, aduerſum me, nullum alium in me indè accuſans. Sunt enim nonnulli, qui in ſua confeſſione, vt ſuam minuant culpam, alios magis trahũt in culpam, dicentes, ad ea quæ commiſerunt ab alijs ſe inductos & quaſi compulſos, ſiue diabolo, ſeu hominibus. Qualis quidem illa confeſſio fuit, cùm ille in vxorem, illa in ſerpentem culpam retorquens, ſe magis excuſare quàm accuſare videbatur. Vnde & ſtatim debitæ pœnæ ſententiam excipere

meruerunt. Iuſtus verò, qui ſicut ſcriptum eſt, in primordio accuſator eſt ſui, quo ſe amplius accuſat, eo ſe magis apud ſupremum ac miſericordiſſimum Iudicem excuſat; & veniam impetrat ſe accuſando, qui pœnam incurreret ſe excuſando. Vt enim Tullius in Rhetorica docet, Confeſſio peccati, quæ à Iudicibus pœnam inſtitutam ſuſcepit, apud ſuperiorem Senatus poteſtatem indulgentiam poteſt aſſequi. Iudices quippe à ſuperiori poteſtate inſtituti, & legibus iurati, pœnæ ſententiam non habent relaxare, ſed inferre. Superior autem poteſtas, cuius eſt tam legem promulgare quàm Iudices inſtituere, in arbitrio ſuo habet rigorem legis temperare, & pœnas inſtitutas miſericorditer relaxare. Non enim ſuper ſe habet poteſtatem quam metuat, vt non liberè miſericordiam cui decreuerit impendat. Quantò magis ſumma illa cœleſtis poteſtas, quæ de miſericordia illa cœleſti nos conſulens ait: *Euntes diſcite quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium: & iuſtitiam Dei plus quàm holocauſta.* Iuſtitiam Dei quaſi propriam eius dicit, quam ipſe ſibi, quod maximè ſuum eſt, & eum ſpecialiter decet, reddit: tùm ipſe videlicet miſericordiam impendit, quia maximè glorificandus eſt à nobis. Vnde & idem Propheta: *Et miſerationes*, inquit, *ſuper omnia opera eius.* Cùm autem præmiſiſſet, *Dixi, confitebor aduerſum me, &c.* ſtatim quaſi Deo ſibi apparente & appropinquante, ſermonem ad eum conuertit, & gratias agens dixit: *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Quiſquis enim iam paratus eſt ad confeſſionem, & ſuſcipiendam indè peccati ſatisfactionem, ex hoc ſtatim ſuo propoſito ita reconciliatus eſt Deo, vt ſi aliquo caſu præuentus hoc implere præpediatur, nequaquam de eius ſalute ſit deſperandum, cùm in eo non remanet quod totis appetit deſiderijs.

PRO hac ſcilicet impietate remittenda ſanctus etiam quilibet orat, tantò minus de ſe præſumens, quantò magis eſt humilis, & de ſe ampliùs ſollicitus attendens ſemper quod ſcriptum eſt: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Orat, inquit, in tempore opportuno, & orationi congruo: hoc eſt in præſenti vita tentationibus & ignorantijs plena. Vnde & illa eſt exhortatio Apoſtolica: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Qui etiam cùm maximis præmineret virtutib⁹, nec quid in ſe accuſaret, conſcientia eius reperiret; nequaquam tamen in hoc ſe iu-

Digitized by Google

ſtum eſſe cenſuit, qui in iudicio ſui errare potuit. *Sed neque meipſum*, inquit, *iudico*, hoc eſt, in nullo propria me arguit cõſcientia. *Sed non in hoc iuſtificatus ſum.* Hoc eſt, iuſtus eſſe ideò dicendus non ſum. Vt enim Salomon ait, *Stultorum infinitus eſt numerus, & eſt via quæ videtur homini iuſta: nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.* Et rurſum, *Quis poterit dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? In multis enim offendimus omnes.* Denique quicumque in infidelitate permanent, hoc eis accidit per errorem. *Qui autem*, ait *iudicat me, Dominus eſt.* Ac ſi diceret, Ille in iudicio mei non errat, & qualis ſim verraciter penſat, cuius oculis omnia nuda ſunt & aperta. Quòd ſi viri ſancti tantò minus de ſe præſumunt, quantò humiliores fiunt, nec pro ſeipſis quamuis iuſti ſint orare deſiſtunt: quid nobis miſeris faciendum eſt, quibus tantò ampliùs frequentanda eſt oratio, quantò nos magis recognoſcimus reos? Tantò ſollicitiùs ira Dei eſt placanda, quanto contra nos eius indignatio magis eſt accenſa? Quibus, ne quis forte deſperet de venia, reſuſcitatio prædicta Lazari in exemplo myſtico eſt propoſita. Vocatus à Domino ſtatim eſt viuificatus. Viuificato dictum eſt vt prodiret, nullaque eſt mora retardatus. Progreſſus foras, & adhuc ligatus, confeſtim à diſcipulis eſt abſolutus.

OREMVS itaque, fratres, Dominum, vt quod tunc in corpore mortuo eſt actum, ipſe compleat feliciùs in noſtris mortuis animabus. Ipſe per internam inſpirationem verum pœnitentiæ genitum immittat, quo pœnitens viuificatus à morte animæ reſurgat. Ipſe nos omni depoſito pudore ad confeſſionem promptos efficiat, qui hoc vnum erubeſcere debemus, ne quid turpe in oculis eius committamus. Ipſe per Eccleſiæ miniſtros ita nos abſoluere dignetur, vt nullis deinceps peccatorum vinculis conſtringi mereamur. Ipſe nos de peccatis ita hic ſatisfacere concedat, vt quid in futuro puniendum ſit, Iudex ipſe diſtrictus non inueniat, ſpes noſtra, ſalus noſtra. Cuius honor & imperium tam finem ignorat quàm principiũ. Amen.

IN EADEM DIE,

SERMO IX.

FERCVLVM *fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum. Media caritate constrauit propter filias Hierusalem.* Ferculum hoc loco à ferendo, id est portando, vehiculum dicitur, quasi lectica potentum vel infirmorum, quâ molliter deferantur. Ligna Libani, duo ligna sunt crucis. Libanus quippe candidatio interpretatur. Ligna itaque crucis, ligna sunt candidationis & emundationis nostræ: quia in illis verus immolatus est Agnus, cuius sanguine à peccatis mũdati sumus. Vnde & Apocalypsis ita meminit: *Hi sunt, qui lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Hæc ligna Libani, ex quibus Dominica Crux fuit composita cedrina; & ob hoc imputribilia esse dicuntur. Vnde Hieronymus in Cantico Canticorum: Ferculum Crucis secundum Historiam de lignis Libani cedrinis factum est. Quid autem per hæc imputribilia ligna, nisi Dominicæ passionis perpes memoria in cordibus fidelium est expressa? Quam præcipuè nobis Dominus commendans ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Apostolus: *Quotienscumque*, inquit, *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Hæc Domini passio dum per prædicatores annunciatur, quasi quodam ferculo atque vehiculo Crucis verus Salomon per mundum defertur.

CRVX itaque duobus lignis composita, vehiculum est Salomonis. Qui dum crucifixus prædicatur, in ipsa cruce tanquam vehiculo, vt dictum est, quodam vbique circumfertur. Hoc vehiculum ipse sibi Salomon fecit, qui bonis operibus Iudæos in inuidiam accẽdẽs, ipsos ad hoc commouit vt eum crucifigerent. Quod nequaquam factum est per illorum coactionem, sed tantummodo per eius præmissionem, atque optimam ipsius dispensationem. Ipse quippe est qui ait: *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam.* Et rursum: *Potestatem habeo ponendi animam meam, &c.* Ferculi columnas ipse idem fecit ar-

Digitized by Google

genteas, quæ ſunt Apoſtolicæ prædicationis eloquia, & de ore ipſius accepta documenta. De quibus eloquiis Pſalmiſta prædixerat: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum.* Caſta eorum prædicatio dicitur, quia ſicut vnus eorum dicit, non erant adulterantes verbum Dei, quia prædicationem ſuam gratis impendebant: non ſpe alicuius terreni lucri vendere intendebant, nec ſe in pretio more adulterarum ſiue meretricum ponebant. Argentea dicuntur Apoſtolicæ prædicationis verba, quia claritatem habent intelligentiæ, non obſcuritatem velaminis, ſicut lex & Prophetiæ, quę myſticis magis quàm apertis vtuntur verbis. Hæc tanquam columnæ ferculum ſuſtentant, & Dominicam crucem corroborant, dum paſſionis Dominicæ Crucis virtutem annuntiant. Et quod dicunt edixerunt. Vnde benè per excellentiam eloquia dicuntur, quaſi extra ceteras ſacræ doctrinæ locutiones, quibus ſunt ex vtilitate longè commodiores. Omnis quippe locutio ad intelligentiam eſt accommodata, & propter eam in auditore faciendam etiam reperta, & ad hoc vnum inſtituta. Quælibet itaque verba quò intelligibiliora ſunt, & ita quod debent magis efficiunt: cęteris vtique præponenda ſunt.

SICVT autem Apoſtolicæ prædicationis verba columnas ferculi diximus, ſic & ipſos ex virtute verborum ſuorum, vel gratia miraculorum eis collata, qua corroborant ſua dicta, columnas nouimus appellatas. Vnde & vnus eorum, nomen cuius ſuprà meminimus, Galatis ſcribit: *Iacobus, & Cephas Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe.* Reclinatorium dicitur, non lectus in quo iacendo moriamur, ſed loculus quidam in quem ſe reclinando qui ſedent paululum quieſcendo ſe refouent, & fatigatos ſe ad horam recreant. Reclinatorium igitur in ferculo à Salomone præparatum, ſomnus eſt Dominicæ mortis in Cruce, de quo ſcriptum eſt: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Hic ſomnus ſicut velociter aduenit, ità & velociter tranſijt. Scimus quippe Dominum hora ſexta crucifixum, circa nonam expiraſſe, & Pilatum miratum fuiſſe quod tam celeriter obierit, antequam latrones fractis cruribus mori cogerentur. Velox quoque ad tranſeundum iſte ſomnus fuit, quia citò Dominus reſurrexit. Quaſi ergo in reclinatorio Dominus obdormiuit, quia mortis ſomnum velocem & tranſitorium habuit. Somno, qui maxime feſſos recreat, mors fidelium comparatur, qui quantò

ampliùs hic pró Deo laborauerunt, ad maiorem requiem moriendo transire meruerunt. De hac igitur dormitione & matura eius resurrectione Psalmista in eius persona prædixerat. *Ego dormiui, & seporatus sum, & exsurrexi.* Dormit fidelis & separatur, quia moriendo ad illum requiem transit, qua maximè oblectatur, & eo iam Dei visione fruente, summum desiderium ipsius impletur. Vnde & Hieronymus de prædicta Christi dormitione ait: dormire Dei est, cùm vnigenitus Patris in assumpta carne mori pro nobis dignatus est. Cui⁹ mors rectè dulcis somnus prædictus est, ipso dicente per Hieremiam: *Ideò quasi ex somno excitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi.* Aureum dicitur reclinatorium Salomonis, quia cùm sit preciosa mors Sanctorum in conspectu Domini, preciosissima dicenda est Christi, quem non solummodo sanctum, verumetiam constat esse Sanctum Sanctorum. Quanti quippe pretij mors illa est dicenda, quæ in nostræ Redemptionis pretium data vitam omnibus emit, & Paradisi ianuam aperuit? Vnde bene hoc singulare precium excellentiori metallo est comparatum, vbi reclinatorium est descriptum aureum.

Ad quod denique reclinatorium ipsius, Salomon purpureum aptasse memoratur ascensum: & horum media, tam reclinatorium scilicet quàm ascensus purpurei, interposita caritate constrauisse, & tanquam hæc sibi coniunxerit illius interpositione. Ascensus iste purpureus ad illud reclinatorium iam in Christo completum, nobis etiam ab ipso est factus; cum per eius exemplum & exhortationem malis resistimus vsque ad sanguinis effusionem, & sic tanquam purpureum ascensum ad supernæ quietis, quò iam ille præcessit, peruenimus reclinatoriũ. Sed quia humanæ infirmitatis non est, mortem excipere, sed naturaliter fugere, caritate media hic ascensus & illud reclinatorium sibi coniunguntur, quia nullus hominum in tanto agone persisteret vt illuc perueniret, nisi caritas, quæ omnia suffert, omnia sustinet, interueniret. Denique cum adiungit propter filias Hierusalem hunc ascensum ad reclinatorium fieri, vel media eorum caritate consterni: patenter innuit per hanc caritatis interpositionem, hoc tam arduo ascensu illuc conscendere nostram infirmitatem. Quod enim filias dicit potiùs quàm filios, ex infirmiori sexu humanam exprimit imbecillitatem. Sicut filiæ Babylonis animæ intelliguntur reprobæ, sic filiæ Hierusalem

Digitized by Google

lem electæ. Duæ quippe ſunt iſtæ ciuitates Dei & diaboli, quarũ hæc in malo, ſicut illa generat in bono. Poteſt etiam quod dicitur, *media caritate*, accipi intranſitiuè: ad eundem caſum, ſ. ablatiuum, ſibi ſociantur ſubſtantiuum & adiectiuum. Et tunc quidem ita eſt legendum, quòd illum aſcenſum purpureum media caritate conſtrauit, dum eius videlicet gradibus eam interpoſitam inſeruit. Tres quippe ſunt gradus, quibus ad ſupernæ quietis reclinatorium conſcenditur; fides videlicet, caritas, & ſpes. Primus itaque gradus fides eſt, ſecundus caritas, tertius ſpes habetur. Non enim rectè ſperanda eſt illa felicitas, nec de ea confidendum, niſi cùm eam ex caritate meruerimus: nec caritas haberi poteſt, niſi fide præeunte, tanquam omnium bonorum fundamento. Caritas ergo his duobus extremis gradibus quaſi media inſeritur, quia de fide ad caritatem, de caritate ad ſpem, vt diximus, eſt procedendum. Quod quidem eſt, aſcẽſum illum purpureum media caritate conſterni.

His igitur præmiſſis de illo ſ. ferculo Salomonis, & reclinatorio aureo, & aſcenſu purpureo, filiabus Hieruſalem per Chriſtum præparato, ipſæ filiæ conſequenter inuitantur egredi ad videndum ipſum Salomonem in diademate ſuo. Sic quippe ſubinfertur. *Egredimini filiæ Sion, &c.* Vt enim in agone paſſionum viriliter pro Chriſto perſiſtamus, ipſe ſemper prę oculis eſt habendus, & eius paſſio nobis ſemper eſſe debet in exemplo ne deficiamus. In cuius videlicet paſſionis recordatione, ipſe corporis & ſanguinis ſui ſacramenta frequentari præcepit in Eccleſia, vnde & Apoſtolus: *Dominus*, inquit, *Ieſus qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem. Quotienſcumque manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Sed quid prodeſt nobis hoc in noſtram reducere vel aliorum memoriã, niſi ſic ei compatiamur, ſicut idem dicit Apoſtolus, vt & cõglorificari reſurgẽdo mereamur? Alioquin illud terribile iudicium incurremus, quod ipſe conſequenter adnexuit, dicẽs: *Itaque qui manducauerit vel biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Qui enim maducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Per aſcenſum, vt dictum eſt, purpureum condeſcendendum nobis eſt ad reclinatorium aureum; quia niſi cõmunicemus paſſioni Chriſti, parti-

cipes nõ crim⁹ ſuę reſurrectionis. quod vt eo trahẽte poſſimus, ipſe manum porrigat, qui vt conſcendamus inuitat, Amen.

IN EADEM DIE, SERMO X.

EGREDIMINI *filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate ſuo quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die Lætitiæ cordis eius.* Quò egredi admoneantur filiæ Sion, ipſe textus Cantici Canticorum ex illis quæ præmiſſa ſunt patenter inſinuat. Cum enim dixiſſet, *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani*, atque ipſum miraculum quàm mirabile fuerit diligenter deſcripſiſſet, ſtatim filias Sion egredi hortatur ad ipſum Regem in hoc ferculo ſuo conſpiciendum. Hæ verò ſunt ipſæ, quas in proximo dixerat filias Hieruſalem, cùm ait: *Media caritate conſtrauit propter filias Hieruſalem.* Quas tanquam ad conſcendendum in ipſum ferculum admonens, iubet eas egredi, vt in ipſo ferculo Rege conſpecto eius amore ad eum aſcendere niterentur in ipſum eius feretrum, hoc eſt eius imitatione crucem eius tollendo, ſicut ipſemet admonet dicens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, hoc eſt, paſſiones ſuſtinens me imitetur. Filiæ itaque Sion, id eſt Hieruſalem, non Babylonis, fideles animæ ſunt, quæ ad ciuitatem Dei tanquam ciues pertinent, non diaboli. Has tanquam filias vera Hieruſalem, hoc eſt mater Eccleſia Deo parit vel generat, dum eas prædicando inſtruit, vel baptizando regenerat. Vnde & Apoſtolus tam matri quàm patri ſe comparans ait: *Filioli mei, quos adhuc parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* Et rurſum: *Nam & ſi multos habetis pædagogos, ſed non multos patres. In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.* De hac matre noſtra, cuius conuerſatio in cælis eſt, & per deſiderium ſemper ſurſum inhabitat, idem Apoſtolus ait: *Illa autẽ, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.*

HVIVS itaque Sion prædictas filias Salomon exhortatur egredi, vt verum Salomonem noſtrum, id eſt Chriſtum, egreſſæ mereantur videre. Egreſſæ, inquam, maximè de terrena conuerſatione, vt in his tam ſanctis diebus Dominicæ paſſionis per abſtinentiam carnem macerantes, crucem eius tollamus: attendẽ-

Digitized by Google

tes quod ſcriptum eſt, quia *ſi compatimur, & conregnabimus. Qui enim dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.* Mactantes in nobis vitia, nos ipſos præparemus tanquam hoſtiam viuentem & Deo placentem. Nemo enim ad eius hoſtiam, quę nũc generaliter Paſcha imminente vniuerſis proponitur Chriſtianis, dignè accedere poterit, niſi ſe ille prius talem, vt diximus, hoſtiam præparauerit. Alioquin de menſa vitæ mortem ſumemus, & quaſi pro cibo venenum hauriemus. Vnde & Apoſtolus Corinthijs ait: *Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Idem ad Hebræos: *habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Quorum enim animalium inferetur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes. Non enim hic habemus manentem ciuitatem, ſed futurum inquirimus.* Altare noſtrum altare Chriſti eſt, in quo ſacrificium eius celebramus, immò ipſum in ſacramento proprij corporis & ſanguinis patri offerimus. De quo ſ. altari edere non habent qui tabernaculo deſeruiunt, quia de hoc tanto ac ſpirituali ſacrificio digni ſumere non ſunt qui carnaliter viuunt. Tabernaculum quippe dicit huius mortalis corporis, quod nunc habemus habitaculum, quod diſſolubile eſt atque infirmum, ſicuti tabernacula, id eſt vmbracula paſtorum vel peregrinantium, quæ non ſunt firmæ domus ac ſtabiles, ſed mobiles, & ad modicum inhabitandæ manſiones. Tabernaculo ergo deſeruit, qui mortalis carnis concupiſcentijs obedit. Regendum eſt corpus, & caro ſpiritui ſubiicienda, ſeruire potius quàm dominari digna. *Quorum enim*, &c. Ac ſi apertè dicat: Benè dixi eos nequaquam ſacrificio Chriſti dignos, qui tabernaculo deſeruiunt, hoc eſt, carnalibus indulgent concupiſcentijs. Hoc enim & in ſacrificio veteri, quod figura noſtri fuit, Dominus præſignare decreuit, cum animalium corporibus extra caſtra in heremo crematis, purus eorum ſanguis offerretur à Pontifice in Sancta ſanctorum. San-

guis quippe, in quo maximè vita carnis consistit, iuxta illud Moysi, *quia anima omnis carnis in sanguine est*, bona fidelium vita vel anima est. Quod quidem per Pontificem Christum, qui pro nobis interpellat, quasi sacrificium offertur in Sancta Sanctorum, quod est secundum tabernaculum, dum dignando efficitur, vt ad supernam mansionem assumatur, vbi pura & perfecta est sanctitas, per Sancta Sanctorum significata. Sed vt hoc fiat, necesse est priùs in hac vita horum animalium corpora cremari extra castra: hoc est carnem affligi atque macerari zelo diuini amoris nobis sic extra castra positis, hoc est extra voluptates carnis constitutis. Hæ quippe voluptates quasi quædam castra vel carceres animæ sunt, qui ipsam constringunt & comprimunt, ne se omnino erigat ad superna, & liberè toto affectu surgat ad cælestia. Propter quod etiam significandum ipse noster Pontifex passus est extra portam, hoc est extra sepia Hierusalem, non intra: vt videlicet significaret non aliquos per suum sanguinem sanctificandos atque redimendos, nisi qui, vt dictum est, extra castra positi, id est voluptates carnis, ipsum imitarentur. Ad quod consequenter nos adhortans Apostolus, ait: *Exeamus igitur*, hoc est, imitando eum sequamur, extra castra, vt determinatum est, facti: vt eum apprehendere possimus in supernis. Improperium hoc est pati, pro eo quæcumque probrosa vel turpia tolerare, sicut & ipse pro nobis nulla respuit perferre. *Non enim &c.* Exeamus, inquam, ad eum relictis castris, hoc est properemus ad ipsum peruenire per quęcumque aduersa, postpositis voluptatibus carnis; quia non habęmus in hac vita stabilem mãsionem, nec ad hanc vitam creati sumus, sed futurã, quæ indeficiens est, apprehendere nitimur.

Qvod igitur Apostolus hoc loco nostrum exire dicit, hoc Salomon superiùs nostrum egredi præsignauit, dicens: *Egredimini filiæ Sion, &c.* Tanquam si diceret, egredimini mente semper ad eum conspiciendum, qui extra portam crucifixus pro vobis, vestrum factus est sacrificium. A nobis ad eum egredimur, cùm abrenuntiãtes proprijs voluptatibus, eius voluntati nos dicamus, & eum imitando sequimur; qui patri vsque ad mortem obediens ait: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Hoc vtique modo crucem post Iesum portamus, quod de illo Simone Cirenæo Lucas

refert, cùm vſque ad mortem in eius obedientia perſiſtere parati ſumus, crucifigentes corpora noſtra cum vitijs & concupiſcentijs, ſicut & Apoſtolus præcipit. Simon quippe obediens interpretatur, qui poſt Chriſtum crucem eius baiulans eos ſignificat, qui per imitationẽ eo vſque Chriſtum ſequuntur, vt conſummatam obedientiam vſque ad mortes ei exhibere parentur. De qua profectò perfectione obedientiæ etiã ipſe Simoni Petro ait: *Sequere me*, vt videlicet id quod ille Simon Cirenæus egit in miniſterio, iſte Simon Petrus Eccleſiæ typum gerens conſummaret in facto. Refert ſuprà memoratus Euangeliſta, quòd Simone poſt Ieſum Crucem eius baiulante, ſequatur illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Non enim hic Simon ſolus per paſſionem Chriſtum imitatur, verùm innumera fidelium multitudo tam in viris quàm in feminis per martyriũ Chriſtum ſequitur, & ad Deum extra portam paſſum hoc modo egrediuntur. Quem & nos hodie egreſſum præſentamus, cùm de vrbibus, vel caſtellis, aut villis, Clerus pariter ac populus cum ſanctuario Crucem adorare procedunt in campo, ipſa videlicet die qua primùm in anno Dominica recitatur paſſio. Qua quidem generali fidelium proceſſione, tanquam ad Dominum extra portam paſſum egredientes, paſſionis ipſius nos memores eſſe profitemur, quaſi eum præ oculis crucifixum pro nobis aſpicientes. Ad quem vtique aſpectum admonemur cùm dicitur, vt poſt egreſſum noſtrum videamus Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua: mater, inquam, ſua, hoc eſt Iudæa, de qua ipſe natus eſt ſecundum carnem.

DIADEMATE *coronauit eum*, hoc eſt, ad modum victoris eum exaltauit, qui in ipſa morte maximè de diabolo triumphauit. De hac exaltatione in ipſa crucis ſuſpenſione, ipſemet Nicodemo ait: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Legimus & à Iudæis ipſum Dominum corporaliter ſpinea corona eſſe coronatũ. Quod cùm illi ad irriſionem & pœnam intenderent, myſteriũ ignari geſſerunt rei conuertendæ in gloriam. De qua & Pſalmiſta dudum prædixerat: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Quod quidem

teſtimonium Apoſtolus proſequens, Hebræis ſcribit: *Eum autem, qui in modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum per paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Scriptum quoque eſt in Ioanne, quia *exiuit Ieſus portans ſpineam coronam*: vt etiam iuxta litteram nobis ad eum ſit exeundum, ſicut prædictum eſt, in diademate ſuo videndum.

SIVE ergo coronatus, ſiue crucifigendus exire Chriſtus memoratur, vt reprobatis Iudæis, qui in eum iſta commiſerunt, gratiam ſuam præſignaret tranſituram in latitudinem Gentium, vbi videlicet crucifixionis ſalus, & exaltatio ipſius in acquiſitione multorum populorum vno Iudęo reprobato, ſeſe dilatauit. Vnde & benè hodie ad crucem eius in campo adorandam procedimus, in hoc myſticè demonſtrantes, tam gloriam quàm ſalutem de Iudæis egreſſa eſſe, & in Gentibus ſeſe dilataſſe. Quod autem poſtmodum reuertimur ad loca noſtra, vnde fueramus egreſſi, ſignificat in fine mundi ad Iudæos redituram gratiam Dei: quando videlicet per prædicationem Enoch & Heliæ conſtat eos conuertendos eſſe. Vnde & Apoſtolus. *Nolo*, inquit, *vos ignorare, fratres, quia cæcitas ex parte contingit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob.* Vnde & ipſum Caluariæ locum, quo Dominus crucifixus eſt, nunc intra ciuitatem nouimus contineri, cùm priùs extra fuerit. *Coronauit*, inquit, *eum mater ſua in die deſponſationis illius.* Tunc enim magna iocunditas Regibus exhiberi ſolet, quando deſponſatis vxoribus ſollemnia celebrant nuptiarum. Dies autem Dominicæ crucifixionis quaſi dies ei fuit deſponſationis, quia tunc Eccleſiã veraciter ſibi quaſi ſpõſam ſociauit, cùm eodem die animas fidelium ad inferos deſcendens, hoc in eis indè aſſumptis compleuit, quod latroni promiſit dicens: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Hæc itaque dies deſponſationis dies lætitiæ illi fuit, quando illud ad quod venerat, & quod maximè in eius deſiderio erat, in ſalute credentium compleuit.

LAETITIAE, inquit, *cordis eius*, quia tanquã triſtis in corpore fuit, in quo moleſtias doloris tolerauit: ſed dum caro triſtitiam doloris afferret de his quæ inferebantur exteriùs, cordis. id eſt animæ, ſumma exultatio erat inferiùs, de noſtra ſcilicet ſalute, quam ſic operabatur. Vnde & cùm ad

Digitized by Google

crucifigendum exiret, benè mulieres ſuper eum lamentantes compeſcuit, dicens: *Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Tanquàm ſi diceret: non eſt propter me dolendum in his paſſionibus, tanquã hinc aliquod incurrant damnum; ſed potiùs vobis imminet ſuper vos ipſas & filios veſtros, grauiſſima vindicta, quæ in me committuntur plexuros. Sic & nobis, fratres, ſuper nos potiùs quàm ſuper ipſum flendum eſt, quòd ea .v. commiſerimus ex culpa, quæ ille tam grauiter portauit in pœna. Sic de ipſo gaudeamus cũ ipſo, vt de noſtris doleamus offenſis, quod huius ſ. ſeruorum reatus commiſerit, quod innocens Dominus tantã pœnam ſuſtinuit. Ipſe nos docuit flere nos ipſos, qui numquam ſe flere legitur; ſed nos fleuit Lazarum ſuſcitaturus, pro cuius ſuſcitatione honor hodiernus eſt ei à turbis exhibitus. Fleuit & hodie cùm à turbis exultantibus ſuſciperetur, ſicut Lucas meminit, dicens: *Et cùm appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ deſcendentium gaudentes laudare Deum voce magna, ſuper omnibus quæs viderat virtutibus dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelſis. Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, &c.* Fleuit Lazarũ, quem de refrigerio & ſinu Abrahæ reuocaturus erat ærumnis præſentis vitæ. Flebat ruinam ciuitatis noſtra videlicet damna, non propria. Vtinam ſic nos mala noſtra deplorare poſſemus ſicut & ille, ſic ſolliciti de nobis eſſemus ſicut ipſe. Qui de ipſo lætamur tanquam de Saluatore noſtro, cuius morte redempti ſumus, ſuper nos defleamus, qui quod ille tam grauiter plexus eſt commiſimus. Egredientes itaque ſemper mẽte ad eum, vt diximus, & ipſum ſic pro nobis coronatum memoriter intuentes, ſequamur ipſum, crucem eius tollentes. Quòd ſi iam in eo tempore non ſumus, vt pro eo mori cogamur: quotiens tamen nos pro ipſo affligimur, crucem eius tollimus. Crux quippe à cruciando dicta eſt. Crucem eius tollimus, cùm quaſlibet aduerſitates pro eo ſuſtinemus, vel abſtinentiæ virtute carnem noſtram macerando, dominio ſpiritus eam ſubijcimus. Quod his præcipuè diebus nobis eſt prouidendum, quibus ſpiritaliter nos præparari conuenit, ad ipſum Dominum in ſacrificio propriæ carnis & ſanguinis ſuſcipiendum. Certè, ſi quis potentum vel amicorum hoſpitio

ſuſcipiendus à nobis expectaretur, cum omni diligentia domũ noſtram præpararemus, ne quid immundum vel indecens oculos intrantis offenderet. Quanta igitur cura, quanto ſtudio prouidendum eſt, ne ipſum creator ac redemptor à nobis, vt diximus, ſuſcipiendus, immundum reperiat habitaculum; cùm propriã iniuriam tantò grauiùs vindicet, quantò amplius poteſt ac debet? Et quoniam eius quoque eſt gratiæ in nobis ſibi manſionem parare, ipſe ſibi hanc præparet, qui hoc nobis ſacrificium ad ſalutem inſtituit, non ad iudicium, Amen.

DE REBVS GESTIS IN DIEBVS PASSIONIS.

SERMO XI.

QVo magis noſtræ Redemptionis tempus, & Dominicæ Reſurrectionis appropinquat ſolemnitas, crebriùs ædificandi ſacris exhortationibus ſumus; vt tantis beneficijs digni reperiamur, & redemptionis participes ſimus, & reſurrectionis conſortes. Et quoniam plerumque ipſa rerum geſtarum hiſtoria deuotionẽ ſimplicium excitat magis quàm myſtica; iuuat ſecundum litteram omni dulcedine refertam, omni pietate plenam, ea quæ Dominus his diebus geſſit referendo contexere, & ad exhortationem noſtram in mentem reducere. Refert itaque Ioannes, quòd reſuſcitato Lazaro multi Iudæorum, qui hoc viderant, crediderunt in Ieſum. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus. Collegerũt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant, *Quid facimus, &c.* Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Interficerent, inquam, mortuos ſuſcitantem, & pro vita reddita mortem inferrent. Oœci pariter & peruerſi! Nunquid qui vitam reſtituit mortuus, à morte ſibi non poteſt prouidere, & machinamenta veſtra ſi velit diſſoluere? Et de poteſtate quidem eius non ambigitis, quem totiens in his vel in alijs experti eſtis. Alioquin non tanquam ignarum dolo tenere ad occidendum cogitaretis, ſed ipſum vi comprehenderetis. Sed quàm ſtultè hoc veſtrum conſilium & peruerſam cogitationem eum latere credatis, Euangeliſta patenter oſtendit. Cùm enim præmiſiſſet: *ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum,*

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim hoc eum nequaquam ignorare patenter inſinuat, dicens: *Ieſus ergo non iam palam ambulabat apud Iudæos, ſed abijt in regionẽ iuxta deſertum in ciuitatem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.* Quod itaque percutionem ſcienter ad horam declinat, nequaquam hoc per ignorantiam, ſed per diſpenſationẽ ab eo fieri conſtat. Nondum quippe tempus aduenerat, quo in eum iſta compleri deberent. Propterea paſſionem declinando diſpenſatione, vt dictum eſt, magis quàm timore, nos exemplo ſui reuocat à præſumptione: ne forte Deum tentando, certo nos quando non oportet obijciamus periculo. Quod enim ad hoc eum nequaquam metus impulerit, vt videlicet paſſionem declinans ad prædictum locum ſecederet, ibíque cum diſcipulis ſuis moraretur, ſequentia declarant cùm dicitur: *Proximum autem erat Paſcha Iudæorum.* Et rurſum: *Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet vt apprehendant eum. Ieſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam.*

ATTENDITE, fratres, quid illa velit concluſio, qua dicitur, *Ieſus ergo, &c.* & vnde iſta pendeat illatio: & videbitis Domini, vt dictum eſt, non timorem, ſed diſpenſationem. Præmiſſo quippe, quia proximum erat Paſcha, in quo ipſe poſtmodum ſe tradendum nouerat, dicens: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Et hoc inſuper adiuncto, quia *dederant Pontifices & Phariſæi mandatum, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet vt apprehendant eum*: ſtatim ſubinfertur; *Ieſus ergo ante ſex dies Paſchæ, &c.* Ac ſi apertè dicatur: Quia tempus paſſionis appropinquabat, & ad hoc perficiendum iam omninò Iudæi conſpirauerunt: ergo ipſe Dominus ad hoc ſe iam præparat intrepidus, & Hieroſolimam accedit, vbi ſe nouerat eſſe paſſurum, vt de ſe iam Iudæis præbeat facultatem ad peruerſam eorum complendam voluptatem, vt cùm ſua damnatione noſtram operarentur ſalutem. Venit quidam à prædicta regione iuxta deſertum, vel in ciuitatem gentium, quæ dicitur Effrem, tanquam per hoc etiam ad literam compleret illam orationem propheticam: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Quid enim petra deſerti niſi gentilitas eſt à Deo derelicta, cuius per gratiam mundi in amorem ſui Dominus emollierat corda? Hunc etiam locum tanquam petram Dominus inhabitabat, in quo ſibi tutum ac firmum habitaculum prouiderat. Inde igitur Agnum ſuum Dominus mittit ad montem Syon filiæ ſuæ, quando Chriſtus à prædicta gen-

tium ciuitate iuxta deſertum ſita Bethaniam primò venit. Deinde paſſurus Hieroſolymam peruenit in monte Sion poſitam. Quam profectò ciuitatem quaſi filiam Deus olei habuit, cùm eam ceteris per gratiam extulit, vt ſpecialiter ipſa nuncupetur ciuitas ſancta, tàm videlicet Dei templo quàm ſanctuario adornata, & in capite regni conſtituta.

ANTE ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, inde in craſtino, id eſt quinto die ante Paſcha proceſſurus Hieroſolymam; vt tempore quo decebat myſtici Agni perageret ſacramenta, ſicut iam ſuperiùs in alio ſermone meminimus. Cùm autem Dominus Bethaniam veniſſet, fecerunt ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat. Lazarus verò erat vnus ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici precioſi, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Qui verò cœnam iſtam parauerint, vbi Lazarus cõuiuatur, Martha cibum, Maria miniſtrat vnguentum, Euangeliſta non exprimit; quia per has perſonas quas nominat ſatis inſinuatum intelligit. Vt enim de Lazaro taceamus, nequaquam congruũ erat, vt ſanctæ feminæ in domo alterius, vel de alienis miniſtrarent ſumptibus. Conuiuatur Lazarus cum Domino, vt bina eius probetur reſurrectio. Vnde & Hieronymus in II. contra Iouinianum, de ipſo Domino ait: Comedit quidem poſt reſurrectionem, vt veritatẽ ſui corporis cõprobaret. Nam quotienſcumque mortuum ſuſcitauit, iuſſit ei manducare dari, ne reſuſcitatio phantaſma putaretur. Et Lazarus poſt reſurrectionẽ ob hãc cauſam ſcribitur cum Domino iniſſe conuiuiũ. Benè autem mulieres, quę Dominũ ſuſcipiunt quem viri perſequuntur, & eum inſuper reficientes, generale maiorum Chriſtũ perſequentium non verentur edictum. Quæ, vt diximus, Chriſto miniſtrantes, fratre ipſarum Lazaro recumbente, tantò feliciùs in anima inſinuantur ſuſcitatæ, quanto maiore Chriſto aſſiſtere monſtrantur deuotione.

LEGIMVS Dominum miniſtraſſe menſis diſcipulorum, ſicut & ipſe profitetur, dicens: *Nunquid maior eſt qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat.* Solas autem feminas Scriptura cõmemorat Domino miniſtraſſe. Nouimus & ipſum pedes diſcipulorũ abluiſſe, nullũ autem virorum hoc ei obſequium exhibuiſſe; ſed ſolam peccatricem illam, quæ pœnitentiæ lacrimis pedes eius lauit, capillis terſit, vnguentis recreauit. Nec ſolum pedes, verũ etiam caput

Digitized by Google

ipſius mulier inungens,corporaliter eum Chriſtũ fecit, & tam Regis quàm Sacerdotis in eo ſacramẽta peregit. Attendite viri humilitatem Domini ita vt diximus miniſtrantis : perpendite feminæ dignitatem veſtram, quæ ſic ei in omnibus miniſtrare meruiſtis. Quòd verò ſæpiùs pedes Chriſti mulier vnxiſſe perhibetur,patenter innuitur nequaquam eum calciatum incedere, cuius pedes ad vngendum ita inuenirentur parati ; cùm tamen ipſe diſcipulis ſandaliorum calciamenta indulſerit. Ex quo apertè iuxta literam patet, quia duras habuerit vias , de quibus ipſe ad patrem loquitur: *Propter verba labiorum tuorum, &c.*

Qvod verò in craſtino de Bethania primo Betphage ad mõtem Oliueti venit,deinde Hieruſalem peruenit; nequaquam à myſterio vacat.Betphage quippe viculus eſt ſacerdotum, & interpretatur domus buccæ, ſicut Bethania domus obedientiæ. De Bethania itaque Betphage venitur, quia ſolus is dignus eſt prædicare,qui priùs didicerit obedire; vt antè diſcipulus fuerit obſequendo,quàm magiſter fiat præcipiendo.Benè autẽ hic viculus ſacerdotũ,hoc eſt prædicatorum,ad montem Oliueti eſſe deſcribitur ; quia qui tales vt diximus fuerint,altiores in Eccleſia tam dignitate ordinis quàm meritorum habentur. Vnde & Dominus: *Qui autem fecerit & docuerit ſic homines,hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Oliuetum quoque,quod oleum miniſtrat, ſanctis prædicatoribus rectè congruit. Oleum quippe de igne, quem nutrit,lucem ſpargit:& prædicatores ſancti igne caritatis accenſi tanquam lucerna ſunt ardens & lucens : ardens videlicet in ſe,lucens alijs, qui eorum illuminantur prædicatione.Lucas verò refert quòd cùm appropinquaret iam Dominus ad deſcenſum mõtis Oliueti, cœperunt omnes turbæ deſcendentium gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus quas viderant virtutibus,dicentes: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini:pax in cælo, & gloria in excelſis.* Benè autem deſcendens de monte Dominus à turbis glorificatur ; quia niſi ſe quis humiliauerit,nequaquam meretur exaltari,ſicut & de ipſo ſcriptum eſt Domino: *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Deinde turbis ei, vt dictũ eſt,laudes acclamantibus,vt appropinquauit,videns ciuitatem, fleuit ſuper illam,dicens:*Quia ſi cognouiſſes & tu,quia venient dies, &c. Et non relinquẽt in te lapidem ſuper lapidem,eo quòd non cognouiſti tempus viſitationis tuæ.*

O SVMMA erga impios pietas, & incomparabilis erga crudeles benignitas! Inter laudes quæ ei dantur, & occurrentium gaudia turbarum, quæ tam sollicitè ab his exhibẽtur, non exultat laudibus, non congaudet gaudentibus: sed condolens perituris, quos à morte reuocare non valet, iam quasi mortuos deflet. Deplorat eorum mortem vt resipiscant, deterret ne pereãt. Ventura denunciat mala, per quod sibi prouidere possent à pœna. Dolet quòd non exauditur, deflet illorum casum, non contemptũ suum, qui saluare venerat, non perdere. Vnde & Iesus proprio nomine est vocatus. Deplorat supremam & irreparabilem gentis illius exterminationem per Romanos Principes, Titum videlicet ac Vespasianum futuram. Hi sunt duo vrsi, qui de saltu prodeuntes, quadraginta duos pueros perdiderũt, qui Heliseo de Hierico, vbi sanauerat aquas, ascendenti Bethel illudebant, dicentes: *Ascende calue, ascende calue.* Vrsi quippe siluestres, Principes sunt Gentiles à disciplina legis alieni, & à ciuitate Dei remoti, & more ferarum indomiti. Hos cùm Gentilitas mittit, quasi de inculto saltu prodeunt, quia de illo prodeunt populo, qui nullã diuinæ doctrinæ culturam nouerat. Qui dum imbellione Iudaici populi suam iniuriam intenderent vindicare, diuina hoc actum est dispensatione, vt Christi magis iniuriam punirẽt ignari quàm propriam. Sic quippe & de Assur Dominus ait: *Assur virga furoris mei, ipse autem non sic arbitrabatur.* Cùm enim per populum Assur Dominus in populo suo vindictam exercet, ipse Assur quasi virga est iræ Dei, hoc est flagellum vindictæ ipsius. Quòd tamen hoc diuina dispẽsatione geratur ignorat, quia hoc totum quod prævalet non diuinæ ordinationi, sed proprijs virtutibus ascribit. Tale quid & de istis Romanis Principibus Psalmista prævidens, exterminationem suæ gentis deplorabat, sic ad eum conquerens: *Quanta malignatus est inimicus in sancto?* Ac si diceret: O quantas malitias & abominationes ille Romanorum populus exercuit in ipso etiam Templo & Sãctuario diuino. Et gloriati sunt qui oderunt te verum Deum, tanquam idololatriç cultores, quia dæmones. Gloriati, inquam, in medio solẽnitatis tuæ, hoc est inter dies Paschales, quos tu ipse ad honorem tui solemnes instituueras. Iustũ quippe fuit vt Iudæi, qui in sollemnitate Paschali Christum occiderant, locum & gentẽ per eum amittere metuentes; in eadem sollemnitate capti per istos in perpetuum exterminarentur, vel omnino perderentur. Per istos, inquam, Vespasianum s. patrem, & Titum eius filium

Digitized by Google

punirentur illi,qui in Deum Patrem & eius Filium tam grauiter deliquerunt.Gloriati sunt de victoria quàm obtinuerunt, nescientes quòd propter peccata illius populi hæc Deus permiserit fieri. Vnde& sequitur.*Posuerunt signa sua*,hoc est vexella erexerunt,tãquam victoriæ signa.*Sicut in exitu*,hoc est more triumphantium, qui in portis captarum ciuitatum erigunt sua trophęa super summũ,hoc est in altiore loco ciuitatis, vnde magis ab introeuntibus vel exeuntibus conspici possint. Et cùm tanta Deo permittente agerent,non tamen cognouerũt,quid s. agerent,quia suam tãtum iniuriam vlciscí crediderunt,sed non diuinam:& suis viribus hoc magis potuisse,quàm promissione diuina,qua tradidit impios.

PVERI itaque paruuli,quos prædicti perdiderunt vrsi,quia illuserunt Helisæo,ipsi sunt Iudæi tanquam sensu carentes, neque per legem,neque per tot signa Christum cognoscentes,& sic à vera sapientia,quæ ipse est,alieni & in reprobum sensum traditi. Non enim taliter Christo illuderent ante crucifixionem, nec Pilato inclamarent, *Crucifige,crucifige eum*; Quod est quasi dicere Christo, *Ascende calue, ascende calue*. Cruxifixu quippe Christi ascensio est crucis.Caluum vocant,quem terrenis auxiliis vel opibus destitutum vident.Tale est ergo, *Ascende calue*, tanquàm si dicerent, Tu miser omnibus bonis destitute, qui te à nobis exaltandum esse prædixeras,veni huc,ascendẽs crucem exaltare. Hoc enim per ironiam illudentes dicebant,quod in veritate de exultatione crucifixi, & de electione gentium Dominus disponebat. Bene illi perditi pueri quadraginta duo fuisse memorantur, secundum videlicet numerum annorum, quos eis Dominus ad pœnitentiam indulserat. Quadragesimo quippe anno secundo à passione Domini, hæc eis calamitas accidit. Sed nec à mysterio vacat,quòd sanatis aquis Hierico Elisæus Bethel,hoc est ad domũ Dei ascendebat:cùm & Dominus in Ramis Palmarum Hierosolymam veniens,cùm per Hierico transiret,egressus indè duos cęcos sanauerit. Qui profecto antequam per Christum tam corpore quàm anima illuminarentur, & ob hoc eum sequerentur, quasi aquæ steriles erant, dum adhuc omni vento doctrinæ fluctuantes quid credere deberent certum non habebant,& ob hoc fructu spiritali carentes.

VT autem nostræ narrationis textum superioribus, quæ intermissa fuerant,copulemus,cùm,vt diximus,Dominus Hierosolymam veniens futuram ciuitatis ruinam deplorasset ac prædixisset,ciuitatem ingressus cum multo exultantium turbarum co-

mitatu ad templum tanquam propriam domum peruenisse refertur,& in ipso tam iustitiam quàm misericordiam exercēs,cùm indè negociatores potenter expulisset,cæcosque ibidem & claudos sanaret,ipsam Domini domum reconciliauit. Eiecerat iam alia vice tales de templo,quod solus Ioannes commemorat. Sed de hac vltima eiectione scribunt alij,quando videlicet facto flagello de funiculis omnes eiecit.Marcus verò refert hanc eiectionem non in Ramis Palmarum,sed sequenti die cùm rediret DominusHierosolymam,factam fuisse.In Ramis tamenPalmarũ ipse quoque Dominum commemorat intrasse templum, sed in eo nihil exegisse,nisi circumspectis omnibus quæ aderant,cum iam vespera esset in Bethaniam cum XII. rediisse.Quod igitur alij Euangelistæ,Mathæus s. ac Lucas,hoc prætermisso eiectionem illam commemorent,succinctè per anticipationem dixisse videntur, & ad ea quæ præmiserant congruè connexuisse. Mathæus quippè cum præmisisset Dominum dixisse discipulis , *Ite in castellum quod contra vos est, &c.* & Lucas retulisset Dominum ruinam ciuitatis defleuisse , consequenter exprimere curauerunt, quorum culpa præcipuè illa contrarietas vel ista ruina contingerent,hoc est sacerdotum vel ceterorum templi ministrorum.Vnde in ipso templo hanc in eos vltionem decreuit exercere , tanquam per hoc patenter insinuans eorum malitiam,& circa Deum negligentiam,horum quæ diximus causam existere.

PRIMO itaque cum magno comitatu turbarum laudes acclamantium templum ingressus,& omnibus circumspectis hinc egressus Bethaniam redijt,& in crastinum vt diximus hanc potestatem exercere distulit. In quo quidem nos moraliter instruit, & potentiæ suæ magnitudinem ostendit. Prius enim mala quæ corrigamus diligenter inquirere,& prænoscere debemus, quàm ea vindicemus,& per patientiam ad horam sustinere, ne præcipitanter sentētiam inferamus vindictæ. Vnde benè Dominus priùs conspicere voluit mala domus suæ, quàm in ea seueritatem exercere iustitiæ.Sicut enim & de ipsoGenesis refert,quòd cùm superbiam ędificantium turrem ex confusione linguarum vellet reprimere,& sic eos per regiones dispergere,priùs Dominus descēdit vt videret illam superborum stultitiam, quàm in eā daret sententiam. Sic & peccata Sodomæ & Gomorræ puniturus , *Descendam*,inquit, *& videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint , an non est ita,vt sciam.* Sic & hoc loco priùs in templo circumspectis malè agentibus, ostendit se cognouisse quid de-

Digitized by Google

beret vindicare. Exhibuit patientiam differendo vindictam. Noluit vindictam exercere, quasi prædictarum turbarum confisus ope, quo maior eius potestas appareret, cùm hoc sine turbis perageret. Solos quippe pueros tunc adesse, & clamantes in templo, *Osanna filio Dauid*, Mathæus commemorat, vt in laudibus horum recompensaretur quod commiserat in Helisæo puerorum irrisio. Vespere facta, vt dictum est, de templo Dominus egressus in Bethaniam cum Apostolis rediit, tanquam de domo inobediẽtiæ ad domum se conferens obedientiæ. Nemo enim Deum habitatorem meretur habere, nisi qui præceptis eius præsto est obedire. De ciuitate ad modicam procedit villam, quia vt ipsemet ait, multi vocati sunt, pauci verò electi. Hierusalem & templum tanquam propriam ciuitatem & domum relinquens, cùm ibi nõ haberet vbi caput reclinaret, illud quod de seipso scriptum est adimplet.

In *propria venit, & sui eum non receperunt*. Hierusalem, imò iam non Hierusalem, quæ dicitur visio pacis, sed asylum factam tyrannidis. Iam enim in eum ita manifestè conspirauerant maiores ciuitatis vt in ea hospitium non inueniret. Nec tamen hoc eius impotentiæ, sed patientiæ tribuendum est. Posset nisi vellet securus hospitari, cui certum est à nemine posse vim inferri, cuius potentiæ est corda hominum quò voluerit inclinare. Nam & cùm voluit liberè ibidem quicquid decreuerat egit. Discipulos illuc dirigens vt asinam & pullum soluerent & sibi adducerẽt nemine contradicente, sicut dixerat impleuit, cùm tamen in se conspirationem factam nõ ignorarer: De qua his, quos mittit, discipulis ait: *Ite in castellum quod contra vos est*, hoc est in locum Deo pariter & vobis aduersantem, nec iam ciuitatem dicendum, hoc est conuentum hominum ad iure viuendum, sed tyrannicæ munitionis castellum. Ite, inquit, confidenter in locum quamuis talem, atque adeò vobis contrarium, & quod præcipio securi peragite. Vnde & subnectit, *Etsi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos*. O mira potentiæ confidentia! tanquam Dominus ex imperio mandat id eis, quos in mortem suam iam omnino conspirasse nouerat. Sic mandat, sic præcipit, & sic obedire compellit. Nec dubitant missi quod eis iniungitur peragere, confisi de mittentis potestate. Quam & illi qui hanc maximè conspirationem fecerant experti, de templo nõ semel sunt electi, cùm vni resistere non valerent multi. Qui etiam post hanc electionem, & eorum, vt diximus conspirationem, cùm

eſſet cotidie docens in templo, quàm intrepidus eſſet patenter oſtendebat, cui omnia pater in manus dederat. Denique cum voluit ſecũdum legem Paſcha celebrare in ipſa qua diſpoſuerat tradi nocte, miſſis iterum diſcipulis vbi voluit, domum ſibi in qua is faceret in ipſa ciuitate parauit. Qui ergo totiens in talibus potenter egit, nũc quoque ſi vellet vbicumque vellet parare hoſpitium poſſet, nec in Bethaniam coactus rediret. Duo itaque in hoc egit prouidè, vt videlicet illos quos vitabat habitatione ſua indignos oſtenderet, & dilectis hoſpitibus copiam ſui in extremis daret, vt hoc ipſum iam quaſi mercedem hoſpitalitatis haberent.

Mane autem facto ipſe cum diſcipulis de Bethania Hieroſolymam reuertens eſurijt, vt Marcus ait. Et videns à longè ficũ habentem folia, venit quærens ſi quid forte inueniret in ea, & nihil inuenit præter folia. Non enim erat tempus ficorum. Et ait illi: *Numquam ex te fructus naſcatur in perpetuum.* Et audiebant diſcipuli eius, & arefacta eſt continuo ficulnea, & veniunt Hieroſolymam. Et cùm introiſſent templum, cœpit eijcere vendentes & ementes in templo, & menſas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit. Et non ſinebat vt quiſquam transferret vas per templum. Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate, & abijt rurſum in Bethaniam, ſicut refert Mathæus, ibiquè manſit. Et hæc ſecunda die à Ramis Palmarum, hoc eſt die Lunæ, ſicut Marcus ſcribit, geſta fuerunt. Quid eſt, Domine Ieſu, quòd eſuriens mane, cibum quæris in arbore, quem præ omnibus conſtat eſſe ſolitum ieiunare? Neminem diſcipulorum legimus tunc eſurire, ſed te ſolum. Miniſtrabas aliis quod tibi nunc indulgebas. Ieiunus aliis miniſtrabas, & eſuriens diſcipulos reficiebas, qui miniſtrare veneras, non miniſtrari. Pauperes fortaſſis, etſi ſpontaneos, habueras hoſpites. Nimium reputaſti, quod larga eorum paupertas diſcipulos refecit. Peperciſti impenſæ ſolus abſtinendo, pro quo impenſa omnia conſtat eſſe. Cibum requiris in arbore, quem natura ſponte præbeat, non quem hominum præparet cura, aut qui largiores augeat expenſas. Quæris vtique cibum, vbi certus es nequaquam haberi eum. Non ergo id pro refectione corporali, ſed magis pro myſterio agis. Quippè cùm non ignores, non tunc tempus eſſe ficorum. Tanquam iratus maledicis arbori, quòd fructum non habeat, eo tamen tempore quo ſecundum naturam nequaquam habere debebat. Maledicta ſtatim aruit, & potentiam maledicentis inuiſibilis ſenſit, &

quaſi

Digitized by Google

quaſi damnata eſt quæ non meruit. Cur ita Domine? Nequaquam id crudelitate, ſed magis pietate nouimus geſtum eſſe. Ad terrorem hominum, & correptionem malorum geſtum eſt in arbore, quod gerendum erat in homine. Exhibita eſt virtus potentię in re inſenſibili, cuius offenſa caueri debuit à rationali. Factis terret, verbis docet incredulam plebem; ne in ſua malitia pereat, quam etiam crebris miraculorum beneficiis ad pœnitẽtiam inuitat. Ipſe Angelus conſilij quibus poteſt modis ne pereant, conſulit perituris, vt vel pœnitentes ſaluentur, vel inexcuſabiles damnari mereantur. Et hæc quidem in ſecunda geſta ſunt feria.

DIE autem tertio, ſicut Marcus & Mathæus referunt, cùm à Bethania rediret Hieroſolymam, viderunt diſcipuli arefactam ficulneam. Et recordatus Petrus dixit ad Ieſum. *Rabi, ecce ficus cui maledixiſti aruit.* Et cùm veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem Principes Sacerdotum, & Seniores populi. Quibus ipſe plura in parabolis locutus, & multa eis improperans peccata, grauiter eos contra ſe commouit, quòd maturiùs perficerent quod de morte ipſius tractauerãt: qui deinceps cùm egreſſus de tẽplo iret in montem ſ. Oliueti, ſicut Mathæus & Marcus patenter inſinuant, adnectendo videlicet quod ibi ſedens diſcipulos doceret, vnus diſcipulorum ait illi: *Magiſter, aſpice quales lapides & quales ſtructura.* Cui reſpondit Ieſus: *Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.* Deinde profectus ad mõtem Oliueti, cùm ibi ſederet, ſicut Mathæus ſcribit, acceſſerunt ad eũ diſcipuli eius ſecreto dicentes: *dic nobis quando hæc erunt*, de deſtructione ſ. Hieruſalem, *& quod ſignum erit aduentus tui*, in fine ſ. mundi, & ipſius conſummationis ſeculi. De qua cùm plura Dominus prædixiſſet, & prolixum eis ſermonem habuiſſet, ſubiungit Mathæus: *Et factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Poſt biduum, hoc eſt in fine quintæ feriæ, quando tunc oportebat vetus Paſcha celebrari de immolatione agni ſeu hœdi ad veſperũ. Hoc enim Paſcha hoc loco dicit, quod ſecundum legem omnibus erat notum. Tertia itaque feria, hoc eſt die Martis, ſermonem illum habuit in monte Oliueti, & eo finito dixit diſcipulis, quia poſt biduum Paſcha fiet. Tunc quippe illo anno accidit, vt poſt illud biduum, in quinta, vt diximus, feria, quartadecima eueniret luna, vt eo die ad veſperum ſecundum legem veteris Paſchæ fieret ſacrificium. Quo quidẽ fi-

nito, veteri ſ. Paſchæ ſacrificio in carnibus hædi vel agni cum azimis & lactucis agreſtibus, ſtatim ipſe Dominus nouum Paſcha cùm fecerit in ſacramento corporis & ſanguinis ſui, & ſic vetus Paſcha terminauit.

COMPLETIS autem vtriuſque Paſchæ ſacramentis, de eadẽ nocte eſt traditus ad paſſionem. De qua conſequenter traditione ſubiungit vt dictum eſt, *Et filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tũc congregati ſunt*, inquit Mathæus, *Principes Sacerdotum, & Seniores populi conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent & occiderent: Dicebant autem, non in die feſto*, ſubaudis hoc faciendum eſſe, *Ne forte tumultus fieret in populo*: hoc eſt, ne turbæ, quæ illum cum exultatione ſuſceperant, vel ſicut Prophetam habebant, in eos commouerentur, & ipſum eriperent. O cæci & peſſimi! Dolo eum vultis tenere, tanquam ignarum machinationis veſtræ. Nec in die feſto iſtud perficere, non quidem pro reuerentia diei, ſed pro metu quem diximus populi. Diem feſtum dicit primum diem aſimorum poſt Paſcha. Paſcha quippe propriè vocatur in quartadecima luna, vbi immolatio fiebat ad veſperum. A quinta verò die decima ſequente vſque ad ſeptimum diem erant dies azimorum, quòd videlicet poſt diem Paſchæ ſeptem diebus azimis veſcerentur. In quibus quidem videlicet diebus azimorum, primus dies eorum & ſeptimus celebriores erant ceteris & ſollennes, cum ipſe dies Paſchæ nullam ſollemnitatis dignitatem ex auctoritate legis obtineat. Hinc in Exodo ſcriptum eſt de his ſeptem diebus azimorum: *Dies prima erit ſancta atque ſollennis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis.* Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent. Illum ergo primum diem azimorum intelligunt, cùm dicũt, *non in die feſto.* Tunc enim omnes pariter ſecundum legem ab operibus vacantes congregati in ciuitate, faciliùs tumultum credebantur excitare. Quod verò Mathæus ait, *Tunc congregati ſunt, &c.* Illud *tũc*, referendum eſt ad prædictam feriam tertiam, quando ait Dominus, *Scitis, quia poſt viduum, &c.*

QVID autem ipſe Dominus poſtea egerit in illa tertia die, vel in quarta ſequente, non exprimit Scriptura manifeſtè. Credimus autem vt hoc definitum conſilium Iudæorum euitaret, nec eis facultatem peragendæ malitiæ prębęret, ante diem traditionis ſiue paſſionis eius congruam. Quod vero adiecit Euangeliſta, *Cùm autem eſſet Ieſus in Bethania in domo Simonis leproſi, &*, vt Marcus ait ibidem, *recumberet, acceſſit ad eum mulier habens*

Digitized by Google

alabastrum,&c. Incertum est vtrum hoc fieret in prædicta die tertia,an in quarta sequente.Nonnulli tamen istud recumbere in domo Simonis, putant illam fuisse cœnam,de qua Ioannes ait, *Quia ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethaniam,fecerunt autem ei cœnam ibi,& Martha ministrabat, &c.* Et quidem illi, qui hanc cœnam, quam Mathæus & Marcus commemorat,illam eandem esse voluit,quam Ioannes ante sex dies Paschæ factam asserit,dicunt nũc eam nequaquam secundum ordinem rei gestæ ab Euangelistis narrari;sed tanquam indè priùs factam ad memoriam reduci, vt videlicet innuerent indè Iudam occasionem accepisse vendendi Dominum, quasi hoc precio illud suum damnum restauraret. At verò si diligenter hanc & illam cœnam sibi conferamus, videbimus quia nequaquam decebat in alterius domo, vel de alienis sumptibus Domino ministrare. Præterea Ioannes ibi Mariam non refert nisi pedes Iesu vnxisse & capillos extersisse,nec isti Euangelistæ referunt hic eam nisi super caput ipsius recumbentis vnguentum posuisse.Quod non incommodè in aliena domo facere potuit,cùm fortasse qui cibum daret vnguẽtum non præberet.Benè autem priùs Domini longa via fatigati pedes vnxit mulier, vt sic eum à labore viæ recrearet. Nunc autem satis esse arbitrata est caput quiescentis inungi, tanquam hoc vnguento remedium conferens contra illius feruentissimæ terrę calores. Denique in illa priore cœna, qua Martha ministrauit, Ioannes neminem refert de vnguento murmurasse nisi Iudam proditorem. In hac verò secunda cœna nequaquam Iudas de hoc ab Euangelistis notatur, sed indefinitè super hoc discipulos indignatos fuisse referunt.Ex quibus omnibus quasi quibusdam cõiecturis hanc & illam cœnam nequaquam eandem fuisse,& deuotionem mulieris tanto circa Dominum maiorem extitisse, quantò sæpius hoc ei beneficium ministrauit.De hac autem & secunda cœna, sicut Mathęus patenter ostendit, Iudas abijt ad Principes Sacerdotum,& iniit cum eis pactum,vt pro triginta argenteis Iesum traderet illis.Cùm enim retulisset Mathæus,Dominum approbasse effusionem vnguẽti super caput eius à muliere factam, statim adiunxit:*Tunc abijt vnus ex duodecim qui dicitur Iudas,&c.* In quo& Marcus similiter consentit.quod ergo vtrique tunc Iudã ad hoc quod diximus abisse referunt,satis diligenter innuũt,ad hoc eum indè commotum fuisse atque indignatum, quòd hac etiam vice confusus precium vnguenti non potuit obtinere.

QVID autem Dominus quinta feria egerit,hoc est die cœ-

næ, quo tunc vt diximus, Paſcha Iudæorum contigit, ex ipſis certum eſt Euangeliis, vbi ſcriptum eſt. Prima autem die azimorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Et miſit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha, vt manducemus. At illi dixerunt, vbi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans. Sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magiſter, vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerunt Paſcha. Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Diſcubuit quidem ad vetus Paſcha primò celebrandum. Quòd verò tam Mathæus quàm Marcus dicunt, hoc eſſe factum prima die azimorum, quæ videlicet dies propriè Paſcha dicebatur, vt ſuprà meminimus, ſicut ſeptem dies ſequentes azimorum vocabantur; ſciat lector ipſum diem Paſchæ nomine quoque azimorum comprehendi poſſe, cùm in eo etiam azimis cum lactucis agreſtibus veſcerentur. Paſchæ quoque nomine nonnunquam è conuerſo dies azimorum continetur iuxta illud Ioannis, *Ante diem feſtum Paſchæ.* Sæpe etiam Paſcha ipſa hoſtia Paſchæ potiùs quàm dies appellatur, iuxta illud: *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et alibi: *Venit autem dies azimorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Et Apoſtolus, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, hoc eſt ipſe noſtra hoſtia. Paſchalis. Quod verò Ioannes ait: *Et cœna facta, cùm diabolus iam miſiſſet in cor vt traderet eum Iudas, ſurgit à cœna*, vt videlicet pedes lauaret diſcipulorum. Et poſtmodum ablutione facta ſubiungit: *Cùm recubuiſſet iterum dixit eis, Scitis quid fecerim vobis, &c.* hoc inſinuare videtur, quòd intra cœnam veteris Paſchæ, & cœnam Dominicam, pedes Dominus abluerit, per hoc patenter innuēs, neminem ad ſacrificium Chriſti dignum accedere, niſi priùs ablutis pedibus, hoc eſt affectionibus animi mūdatis, alioquin iudicium ſibi comedit & bibit. Quod verò dictum eſt, *Et cùm recubuiſſet iterum*, innuit eos poſt ſacrificium veteris Paſchæ ad cœnam conuiuiū ciborum acceſſiſſe. Non enim tantæ virorum familiæ vnius comeſtio agni vel hœdi ad refectionem diei ſufficeret. Præterea Lucas cùm retuliſſet Dominum de veteri Paſcha dixiſſe diſcipulis, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, &c.* duos calices poſtea commemorat Dominum diſcipulis dediſſe, vnum quidē ſtatim poſt vetus Paſcha,

alterum in celebratione noui Paſchæ. Et de illo quidem primo calice Dominus diſcipulis ait: *Accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quia non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* De alio verò calice ſcriptum eſt, quia dedit illis, dicens: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti. Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.* Prior itaque calix poſt vetus Paſcha, & ante nouum ſuſceptus, & ille ſecundus recubitus poſt ablutionem pedum, non ad ſacrificium, ſed ad refectionem corporum pertinere videretur. Nihil enim de potu in veteri Paſcha lex præcipit, ſed tantũ de carnibus agni vel hœdi cũ panibus azimis & lactucis agreſtibus. In hac itaq; conuiuij refectione, diſcipulis edentibus, videtur Dominus de panibus illius menſæ, non de azimis Paſchæ accepiſſe, & nouum Paſcha cõfeciſſe. Non enim illo die Paſchæ interdictum erat, ne panes etiam fermẽtati, qui propriè panes ſine adjectione dicuntur, in domibus reperirentur; ſed ſequentibus tantum ſeptem diebus, qui ob hoc dies azimorum ſpecialiter dicebantur. Vnde & Græci non de azimo pane, ſed de fermentato Dominum dicunt nouum Paſcha confeciſſe; quaſi nihil de veteri Paſcha in nouo vellet retinere. Qui etiam, vbicumque nos habemus in nouo Paſcha dictum à Domino, quòd *accepit panem & benedixit*, pro pane in Græco habetur ἄρτον, quod fermentatum ſignificat.

Quod verò diſcipulis edentibus Dominus ait, quòd vnus eorum eſſet eum traditurus, & eum deinde præſignauit, dicens: *Qui intingit mecum manum in parapſide*, ſiue in catino, *hic me tradet*, ad eſum veteris Paſchæ referendum eſt; vt cùm illud ederent hoc eis diceret. Signum autem parapſidis, quo proditor deſignatur, ſic accipiendum videtur, quòd cùm proditor audiſſet Dominum dixiſſe, quia vnus diſcipulorum eſſet eum traditurus, ne hoc de ſe dici putaretur, quem iam conſcientia ſua ſuper hoc accuſabat, temeritate quadam prouidit demonſtrãdũ, nequaquam de ſe ſuſpicandum eſſe, qui ſic de Domino confideret, vt in eodem vaſe cibum communem habere non trepidaret. Vnde tunc in eius parapſidem manum illam ſceleratus intulit, qua eum ipſa nocte traditurus ad mortem fuerat. Sicut quoque intelligi poteſt ſignum illud parapſidis, quod Dominus, qui mẽſis miniſtrabat diſcipulorum, in conſuetudinem haberet poſtquam menſæ deſeruiſſet cum Iuda refici, qui quaſi procurator communis loculos impenſæ deferebat. Tertiò Dominus prodi-

Digitized by Google

torem designare curauit, quo eum amplius à sua compescere iniquitate. Cùm enim primò dixisset, *qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet*, ac postmodum traditor tanquam conscius sui, & quasi iam designatus ex parapside, requireret dicens: *Nunquid ego sum Rabi?* Respondit ei Iesus, *Tu dixisti.* Ac si diceret. Tu iam pacto cum Iudæis inito, & te hoc facturum esse pollicitus, quod nunc dico eis prædixisti. Refert etiam Ioannes, quòd cùm ipse Dominus dixisset, *Qui manducat panem meum leuabit contra me calcaneum suum.* Et ipse Ioannes recũbens super pectus Iesu requireret ab ipso quis ille esset, respondit. *Ille est cui intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem dedit Iudæ, & post buccellam tunc introiuit in illum Sathanas. Dixit ei Iesus: Quod facis fac citius. Cum autem accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox.* Ecce hoc tertio proditor manifestè designatus, potest buccellam statim exijt ad conceptum scelus peragendum, tanquam iam omnino de Domini gratia desperans, cùm eius mentem ita diabolus omnino possideret, vt redire ad veniam nullatenus posset. Mirum tamen est quomodo adquieuit vt intinctam buccellam acciperet, si priùs audierit Dominũ hoc dixisse in signum fieri futuræ proditionis. Credimus ergo Dominum hoc priuatim Ioanni recumbenti super pectus eius respondisse, itaut proditor id nequaquam intelligeret. Nam & Petrus secretò hoc demonstrari petijt, innuens Ioanni potius quàm loquens, vt à Domino requireret quis ille esset de quo diceret. De illa autem buccella panis, quam ad proditorem designandum intinctam ei porrexit, plerisque videtur quòd de ipso pane sacrato eam acciperet, vnde inter ceteros ita eum communicaret. Quam quidem communionem cùm indignè sumeret, iudicium potius quàm salutem ibi acciperet, sicut & Apostolus asserit de indignè communicatis. Vnde & post buccellam Sathanas in Iudam introisse, & sic eum pleniùs possedisse memoratur. Nam & quod huic quoque communioni proditor interfuerit, Lucas patenter insinuare videtur. Qui, dum nouũ Pascha celebraretur à Domino, refert eum dixisse: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.* Continuò tamen accepta buccella proditor non expectat communionem finiri, vel hymnum post refectionem Domino persolui; sacrum statim collegium egreditur, quo prauum desiderium amplius maturaret, sicut & Dominus prædixerat dicens: *Quod facis fac citiùs.* Ideò autem panem intinctum soli proditori dedit, vt eius mentem

Digitized by Google

iam conceptione peccati infectam & maculatam significaret. Ceteris autem, qui puram habebant conscientiam, sacramenta corporis & sanguinis sui separatim distribuit, quasi panem per se & vinum per se separatim ministrans. Vnde benè statutum est in Ecclesia, vt quando fideles communicantur, hæc separatim accipiant. Sunt verò qui panem illum intinctum nequaquam de sacrificio Christi fuisse intelligunt, sed buccellam illam de quocumque pane acceptam esse ad proditorem solummodò designandum. Quorum etiam nonnulli volunt Iudam in sacramento Dominici corporis participasse. Augustinus super Ioannem: Et cùm intinxisset panem dedit Iudæ. Non autem, vt putant quidam, tunc Iudas corpus Christi accepit. Intelligendum est enim, quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat, sicut Lucas euidentissimè narrat. Deinde per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem. Hilarius super Mathæum, Vbi vis paremus tibi Pascha manducare? Post quæ Iudas proditor iudicatur, sine quo Pascha accepto calice & fracto pane conficitur. Dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Nam discessisse statim intelligitur, quòd cum turbis reuersus ostenditur. Neque sane bibere cum Domino poterat, qui non erat bibiturus in regno, cùm vniuersos tunc bibentes ex vitis istius fructu bibituros secum postea polliceretur. Notandum tamen nequaquam in verbis Domini vniuersos haberi, quamuis hoc beatus intelligat Hilarius, sed ita indefinitè à Domino dici: *Cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.* Multa quippe nouimus ad hunc modum Apostolis Dominum loqui, quæ monita generaliter sunt accipienda, vt Iudæ quoque possint conuenire. Quale est illud: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*, &, *sedebitis vos super sedes duodecim, &c.* &, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Et rursum, *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Sæpè etiam cùm generaliter aliquid dicitur, non est tamen generaliter accipiendum. Vnde illud est Hieronymi ad Damasum in parabola Domini de filio frugi & luxurioso. Et omnia mea tua sunt, Quomodo autem Dei omnia Iudæorum sunt? Numquid Angeli throni? Omnia ergo intellige Prophetias, eloquia diuina, secundum illud quod sæpè exposuimus, non semper omnia ad totum esse referenda, sed ad partem maximam, vt, *Omnes declinauerunt*: &,

Omnes qui ante me venerunt, fures fuerunt & latrones: &, *Omnibus omnia factus sum*: &, *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Denique si ponamus Iudam quoque communioni interfuisse, qua completa Dominus illud ait: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei*, non cogimur ideò fateri tunc Iudam adfuisse, cùm hoc Dominus dixerit, nec eum expectasse finem Cœnæ Dominicæ, qui continuò, vt supradictum est, exiuit post acceptionem buccellæ, vt eos conuocaret quibus Dominum traderet. Post cuius quidem egressum, Dominus, vt Ioannes refert, prolixum sermonem ad discipulos habuit. Cuius primam partem, dum adhuc recumberet, dixit vsque ad eum s. locum, vbi ait: *Sed vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatũ dedit mihi pater sic facio. Surgite, eamus hinc.* Quem quidem locũ beatus exponens Augustinus, ait: Tanquam diceretur, Cur ergo moreris, si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium? continuo subjecit: *Sed vt cognoscat mundus, &c. Eamus*, dixit. Quò, nisi ad illum locum, vnde fuerat tradendus ad mortem? Habebat vt morereretur mandatum Patris.

POSTQVAM autem dixit discipulis suis, *surgite, eamus hinc*, illis de accubitu mensæ surgentibus, & hymno gratiarum dicto, de quo Mathæus & Marcus scribunt, aliam partem sermonis confirmauit, vsquequo de domo illa exierit secundum consuetudinem suam in montem Oliueti. Vnde & Lucas de Domino meminit, dicens: *Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte qui vocatur Oliueti.* Et iterum: *Egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum.* Secuti sunt autem illum & discipuli. De nostra quippe salute Dominus sollicitus, die prædicationi intendebat, nocte in oratione pernoctabat. Ad quam quidem faciendam secretum requirebat locum, & à tumultu seculi remotũ, quò puriùs suis discipulis esset orãdum. Quò cùm ipse peruenisset atque orasset, eos quoque ad orationem inuitat, dicens: *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Tanquã si diceret, prolatio vobis facilis est ad me confitendum, & cum Petro dicendum, quia parati estis mecum & in carcerem & in mortem ire; sed adhuc infirmi estis ex carne ad resistendum tentationibus. Quòd humanitas Christi imminente passionis articulo se ad orationem conuertit, & discipulos hinc scandalizandos ad orationem hortatur; patenter nos instruit,

Digitized by Google

inſtruit, ne vnquam de viribus noſtris in aliquo periculo præſumamus conſtituti, quia non eſt homini mortem conſtantia ſuperare, niſi hanc virtutem nobis Domino miniſtrante. Ter in die Daniel in anxietate poſitus oraſſe Dominum legitur, tanquã hunc vnum in tribus perſonis intelligens. Trinam & nunc Dominus orationem aſſumit, qua veram infirmitatem carnis ſe habere demonſtrans verum ſe hominem probaret, & ſimilem nobis in omnibus abſque peccato, vt vera eius paſſio, ſicut & carnis ſuſceptio credatur. Orans itaque dicit, *Pater ſi poſſibile eſt, &c.* Et rurſum: *Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire, &c.* Si poſſibile eſt, inquit, hoc eſt conueniens, vt alio modo redemptionis quàm per mortem meam poſſit humanum genus ſaluari. Calicem dicit mortem ſuam tranſitoriam, citò reſurrecturus. Qua videlicet morte tanquam poculo quodam deſiderium ſuum de noſtra redemptione, quaſi ſitim ſuam erat refecturus. Sed nunquid mortem timuit, ad quam nos minimè timendam adhortatur, dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus?* Certè neminem Martyrum, cùm ad agonem venirent, quod paſſuri erant, oraſſe memini vt ab eis paſſio tranſiret: ſed læto animo & magno deſiderio eam ſuſcipere, tanquam illud implentes Apoſtoli, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Nunquid ipſe morti ſe offerens, plus eam timuit quàm ceteri, aut triſtis ad eam venit, ad quam alij occurrere dicuntur læti? Sic quippè de ipſo Marcus refert, quòd cœpit pauere & tædere; & tam ipſe Marcus quàm Mathæus eũ ſcribunt dixiſſe, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Nec non & eum paſſionis amaritudinem profiteri non velle, & ſuam in hoc voluntatem à voluntate patris diſſidere, cùm ait: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* vel ita: *Sed non quod ego volo, ſed quod tu.* Et in Luca legitur: *Pater, ſi vis transfer à me calicem iſtum. Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Vbi & ſubditur: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Neminem alium præ timore mortis ſanguinem legimus ſudaſſe, quod ſupra naturam humanam conſtat eſſe. An fortè plus quàm ceteri timuit, quem timor paſſionis ad hoc coegit? an ſponte magis quàm anxietate timoris hunc ſudorem emiſit? Quem denique fortem athletam ita periculo mortis anxiatum, & tanquam ex deſperatione legimus eſſe perturbatum, vt de Domino ſcriptum eſſe videtur? *Nunc anima mea*, inquit, *turbata.* Et quid dicã? *Pater ſaluifica me ex hac hora.* Et poſt aliqua:

Cùm hæc dixisset Iesus turbatus est spiritu. Vt autem ponamus in quibusdã videtur * in his verbis, timoris vel tristitiæ eum membra sua in se transformasse, vt ex persona s. membrorum hæc dicerentur aut fierent: nunquam certè in eorum persona sudor iste iuxta literam accipiendus est. Beatus autem Ambrosius plus eum quàm ceteros passionem mortis horrere non veretur asserere. Sic quippe ait de fide ad Gratianum scribens, in Libro II. Petrus dicit, *Animam meã pono pro te.* Christus dicit, *Anima mea turbatur.* Vtrumque verum est, & plenum vtrumque rationis, quòd inferior non timet, & superior gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo vim mortis ignorat, iste quasi Deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit; vt eorum qui sacramentum Incarnationis abhorrent excluderetur impietas. Ex quibus patenter verbis ostenditur, re vera eius animam, quæ per vnionem Verbi omnia scientis tam bene summum mortis cruciatum tanquam ..... esset experta nouerat magis eum horruisse, quàm ceteræ possent animæ. Quanto autem plus mortem timuit, & in passione constantior perstitit, tanto virtus obedientiæ maior in eo claruit, & maiorem nobis, pro quibus passus est, dilectionem exhibuit. Vbi & infirmioribus membris consolationem proponere voluit: ne cum ad agonis passionem trepidarent, pro hoc infirmitate sua desperarent à venia. Quam constanter autem Dominus passioni occurreret, & in passione persisteret, quisquis diligenter attendit, iudex secundum magnitudinem timoris, incomparabilem in eo fortitudinem ..... enim omittam cetera, quis non illud miretur, quòd à Pilato interrogatus cùm respondere nollet, ab eo audierit, *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo dimittere te, &c.* Qui etiam ab ipso ad Herodem missus, tanquam ad eius potestatem pertinens, cùm esset Galilæus, vt sic per eum facilè liberari posset, nil ei respondere dignatus est, cùm multis interrogaretur sermonibus, nedum ei signum aliquod ostendere, quod ille maximè cupiebat.

Qvod ergo pauendo tædere, vel perturbari adeò videtur, vt quasi desperans diceret, *& quid dicam?* signa sunt omnia non ignauiæ vel diffidentiæ, sed timoris maximi ad infirmitatis probationem assumptæ: vt quod mortem præuenit, ipsa iam grauius videatur morte. Angelus apparens in persona patris eum confortat, sicut & antea factum fuerat, ipso ad eum dicente,

Digitized by Google

Et clarificaui, & iterum clarificabo. Hæc quippe conſolatio orationis complendæ, qua pro ſuis orabat; intelligenda eſt reſponſio, qua diſcipuli audita conſolarentur. Quis fidelium, Domine, hanc etiam tuæ paſſionis anxietatem ſine compaſſione poſſit audire? hanc pro nobis tuam perturbationem queat ſuſtinere? Ait Apoſtolus: *Si vnum patitur membrum, compatiuntur omnia membra, &c.* pro ſe inuicem ſollicita. Quid ergo pro capite dolores noſtros & peccata portante nos oportet facere? Quis ſiccis oculis hoc intelligat? cuius cor lapideũ dolor iſte non ſcindat? Sciſſum eſt velum templi in tua Domine paſſione, & ad terræmotum ipſa etiam fiſſa eſt duritia petrarum. Sol obſcuratus eſt tanquam immunitatem ſceleris cõſpicere non ferret. Ipſa quoque inſenſibilia, tanquam tuam ſentirent paſſionẽ, compaſſionis exhibuerunt affectum. Vt autem & hæc compaſſio noſtra penetret ac ſcindat corda, ad intermiſſa, non dimiſſa, caritas ſuſpirans ſtilum reducat.

EGRESSVS itaque Dominus ad montem Oliueti, ſicut Mathæus refert, venit inde cum diſcipulis in villã quæ dicitur Geſſemani. Quem profecto locum Marcus prædiũ nominat, Ioannes dicit, *trans Iordanem Cedron vbi erat hortus, in quem frequenter Ieſus conueniebat cum diſcipulis*, tanquam ſecretiſſimum, atque ad docendum diſcipulos, ſiue orandum conuenientem. Idem itaque intelligitur, *villam Geſſemani*, quod, *locum illum trans torrẽtem Cedron*, ad radicem montis Oliueti exiſtentem. Cum dicitur, *torrentem Cedron*, genitiuus Græcus eſt *Cedrôn*, pro *Cedrorum*. Torrentem dicunt, quia in valle Ioſaphat aqua illa viciſſim currit, non ſemper, in qua & cedri creſcunt. Qui locus Abrahæ hortus erat, qui circa Salẽ plures hortos & manſiones habebat. Quẽ locum Ieſus cum diſcipulis ſuis frequentabat, qui & benè erat indè notus. Igitur hic eum quærit ad tradendum, & ibidem inuenit quæſitum, ſicut ſtatim ipſe Ioannes proſequitur, dicens: *Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum lucernis & facibus & armis.* Cohortem quidem Gentilium à Pilato præſide, vt nec Gentiles in eius traditione deeſſent, qui hos quoque ſua venerat morte redimere; vt videlicet tam à Iudæis quàm à Gentilibus ad mortem traderetur, qui pro ſalute omnium mortem pateretur. Lucas verò refert ipſos etiam Principes Sacerdotum, hoc eſt Pontifices & Magiſtratus templi, & ſeniores veniſſe. Quod ſic accipiendum videtur, vt hoc in miniſtris ſuis, non in perſonis proprijs

agerẽt. Ceteris quippe referentibus Euãgeliſtis, nouimus Dominum à cohorte & miniſtris cõprehenſum, ad Annã ſiue Cayphã Pontifices fuiſſe perductum. Venientes afferunt laternas, vt qui ſunt in tenebris cæcitatis ipſam lucem capiant mundi. Fuſtibus & armis veniunt muniti, vt per hanc reſiſtenti vim facerent, vel eum à ſe propulſarent. Ieſus itaque omnia quæ ventura erãt ſuper eum præceſſit. Dum homines Deo vim facere parant, ſponte Dominus non intractus occurrit paſſioni, ſicut ipſe dixerat: *Nemo tollit à me animam meam, ſed ego pono eam. Sciens*, inquit, *omnia*: hoc eſt, non ignorans eorum machinamenta, & per dirum mortis ſupplicium ſe ſalutem veſtram conſummaturum, ac deinceps tam Reſurrectione quàm Aſcenſione, vel ſancti Spiritus aduentu glorificandum. Qui antè à paſſione declinauerat, quia nondum venerat hora eius, & diſcipulis præceperat, *Cùm vos perſecuti fuerint de ciuitate in ciuitatem, fugite in aliam*; ſciens iam adueniſſe tempus congruum paſſioni, offert ſe in Paſcha, tanquam Paſcha vel Agnus ad immolandum. Proceſſit, & dicit, *Quem quæritis?* Verè, inquam, tanquam ignorans eorum nequiſſimam inquiſitionem, quia tuum eſt ignorare malà quæ improbas, & cognoſcere bona quæ approbas. Sic quippe Adam, quem ante peccatum noueràs, poſt peccatum tanquam incognitum requiris dicens: *Adam vbi es?* Qui etiam mulieris factum quod improbas, tanquam incognitum interrogans, ais: *Quare feciſti?* Et fatuis virginibus reſpondens, dicis: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Cùm econtrario Moyſi dicas, *noui te ex nomine*, & ſcriptum ſit, *nouit Dominus qui ſunt eius.* Reſponderunt ei, IESVM *Nazarenum.* O cæci & verè in tenebris venientes contra lucem, & in nocte aduerſum diem, cùm ei vos ipſum quærere reſpondetis quem perdere venitis! Procedit ad bellum tanquam ſignifer ante ſuos. Non eum recognoſcitis Dominum, quem occurrere videtis ſolum. Si enim recognoſceretis, nequaquam veſtræ machinationis dolum reſponſione veſtra ei panderetis. Contra ſapientiam venientes, quia eam non cognoſcitis, ſtulti permanetis, nec præſentem poteſtis animaduertere, niſi eo ſe vobis indicante. Ieſum reſpondetis, & ne ipſe de ſemetipſo in veſtra reſponſione poſſit errare, tanquam eum & de ſeipſo docentes, ſubnexa determinatione additis, *Nazarenum.* Et vtinã Ieſum, quem profitemini tanquam Ieſum, id eſt Saluatorem, quæreretis, vt quod in ore habetis, corde teneretis; ne, dum Saluatorem perdere quæritis, vos ipſos potius perdatis.

Digitized by Google

DICIT ei Iesus, *Ego sum.* Non enim cognoscere eum nisi ipso poterant indicante, sicut nec ipsum capere nisi ipsoſe tradente. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eũ, cum ipsis. Lucas refert, quia antecedebat eos, & Marcus quod cùm veniſſet ſtatim accedens ad eum ait, *Rabbi*, & oſculatus eſt eum. At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum. Vnde mihi videtur, quòd quando proficiſci cœperunt, Iudas tanquam dux eos antecedebat. Vbi autem appropinquare cœperunt, ipſe conſcientia ſua confuſus & perturbatus, vel heſitans, ita ſe retinuit, & gradum ſuppreſſit, vt illi præcederent. Vnde nunc Ioannes dicit, illis ad Ieſum peruenientibus, Iudam ſtare cum illis potiùs quàm præcedere. Stabat quidem cum ipſis, non vt cæteri cum Domino. Stabat tanquam ſtupefactus & concepti ſceleris immanitate perturbatus, & ex cõſpectu Domini maximè confuſus, aut fortaſſe tanta cæcitate percuſſus, vt nec eum poſſet cognoſcere, niſi eo ſeipſum indicãte. Vt tamen impleret quod dixerat, *Quemcumque oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum*, omni pudore poſtpoſito non Deum, ſed homines veritus acceſſit ad oſculum, tanquam eum deſignans, qui iam ſemetipſum indicauerat, vt nil in ſe fieri niſi ſeipſo diſponente Dominus declararet. Vnde & ſequitur: *Vt ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Quid agitis miſſi? Ecce præſto eſt quem quæritis, & ſeipſum offerens, dicit, *Ego ſum*, nec iſtam eius vocem ferre ſuſtinetis, cui vim facere confidebatis. Abeuntes retrorſum, non ei valentes appropinquare, quem venitis comprehendere, in terram reſupini corruiſtis. Hic quippe caſus proprius eſt reproborum, ſicut cadere in faciem proprium eſt electorum: Vnde & illud eſt beati Gregorij in Ezechielem Homil. Electi in faciem, & reprobi retrorſum cadi, quia qui poſt ſe cadit, ibi cadit vbi non videt. Iniqui verò qui inuiſibilib. cadunt, poſt ſe cadere dicuntur, quia ibi corruunt, vbi quid eos tunc ſequatur modo videre non poſſunt. Iuſti verò, quia in iſtis viſibilibus ſemetipſos ſponte deijciunt, vt in viſibilibus erigantur, quaſi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur. Iterum ergo eos interrogauit, *Quem quæritis?* Illi autem dixerunt: *Ieſum Nazarenum.* Reſpondit Ieſus, *Dixi vobis quia ego ſum.* Qui abierunt retrorſum, non ſolum corpore corruentes, verum etiam in tantam extaſim pauoris & perturbationis facti, vt Dominum nec ad indicium ſuum, nec ad proditoris oſculum agnoſcere poſſent. Secundo interrogat eos quem quærant, & ſe iterum illum eſſe docet, quem ſe illi quærere reſpondent. In quo patenter oſten-

ditur & ipsius perseuerantia in passione,&illorum in obstinatione suæ malitiæ.

Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo, &c. Si me,inquit,non alium quæritis,sicut ex duabus iam patet responsionibus vestris, sufficere vobis debet vestram in me complere malitiam, hoc inquit,discipulos qui aderant intelligens, vt solus ipse torcular passionis intraret, sicut ex persona eius Isaias prædixerat:*Torcular calcaui solus,&c.*Sermo,inquit Euangelista, quẽ ipse Dominus antea dixerat,ad Patrem loquens : *Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex ijs periit nisi filius perditionis.* Augustinus in Ioanne super hunc locum : Cur si tunc morerentur perderet eos,qui nisi quia nondum sic in eum credebant, quomodo credunt quicumque non perituri? Item, Petrus si negato Christo hinc iret,quid aliud quàm periret?*Sinite*,inquit,*hos abire*,sed non adiecit, & capite me:ne videlicet pietatem præcipiens, impietatem quoque quam fieri permittebat iubere videretur. Accedens autem proditor ad Dominum dixit;*Aue Rabbi.* Et osculatus est eum. Iesus autem dixit ei:*Amice ad quid venisti?* Siue vti Lucas ait, *Iuda,osculo filium hominis tradis?* Hoc osculum non pacis, sed proditionis signum est illud,de quo Mathæus commemorat:*Dederat autem traditor eius signum eis,dicens,Quemcumque osculatus fuero ipse est,tenete eum,& ducite cautè.* Ecce dux cæcorum & miserrimè miserorum,quæ est ista cautela, ad quam eos hortatur insania tua? tanquam sapientiæ Dei prævalere hominum cautela possit. Impudentissime proditor, omnium scelerum abhominationes tuis iustificans sceleribus. Dispensatoris curam inter ceteros à Domino susceperas, loculos habens,& ea quæ poteras furto surripiens, marsupium tuum, non Dominicum volens augere, ipsum præsumpsisti Dominum vendere, & in precio pecuniæ ipsum mundi pretium ponere. Ad cumulum malitiæ tuæ, ipsos conceptæ proditionis gradus intuere,vt nullam abhominationem impudentiæ deesse cognoscas proditioni tuæ. Ipsa nocte qua tractabas eum tradere, ad cœnam præsumens accedere, in eius parapside manũ sceleratam, & tanquam ipsius sanguine cruentatam inferere non timuisti,vt hoc facto quasi teste tuæ cõscientiæ bonę omnem suspicionem à te remoueres. Consors in participatione tam veteris quàm noui Paschæ,ac deinceps in ipsa traditione eum vt Magistrum salutans,&vt lupus agnum osculans,fili perditionis à mansueto patre audis, *Amice ad quid venisti ?* Amice quidem non amans,sed amate,non diligens,sed dilecte,quantum ad exhibitio-

Digitized by Google

nem familiaritatis & amicitiæ. Ad quid, inquit, veniſti? tanquam ſi diceret: Attende miſer quantam ſine cauſa præſumis execrationem cùm prædictis gradibus ad conceptam peruenis proditionem. In quo & Dominus ſignum proditionis deteſtans, ait: *Iuda oſculo filium hominis tradis?* hoc eſt, Cur infelix oſculum in ſigno proditionis elegiſti, quod inter inimicos etiam ſumma fœderatio ſolet eſſe pacis? Infeliciſſime omnium hominum, bonum tibi eſſet ſi natus non fuiſſes, quia more abortiuorum in vtero moriẽs grauiſſimam non meruiſſes pœnam.

VIDENTES autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: *Domine, ſi percutimus in gladio?* Simon ergo Petrus ardentior ceteris habens gladium, eduxit eum, & percuſſit ſeruum Pontificis, & abſcidit eius auriculam dexteram. Reſpondens autem Ieſus ait: *Sinite vſque huc.* Et cùm tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. Quærunt alij à Domino, vtrum percutiendo debeant eum vindicare. Non ſuſtinet Petrus reſponſum, vt audiat documentum; nec menſuram habet amor vehemens, nec immenſa caritas attendit quid excedat. Nouerat Dominicæ manſuetudinis patientiam, quem iam olim prædicentem ſuam paſſionem cùm ſecretò correpſiſſet, dicens, *Propitius eſto tibi Domine, ne fiat hoc*, audiuit ab ipſo, *Vade poſt me ſatana, non ſapis ea quæ Dei ſunt.* Nouerat & qui generaliter ipſe diſcipulis præceperat, dicens: *Audiſtis quia dictum eſt, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo. Sed ſi quis te percuſſerit in dextra maxilla tua, præbe ei & alteram.* His & ſimilibus patientiæ documentis Petrus inſtructus nouerat, Dominum nequaquam hanc ei vindictam conceſſurum. Ne ergo reus inobedientiæ percutiendo fieret, ſi hoc reſponſum expectaret, præuenit ipſum, tanquam alijs in hoc quid agerent, præbens exemplum, vt pote Princeps vel primus eorum: vt ſicut Iudas ex aduerſa parte dux erat ad malitiam, ſic iſte in acie Domini dux fieret ad vindictam. Dum ergo alij quærunt an percutiant, iſte percutere non differens materialis gladij vindictam vſurpat ſibi nequaquam commiſſam. Vnde & à Domino ſine mora corrigitur. Quod tamen non rectè tunc geſtum eſt in opere, in myſterio vacuum eſt aſſumptione. Luca quippe referente nouimus duos gladios in Cœna Domini fuiſſe. Sic quippe ſcriptum eſt de Domino, & diſcipulis, Et dixit eis: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calciamentis, num quid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico*

enim vobis, quoniam adhuc quod ſcriptum eſt oportet impleri in me: Et cùm iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ ſunt de me finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis, ſatis eſt. Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in mõtem Oliuarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli. Sacculus maior eſt quàm pera, & ideò neceſſarius eſt ad plurimorum viaticum deferendum. Pera verò ſingulis ſufficere videtur. Benè ergo Dominus, dum præſens hic eſſet, eorum neceſſitudinibus omnino prouidebat, ne quid eis in via deferre neceſſarium eſſet, vt poſt eius receſſum à terris, tantò eius præſentia ampliùs amaretur ac deſideraretur, quanto hi eam ſibi magis neceſſariam experti fuerant. Sed nunc qui habet, hoc etiam deinceps tam vobiſmetipſis quàm alijs in pera vel ſacculo prouidete ſumendo: & qui non habet, ſubaudi ſacculum vel peram vnde comparare gladium poſſit, vendat tunicam quæ magis neceſſaria videtur, vt hinc eum emat. Quod quidem iuxta literam, vt ſequentia innuũt, ob hoc videtur dictum, vt cùm armati ad locum traditionis venirent, tanto maior patientia Domini probaretur, quanto potentior ipſe veniret in ſua defenſione. Finem habent, id eſt conſummationem, vt ipſa omnia perficiantur in me quæ ſcripta ſunt de me. Duo autem gladij illi ſiue in Cœna Domini fortuitu reperti, ſiue ab aliquibus diſcipulorum imminente paſſione ad protectionem illic allati, duos in Eccleſia gladios ſignificant, materialem quo Rex vtitur in vindicta corporali, & ſpiritalem quo animam Sacerdos percutit per ſententiam excommunicationis. Hunc ſpiritalem gladium Petrus aſſumens, auriculam eius dextram abſcidit, qui aduerſus Chriſtum venit, quia qui Chriſti contrarius eſt prçceptis, ſententia feriendus eſt anathematis: & ſic ei auricula dextra amputatur, dum à diuini verbi prædicatione remouetur, & ei Eccleſiæ aditus interdicitur. Siniſtra quippe auris eſt, qua terrenis intendimus, dum die his inſtruimur. Dextera verò auris eſt, quæ his auditum præbet, quæ de celeſtibus, vel quæ ad ſalutem animæ pertinent, prædicantur. Quod ergo Petrus egit, quamuis in opere ſit reprehendendum, in myſterio tamen eſt officioſum. Officium quippe dicitur actus cuique perſonæ congruus. Benè autem auris dextra non tam auris hoc loco dicitur quàm auricula, hoc eſt auris parua. Pauci quippe ſunt electi, ad ea quæ de ſalute animæ dicuntur accommodantes auditum: & quod de cæleſtibus prædicatur vix capi poteſt, & pro ſubtilitate intelligentiæ, quaſi tenui auris foramine ad animi peruenit intellectum. Quod verò de

duobus

Digitized by Google

duobus prædictis gladijs Dominus ait, *satis est*, & post amputationem auriculæ dixit, *sinite huc vsque*, ad mysterium respexit rei significatæ. Duo quippe gladij superius distincti ad exercendam iustitiam sufficiunt Ecclesiæ, vt quemadmodum homo ex anima constat & carne, ita in his duobus duo exerceantur gladij, Regis quidem in corpore, sacerdotis in anima. *Sinite*, inquit discipulis, *vsque huc*, vt videlicet contenti vestra potestate, non plus, vt dictum est, præsumatis vindictæ, quàm dextram auriculam amputare. Amputatam à Petro auriculam Dominus restituens, percussum sanat, quia eius est pœnitentiam inspirare, qua peccator redeat, & verbo salutis reconciliatus intendat. O misericordia Saluatoris! ô impietas persequentis! Sanat percussum Dominus, & persequi non cessat sanatus. Beneficium suscipit, & in obstinatione sua ingratus persistit. Vident persecutores miraculum, nec persequendi immutant animum. Corrigitur persecutor, vt cesset persecutio.

CONVERTE, inquit Petro, *gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.* Qui acceperit, inquit, ad occidendum, non cui traditus est à potestate, ipse gladio dignus est interire. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plùs quàm* XII. *legiones Angelorum*? Ac si apertè dicat: Non egeo vestri duodecim hominum patrocinio, cui si vellem in auxilio adesset tanta Angelorum multitudo. In illa hora dixit Iesus turbis: *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me. Cotidie apud vos sedebam in templo, & non me tenuistis. Cùm cotidie vobiscum in templo fuerim, non extendistis in me manus. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt implerentur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone nudus profugit foras ab eis.* Latrones in viis insidias tendunt, fures in domibus. Quod autem ait, *tanquam ad latronem*, tale est tanquam ad eum, qui viam obsidens transeuntibus insidiatur, nec tutum aut liberum ei transitum promittit, cùm tu Domine, ipsa sis potius via, qui dixisti: *Ego sum via, veritas, & vita.* Cotidie, hoc est frequenter in templo, vbi omnes conueniunt, sedens quasi securus, non in abscondito more latronis latens. Vnde & à latendo latro est appellatus. Et cùm manifestè sic sederem & docerem, nec manus in me ausi estis extendere, nec tunc etiam cùm eos flagellatos eijcerem de templo. Nondum

Digitized by Google

enim venerat eius, hoc est tempus passioni congruum, quod in eius dispositione fuerat præfixum. Ex quo patenter ostendit, nihil eos in eo agere posse, nisi eo permittente ac disponente. *Hora vestra sicut & mea.* Vestra quidem ad perdendum, mea verò ad saluādum. *Potestas tenebrarum*, hoc est vobis cæcis à me ipso in me permissa. *Si enim cognouissent, nunquam gloriæ Dominū crucifixissent. Hoc autem totum*, de captione ſ. Domini, & proditione Iudæ. Hęc etiā verba non tam Euangelistæ quàm Domini esse videntur. Vnde & subditur, *Tunc discipuli omnes.* Acsi diceretur: Cùm eum audirent asserere de sua passione sancitum in Prophetis esse, nec vllatenus eis vindictam permittere, fugerunt innocente impijs derelicto, & lupis agno. Hoc enim & ipse prædixerat exteſtimonio Prophetiæ dicentis, *Percutiam pastorem, & dispergentur oues, gregis.* Hunc adolescentem quidam intelligunt Ioannem per cæteris à Domino dilectum, qui cæteris iunior ęstimatur, nōnulli Iacobum fratrem Domini. Beda in Marco super hunc locum, quis iste adolescens fuerit, Euangelista non dicit. Item, neque aliquid vetat intelligi hunc Ioannem. Hieremias in minori Breuiario, Psal. xxxvi. Iudęi vim faciebant vel Petro cùm dicerent, *Nam & tu ex illis es*: vel Iacobo, qui cum traderetur, sindone relicta nudus aufugit. *Super nudo*, sub ipso existente, cum super sindonem nullum haberet indumētum. Fortassis enim ad dominicum dictum tunicam suā, vel aliud indumentum pro gladio emendo dederat, vel pro mutuando posuerat. quod dicitur, *tenuerunt eum*, cùm ceteris iam dispersis eum sequentem inuenirent solum, patenter innuitur nequaquam eos fuisse ausos aggredi Apostolos, dum simul armati Domino assisterent.

Cohors ergo, & Tribunus, & ministri Iudæorum, qui apprehēderunt Iesum, ligauerunt eum, & adduxerūt ad Annā primum. Tribunus cohorti gētili pręerat. Dicitur autē Tribunus siue à tribus, vel à tribubus, id est plebib. & minoribus. Tres quippe huiusmodi prelatos dicitur primùm Roman⁹ populus sibi præcepisse, vt quēadmodū Duces militib. ita isti præęssent plebibus. Ligauerunt eū tanquā ex consilio illius qui dixerat, *& ducite cautè*, ne videlicet posset effugere. O cæci! numquid is qui aurem tā citò restituit, vincula dissoluere nō posset si vellet? Sed vincula sustinet impiorum, vt in omni patientia probatus vincula solueret peccatorū. Ligatur à seruis Dominus ad horā, qui fortē armatū religaret perēniter satanā. Vinctus vt latro ducitur humano destitutus auxilio, cui Angelorū assistebat multitudo. Primū adducitur ad

Digitized by Google

Annã Põtificẽ ſocerum Caiphę, qui videlicet Caiphas erat Põtifex anni illius. Vices quippe ſuas diuerſi Põtifices iam facti agebãt per diuerſos annos. Primum ad Annam illudendus ibi adducitur, deinde ad Caipham, tandẽ ad Pilatum, vt ſæpius illuſus erubeſcẽtia cõfunderetur, ſępiùs afflictus deficere cogeretur. Põtificib. tanquã legisperitis primo præſentatur: vt ab his, qui legem ſe cognoſcere teſtabãtur, ſecundũ legem iudicaretur, & ab eis inciperet malitia, per quos potiùs eſſet refrenanda. Quamuis Caiphas adminiſtraret eo anno Pontificatum, non indignatur tamen priùs adduci Ieſum ad Pontificem alium, vt tantò liberiùs & ſecuriùs damnaret reum, quantò eum conſpiceret iam ab alio damnatum, vt ſic in ore duorum teſtium ſtaret verbum.

SEQVEBATVR *autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autẽ ille notus erat Pontifici: Et introiuit cũ Ieſu in atriũ Põtificis. Petrus autẽ ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.* Ceteri Euãgeliſtę de ſolo Petro referunt, quòd à longè ſequereturIeſum. qui enim propinquior ei aſtiterat in captione, & in vindicta feruẽtior, aurem ſerui Pontificis amputãdo; cùm iã ceteri in fugã diſperſi eſſent, & vt Marcus refert, adoleſcẽs cõprehẽſus relicta ſindone nudis profugiſſet, iam tremefactus Petrus à lõge Dominum ſequebatur, à quo eum penitus ſeparari non patiebatur vis amoris: quia quãtũcumque in aduerſis trepidet Eccleſia per Petrum ſignificata, etiamſi timore in aliquibus membris cogatur eum ad horã negare; fundamẽtum tamen caritatis non ſinit eam periclitari, nec à Chriſto prorſus ſeparari. quod verò Ioannes refert aliũ diſcipulũ Petro ſequenti Chriſtum fuiſſe adiunctum, quamuis nõ exprimat quis ille fuerit, humiliter tamen ſe videtur innuere. qui, vt beatus meminit Auguſtinus, talibus ſe verbis ſolet ſignificare, vt videlicet dicat, *alius diſcipulus*. Nam & ipſe ſolus, ceteris iam diſperſis, vnà cum Domini matre ei crucifixo aſtitit, ſicut & ipſemet Ioannes ſcribit. Quod enim Petrus plus Chriſtum diligere & Ioannes plus à Chriſto diligi cum dicitur, & dicitur, maiorem eo tempore dilectionem vtrunque illi decebat exhibere.

PONTIFEX ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis & doctrina eius. Reſpõdit ei Ieſus: *Ego palã locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in Synagoga & in tẽplo, quò omnes Iudæi cõueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierũt, quid locutus ſum ipſis. Ecce hi ſciũt quæ dixerim ego.* Hoc autẽ cùm dixiſſet, vnus aſſiſtentiũ miniſtrorũ dedit alapã Ieſu, dicens; *Sic reſpõdes Pontifici?*

Reſpondit ei Ieſus: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, cur me cædis?* Tanquam ſuperfluam & inconuenientẽ Dominus arguit Pontificis interrogationẽ. Superflua quidẽ, quia quod palam dictũ fuerat, & omnibus notum, documento nõ eget. Incõgrua verò, quia nemo proprio cõmendãdus eſt teſtimonio. Vnde benè Dominus eos, qui audierunt, potius quàm ſe ſuper his cenſet interrogãdos eſſe. *Hoc autẽ cùm dixiſſet, vnus aſſiſtẽs miniſtrorum, &c.* Tãquam cõtemptor præcepti Pontificis, qui de ſe ad eius imperium teſtimoniũ nõ dedit, alapa cæditur. *Teſtimonium perhibe de malo*, quia ante pœnam criminis teſtes ſunt inducẽdi. Principes autem ſacerdotum & omne conſilium quærebãt falſum teſtimoniũ cõtra Ieſum, vt eum morti traderent. Et non inuenerũt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerũt: *Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Tãquam occaſionem hinc ſumẽtes, quod dixerat Ieſus, *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Falſos teſtes inquirunt de maledictis eius, quiveros inducere nõ poſſunt, nec facta eius arguere. Duo falſi teſtes, tanquam in ore duorũ falſorum veritas ſtaret, falſos eſſe conuincuntur in his quæ Domino imponũt. Qui enim dixerat: *Soluite templum hoc*, nequaquam ſe illud facturũ eſſe vel facere poſſe prædixerat, ſed hoc ab illis potius eſſe faciẽdum innuerat, non quidem de tẽplo manu facto, ſicut illi mentiebantur, ſed de templo corporis ſui morte per eos diſſoluẽdo. Et ſurgens princeps ſacerdotum ait illi: *Nihil reſpondes ad ea quæ iſti aduerſum te teſtificantur?* Ieſus autẽ tacebat, & princeps Sacerdotum ait illi: *Adiuro te per Deum viuũ, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei viui.* Surgens Pontifex, & impatiens, cùm non inueniret locum calumniç, motu corporis indicat inſaniam mentis, & prouocat ad reſpondẽdum, vt quamlibet occaſionẽ accuſandi inueniat. Tacet Dominus ad obiectum teſtimonium, quod tam manifeſtè falſum nulla ex occaſione vel reſponſione cenſet dignum. Quod & Pontifex intelligens adiurando eum extorquere nititur blaſphemiam, qua manifeſtè conuinci videatur, & ſummæ falſitatis reus, ſummam profitens veritatem. Adiuratus Dominus per Deum viuum ne tantæ maieſtatis læſç reus fieret, veritatem profitetur pro veritate damnandus, qui & ipſa eſt veritas. Dicit itaque illis Ieſus * * *

Cetera deſunt.

Digitized by Google

IN DIE PASCHÆ, SERMO XII.

QVANTVM ad deuotionem vel honorem feminarum Paſchalis exultatio ſollemnitatis pertineat, tam veteris quàm noui Teſtamenti paginæ teſtantur. Veteri quippe Paſcha in Ægypto à populo Dei primum celebrato, & ea nocte per ſubmerſionem Ægyptiorum fidelibus liberatis, Canticum gratiarum non ſolum viri, ſed etiam feminæ, vt Exodus narrat, Domino perſoluunt. Scriptum quippe ibidem eſt: *Tunc cecinit Moyſes & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, glorioſè enim, &c.* Vbi & de cantu quoque feminarum ſeorſum adiungitur: *Sumpſit ergo Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu. Egreſſaque ſunt omnes mulieres poſt eam, cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim, &c.* Quod quidem feminarum Canticum quanto myſterio plenum deſcribatur, diligenter attendite. Hîc quippe Maria, quæ choro illi feminarum præcinebat, quæ cùm virum habuiſſe non legatur virgo intelligitur, vt non ſolùm vocè Cantici, ſed etiam priuilegio dignitatis præiret cæteris, non ſolum cantaſſe memoratur ſicut Moyſes vel populus; ſed etiam Prophetes eſſe deſcribitur, & tympanum in manu tenuiſſe. Quid enim Prophetes niſi videns interpretatur? Cùm viſionem autem, id eſt reuelationem cantat, cui verborum quoque myſteria Dominus reuelat; cùm in illa videlicet populi liberatione, & hoſtium ſubmerſione non tam corporum ſalutem attenderet, quàm animarum figurari proſpiceret, quam quotidie in ſacramento baptiſmatis diuina operatur gratia. Tympanum autem quod manu geſtabat, mortificationem carnis inſinuat, quam habebat in opere, quò eius Canticum Deo magis eſſet acceptum. Vnde & Pſalmiſta in tympano Deum laudare nos adhortans, ait: *Laudate eum in tympano, &c.* Sæpe autem tympanum in ore magis quàm in manu habemus, cùm ſanctorum mortificationem carnis ita prædicamus, vt eam opere non imitemur. Tanto diligentiùs Mariæ Canticum deſcribitur, quantò ipſum deuotius & Deo gratius fuiſſe intelligitur.

QVOD ſi noui quoque Teſtamenti reuoluamus ſeriem, &

in hac Maria & ceteris cum ea feminis alteram Mariam & cum ipsa deuotas feminas, quibus primum Dominus suæ resurrectionis gaudium exhibuit, competenter intelligamus, reperimus singula his conuenienter aptari. Illa quippe Prophetes memoratur, hæc Apostolorum Apostola dicitur. Illa corporale tympanum sumpsit, hæc spiritale habuit. Quo enim hæc viuentem Dominum ampliùs dilexerat, super eius morte ampliùs afflicta, & quasi mortificata fuerat. Vnde & prima de resurrectione cõsolationem meruit, quæ de eius morte ampliùs anxia & mœsta fuit. Apostolorum autem Apostola dicta est, hoc est legatorum legata: quòd eam Dominus ad Apostolos primum direxerit, vt eis resurrectionis gaudium nunciaret. Maria illa ceteris in Cantico præcinebat, & hæc ante alias gaudio resurrectionis primo est potita; & hæc prima nunciando præcinit quod prima viderat. Post ipsam verò ad ceteras feminas hoc gaudium resurrectionis priusquàm ad Apostolos vel quoslibet viros peruenit. Quas etiam Dominus ad Apostolos dirigens ait: *Ite, nunciate fratribus meis vt eant in Galileam, &c.* Vbi præposterus quidem ordo beatior & honorabilior pensandus est. In veteri quippe Pascha prædicti viri primitus, etiam postmodum feminæ cecinisse memorantur. In nostro autem Pascha, hoc est Dominicæ Resurrectionis die spiritale Canticum exultationis de apparitione Resurrectionis priùs feminæ quàm viri adeptæ sunt. Pascha autem Hebraicè, Phase Græcè, Latinè transitus dicitur. In veteri quippe Pascha Dominus per Ægyptum transiens, primogenitis interfectis, & per transitum maris rubri populum suum liberans, de nomine transitus hanc sollemnitatem insignuit. Præsens quoque Dominicæ Resurrectionis dies non incongruè Pascha dicitur. Ipsa quippe immutatio humanæ naturæ de mortalitate ad immortalitatem, de corruptione ad incorruptionem, quidam in Christo transitus & motus fuit. Transit quippe in aliam statim, & quodammodo mouetur, quia in aliud quàm priùs fuerat, commutatur; veluti cùm quod mortale erat fit immortale, & quod corruptibile & passibile siue mutabile in contrarium vertitur.

HVNC quidem transitum & Euangelista considerans: *Sciens* inquit, *Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, &c.* Quid enim nomine patris, nisi potentia diuinæ Maiestatis *exprimitur*? In hoc autem mundo, hoc est in præsenti vita ærumnosa & misera, quasi impotens & infirmus secundum

fragilitatem assumptæ humanitatis extiterat, & quasi à Patre, hoc est, diuinæ potentiæ virtute se humiliando descenderat, ac quodammodo recessserat, minor etiam Angelis in hoc effectus. Nunc autem in resurrectione omnem hanc infirmitatem deponens, ad Patrem ascendere vel transire dicitur, cùm iam in se nihil infirmitatis vel potentiæ retinet: sed totum quod habet, potentiæ ac virtutis est, vt quasi iam totus in Deum transit, qui iam non vt ceteri homines, homo, propriè, id est animal rationale mortale dicendus est. Quod & beatus Apostolus diligenter attendens, cùm electionem suam à cæteris Apostolis distingueret, ad Galatas scribens ita exorsus est: *Paulus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem qui suscitauit eum à mortuis, &c.* Ceteri quippe Apostoli, vt beatus meminit Augustinus, à Christo tanquam homine, id est adhuc mortali, sunt electi. Hi verò postmodum Christo iam quasi toto Deo facto, id est iam diuinitus magis quàm humanitus in perpetuum viuente, singularem sortitus est electionem. Quod quidem, vt ita dicam, deificationem, & immortalitatis gloriam statim Apostolus exponens, ait: *Qui suscitauit eum à mortuis.* Et attẽde quod iuxta hanc immutabilitatis & stabilitatis gloriam, quam à die resurrectionis in Christo humanitas est adepta, non incongruè tam dies ipsa Resurrectionis quàm Ascensionis Domini, quæ iam non de mortali & mutabili, sed de immortali & immutabili celebrantur, feriarum variationem non habent, sed in eadem feria semper obseruantur. Ceteræ verò Christi sollemnitates à die conceptionis eius vsque ad Pascha, sicut & Sanctorum quælibet festiuitates per ferias variantur, vt modo videlicet in prima feria, modo in secunda vel in alia celebrẽtur.

Solet nonnullos mouere, cur dies Dominicæ passionis, quæ maximè nostram operata est salutem, celebritatis non habeat exultationem, sed in mœrore potiùs quàm in lætitia peragatur: præsertim cùm singulorum passionibus Sanctorum festiuam iocunditatem Ecclesia persoluat. Ad quod respondendum arbitror pro Dominicæ Resurrectionis gloria, quæ tertio die passioni succedit; diligenter ab Ecclesia id esse constitutum, vt quò maior præcesserit in nobis de passione Domini compassio, gratior de resurrectionis gloria sequatur exultatio. Vnde & Paschalis sollemnitatis lætitiæ non solum proximum mœstitiæ biduum præponitur, verumetiam totius Quadragesimæ abstinentia præmittitur. In qua quidem Quadragesima, voces illæ

gaudij, *Alleluia*, *Gloria in excelsis Deo*, & apud Clericos etiam, *Te Deum laudamus*, reticentur, & Paschalibus gaudijs reseruantur: vt eò tunc gratiores sint quasi nouæ; quominus antea fuerant vsitatæ. Constat quippe Quadragesimam Dominicæ abstinentiæ, ad cuius exemplum vel imitationem nostra est instituta, nequaquam eo tempore extitisse, quo nunc nostra peragitur: sed à die Theophaniæ ipsa incœpisse, ipsumque Dominum post baptismum statim ad desertum transisse, sicut Marcus commemorat, ibíque quadraginta dierum & noctium abstinentiam habuisse; non in diebus proximis Paschæ, sicut nunc nostra fit Quadragesima; ea quam diximus congrua dispensatione, vt videlicet eò gratior Dominicæ Resurrectionis exultatio fiat, quo maior abstinentiæ maceratio, vel pœnitentiæ præcessit afflictio. Quid igitur mirum, si & biduum illud Dominicæ passionis ac sepulturæ in luctu compassionis præcipuè ducimus, vt post fletum gratior habeatur risus, nec iam Dominicæ pressuræ recordemur, resurrectionis gloria superueniente. Vnde & Apostolus: *Etsi Christum nouerimus secundum carnem, sed iam non nouimus.* Ac si apertè dicat, Etsi olim corpus Christi carnale, hoc est infirmum ac passibile seu mortale fuisse non dubitemus, iam ipsum quasi spirituale factum nouimus; nec iam tam infirmitatem illam quæ præcessit, quàm gloriam resurrectionis, quæ subsecuta est, attendimus. quæquidem gloria si in ipsis quoque membris Christi, sicut in ipso capite iam esset completa, nequaquam eorum passiones vel dormitiones solemnem haberent celebrationem. *Cum enim*, inquit Apostolus, *venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Perfecta autem glorificatio Sanctorum in Resurrectione est futura, vbi tunc singulis erunt geminæ stolæ, quibus iam datæ sunt singulæ. Adeò autem propter excellentiam Resurrectionis proximæ dies Crucifixionis sollemnitatem non habet, quòd vbi Paschæ sollemnitas imminet, festiua iocunditate Crucis venerationem celebramus; quod totum ad Dominicæ Passionis honorem pertinere dubium non est: propter quam solummodò hæc tota reuerentia Cruci exhibetur. Vnde & hymni vel cetera quæ de Passione sunt, ibidem decantantur.

Illvd quoque non prætermittendum æstimo, primitias dormientium Christum ab Apostolo dictum esse: quòd primus in hanc immortalitatis gloriam surrexerit. Nam etsi plures ante eum, vel ab ipso, vel à Prophetis suscitati sunt, iterum mortui

mortui esse non dubitantur. Illi quoque, quos in testimonium suæ Resurrectionis suscitatos Euangelium narrat, cùm dicitur: *Et petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumento post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis*; nequaquam ex his verbis intelligendi sunt ipso die Dominicæ Crucifixionis resurrexisse, sed tunc tantum in fissura petrarum eorum sepulchra aperta fuisse, & postmodum ipso die Resurrectionis post eius resurrectionem suscitatos esse, & statim in ciuitatem venisse, & fidelibus apparuisse. Quod itaque dicitur, *exeuntes de monumentis*, post resurrectionem eius manifestè indicat non ante eos resurrexisse. Quod igitur Euangelista & apertionem sepulchrorum, & resurrectionem eorum, breuiter & succinctè commemorat, quasi simul facta sint, per anticipationem rei futuræ narrationem suam breuiauit. Notandum quoque ad gloriam Dominicæ sepulturæ, de qua Isaias præcinit, *Et erit sepulchum eius glorioſum*, non minimum profuisse tam horum fidelium quàm ceterorum Sanctorum sepulturas, qui Hierosolimis fuerant, ita nunc occultas esse, vt vbi fuerint ignoretur, nullasque ibi reliquias Sanctorum ibidem tumulatorum apparere: sed omnes indè vel asportatas esse, vel Deum eas occuluisse, vt tota celebratio honoris Dominico vacet sepulcro.

QVONIAM verò infidelium multi in tantum de resurrectione hominum dubitant, vt nullatenus corpora nostra in puluerem reducta, & dissoluta iterum suscitari æstiment posse, decreuit diuina pietas non solum verbis, verumetiam rerum exemplis hanc nobis exhibere, ne quod in minimis sæpiùs operatur natura, nonnunquam in maximis facere diuinæ potentiæ dubitetur gratia. Nemo quippe est qui Phœnicis naturam cognouerit, & quam ei gloriam sæpiùs morienti & suscitatæ diuina gratia contulerit, qui de nostra quandoque resurrectione futura diffidere debeat. Cuius quidem auis naturam & resurrectionis modos si ad Christum mysticè referamus, conuenienter singula ei conuenire videbimus. Hæc quippe auis quia vnica esse perhibetur, nec masculini, nec feminini sexus esse cognoscitur; & quia pullos non generat, nequaquam nidificat. Quæ cùm sibi mortem post annos plurimos imminere præsenserit, struem quandam & domunculam sepulcri ex ramusculis aromaticis vel ipsis aromatibus sibi præparat, tanquam fœtorem cadaueris sui per fragrantiam exprimere sa-

tagat. In hanc itaque aromatum ſtructuram ſe conferens expirare dicitur, & ſole deſuper æſtuante, & aromata ipſa calefaciente, combuſtus in cinerem ſoluitur. Vnde poſt aliquot dies in modum apis ſuſcitatus, paulatim alas & plumas induens in priſtinum redit ſtatum. Quæ ſingula nulli tã congruè vt Chriſto videntur conuenire. Quod enim vnica eſt auis, nec parem vel dignitate vel coitu cognoſcit, tam excellentiæ quàm virginitati Chriſti pulcherrimè aptatur. Quis enim vnicus & dignitate ſingularis itaut Chriſtus? In quo quoq; nec maſculum, nec feminam Apoſtolus eſſe dicit: quia in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, nullam dignitatem diuerſitas ſexuum operatur; nec ſexuum qualitatem, ſed meritorũ Chriſtus attendit. Nidũ hæc auis vt ceteræ non curat, & Filius hominis vbi caput reclinet nõ habet; nec etiam in proprio, ſed in alieno natus eſt. Sepulcrum ſibi præparat, quo & aromata congregat. Et Dominus ipſe per Ioſeph ſiue Nicodemum tam ſepulcrum ſibi quam aromata præparauit, quibus ipſe hanc deuotionem inſpirauit. Concrematio quoque Phœnicis à Chriſti myſterio non diſcrepat, in cuius typo carnes Paſchalis agni non elixæ, ſed aſſæ præceſſerunt. Reſurgens Phœnix formam apis induit, quæ corruptionẽ carnis neſcit; quia in illa reſurrectionis gloria neq; nubẽt neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Quam quidẽ gloriam & vos Chriſti virgines iam in terris adeptæ, nec tam humanè quàm Angelicè viuentes, tanto huius ſollemnitatis diem deuotiùs colite, quantò eam, vt ante præfati ſumus, ad excellentiam veſtri honoris amplius pertinere conſtat.

EXPOSITIO DOMINICÆ ORATIONIS,

In diebus Rogationum, quæ Litaniæ dicuntur.

SERMO XIII.

Habetur & alia huius Orationis Expoſitio ſuprà poſt Epiſtolas.

PRAESENTES Rogationum, id eſt Orationum, dies ex ipſo quoque nomine ſuo nos nunc præcipuè ad orationem inuitant. Conſtat autem inter vniuerſas Orationes eam tam dignitate quàm vtilitate præminere, quæ ab ipſo Domino diſcipulis tradita Dominica indè eſt appellata, & ob hoc à fidelibus potiſſimum frequentanda, vt de ipſa præcipuè Iacobus videatur dixiſſe: *Multum enim valet oratio iuſti aſſidua.* Quantum autem valeat & poſſit oratio iuſti, illud Hie-

Digitized by Google

ronymi ſuper Hieremiam manifeſtè declarat, Domino ad Prophetam dicente: *Tu autem noli errare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Hieron. Quod autē dicit, *& non reſiſtas mihi*, oſtendit quòd Sanctorum oratio iræ Dei poſſit reſiſtere. Vnde & loquitur ad Moyſen: *Dimitte me, vt percutiã populum iſtũ.* Quod ſi tantumdem oratio Sanctorum poſſe habeat, vtpote Moyſi vel Hieremiæ; quid de ipſa Domini ſperandum eſt Oratione, quam ipſemet dictauit, ipſe miſericorditer inſtituit, vt ſic eius iram vertamus in miſericordiam? Sed quoniam orationis fructus aut nullus eſt, aut paruus, quam deuotio intelligentiæ non comitatur, cùm cordis potiùs quàm oris ſit inſpector Deus, iuuat Orationis huius præcipuè ſenſum aperire; vt eò magis fructuoſa ſit orãtibus, quò deuotius intellecta dicatur. Quod quidem Apoſtolus diligenter attendens, Corinthijs ait: *Nam ſi orem linguâ, ſpiritus meus orat, mens autem, anima mea ſine fructu eſt. Quid ergo? orabo ſpiritu, orabo & mente. Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Lingua tantum ſine ſpiritu orat vel pſallit, qui flatu ſuæ prolationis verba tantum format quæ non intelligit. Mente inſuper hoc agit, qui intellectum applicat his quæ dicit. Vnde & illud eſt beati Benedicti: Sic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ. Intantum autem verborum intelligentiam Apoſtolus commendat, vt nihil in Eccleſia dici permittat, quod non comitetur intelligentia. Alioquin eos pro inſanis habendos iudicat, qui quod prædicant prophetare, hoc eſt exponendo interpretari minimè ſufficiunt; aut benedictionibus, quas non intelligunt, amen ſupponit. Sic quippe conſequenter adnectit: *Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiota aut infideles, nónne dicent quòd inſanitis?* Idem ſuprà: *Ceterùm, ſi benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? quomodo dicit amen ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas neſcit. Nam tu quidem benè gratias agis, ſed alter non ædificatur.* Et poſt aliqua de vniuerſis quæ in Eccleſia dicuntur concludens, ait: *Quid ergo? cùm conuenitis, omnia ad ædificationem fiant.* Et ad Epheſios: *Implemini*, inquit, *Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritalibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Et quiſque ei loqui propriè dicitur, à quo eius verba intelliguntur, cùm hoc vnũ ſit verborum officium, vt in auditore generẽt intellectum. Tũc itaque nobiſmetipſis loquimur, cùm ex his quæ dicimus intellectis deuotionem excitamus mentis: & tunc corde pariter &

ore pſallimus, cùm quòd exteriùs profertur, interiùs per intelligentiam capitur. Quid autẽ magis ridiculũ, quàm cùm aliquid orando petimus, quod oramus ignoremus? nec vtrum ſalubria ſint vel nociua diſcutere valemus? Duabus denique cauſis verbis quoque Domini conſtat orandum, vt hoc videlicet ad eius honorem, & ad noſtram fiat vtilitatem. Ad eius quidem honorem, cùm quod ab ipſo poſtulamus, ab ipſo potiùs quàm à nobis hoc eſſe fateamur quod petimus; & eius gratiæ potiùs quàm virtuti noſtræ hoc acceptum tribuamus. Ad vtilitatẽ quoque noſtram verba quoque commendantur, cùm intellecta deuotionõ excitant, & compunctionem generant, vt eo faciliùs audiantur à Domino, quò deuotiùs proferuntur à nobis. Solet quippe dolentium hoc eſſe naturale vel quaſi proprium, vt cum hoc vnde dolent verbis exprimunt, ipſa in eis verba dolorem accendant, & ſuis querimonijs mens compuncta facile prorumpat in lacrimas ex ipſis ſuis quas refert miſerijs. Sic & pœnitentes cum in orationibus ſuis ea quæ commiſerunt referunt, ipſa eorũ verba quaſi quædam punctiones mentes gementiũ vulnerant, vt lacrimas inde producant, vt medullatũ vel pingue ſacrificiũ offerant.

CONSTAT autem orationem Dominicam tam à Mathæo quàm à Luca conſcriptam eſſe, ſed ab illo plenius, qui non ſolũ Euangeliſta, verum & Apoſtolus ipſam ex ore Domini audierit, quando eam Dominus in monte ipſi ceteriſque ſimul Apoſtolis tradidit. Vnde nunc eam prę cipuè noſtra proſequitur expoſitio, quæ plurimũ auctoritatis, ſicut & perfectionis habet, in VII. videlicet petitionibus diſtincta, cum illa Lucæ quinque ſit contenta, quæ non Apoſtolis, ſed cuidam diſcipulo memoratur tradita. Sic quippe in ipſo ſcriptum eſſe Luca meminimus de Domino: *Factum eſt, dum ipſe eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum; Domine, doce nos orare, ſicut & Ioannes docuit diſcipulos ſuos. Et ait illis. Cùm oratis, dicite, Pater, ſanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnũ tuum, fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrũ quotidianũ da nobis hodie, & dimitte nobis peccata noſtra. Siquidẽ & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationẽ.* Mathęus verò Dominicã Orationẽ Apoſtolis tanquã doctoribus & perfectioribus perfectius traditã eam interſerit ſermoni ad eos in monte habito, quẽ & perfectiorẽ eſſe conſtat quàm ille fuerit, quem Lucas refert in cãpeſtrib. ad turbas factũ. Sic quippe ſcriptũ eſt in Mathæo, Domino ad Apoſtolos dicente: *Cùm oratis, non eritis hypocritæ, qui amant in Synagogis*

Digitized by Google

in angulis platearum ſtantes orare vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedẽ ſuam. Tu autẽ cùm orabis, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo ora patrem tuum in abſconſo. Et pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici. Putãt enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim pater veſter quid vobis opus ſit, antequam petatis ab eo. Sic autem orabitis: Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Diligẽter nos Dominus de oratione inſtruens, non ſolum verborum pronuntiationem tradit, verum etiam de intentione nos erudit, vt oratio fructuoſa nobis eſſe poſſit.

SICVT *hypocritæ*, inquit, hoc eſt, non ea intentione qua illos conſtat orare. Quorum quidem intentionem aperiens, ait, vt videantur ab hominibus potiùs quàm à Deo, dum eis placere appetunt, à quibus ſic laudes vel terrena commoda requirunt. Qui vt à pluribus conſpici poſſint, *amant*, inquit, *in ſynagogis & in angulis platearum*, hoc eſt in publicis conuentibus hominum hoc agere: Non dicit ſimpliciter eos ibi orare, quia ibi à pluribus videri poſſunt. Nec dicit in plateis, ſed in angulis platearum, quaſi conſpectum hominum fugere videantur, ſe in angulis occultãdo, quem maximè appetunt. Stantes orant potiùs quàm ſedentes vel procubantes: vt eo religioſiores putarentur, quo ſe in oratione magis affligere creduntur. *Perceperunt*, inquit, *mercedem* orationis ab hominibus in præſenti, non eam poſtmodum à Deo percepturi. Merces ſiue remuneratio orationis his redditur, cùm laudes humanas vel terrena commoda, quas indè requirunt, adipiſcuntur. *Tu autem quicumque es cum orabis, &c.* Cubiculum noſtrum, in quo requieſcimus, mens noſtra eſt, à perturbationibus mundanis ſemota, vt Deo vacantes priorem habeamus orationem tota intentione noſtra in eum directa. Ingreſſi cubiculum, oſtium eius claudimus, ne ab alijs, ſed à ſolo Deo videamur, cùm modis omnibus prouidemus, ne ſic per orationem noſtram hominib. placeamus, vt Deo diſplicere mereamur. In abſcondito magis quàm in manifeſto Deus videre dicitur, quia probator cordis & renum non tã quæ fiunt, quàm quo animo fiant attendit, nec tam opera quàm intentionem remunerat. *Orantes autem nolite, &c.* Hoc eſt, ne appetatis prolixitate verborum in oratione, ea qua infideles faciũt

intentione. Putant enim, quòd quanto prolixior verbis oratio ſua fuerit, tanto magis à Deo exaudiri poſſet, quem non vbique præſentem æſtimant, & verbis indigere putant, quib. ei quod volumus inſinuemus. Nolite ergo in hac ſ. intentione ſimiles ei fieri.

PATER *noſter*. Octo autem partibus hæc ſecundũ Mathæum oratio diſtinguitur. quarum prima pars eſt inuocatio qua dicitur, *Pater noſter qui es in cælis*. Deinde ſeptem petitiones ſequuntur. Tres verò priores ad Deum pertinent, quatuor verò reliquæ ad nos. Huius igitur ordinis intendentes expoſitioni, ipſum priùs oremus Dominũ, vt orationis ſuæ nobis conferat intelligentiam, quæ ipſam nobis faciat fructuosã. Cùm dicit, *Pater*, potius quàm, *Domine*, nos ei per amorem potius quàm per timorem admonet deſeruire. Timere quippe ſeruorum eſt, amare filiorum. Vnde & Apoſtolus Chriſtianam ſeruitutem à Iudaica diſtinguens, conuerſis iam Iudæis aiebat: *Non enim ſubditi eſtis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater*. Notandum verò hoc loco, cùm dicitur, *Pater*, non vnã tantum Trinitatis perſonam intelligi, ſed indifferenter ad Deum orationem dirigi, cui communiter à fidelib. per amorem deſeruitur. Non mediocris videtur beniuolentiæ captatio, cùm eum quem oramus patrem vocamus, quaſi ex tam dulci nomine ad paternæ dilectionis affectum moueatur, & non tam quòd ſeruis quàm quod filijs debeat recordetur. Cùm dicit vnuſquiſque *noſter*, potius quàm, *meus*, filium ſe Dei per adoptionem, quod commune multis eſt, potius quàm per ſubſtantiam, quod ſolius Chriſti eſt, profitetur. Benè autem hęc orationem non ſingulariter, ſed pluraliter ab vno quoque fit, cùm dicitur, noſter, vel noſtrum, nobis vel nos, potius quàm meus vel meum, vel mihi vel me: quia tantò faciliùs impetramus quod poſtulamus, quanto per fraternæ dilectionis affectum alios nobis in orationem ſociamus. *Qui in cælis es*, hoc eſt per gratiam inhabitas, in his qui quaſi cæleſtes ſunt, cælum potius quàm terram habitantes, & in ſuperioribus, non in infimis cõſtituti. De qualibus Dominus ait; *Cælum mihi ſedes eſt*, hoc eſt anima ſublimis virtutibus & deſiderijs feruens ſpiritalibus.

SANCTIFICETVR *nomen tuum*. Poſt inuocationem petitiones adiungit, & quia plus gloriam Dei quàm vtilitatem noſtram quærere nos conuenit (hic quippe finis eſſe debet in omnibus quæ agimus, vt glorificetur Deus) tres iſtæ petitiones vt diximus priores glorificationem eius poſtulant. Per Hezechielem

Digitized by Google

Dominus de reprobis Iudæis conquerens, & eos increpans, ait: *Nomen ſanctum meum quod polluiſtis in Gentibus.* Quæ & Apoſtolus ſententiam inducens, ait: *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt*, in hoc ipſo ſcilicet vt dictum eſt per Prophetam. Quemadmodum ergo nomen Dei pollui ſiue blaſphemari, hoc eſt irrideri vel vilificari ab infidelibus videtur cùm peruerſè agere videret eos qui ſe populum Dei vocabant: ita ecõtrario ipſum ſanctificatur atque benedicitur, ſeu laudatur & glorificatur, cùm eius populus ſanctè ac religioſe vixerit, & illud viuendo compleuerit, quod ipſemet præcipit, dicens: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* De qua etiam glorificatione Dei, vel ſanctificatione diuini nominis per eundem Prophetam conſequenter Dominus adiungit: *Et ſanctificabo nomen meum, quod pollutum eſt inter gentes, quod polluiſtis in medio earum.* Quod etiam qualiter fiat, ſubſequenter exponit, dicẽs: *Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, &c.* Sicut enim quantum in nobis eſt, inhonoramus Deum, cùm eius præcepta contemnimus; ita & econtrariò noſtra eum honorat obedientia. Nomen itaque eius, quod in ſe ſanctum eſt, in nobis etiam ſanctificatur, cum ſic ſub nomine eius viuimus, vt ipſe, cuius filij eſſe dicimur, ex vita noſtra glorificetur. Vt autem ita nomen eius ſanctificetur in nobis, orandum nobis eſt vt expulſo à nobis regno diaboli ſiue peccati. De quo dicit Apoſtolus: *Non regnet peccatum in veſtro mortali pectore ad obediendum concupiſcentijs eius.* Regnum Dei adueniat in nobis. Et hoc eſt quod ſecundo petimus dicentes: *Adueniat regnum tuum*, hoc eſt tuum in nobis ita ſit dominium, vt tibi ſpontaneam in omnibus exhibeamus obedientiam. Quod vt fiat à nobis, *Fiat voluntas tua in nobis*, quæ eſt tertia petitio. Tua inquam, quæ errare non poteſt, vel mala eſſe. Tunc autem voluntatem Dei facimus, cum quod ipſe approbat & nobis conſulit implemus. *Fiat*, inquam, *ſicut in cælo, & in terra*: vt ipſa etiam in cœlum conuertatur terra. Hoc eſt ſic à carnalibus & terrena quærentibus illa impleatur, ſicut à ſpiritalibus & cæleſtia deſiderantibus.

PANEM *noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Præmiſſis, vt dictum eſt, tribus petitionibus, ad honorem Dei pertinentibus, ad quatuor reliquas ſtilum conuertit, quibus quatuor poſtulantur virtutes, in quibus fidelis animæ perfectio conſiſtit, prudentia ſ. iuſtitia, temperantia, fortitudo. Sicut autem prudentia tam tempore prior eſt quàm natura, ita & eius petitio prior

Digitized by Google

ponitur,cùm dicitur,*Panem noſtrum &c.* quæ eſt petitio quarta. Sic iunge,vt ab omnibus tua voluntas impleatur. Has nobis virtutes impertire, quæ perfectionem confirmant animæ. Cibus animæ eſt, & ſpiritalis eius panis,intelligentia diuini verbi,de quo per Moyſen dicitur. *Non in ſolo pane viuit homo,ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hunc panem,id eſt intelligentiam ſacrę ſcripturæ qui non ruminat,& in eo diuiſionē vngulæ non habet, immundum animal lex iudicat,quia nulla eſt mentis mundítia,vbi eorum quæ præcipit Deus manet ignorantia. Verbum Dei ruminat,qui ipſum frequenter reuoluit, vt diligentiùs intelligat ſicut ſcriptum eſt; *Et in lege eius meditabitur die ac nocte.* Diuiſio autem vngulæ qua incedimus, diſcretio eſt quam in verbis diuinis habemus;cùm videlicet diligenter attendimus, quid iuxta litterā ſit accipiendum,quid ad ſenſum myſticum vel moralem ſit applicandum. Ex qua quidem intelligentia triplici,dum quaſi quibuſdam ferculis anima reficitur , vera prudentia illuſtratur , nec generare poteſt faſtidium iſta diuerſitas ferculorum. Panis autem ſuperſubſtantialis hic intelligentia dicitur,quia longe hic cibus animæ excellentior eſt,quàm quodlibet ſubſtantiale,id eſt corporale alimentum,quod cum animalibus nobis eſt commune. Benè ergo noſtrum dicit panem iſtum , hoc eſt proprium rationalium animarum. Quod dicit *hodie*,tale eſt ac ſi diceret,in hac præſenti vita,hic nobis viaticum miniſtra,ne deficiamus in via. Non ſine admiratione videtur accipiendum quod apud nos in conſuetudinem Eccleſiæ venerit, vt cùm orationem Dominicam in verbis Mathæi frequentemus,qui eam vt dictum eſt perfectius ſcripſerit,vnum eius verbum ceteris omnibus retentis commutemus, pro *ſuperſubſtantialem* ſ. quod ipſe poſuit, dicentes *quotidianum*, ſicut Lucas ait:præſertim cùm huius panis dignitas non minus exprimi videatur, cùm ſuperſubſtantialis dicitur,quàm cum cotidianus appellatur. Denique ſi arbitremur à Mathæo melius dicendum fuiſſe *quotidianum* , quàm *ſuperſubſtantialem* , quis hoc præſumptioni non imputet,vt non ſolum Apoſtolum , verumetiam Dominum corrigere velimus , cùm ille ſic eam ſcripſerit ſicut eam audierat Apoſtolis tradi,& ab eis ipſam credimus frequẽtari ſicut eis eſt tradita,& ab Apoſtolo in eadẽ etiam lingua priùs ſcripta?

QVINTA autem petitio, quæ dicitur , *Et dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitorib. noſtris*, æquitatem poſtulat iuſtitiæ. Aequum quippe eſt , & hoc iuſtitia exigit,vt quales per miſericor-

miſericordiam nos exhibemus proximo, talem nobis inueniamus Deum. Debita dicit, pœnas pro peccatis debitas. Cùm dicit, *ſicut & nos dimittimus alijs ſua debita*, adeò nos ad miſericordiam conſtringit, vt hæc oratio à nobis potiùs ad dãnationem quàm ad ſalutem dicatur, ſi miſericordes non fuerimus. Debitores noſtros hic dicit, ſicut ſequentia Euangelij patenter inſinuãt, qui pro his quę in nos commiſerunt quodam debito pœnæ aſtringuntur, vt pro his ſcilicet puniri ſint digni. Quib. quidem hanc pœnã quantum in nobis eſt remittimus, cùm in eis ad ſatisfactionem paratis nullũ propter hoc vindictã exerceri volumus. Et hoc eſt nos pœnas delictorum ad ſimilitudinem Dei ignoſcere, cùm illis de illatis iniuriis pœnitentibus & ad ſatisfactionem paratis, omnem eis vindictam relaxamus, vt iam eos in nullo penitus pro his puniri velimus. Alioquin nõ ſunt digni venia quamdiu impœnitentes in ſua perſiſtũt malitia, nec debere volumus, vt quãdiu tales ſint à pœna penitus abſoluantur: nec nos velle cõuenit quod ſcimus fieri non poſſe, vel minimè conuenire. Sed dicis, qua ratione his qui iã verè pœnitent, nec in peccato perſiſtunt, pœnę pro peccato debẽtur, maxime illæ quæ ſunt damnationis æternæ? Aut ſi iam non debẽtur, quomodo dimitti poſſunt? Sed profecto cùm nullũ peccatum credatur impunitum, nequaquam à debito pœnę ipſi etiam pœnitentes prorſus ſunt abſoluti: vt ſi non damnatoriis, ſaltẽ purgatoriis in hac vita ſiue in futura ſubiaceant pœnis. Quarum quidem pœnarum, futuræ ſ. vitæ, quãlibet grauiorẽ eſſe beatus aſſerit Auguſtinus, quàm quæcũque pœna ſit vitæ præſentis. Has ergo pœnas, quæ adhuc pœnitentibus debẽtur, nobis dimitti poſtulamus, ne de magnitudine ipſarum per impatientiam ad peccata relabamur, ſicut illi faciunt, qui ſupra id quod poſſunt tentati ſuccumbunt victi: à quo quidem patientiæ defectu, dum probamur in aduerſitatibus, liberari precamur, cùm ſubditur: *Et ne nos inducas in tentationem*. Talem temperantiæ virtutem rogat, ne ſuggeſtionibus voluptatum præbeam° aſſenſum. Tale eſt ergo, *ne inducas nos in tentationem*, ac ſi dicatur: ne permittas nos ita tẽtari, vt in aduerſitatibus deficiamus, vel prauis concupiſcentijs ſuccumbamus victi. *Sed libera nos à malo*, hoc eſt da fortitudinem & robur animi inuictum ad aduerſa quælibet toleranda, ne motu aliquo vel puſillanimitate declinemus à rectitudine. Notandum verò quòd velut beatus meminit Auguſtinus in Enchiridion cap. xx. ſeptem has petitiones, quas Matheus diſtinxit, Lucas in quinque, quas poſuit, breuiter comprehẽdit. Lucas quippe in duabus primis petitioni-

bus,quas & ipſe ponit,hoc eſt, *Sanctificetur nomen tuum,&, Adueniat regnum tuum*,tertiam comprehendit quam Mathæus diſtinguit,ſcilicet, *Fiat voluntas tua*;tanquam arbitremur illa non fieri, niſi hoc etiam compleatur. Vltimam verò,quam Mathæus ſuppo nit,& Lucas tacet,*Sed libera nos à malo*, ita ex præcedenti pendere Lucas autumat,vt illi in vnam petitionem ſit coniungenda. quod & ipſa innuit coniunctio,*ſed*,interpoſita. *Amen*,id eſt fiat.

DE CRVCE, SERMO XIV.

QVANTA deuotione Dominicæ Crucis venerationem proſequi debeamus, beatus Apoſtolus ad Galatas ſcribens diligenter declarat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Tanto quippe ampliùs Crux Dominica,in qua ſumus redempti , à nobis eſt glorificanda:quantò veriùs ex hoc genere redemptionis homo redemptus gloriari valet. Quid eſt autem gloriari,niſi quemcũque ſe aliquid magnum & precioſum æſtimare? In nullo autẽ quælibet res quãti ſit ita cognoſci poteſt,ſicut in precio eius. Sic & homo quãti fuerit apud Deum,quantam ſemper ſollicitudinem diuina ſuper eũ geſſerit clementia,quãtæque pietatis viſceribus eum ſit amplexatus,pretium ipſum pro redemptione hominis datum patẽter inſinuat. Quod diligenter Apoſtolus intuens,& de hoc ſingulariter glorians,ſicut ſuprà meminimus,ait: *Mihi autem abſit gloriari,&c.* Acſi patenter dicat: Gloriẽtur alij in quocumque voluerint , precioſos ſe æſtimẽt quibuſcumque diuitijs vel honore. Mihi autem abſit gloriari niſi in hoc redemptionis meæ genere,quod apud infideles ignominioſius iudicatur & vilius. Quo enim Dominus indigniora pro homine ſuſtinuit ,digniorẽ apud ſe & gratiorem eũ haberi demõſtrauit. Nullũ autem patibulũ execrabilius cruce antiquitus cẽſebatur,nulla mors adeò turpis & deteſtabilis iudicabatur. Vnde & hoc genus patibuli non ſolum ad pœnam Chriſti, verumetiam ad ignominiam impij eligere decreuerunt,ſicut ante per ſapientiam de ipſis prophetatum fuerat dicentibus, *Morte turpiſſima condemnemus eum.* Et Apoſtolus cùm dixiſſet,*factus obediẽs vſque ad mortem*,quaſi parum hoc videretur,niſi etiam ipſum genus mortis tanquam abhominabile determinaret , ſtatim adiecit, *mortem autem crucis*, Quod eſt dicere,non ſolum vſque ad mortẽ, ſed vſque ad tam ignominioſam mortem,qua ſpecialiter blaſphe-

Digitized by Google

mi,hoc eſt qui in aliquam blaſphemiam Dei pręſumebant,puniebantur.Vnde & Domino improperantes quòd ſe filium Dei diceret,aiebant: *Blaſphemauit. Quid adhuc deſideramus teſtes ?* Et quaſi hoc genus mortis ex blaſphemia promeruiſſet,exclamabant:*Crucifigatur.* De quo etiam genere mortis,quàm deteſtabile videretur,& diuina maledictione plenum,Deuteronomij liber his verbis profitetur. *Quando peccauerit homo quod morte plectendum eſt,& adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo,non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur,quia maledictus à Deo qui pependit in ligno: & nequaquam contaminabit terram tuam , quam Dominus dederit tibi in poſſeſſionem.* Cuius quidem capituli memor Apoſtolus cùm Galatis ſcriberet ait: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis,factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

Ex his itaque verbis liquidè monſtratur,quàm ignominioſum Crucis patibulum apud Iudæos præcipuè habebatur,qui ſolam literę ſuperficiem,non myſticos ſenſus in lege perquirũt.Sed quid eſt magis abſurdum, quàm omnes eos diuinæ maledictionis damnatione dignos credi,qui hoc genere mortis potius quàm alio puniãtur?Non enim modus pœnæ,ſed lapſus culpæ reum efficit.Vnde & ſcriptum eſt:*Iuſtus qua morte præoccupatus fuerit , in refrigerio erit.* Sin autem velamen Moyſi detrahentes reuelata facie legem interiùs ſpeculemur,conuenienter hanc maledictionẽ tam ſingulis hominibus per culpam quàm ipſi Chriſto per pœnam poterimus applicare.Pro peccato quippe priorum parentum , quod in ligno vetito commiſſum eſt,omnes indè damnationem incurrimus,& tanquam in ligno morimur, qui cum originali peccato naſcimur iuxta quod & Dominus Adã increpãs , & quaſi maledictionis ſentẽtiam intorquẽs ait:*Maledicta terra in opere tuo.* Omnes itaq; ſententiam hanc damnationis ab Adam cõtrahẽtes,quaſi cadauer ſine vita naſcimur & permanemus,antequã ex aqua & ſpiritu renati,ab hac animæ morte viuificemur.Cadauer autẽ ſuſpenſione ligni mortuũ eadem die ſepeliri præcipitur, quia in hac ipſa vita pręſenti qua naſcimur,cõſepeliendi Chriſto per baptiſmũ ſumus;ne videlicet terra noſtra cõtaminetur,hoc eſt , ne in cõtagio terrenę generationis remaneamus,ſi regenerati ſpecialiter nõ fuerimus.Benè itaque dicitur maledictus à Deo qui pendet in ligno, quia etſi nondum propria incurramus peccata,illud tamen vnum quod originale dicitur peccatũ in ligno,vt dictum eſt,ſciẽtię boni & mali cõmiſſum ad dãnationẽ noſtrã ſufficit, cui diuino iudicio

Digitized by Google

deputati ſumus,& ob hoc à Deo quadam maledictione percuſſi. quæ quidem maledictio,& in Chriſtum retorquetur per pœnam, quem percuſſum à Deo & attritũ propter ſcelera noſtra Propheta longè ante prędixerat. Et ſicut ceteri in ligno,vt dictũ eſt,mortem animæ incurrerunt,ſic iſte mortem corporis,vt per hãc ab illa nos liberans maledictionem noſtrã in benedictionẽ cõuerteret. Vnde & Apoſtolus cùm præmiſiſſet,*factus pro nobis maledictum,ſicut ſcriptum eſt*,ſtatim adiecit,vt in gentibus benedictio fieret. Sicut ergo in ligno,id eſt pro trãſgreſſione ligni vetiti,Chriſtus corporaliter eſt mortuus,ita & corporaliter per pœnam àDeo maledictus,hoc eſt ex ſententia Dei pœnæ huic deputatur. Hinc enim & peccata noſtra ſuſcepiſſe ſeu portaſſe dicitur, hoc eſt peccatorum noſtrorum pœnam toleraſſe, & ſic quodammodo noſtræ maledictioni communicaſſe. Cuius quidem pœnam vel paſſionem,qua perductus eſt ad mortem,ſi per ſingula reuoluamus,reperiemus ea quæ mortem præceſſerunt , longe grauiora & intolerabiliora morte ipſa fuiſſe. Imminente quippe paſſionis articulo in tantam animã eius anxietatem legimus * * vt ſudor eius fieret tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Qui enim nouerat quantus paſſionis dolor in illa diſſolutione corporis & animæ futurus eſſet, mirabile nõ eſt ſi iuxta infirmitatem aſſumptæ humanitatis hanc ſupremam paſſionem ampliùs horreret. Captus autem poſtmodũ & tentus,& inſuper Ioanne referente vinctus,ad ſacerdotes primũ adductus eſt,vbi,ſicut Marcus meminit,cœperũt quidã conſpuere eum,& velare faciem eius,& vt ſcribit Mathæus in eã conſpuere,& tam colaphis quàm alapis ipſum cædere,atque illudere dicẽtes;*Prophetiza nobis Chriſte quis eſt qui te percuſſit ?* Vbi inter cetera, cùm à Pontifice interrogaretur de diſcipulis ſuis & doctrina eius, & ipſe reſpondiſſet,*Ego palam locutus ſum,&c.* Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam ei,dicens:*Sic reſpondes Pontifici ?* Hæc autẽ in nocte captionis ſuæ conſtat in eum facta eſſe. Mane autẽ facto, de Concilio Sacerdotum ad Pilatum præſidem ipſum adhuc vel iterum vinctum perduxerunt. Quo adducto ,vt Mathæus ait, ſtetit ante præſidem. Stetit,inquam,vt dictum eſt,ligatus, potiùs quàm ſedit,vt videlicet in vtroque,tam ſtatione ſ. quàm ligatione eũ affligerent. Quanta autem conſtantia illic perſiſteret,patenter oſtẽditur,vbi interrogatus à Pilato,reſponsũ ei non reddebat. De qua eius confidentia,& quaſi de ſuo contemptu Pilatus admirans:*Neſcis*, inquit , *quia , poteſtatem habeo crucifigere te,& poteſtatem habeo dimittere te ?* qui etiam à Pilato ad Herodẽ miſſus,cùm multis

Digitized by Google

ab ipſo quoque interrogaretur ſermonibus, nihil ei reſpondebat. Vnde tam ab ipſo quàm ab exercitu eius ſpretus & illuſus eſt, veſte alba indutus, & ſic ad Pilatum remiſſus.

A PRINCIPIBVS itaque interrogatus, qui ad eum liberandum plurimum poterant, reſponſione ſua dignos eos non cenſuit; qui tamen vt ſuprà meminimus à miniſtro Pontificis percuſſus, blandam ei reſponſionem non negauit, dicens: *Si malè locutus ſum, perhibe teſtimonium: ſi autem benè, cur me cædis?* Quãta denique apud Pilatum ſuſtinuerit, non ignoramus. Qui cùm tertiò, vt Lucas meminit, eum innocentem eſſe confeſſus eſſet, idque ipſum ex ablutione manuum demonſtraret, ipſum tandem flagellauit, quaſi illud implens quod antea dixerat, *Corripiam eum & dimittam*, vt ſic ſaltem ad miſericordiam Iudæorum flecteret ſæuitiam. Quod cum efficere non poſſet, cęſum eũ flagellis tradidit eorum voluntati. Tunc milites, vt Mathæus refert, ſuſcipientes eum, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem. Quibus quidem congregatis, & hoc ei obijcientibus & improperantibus quòd ſe Regem faceret, quaſi in modum Regis illudentes ei, exutum veſtimentis ſuis vili purpura induerũt, & pro diademate ſpinis coronauerunt, & pro ſceptro arundine ipſum inſignierunt, & genu flexo ipſum quaſi Regem ſalutantes, ac dicentes: *Aue Rex Iudæorum*, ſimul & in faciem eius iterum ſpuebant, & caput eius arundine percutiebant. Item Pilatus, vt Ioannes refert, exiens ad eos, ipſum ſecum tam crudeliter tractatum adduxit, tentans vtrum ex hoc ſi quomodo eorum duritiam molleſcere poſſet, & ad pietatem inclinare. Ad quos quidem egreſſus: *Ecce*, inquit, *adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis quia in eo cauſam nõ inuenio.* Exijt ergo Ieſus portãs ſpineã coronam, & purpureum veſtimentum, & dicit eis, *Ecce homo.* Ac ſi diceret: Ecce quod humanæ infirmitatis eſt, in me vobis apparet, non quod diuinæ fortitudinis. Poſtquam autem, vt prædictum eſt, illuſerunt ei, exuerunt eum purpura, & induerunt veſtimentis ſuis, quibus iterum nudauerunt eum cum crucifigendus eſſet: quæ poſtea inuicem partiti ſunt, ſicut Ioannes commemorat. Suſceptus tandem vt ad crucifigendum duceretur, ipſum quoque crucis patibulum geſtare compulſus eſt, vt nec interim ei parceretur, ipſo Crucis pondere priùs afflictus, quàm in ea crucifixus. Qui cùm pro vinculis ſuis vel pro prædictis afflictis expeditè vel celeriter nõ guſtaret, moras mortis eius impij non ferentes, quendam alium Simonem nomine crucem

Digitized by Google

coegerunt portare. Crucifixus denique ad ſummam eius ignominiam inter latrones conſtituitur, vt ex ſimilitudine pœnæ ſimul reus crederetur culpæ. Pœna autem huius patibuli quanta ſit, nemo eſt qui poſſit ignorare. Quæ tanto prolixior eſt, nec ſtatim ſuſpenſum interimit; quantò eius paſſio grauior diutiùs affligit. Quid etiam hoc patibulo grauius, vbi totum corpus ita clauis confixum extenditur, vt non minus ex pondere ſuo, quàm ex ipſa fixura clauorum ſuſpenſus crucietur? Vnde rectè hoc vnum mortis patibulum, crux à cruciando cognoſcitur dictum.

Ecce ſeriem Dominicæ paſſionis, prout memoriæ occurrit, ex Euangelicis collegimus ſcriptis; quæ ſuper ſingula vt dictum eſt conſideremus, ea quæ mortem præceſſerunt ipſa morte profecto grauiora, vel intolerabilia fuerunt. Vnde nec vt moreretur, frangi ei crura ſicut latronibus vel lancea vulnerari neceſſe fuit, qui ad celerem mortem ex tot & tantis, quæ ante crucem tulerat, perductus eſt. Conferant martyres quæ paſſi ſunt, & videant in comparatione Dominicæ paſſionis nulla eſſe vel parua quæ paſſi ſunt. Vnde & benè in eius perſona ſuſpirantis, Hieremiæ lamentatio proclamat: *Attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Attendant hoc mulieres, & vt Ezechiel meminit, facta voce ſupra firmamentum, ſtent animalia, & ſubmittant alas ſuas. Quid autem firmamentum aliud, quàm beati Angeli ceteris corruentibus confirmati, eſt intelligendum? Qui cum nobis adhuc mortalibus dignitate quadam ſint ſuperiores, longè tamen ſupra eos Deus homo præminet. Fit autē quandoque nobis vox de firmamento, cùm videlicet de illa beatitudine Angelorum, quæ nobis promittitur, aliquid prædicatur, vel interiori verbo mente concipitur. Deſuper firmamentum alia fit vox, cum ea quæ Deus pro nobis humanitus geſſerit, corporis vel mentis auribus concipitur: quod profecto cum fit, quaſi in admiratione vel in timore ſancta ſtant animalia, & alas deponunt, dum in conſideratione tantæ rei propriæ virtutes illis vileſcunt. Cùm autem de firmamento, vt dictum eſt, aliquid audiunt, quaſi erectas adhuc alas habent; quia pro magno vel mirabili non ducunt, quòd per tot agones ad illam Angelorum beatitudinem perueniunt, quam illi per Dei gratiam humilitate ſeruata perceperunt. Ecce Martyres multa propter Deum paſſi, & in magnis virtutibus probati, plurimam gloriandi occaſionem viderentur adepti, niſi occurreret Dominum

Digitized by Google

vel tanta vel maiora pro ipſis fuiſſe paſſum. Quod profectò dum occurrit, ſtatim vt dictum eſt, ſummittunt alas, pro nihilo ducentes quæ paſſi ſunt ſerui in conſiderationem Dominicæ Paſſionis. Quæ tantò grauior ac miſerabilior, quanto ignominioſior extitiſſe probatur. Vt enim omittamus cetera, quis tam turpiter, quis tam diu illuſus, vt ipſe? De captione quippe primum ad Iudæos adductus, poſt tot colaphos & alapas, quos velata facie ſuſcepit, impijs improperantibus vt prophetaret, ita eſt conſputus & ſputis deformatus, vt iuxta Iſaiam non eſſet ei ſpecies neque decor: & pro tanta vilitate nouiſſimus omnium videretur virorum. Qui & indè poſtmodum Pilato præſentatus, hanc quoque iniuriã cum ceteris ibidem ſuſtinuit. Quis vnquã Martyrũ ita ſputis oblitus & deformatus iniuriari legitur? Quis totiens illuſus modo apud Iudæos, modo apud Pilatum vel Herodem nunc expoliatus, nunc indutus ſuis vel alienis veſtibus, & per tot loca tam impiè diſtractus, vt ab omnibus magis illuderetur? Quis denique Sanctorum ipſum, quo necandus eſſet, patibulum baiulare compulſus eſt? quid ad hoc, fratres, recogitare, vel dicere valemus, niſi illud Propheticum in nobis ſemper ingemiſcere: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? & pro viribus noſtris ad vicem tantæ caritatis eius reddẽdã nos præparare, ſicut & ſubditur: *Calicem ſalutaris accipiam, &c.* quod quia virium noſtrarum non eſt, vt calicem ſalutaris accipiamus, hoc eſt paſſioni Ieſu patiendo communicemus, & noſtram quoque crucem baiulando eum ſequamur; ipſe ſua gratia nobis conferat, ad honorem cuius ipſam, qua redempti ſumus, Crucem die veneramur hodierna, Amen.

IN DIE ASCENSIONIS, SERMO XV.

ASCENSIONIS Dominicæ feſtiua iocunditas, quædam eſt ab Angelis Chriſto triumphanti pompa victorialis exhibita. Ipſe quippe Rex hominum pariter atque Angelorum, alteram ab hominibus, alteram ab Angelis huiuſmodi venerationem ſicut iuſtum fuerat ſuſcepit. In Ramis quippe Palmarum Hieroſolymam veniens, Imperiali more à turbis cum laudibus eſt ſuſceptus, tanquam Rex Iſrael & heres Dauiticæ ſtirpis ab eis ſalutatus ac benedictus. Cuius humili, cui inſidebat, iumento deuotione populi non ſolum

Digitized by Google

ramos arborum, ſed etiam propria veſtimenta ſubſternente, aliquid ſupra conſuetudinem terrenorum Regum hæc eius veneratio habuit. Inde ad templum tanquam ad proprium palatium populis laudes acclamantibus deductus, ſacrilegium negotiatorum indè potenter expellens, tanquam Regia vſus poteſtate ipſum expiauit, & diuina virtute cæcos illic illuminans miraculorum beneficijs domum ſuam conſecrauit. Sicut autem ibi tũc ab hominibus more triumphalis pompæ, vt diximus, eſt honoratus; ita hodierna die aſcẽdens in cœlum ab Angelis ei occurrentibus eſt ſuſceptus. Quorum duo aſſiſtentes in albis ſollemnibus pia allocutione diſcipulos conſolantur, dicentes: *Viri Galilæi, &c.* Huius autem aſcenſus mirabilem gloriam illis mutua laude concinentibus, cùm alijs admirantibus ſæpiùs quærerent, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* alij reſpondentes dicebant, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et rurſum, *Do ipſe eſt Rex gloriæ.* Horum duplex reſponſio, quorum & duplex *minus virtutum* præceſſerat iuſſio, bis ita dicentium: *Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales.* Super quo alij hoc audientes, quaſi quadam admiratione commoti, geminatæ iuſſioni geminatam ſubnectunt interrogationẽ, cùm videlicet aiunt: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Legimus Dominum ciectis à terreſtri Paradiſo primis hominibus, diligentem atque ſolertem Angelorum cuſtodiam, quæ minimè falli poſſit, ibi conſtituiſſe. Vnde & benè Cherubim, id eſt plenitudo ſcientiæ à Propheta vocantur. Hi ergo gladio quodam flammeo atque verſatili ciectos illos ab aditu paradiſi arcentes atque inhibentes, hoc ipſo gladio quaſi quibuſdam portis introitum clauſerant atque obſtruxerant paradiſi. Ad quos quidem Principes, ideſt Angelos ibi ad cuſtodiam illam præſidentes in figura cœleſtis Paradiſi, hodie nobis in aſcenſu Chriſti reſerati, nunc dicitur: O vos Principes, id eſt præpoſiti Paradiſi cuſtodes, attollite iam veſtras portas, id eſt ſummouete illam veſtram quam diximus obſtruentem clauſuram, & illum verſatilem auertite gladium, qui proinde verſatilis, id eſt mobilis potiùs quàm fixus eſt dictus, quia quandoque auertendus & ſummouendus eſt. Et ô vos portæ eleuamini æternales, id eſt ſublatæ & ſummotæ in æternum eſtote, & introibit Rex gloriæ: non quidem terrenus, ſed qui ad cæleſtis gloriæ celſitudinem ſuos de poteſtate diaboli ereptos in hoc hodierno triumpho ſecum pariter introducat. Super quo tam glorioſo & admirabili triumpho, alijs quærentibus:

Digitized by Google

tentibus, & cum ſumma admiratione dicentibus: Quis eſt iſte, vt dicitis, tantus Rex, quem in humana forma, & à nobis olim deſpecta ſuper omnem naturam, id eſt Angelicam conſcendere videmus altitudinem; vel vnde inferior natura hanc adipiſci meruit dignitatem? Alij reſpondentes concinunt. *Dominus iſte eſt fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Fortis ſ. ad omnia aduerſa toleranda, nec remiſſus in aliquo; quamuis in forma humanæ infirmitatis appareat. Potens, ſicut ſtatim determinans, ſubiungit, *potens in prælio*, nec ita vt vetus Adam à tentante ſuperatus diabolo, ſed ipſo mortis auctore morte ſua triumphato, quaſi ſpoliorum trophæa in ſuis, quos eruit, captiuis, nunc refert glorioſa: ſicut & de ipſo olim Pſalmographus præcinerat dicens, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Captiua quippe captiuitas genus humanum bis à diabolo captiuatum dicitur. Primò videlicet eius perſuaſione à Paradiſo exulatum, & præſentibus ærumnis expoſitum, poſtmodum de hac luce ad inferni tenebras dejectum. Suos itaque, vt diximus, bis captiuatos, nunc ſecum ad cœleſtia perducens, quaſi victor hodie de antiquo hoſte ſuperato, triumphat. Dominus ipſe virtutum, non ſolum videlicet hominum quos ſic liberat, verumetiam ſupernarum virtutum; per quas vbicumque vult operatur magnalia. Conferamus autem cum gloria huius triumphi illam, quam diximus venerationem in Ramis Palmarum ei primum exhibitam, & qua ſimilitudine iungantur per ſingula videamus: ita tamen vt hanc illi longè præcellere conſideremus.

VT igitur Ioannes refert, illa prior generatio pro reſuſcitatione Lazari ei facta eſt, cui nec ipſe Lazarus cum eo Hieroſolimam veniens defuiſſe credendus eſt. Sicut ergo ſuſcitatio Lazari illud præconiũ laudis ab hominibus meruit, ita prædictæ liberatio captiuitatis triumphales hodie laudes ab Angelis habuit. Et ibi quidem Hieroſolimam veniens, vt dictum eſt, benedictus à turbis. Hic autem cœlos aſcendens benedixit diſcipulis, vt tanto excellentior hæc dies habeatur, quanto felicior ex benedictione diuina efficitur. Nec ſolum qui præibant, verumetiam qui ſequebantur, laudes ibi præcinebant. Sic & hodie tam præcedentium Angelorum chori, quàm captiui liberatorem ſuum ſequentes, ſumma & ineffabili iubilatione victori laudes acclamabant, ſicut ſcriptum eſt, *Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ*, id eſt cum ſigno victoriæ. Denique

illo ibi ingrediente ciuitatem, cum tanta turbæ circumstantis exultatione, alij admirãtes quærebant: *Quis est hic?* Et alij quærentibus respondebant: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* Sic & in hodierno triumpho, alijs Angelis vt diximus interrogantibus, *Quis est iste Rex gloriæ?* alij respondebant, *Dominus fortis, &c.* Turbis comitantibus vsque ad templum, id est propriæ domus palatium, Dominus perductus est. Et sicut legimus in Daniele, in illo Angelorum comitatu quasi oblatus paternæ maiestati, vsque ad antiquum dierum filius hominis eductus ab Angelis peruenit. Et ibi quidem pigro iumento insidere, hîc leui nubi describitur præsidere. Tunc quippe adhuc corruptibile corpus, quod aggrauat animam, id est mortale gestabat. Iã verò omni mortalitatis põdere deposito, nubi præsidere voluit, & sic ascendere; vt quantæ leuitatis hæc grauia, quæ nunc gestamus, corpora futura sint, in se nobis primum exhiberet. Sicut enim nascendo ex nobis, & patiendo pro nobis summũ nobis honorem vel caritatem exhibuit; ita postmodum resurgendo, vel discipulis apparendo, & nunc denique ascendendo futuram corporum gloriam demonstrauit: vt tantò libentiùs corporalium passionum agones sustineant membra, quantum in ipso capite habent experimentum de futura corporum gloria. In resurrectione quippe corporum immortalitatem nobis exhibuit. Ianuis verò clausis ad discipulos intrans appariturus illis, subtilitatem eorum qua quælibet solida penetrare possint ostendit. Nunc verò super altitudinem cœlorum ascendens quantã sit habitura leuitatem demonstrat, vt videlicet vbicumque voluerit animus, illuc statim sine difficultate transferatur corpus. Vt igitur Apostolus ait, ipsum nunc mente sursum quæramus, vbi est in dextera Dei sedens, vt postmodum etiam corpore ad ipsum, nunc mente mereamur peruenire, non tam ascensuri quàm ab ipso trahendi, cui honor est & gloria per infinita seculorum secula, Amen.

IN OCTAVA ASCENSIONIS, SERMO XVI.

AMINIMVS Dominus inchoans, vt ad maiora perueniat, tanquam à minore ad maius argumentum ducẽs, fidem ex infimis astruit summis; vt cùm in istis magna viderimus, in illis talia mirari desistamus. Vnde contra

infidelium errores de his, quæ in ſeipſo mirabiliter geſſit, quædam in creaturis exempla præmiſit, quibus quælibet hereſeos ſciſmata ſcindi ac diſſipari poſſint. Verbi gratia, Partum virginis adeo nonnulli abhorruerunt heretici, vt dicerent; Si virgo peperit, phantaſma fuit. Cuius quidem erroris vulneri medicamentum Dominus apponens, nonnumquam equas, vt beatus in Ciuitate Dei aſſerit Auguſt. à ſpiritu ventorum concipere facit; quò mirari deſiſtamus, ſi ex Spiritu ſancto virgo cõceperit. Coruos quoque in oſculo concipere & numquam coire, pluribus non eſſe ignotum nouimus. Apes quoque ſine detrimento ſuæ integritatis fructu non priuantur prolis. Cotidie inſuper ex inſenſibilibus & viliſſimis rebus, vermes innumeros, & animantium diuerſa genera procreari videmus. Vnde nec vermi comparari Dominus dedignatur, cui dicitur: *Noli timere vermis Iacob.* Qui etiam de ſemetipſo dicere non erubeſcit: *Ego ſum vermis, & non homo.* Deſperationem quoque reſurrectionis Phœnicis defuncti ſæpius in tanta viuificatio tollit. Denique & Domini Aſcenſionem raptus Heliæ præceſſit, qui mortale adhuc corpus & corruptibile geſtans, curru igneo tranſlatus eſt in paradiſum. Conſtat ignei elementi naturam ceteris longè ſubtiliorem eſſe atque leuiorem. Si ergo Heliæ corpus adhuc terrena grauitate ponderoſum illa ignis leuitas ſuſtinere, nec comburere potuit, quid mirum ſi Chriſti vel noſtra corpora iam immortalia facta, nec tam animalia quàm ſpiritualia dicenda, illud quoque igneum & ſupremum cœlum, quod agnis contegi conſtat, conſeruare poſſit illæſa.

QVONIAM autem ad Aſcenſionis Dominicæ fidem, Heliæ tranſlationem induximus, iuuat denique myſterium huius aſcenſionis ab Helia ſumere. Quem ergo rectiùs Helias ex ipſa quoque nominis interpretatione vel affinitate, quàm Chriſtũ verum animarum ſolem figurat? De quo, vt beatus meminit Gregorius, in Cantico Abacuch Prophetæ ita continetur: *Eleuatus eſt ſol, & luna ſtetit in ordine ſuo.* Poſt aſcenſionem quippe Domini miſſus ab eo Spiritus ſanctus, ſicut ipſe promiſerat, dicens: *Niſi ego abiero, &c.* Eccleſiam, quæ per Lunam ſignificatur, intantum ordinare ſtuduit, vt peruerſos in ea nequaquam toleraret, ſed ſtatim à palea grana purgaret: ſicut per Petrum de Anania & Saphira egit. Quod & Petrus Ananiam increpans profitetur. *Cur*, inquit, *tentauit Sathanas cor tuum*,

mentiri te Spiritui ſancto? Et poſt aliqua : *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Cùm enim Veritas Apoſtolis dicit ! *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*, quotiens ſpiritus aliquid occultum reuelat fidelibus, de quo interrogant, ipſe potius quàm ipſi hoc agere dicitur, cum inſpiratione vel ſuggeſtione hoc faciunt. Sublato etiam Helia in cœlũ, & ſpiritu eius in Heliſæo geminato, cõgregatis filijs Prophetarũ ad Heliſæũ, tantò magis ordinatã duxerunt vitam, quantò maioris abſtinentiæ vel continentię virtutem arripuerunt, in ſolitudine monaſticæ vitæ perfectionem inchoantes, quam & Apoſtoli poſt aſcenſionem Domini per Spiritus ſancti miſſionem non minus ſeruare ſtudueruut. Helias ſublatus in cœlum, dimiſit in terram pallium ſuum. Chriſti verò pallium, corpus quod ſe Verbum induit intelligitur, de quo per Iacob prædictum fuerat: *Lauabit vino ſtolam ſuam, & ſanguine vuæ pallium ſuum.* Hoc itaque pallium Chriſtus aſcendens ad dexteram Patris in ſacramento dereliquit, cuius participatione purgati, & ſic quodammodo Chriſtum induti, præcedentium peccatorum fœditatem tegimus. Heliſæus pallio Heliæ aſſumpto, Deíque ipſius nomine inuocato, aquas Iordanis eo percuſſas diuiſit. Et nos virtute diuini ſacrificij, & inuocatione ſuperni auxilij aquas diuidimus, ne in ea ſubmerſi pereamus, dum carnales concupiſcentias quaſi quoſdam noxios humores in nobis reprimimus vel exſiccamus: vt quaſi ſicco veſtigio ad veram promiſſionis terram perueniamus, ad quam caput noſtrum conſcendiſſe nouimus. Quod quia noſtrarum virium non eſſe ſcimus, ipſe nos illuc poſt ſe gratia ſua trahat, cuius regnum & imperium permanet in ſecula ſeculorum, Amen.

IN DIE PENTECOSTES SERMO XVII.

DVÆ ſunt ſolemnitates Dominicæ tam auctoritate præclaræ, quàm vtilitate præcipuæ. Hæ verò ſunt Paſcha & Pentecoſte, quæ tam in veteri quàm in nouo ſancitę ſunt Teſtamẽto. Etſi enim prior populus Abraham magis vmbrã rerum quàm veritatem haberet, nec Paſcha tamẽ, nec Pentecoſten myſticis eius figuris defuiſſe certum eſt. Illi quippe vt de ſeruitute liberarentur Ægyptia, primũ Paſcha

Digitized by Google

in Ægypto celebrauerunt, assas igni carnes cum lactucis agrestibus immolantes. Inde quadragesimo die in monte Sinai lege susceptа, ritu postmodum perpetuo diem Pētecostes, id est quinquagesimæ singulis annis ex Dominico celebrauerunt præcepto. A Pascha quippe VII. hebdomadas dierum, id est quinquaginta dies iussi sunt computare, & extunc sollennitatē Pentecostes celebrare, quando in susceptione legis digito Dei scriptæ perceperunt à Domino potioris donum gratiæ. Cuius quidem gratiæ prærogatiuam nulli tunc alij populo concessam Psalmista considerans, & hinc maximè populum illum ad gratiarum actionem exhortans, cùm præmisisset, *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sīō*, vnde id præcipuè debeat subiunxit, atque ita consummauit: *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Hanc & Paulus gratiā longè ceteris præferens donis, *Quid*, inquit, *amplius est Iudæo, aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Acsi apertè dicat: Hoc amplius & hoc primum, id est maximum donum, Iudaicus populus præ cæteris à Domino habuit, quod ei credita sunt, id est commissa scripta diuina. Vnde & idem Apostolus, horum scriptorum ampliùs scientiam adeptus, ad hanc sollennitatē Pentecostes plurimum anhelans, cum summo quoque periculo vitæ eam Hierosolymis festinabat celebrare, sicut in Actibus Apostolorum his continetur verbis; *Nauigantes sequēti die venimus contra Chium, & alia die applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.* Proposuerat enim Paulus transnauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis. A Mileto autem mittentes Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ. Qui cùm veniissent ad eum, & simul essent, dixit eis: *Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omnem tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrimis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, testificans Iudæis & Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Hierusalem, quæ in ea mihi ventura sunt ignorans, nisi quod Spiritus sanctus super omnes ciuitates protestatur mihi dicens, quoniā vincula & tribulationes me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummē cursum meum,*

& ministerium quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium Dei. Multas tam in antiquo quàm in nouo populo solēnitates institutas legimus, verùm ad nullam earum Hierosolymis celebrandam, vel hunc Apostolum, vel ceteros, postquam ad gentes transierunt, nisi ad istam vt dicimus, rediisse nouimus. Venit itaque Paulus Hierosolymam cum summo, vt dictum est, vitæ suæ discrimine, præscius eorum quæ ibi pateretur. Venit, inquam, celebraturus Pentecosten, non tam veterem cum Iudæis in templo, quàm nouam cum Christianis in cœnaculo. Ibi quippe vberiore Spiritus sancti gratia discipulis infusa, Angelicam custodiam de templo migrantem nouerat consistere, & antiquam gloriā Synagogæ ad nouitatem Ecclesiæ translatam esse. Quod & beatus cōmemorans Augustinus Epistolæ Ioannis Homelia 11. sic ait: Vbi inchoat Ecclesia, nisi vbi venit de cœlo Spiritus sanctus, & implenit totū locum? Et factus est sonus quasi ferretur flatus vehemens, & linguæ diuisæ sunt velut ignis.

LIQVET itaque quantum huic sollemnitati debeat Ecclesia, quando, vt dictum est, vberiore gratia susceptа, quam discipulis Dominus promiserat, dicens: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*, vitæ spiritalis sumpsit exordium donis omnibus cumulata, tantò proindè à carnali Synagoga amplius discreta, quanto spiritalior effecta. In huius quidem Cœnaculi typo, carissimæ sorores, & Virgines Paraclitenses, vestrum Oratorium constructum, & ipsius summi Paracliti nomine glorioso insignitum, quanta sit deuotione tam vobis quàm toti populo Dei venerandum perpendite, quantum vos spiritales oporteat esse semper attendite: quæ Spiritus sancti proprio templo, eique spiritaliter consecrato, ex professione vestra estis dicatæ. Sic ergo viuite in hoc manufacto & corporali templo, vt ipsius spiritale templum effici mereamini. Huius quanta sit offensa, & quam periculosa in eam trāsgressio facta, ipsa Veritas testatur, dicens: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Si autem offensa in Spiritum dicti tantam habet pœnam, quæ vindicta manet facti transgressionem? Non autem sufficit vobis à transgressione cauere, nisi & ei toto affectu studeatis placere, à quo speranda sunt omnia dona diuinæ gratiæ. Qui cū ea singulis prout vult diuidit, prout vult distribuit, adeò vt nō solùm dator eorum, verumetiam ipsum Dei dicatur donum: quātum satagere debemus, vt hunc talem ac tantum dispensatorem

Digitized by Google

habeamus propitium? Quiſquis in cuiuſlibet potentis familia cõuerſari deſiderat, nihil aut parum ei prodeſt habere gratiam Domini, ſi careat gratia diſpenſatoris: præſertim cùm ipſe idem ſimul & Dominus domus ſit & diſpenſator, ſicut de Spiritu ſancto manifeſtè clamat Apoſtolus. *Diuiſiones*, inquit, *gratiarum ſunt, idẽ autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus.* Qui etiam conſequenter enumerans dona diuinæ gratiæ, quæ Spiritus ipſe diſtribuit, dicens: *Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, &c.* ita hanc donorum diſtributionem concluſit. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Ex quibus quidem patenter inſinuat eundem diſtributorem ac diſpenſatorem diuinorum donorum, tam Dominum eſſe quàm Deum, & pro arbitrio ſuo ipſum tanquam Dominum, non ſub Domino diſpenſatorem cõſtitutum, ea quibus voluerit liberè impertire. Cuius hodie largitas vberior ampliore gratia præſentem diem tanquam propriam ſollemnitatem ditauit, in qua diuinorum beneficiorum promiſſiones compleuit. Poſt aduentum quippe filij in mundum, poſt eius ad patrem in aſcenſione reditum, Spiritus ſancti hodiernus reſtabat aduentus, per quem complerentur omnia quæ per Filiũ ad ſalutem noſtram fuerunt inchoata. Vnde & ipſe Filius: *Mitto*, inquit, *promiſſum Patris mei in vos. Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et rurſum: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Et iterum. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Ex his itaque teſtimonijs veritatis liquet quanta gratia ſit prædita ſollemnitas hodierna, in qua diſcipuli Chriſti tam virtute conſtantiæ, quàm perfectione ſcientię ſunt cõſummati. Quid eſt enim virtute indui ex alto, niſi fortitudine animi contra terrores ſeculi, & quaſlibet aduerſitates armari? Quid enim Apoſtoli ante S. Spiritus aduentum fuerant, niſi quædam vt ita dicam lutea figuli vaſa nondum ignis coctione ſolidata, vt alicui vſui fierent apta? Hæc vaſa tanquam figulus antea Chriſtus de terra plaſmauerat, cùm eos à terrena carnalis populi conuerſatione aſſumptos fide inſtruxerat. Quos poſtmodum Spiritus aduenies zelo diuini amoris accenſos, quaſi quædam lutea & adhuc cruda vaſa hoc igne ſolidauit & coxit, vt cum fiducia verbum Dei deinceps

Digitized by Google

vbique prædicarent. Vnde factum est, vt ipse Apostolorum Princeps, qui priùs vnius ancillæ voce territus Christum negauerat nec semel id, sed ter præsumpserat, ante gladios Neronis, & erectũ sibi crucis patibulum in confessione & prædicatione Christi intrepidus staret. De hoc igne dilectionis, & flamma caritatis, ipse olim Filius dixerat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Ac si apertè dicat, Omnia quæ in mũdum veniens egi tam nascendo quàm prædicando, tam moriendo quàm resurgẽdo, seu etiam ascendendo, ad hunc vnum terminum & supremum finem spectabant, vt hoc igne s. terram concrematem, hoc est Spiritu sancto, qui diuini amoris dicitur ignis, terrena ipsius & frigida corda hominum inflammarem. Ascendit Filius, vt descenderet Spiritus sanctus, sicut ipsemet testatur, dicens: *Expedit vobis, vt ego vadam. Nisi ego vadam paraclitus non veniet, &c.* O quàm gloriosus, quàm dignus iste sancti Spiritus est descensus, qui nequaquàm potuit fieri, nisi per ascẽsum Filij, nec ita mitti potuit Spiritus, nisi ad eum mittendum ascenderet Filius. Ipsa itaque Christi ascensio quasi parasceue hodiernæ festiuitatis est, & quædam pręparatio. Passio quoque Christi quantum ad hoc diuini amoris domũ pertineat, Apostolus diligenter declarat. Cùm enim præmisisset, *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, consequenter adiecit: *Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est?* Ac si diceret: Propter quid aliud, nisi propter hanc caritatis effusionom in cordibus nostris faciendam, mortuus est ad tempus, id est transitoriam & quasi horariã sustinuit mortem, cùm adhuc infirmi essemus, hoc est debiles in fide, vel in toleranda persequutione? Diffusa caritas est, dilata & ampla in cordibus facta, & vsque ad inimicos etiam extẽsa, de qua & per Psalmistam Christo dicitur: *Diffusa est gratia in labijs tuis*, hoc est tota prædicatio tua nihil aliud quàm perfectionem resonat caritatis. De qua & Apostolus, *Finis præcepti caritas, de corde puro & conscientia non ficta.*

SICVT ergo præcepta Dei, sic & præcepta Christi ad hunc vnicum finem, id est ædificandam in nobis caritatem, tota intendit. Cuius quidem intentionis perfectio per Spiritum sanctum hodie consummata, & omnium bonorum gratia distributa, tantò præsentem sollemnitatem fecit gratiorem, quantò potioribus donis hanc esse præstitit ditiorem, quam vt dictum est tam fortitudine quàm scientia peregit clariorem. Simul quippe Spiritus hodie aduenies corda discipulorum & corroborat, vt dictum

est;

Digitized by Google

eſt: & illuminat, vt promiſſum eſt, eorum ſ. quæ Filius dixerat intelligentiam ſuggerendo, & omnem eos veritatem docendo. Cuius quidem aduentum diligenter hodie deſcriptum audiuimus, cùm illud Actuum Apoſtolorum legeretur, *Factus eſt repente de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diuerſæ linguæ tãquam ignis, &c. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, &c.* Aduentus Spiritus ſancti in ſono declaratur venti, quem ventũ hoc loco dicit vehementem ſpiritum. Flatus quippe venti cùm ſit inuiſibilis, tamẽ eſt audibilis. Sic & inſpiratione ſpiritus in diſcipulorũ cordibus videri non poterat interiùs, ſed exteriori auditu ex diuerſitate linguarum ſpiritalis gratiæ donum perpendebatur. Repentinus ſonitus iſte fuit, quia ſuper humanam exiſtimationem huius inſpirationis gratia creuit. Vehemens iſte venti flatus dicitur, vt virtus verbi hodie collata, contra quælibet obſtacula vel humanæ ſapiẽtiæ rationes oſtendatur valida. De qua quidem virtute verbi loquens Apoſtolus Corinthijs: *Arma*, inquit, *militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potẽtia Deo ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiã Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum.* Et per ſemetipſam Veritas Apoſtolorum corroborans animos, ne de imperitia ſua contra ſapientes ſeculi deſperarent aut trepidarẽt, ait: *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpõdeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Et alibi: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

RECTE igitur hęc impremeditatę reſponſionis per ſpiritum facienda ſuggeſtio præfiguratur hodie flatu venti repentino. De cœlo ſonus fieri dicitur, quia de commotione aeris, quæ ventus dicitur, audiebatur ſonitus, in typo videlicet sũmi ſpiritus loquuturi per Apoſtolos linguis omnibus, ſicut ſcriptũ eſt: *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, &c.* Et attende quod nõ ait, ſonus aduenientis ſpiritus, ſed *tanquam aduenientis*, vt cùm in veritate corporalis ſonus venti fuerit, quadam tamen ſimilitudine ſonum validũ exprimeret prædicationis futurę: vel quãdam in cordibus factam vocem locutionis internæ, ſpiritu ſ. ſuggerente interiùs, vnde loquerentur exteriùs. Meritò vehemens ſonus ille dicitur quaſi flatus fortiſſimus, vt videlicet deſignaret prędicationẽ Apoſtolicã, non infra terminos vnius Iudææ, ſicut Prophetarum, eſſe conclu-

dendam,ſed quaſi per vniuerſum mundum flaturam & dilatandã. Flatus ille vehemens donũ replet,non concutiendo vel impellẽdo ſubruit,quaſi Spiritus ſancti eſt ſupplere imperfecta, non deſtruere inchoata bona. Vnde veritas: *Nõ veni ſoluere*, inquit, *legem, ſed adimplere*. Et de hoc ipſo aduẽtu ſpiritus,& de perfectione doctrinæ promiſerat,dicens: *Ille docebit vos omnem veritatem,& ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

LEGIMVS ventum à Sathana immiſſum,cum ruina domus quam concuſſit filios & filiæ Iob extinxiſſe,quia illius eſt perdere, non ſaluare,& deſtruere magis quàm ædificare. Hic autem flatus venti nequaquam domum labefactat,ſed incolumem conſeruatã intrat,& vehementis motus agitatione ignem concitans in aere ipſam quam intrat illuminat. Ignis, qui & ſplendet & calet, hoc flatu venti ſuper Apoſtolos generatus in aëre,illuminatio mentis eſt,& flamma caritatis Apoſtolorum cordibus hodie inſpiratæ,& in ſuperiore hominis parte,hoc eſt in animam per ſpiritum factæ. Ignis iſte in forma linguarũ exteriùs apparuit,quia per verba prædicationis,quid intus ſcientię,quid caritatis habeatur,audiẽtibus innoteſcit. Linguæ igneæ,hoc eſt de igni factę memorantur, cùm Apoſtoli ex ipſa caritate qua feruebant, & ſcientia quam ob hoc acceperant,prędicare compulſi: his quoque duobus corda auditorum illuminaturi erant atque accenſuri. Diſpertitæ in ſe ſunt linguæ, non ſolum pro diuerſitate earum, verumetiam pro diſcretione prædicantium. Sicut enim pro diuerſitate gentium diuerſis vtendum eſt linguis,ita etiam pro qualitate auditorũ prædicationem temperari conuenit, vt paruulos lacte nutriamus,adultos pane reficiamus. Super ſedentes in domo ignis ille apparẽs ſediſſe dicitur, quia ſuper humilem & quietum ſpiritum ſuum requieſcere Dominus teſtatur;& qui ſuperbi ſunt, diuini amoris ignem ſuſcipere non merentur. Hinc quoque benè illis inſediſſe dictus eſt ignis ille,quia percepta illa gratia cum eis erat perſeueraturą: ſicut & antea Dominus de ipſo ſpiritum promiſerat dicens: *vt maneat vobiſcum in æternum*. In vna domo congregati ſpiritum perceperunt,quia quicumque non ſunt de Eccleſia,ſunt alieni à gratia. Vnde & Agnus Paſchalis in vna domo comedi præcipitur,quia extra Eccleſiam veri ſacrificij locus non habetur:& quicumque in Arca non fuerunt, ſubmerſi diluuio perierunt. Iam iuxta quædam dona Spiritum ſanctum acceperant, quibus inſufflans Veritas dixerat, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,&c.* ſed repleti Spiritu ſancto non erant,ſicut ho-

Digitized by Google

die factum esse monstratur cùm dicitur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*. Primò itaque quibusdam donis initiati, hodie cumulati sunt & consummati. De qua quidem repletione spiritus quasi statim eructuantes, cœperunt loqui alijs linguis, sicut in Græco habetur, quàm antea fecerant. Nam sua propria lingua, id est Hebraica, nequaquam tunc loqui incipiebant, sed alijs quas ignorauerant, pro diuersitate s. hominum ex omni natione, quæ sub cœlo est, ad diem festum Hierosolimis congregatorum. De qua quidem diuersitate linguarum, quo mirabilior habeatur, id quidam senserunt, vt cùm omnes vnius linguæ prolatione vterentur, singulis auditoribus propria cuiusque lingua loqui viderentur. Sed hoc profecto nequaquam esset loqui alijs linguis, sed videri alijs loqui; nec veritas esset linguarum, sed opinio deceptorum hominum: nec de linguis quicquam esset Apostolis collatum, sed de intelligentia auditoribus inspiratum. Falsum denique & illud esset quod ab auditoribus dicebatur: *Audiuimus eos loquentes linguis nostris*. Si enim locutio linguarum non erat, sed videbatur, falsum est eos audisse in illis verbum quod non erat in ipsis.

Non solum igitur de intelligentia interioris verbi, verumetiam de pronunciatione soni hodie sunt instructi, nequid desit eis in vlla gratia. Vnde præsens sollemnitas quanto multipliore gratia sit prædita, tanto maiore deuotione est celebranda, & omnium linguarum laudibus honoranda, quando ad prædicandum gentibus vniuersis genera omnia linguarum Apostolis sunt collata. Atque vtinam vos, Sponsæ Christi gloriosę, quibus vt suprà meminimus, hæc sollemnitas specialiter incumbit celebranda omnium linguarum generibus, diuinas in ea laudes resonare possetis! Quod quia non sufficitis, vel hoc saltem efficite, vt doctrinæ trium principalium linguarum, quibus duo testamenta conscripta sunt, & Dominicæ Crucis titulus insignitus, operam dantes, aliquid amplius quàm ceteri fideles his festiuis addatis præconijs. Quod & ipse spiritus ad honorem sui vobis suggerere dignetur, qui vbi vult spirans sine sono docet interiùs, siue calamo scribit in mentibus: nec moras patitur in docendo, nec dilationem habet in scribendo. Ipse infirmitatem vestram in sancto roboret proposito, qui hodie Apostolos induit ex alto. Ipse fictilia vasa vestra, & luteam adhuc crudam testam igne diuini amoris excoquendo solidet, quo discipulorum corda hodie replenit. Ipsum sponsus vester Dominus Iesus Christus ve-

ſtris ſemper mentibus inſpiret, & tanquam arrham deſponſationis & ſpiritale pignus dotis vobis cuſtodiat, vt ſicut Apoſtolis promiſit, maneat vobiſcum in æternum, Amen.

FERIA II. PENTECOSTES,
SERMO XVIII.

MAXIMAM apud vos feſtiuitatem Pentecoſtes quantò maiore ſtudio celebrare nitimini, tantò pluribus exhortationum Sermonibus ad hoc cupitis incitari. Octo itaque diebus eam celebrantes, in ſingulis iſtis ſingulos exigitis Sermones. Quod vt perficere queam, hoc ab ipſo ſpiritu mihi veſtris precibus impetrate. Et quoniam iuxta Dominicam aſſertionẽ, ſcriba doctus in regno Dei ſimilis eſt homini, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera, hanc imperitia mea doctrinam quantum valet, cupiens imitari, de nouo Teſtamento ad veteris teſtimonia ſtilum conuertere curat: vt eò gratior hæc ſollemnitas habeatur, quo eius dignitas amplius commendatur. Hanc itaque ſancti Spiritus tam glorioſam ſollemnitatem per eundem Spiritum Pſalmiſta præuidens, eamque vt oportet Aſcenſioni Dominicæ copulans, ad eius iocunditatem celebrandam nos vehementer admonens quodam loco ait: *Regna terra cantate Deo, pſallite Domino. Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia eius & virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael: ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebis ſuæ benedictus Deus.* Diuino itaque ſpiritu illuminatus Pſalmiſta etiam poſt aſcenſionem Domini deſcenſionem eiuſdem ſpiritus mirabilem, & gratiam in nationes vniuerſas effuſam: nec iam vt ante in Iudæa Deum intelligens, vniuerſa regna iam per hanc gratiam Deo adquiſita, ad ipſum glorificandum inuitat, dicens: *Regna terra cantate Deo, pſallite Domino*, hoc eſt vniuerſæ gentes, quæ iam à ſeruitute diaboli liberatæ regnare cœpiſtis, glorificate ſuper hoc Deum voce cantando, ac ſimul operatione pſallendo. Ac ne Deum negaremus, quem iuxta humanitatem aſſumptam localem vel mobilem audiremus, *ipſi*, inquit, *pſallite qui aſcendit, &c.* Superiùs quidem dixerat, *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum.* Nunc verò dicit, *qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem.* Priùs

itaque de reſurrectione, ſicut primum facta eſt, illud dixit. Nunc verò de aſcenſione hoc ſubjungit. Occaſum itaque veri ſolis corporalem eius obitum dicit, de quo ipſe dixerat. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Super hunc igitur occaſum aſcendit, quando de morte reſurrexit, more videlicet ſolis, qui poſt occaſum conſcendit ad ortum. Ita ei faciunt diſcipuli, qui ſe dignos præparant, eum confidenter expectando: vt ſicut promiſerat ad eos reſuſcitatus redeat.

QVOD autem hîc dicitur, *qui aſcendit ad Orientem*, poteſt Pſalmiſta non incongruè dicere ſecundum loci poſitionem. Ipſe quippe mons Oliueti, de quo Dominus aſcendit in cœlum, ciuitati Hieruſalem aſſiſtere dicitur verſus Orientem. Poteſt quoque intelligi quod vbicumque mons ille fuerit, Dominus ad Orientem aſcenderit, ſi facie ſua illuc verſa hoc egerit. Qui enim ad Occaſum dorſum habet, faciem ad Orientem intendit. Ei autem poſt dorſum iam omninò erat Occaſus, quia reſurgens à mortuis vltra non moritur, nec amplius ad illũ quem ſuſtinuit occaſum eſt rediturus. Super cœlum cœli conſcendit, quia celſitudinem ætherei, quæ aerio præminet tranſcendit. Quid autem poſt aſcenſionem ſuam, miſſo Spiritu ſancto diſcipulis ſit facturus, conſequenter adiungitur: *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis.* Vocem ſuam, hoc eſt propriam Dei locutionem dicit internam eius inſpirationem, quæ hodie per Spiritum plenior facta eſt, cùm ſine ſono interiùs omnem eos veritatem docuerit. Huic autem interiori locutioni cum per eundem Spiritum exterioris locutionis diuerſa ſint genera addita, quaſi diuinæ voci, quæ interiùs fit, vox humana eſt adjuncta: vt videlicet verbum mente conceptum interiùs, per audibile verbum proferatur aut manifeſtetur exteriùs, & ita voci diuinæ vox humana datur; vt quod Deus inſpiratione ſua intus nobis loquitur, nos prolatione noſtra homines doceamus. Benè itaque dicit, Domino aſcendente, quia vocis ſuæ per Spiritum, vt dictũ eſt, in Apoſtolis factæ, dabit etiam vocem prolationis humanæ; vt quod rectè ſenſerunt, congruè quibuſlibet proferre ac differere poſſint. Quam inſuper vocem virtutis dicit, quæ hodie ſuper Apoſtolos vento præfigurata eſt vehementi, ſicut in heſterno Sermone meminimus. Virtutem prædicatio habet, & valida eſt, cùm quis quod dicit differere ſufficit, vt confutari non poſſit, vel cùm animo præſtanti prædicat, nec timore aliquo, veritatem; vel cùm ea, quæ prædicat, moribus non oppugnat, nec

conſcientia reprobæ vitæ erubeſcentiam timet de prædicatione. Quæ omnia in Apoſtolis clarum eſt præminere, vt eorum prædicatio vox virtutis merito dicenda ſit. Ipſis quippe Dominus promiſerat, *Ego dabo vobis os & ſapientiam*, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij. Os ſ. ad loquẽdum, ſapientiam ad intelligendum, vel quid cui dicatur, quando & quomodo diſcernendum. Scriptum & de ipſis eſt, quòd cùm fiducia verbum Dei prædicarent. Qui etiam quàm religioſæ vitæ eſſent, vel quanta ſollicitudine prouiderent, ne turpitudine ſuæ vitæ adulterarent, aut infamarent verbum Dei, vnus eorum teſtatur, dicens: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Et attende quòd cùm dicit in his, quos Spiritus ſanctus replet, interiori verbo exteriùs coniungi, patenter eos à dæmoniacis ſecernit. Quos enim dæmonia replent, & torquendo in inſaniam vertũt, verba eis tantùm, non ſenſum miniſtrant, & caliginem fumi potiùs quàm ſplendorem ignis mentibus eorum immittunt. Spiritus autem ſanctus cùm in electis loquitur, primum intus illuminat ipſos, quàm exterioribus eorum verbis alios. Vnde benè hoc loco voci diuinæ, vt dictum eſt, vox humana dicitur addita; vt quod per inſpirationem alijs nuncietur. Nec tamen ideò credendum eſt, vt quotiens per Prophetas Spiritus ſanctus loquutus eſt, quicquid in verbis illis intellexerit, hoc totum eis per quos loquebatur inſpirauerit: ſed modo vnum tantummodò, fortaſſis plures quos ibi prouidebat ſenſus haberi, eis reuelabat. Vnde cùm aliquam prophetiam variè à Doctoribus exponi videmus, nequaquam neceſſe eſt vt omnes illos ſenſus ibi Prophetam habuiſſe credamus: ſed quicquid ibi conuenienter intelligi potuit, ſpiritus præſciuit.

SICVT ergo diues aliquis per œconomum ſuum diuerſis artificibus proprium tradit aurum, vt diuerſa ei faciant ornamenta: ita & Spiritus per Prophetas ſua nobis tradit eloquia diuerſis ſententijs referta, quæ cum diuerſis exponimus modis, quot indè ſententias producimus, quaſi tot opera de vna materia fabricamus. *Date gloriam Deo.* Regna terræ, quæ ſuperiùs ad cantandum & pſallendum Deo imitauerat, rurſum ad glorificandum ipſum adhortatur ea, vt de tanta his diebus collata gratia vberiorem laudum dent gloriam Deo. Tanto enim hæc gratia vbique terrarum eſt amplius prædicanda, quantò ipſa vbique melius eſt operanda, & per eam vniuerſa Deo ſunt adquiſita re-

Digitized by Google

gna, & de regno diaboli in regnum Christi translata. Quod quidem per quos factum sit, consequenter adjungit, dicens: *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.* Ac si diceret, Inde date gloriam Deo, quia ipse nubibus suis, id est Apostolis, magnificentiam & virtutem dedit, per quem vos in regnum suum conuerteret. Nubes de imo surgunt in altum, & de alto imbrem emittunt, quo irrigata terra fructificat, & sedentes Apostoli spiritū perceperunt; quia humilibus Deus dat gratiam, & superbis resistit semper. Per hanc gratiam hodie in virtutibus sublimati, & vberioribus donis magnificati tanquam de alto terram compluunt, dum diuini eloquij verbis corda terrenorum hominum omnium linguarum generibus loquentes erudiunt. Quos itaque Deus sic magnificauit, & in tantas virtutes tot donis ipse promouit, rectè magnificentiam & virtutem eis contulisse dicitur, quos & miraculis coruscare, & tam verbi quàm animi virtute fecit præminere. De quibus adhuc subditur: *Mirabilis Deus in sanctis suis*, per quos videlicet maiora quàm per semetipsum operari dignatus est, tam miraculorum exhibitione quàm prædicationis operatione, tanquam spiritu Heliæ in Helisæo geminato. Vnde & eis promiserat, dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Scimus & primogenitum fratrem, id est Christum, quasi sine liberis defunctum, & fratres eius, id est Apostolos, sponsam eius, id est Ecclesiam suscepisse, & in ea prolem filiorum innumeram generasse, & ab his deinceps diebus vniuersum mundum collegisse.

VNDE quantum huius sollemnitatis gratiæ mundus debeat, semper attendat, ad quem vndique colligendum collata sint modo vniuersa genera linguarum. Intuemini vniuersas Christi sollemnitates ab ipsa eius Natiuitate vsque ad Ascensionem, & quid tunc mundus perceperit huic gratiæ comparate, & longè ceteris hanc festiuitatem videbitis præminere. In hac quippe centum viginti discipulis in Cœnaculo cõgregatis Spiritus sanctus infusus, per ipsos eadem die circiter tria millia hominum lucratus est. Quod quidem vt fieret, dispersos olim sub Antiochi persecutione Iudæos de vniuersis nationibus Hierosolimis in præsenti festiuitate congregauerat; quod nunquam in alia festiuitate legimus factum esse. Ex quo etiam liquet, quantum ad præsentem gratiarum festiuitatem populi vndique conuenire debeant, qui spiritalis gratiæ dona desiderant. Hæc vna festiuitas vbique terrarum Ecclesiam dilatauit, & cum ipsa pariter

Digitized by Google

diuinas ſollemnitates per vniuerſum mundum plantauit celebrandas, & omnium linguarum generibus laudes Dei diſperſit; vt hinc appareat quantum huic feſtiuitati ceterę omnes ſint obnoxiæ, per hanc videlicet vbique terrarum diſſeminatæ. Vnde & ad huius diei præconia cùm præmiſſum ſit, mirabilis Deus in ſanctis ſuis; & vt dictum eſt, quodammodo in eis mirabilior quàm in ſemetipſo, ſtatim adnexuit, vnde nunc maximè mirabilis apparuit: *Ipſe*, inquit, *dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ.* Plebem quippe ſuam diſcipulos dicit, illiteratos, ruſticanos, de humili plebe aſſumptos, per quos mirabile eſt tanta eũ operari. De quibus vnus eorũ Corinthijs ſcribens, & reprobatis ſapientibus & potẽtibus ſeculi, tales idiotas & impotentes eligi conſiderans, ait: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Euãgelizare. Non in ſapiẽtia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his autem qui ſalui fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens, vbi ſcriba, vbi inquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus. Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus vt confundat ſapientes, & ignobilia & cõtemptibilia mundi elegit Deus & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Nõ enim mirabile eſſet ſi ſuper potentes vel ſapientes ſeculi magna operaretur, quod humanæ virtuti potiùs quàm diuinæ aſcriberetur. Vnde benè ſicut hîc dicitur, ipſe Deus Iſrael, qui videlicet antiquum populum elegit; ipſe, inquam, non alter aut recens Deus. His plebeis & pauperibus viris de populo eodem aſſumptis, & nunc virtute ex alto indutis, dabit virtutem verborum contra ſeculi ſapientes, & fortitudinem animorum contra potentum impugnationes. Benedictus Deus, ſubaudis, ſit: hoc eſt ab omnibus glorificatus & laudatus, qui per tales talia operatus eſt his diebus, Amen.

FERIA

Digitized by Google

FERIA III. PENTECOSTES, SERMO XIX.

HESTERNVM Sermonem ex teſtimonijs ſexageſimi ſeptimi Pſalmi collegimus. Nunc autem ad ſeptuageſimum Pſalmum cõuertentes ſtylum, iuuat hinc quoque huius ſollemnitatis præconium ſubinferre. Scriptum ibi eſt: *Notam feciſti in populis virtutem tuam, in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioſeph. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt & turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes, &c.* Ad Deum Pſalmiſta loquitur, præuidens in ſpiritu, quæ per eundem ſpiritum his diebus Apoſtoli mirabilia ſunt operati: *Notam feciſti*, inquit, *in populis multis virtutem tuam*, illã. v. quàm Apoſtolis promiſerat, dicens: *Vos autem ſedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.* Atque ita in brachio tuo, hoc eſt, in illa virtute vel fortitudine redemiſti populum tuum à ſeruitute ſ. peccati, liberaſti per ſpiritum videlicet datum: de quo dicit Apoſtolus: *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Quiſquis enim ex caritate, quæ per Spiritum ſanctum infunditur, potius quàm ex timore Deo ſeruit, amicus potiùs quàm ſeruus dicendus eſt, & liberum, non coactum impendit obſequium. *Filios Iacob & Ioſeph.* Cùm ſuperiùs dixiſſet populos ſecundum multitudinem hominum, vel diuerſitatem terrarum, aut regionum; & nunc adjeciſſet populum ſecundũ vnitatem fidei, vel dilectionis vinculum, quomodo & diuerſas Eccleſias & vnam diximus, ne videretur populi nomine aut Iudaicum tantum, aut Gentilem accipere, addit *Filios Iacob & Ioſeph*, id eſt poſteros tam Iudaici quàm Gentilis populi, vt videlicet in Eccleſia duo parietes, ad vnum angularẽ lapidem, id eſt Chriſtum iungerentur. Iacob quippe ſupplantator Eſau, qui eum hereditate ſua priuauit, Iudaicus eſt populus, qui expulſo Gentili terram promiſſionis obtinuit. Ioſeph verò, qui augmẽtum interpretatur, Gentilis eſt populus, qui ſicut multitudine hominum tranſcendit Iudaicum, ita & munero conuerſorum fidelium magnum Eccleſiæ dedit augmentum. Paucos quippe vel nullos ex Iudæis cõparatione Gentilium Eccleſia continet. Quod quidem augmentum Eccleſiæ de conuerſis Gentibus ſtatim proſequitur, dicens: *Viderunt te aquæ Deus*, hoc eſt credendo te intellexerunt populi nationum, qui priùs quaſi aqua omni

Digitized by Google

vento doctrinæ circunferebantur, nec quicquam certitudinis quid ſequi deberent ex lege didicerant. De quibus in Apocalypſi ſcriptum eſt, *aquæ populi multi*. De quibus adhuc ſubditur, quia viſo Deo timuerunt, non tam videlicet ſeruili timore, quàm pro cõmunicatione pœnarũ, quàm caſto vel filiali eiº quẽ diligunt offenſam præcauentes. *Et turbatæ ſunt abyſſi*, hoc eſt profunditates ſecularis Philoſophiæ, quæ priùs quaſi limpidiſſimæ aquæ videbantur, & gratiſſimum habebant hauſtum : quaſi turbatæ ac cœnulentæ viluerunt comparatione ſimplicitatis Euangelicæ.

MVLTITVDO *ſonitus aquarum*, ſubaudi vocem dedit. Et quare? quia *vocem dederunt nubes*. Multus quippe ſonus diuinæ laudis reſonat in conuerſis populis, voce nubium, id eſt prædicatione Apoſtolorum edoctis. *Etenim ſagittæ tuæ ô Deus*, per has nubes de Iudæa transferuntur ad gentes. Sagittæ quippe ſunt verba Euangelicæ prædicationis, quæ quaſi quibuſdam diuini amoris iaculis corda vulnerant auditorum, ſicut in Cantico Sponſa dicit: *Vulnerata caritate ego ſum*. Et hæ quidem ſagittæ priùs in Iudæa tanquam in pharetra tenebantur concluſæ, donec Iudæis Euangelium repellentibus tranſierunt ad gentes Apoſtoli, ſicut vnus eorum ad ipſos ait: *Vobis oportebat primùm prædicare verbum Dei; ſed quia vos repuliſtis illud, ecce conuertimur ad Gentes. Vox tonitrui*, hoc eſt de ſupernis per Spiritum in Apoſtolis facta per totum orbem eſt dilatata. Et quia de his ſcriptum eſt, quod *profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante ſequentibus ſignis*; tonitruo illi verborum coruſcationes ſunt additæ miraculorum. De quibus nunc dicitur: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ*. Et quoniam infideles magnitudine ſignorum magis, quàm auctoritate ſcripturarum mouentur ad fidem, viſis coruſcationibus commota eſt terra; quia miraculorum admiratione terrena hominum corda de priſtina infidelitate ſunt mutata. Atque ita Deus petit habere in mari vias, & in aquis ſemitas: cùm videlicet à Iudæa tãquam à propria terra recedens, & gratiam ſuam gentibus impertiens, vno reprobato populo multos acquiſiuit. Mare maius eſt aquis & amaritudine plenum: & vita coniugatorum quæ multos capit, & curis ſeculi eſt implicita, quot moleſtias ſuſtinet, tot amaritudines habet. Via latior eſt quàm ſemita, & vita coniugatorum laxior eſt quàm continentium. Venire autem ad nos ſiue propinquare Deus dicitur vt nos ad ſe trahat, cùm bonorum ope-

Digitized by Google

rum nobis affectum inſpirat. Per vias igitur incedit in mari, quia laxiora opera habet in non coniugatis, ſicut ſtrictiora in continentibus quæ ſemitis operantur. Et hæc quidem veſtigia Domini in Gentibus non cognoſcentur, vt videlicet de peculiari populo ſuo Iudaico gratiam ſuam ad gentes transferat, & ſic eo derelicto ad gentes tranſeat, quia nullus eo tempore id potuit prænoſcere. Vnde & ipſe Apoſtolorum Princeps cùm adhuc de vocatione Gentium per prædicationem ſuam facienda certus non eſſet, vaſe quodam omni genere reptilium pleno per viſum ſibi oſtenſo de hoc ipſo admonetur atque docetur. Cur autem hæc veſtigia Dei in Gentibus ignorarentur, vt cæcitate facta in Iſrael Gentes illuminarentur, fine Pſalmi concluditur. Ac ſi videlicet diceret. Ideo ab homine prænoſci non potuit, vt reprobatis Iudæis Gentes illuminarentur, quia illum priorem populum quaſi gregem proprium ſemper habueras, cui Moyſen & Aaron tantos paſtores deputaueras, & tantam manum in Gentibus delendis propter illum exercueras, & hoc eſt quod ait, *Deduxiſti, &c.* de Ægypto videlicet eum adducens, & in terram repromiſſionis inducens, ſub regimine & ducatu Moyſi Ducis & Aaron Sacerdotis.

FERIA IIII. PENTECOSTES, SERMO XX.

QVID etiam Amos Propheta, imò ipſe Spiritus per eum in huius ſollemnitatis ſuę præconio dixerit audiamus. *Dominus*, inquit, *Deus exercituum, qui tangit terram, & tabeſcet, & lugebunt omnes habitantes in ea. Et aſcendet ſicut rinus annũ, & defluet ſicut fluuius Ægypti. Qui edificat in cælo aſcenſionem ſuã, & faſciculum ſuũ ſuper terram fundabit. Qui vocat aquas maris, & effundet eas ſuper faciem terræ. Dominus nomen eius.* Exercitus Dei, quibus ipſe præſidet, tanquam principes, & aerias debellat poteſtates. Caſtra illa ſunt Angelorum vel fidelium hominum, quæ plerumque ſcriptura commemorat. Refert Geneſis quòd de Meſopotamia Iacob in terra Chanaan ad patrem reuertenti, fuerunt obuiã Angeli Dei, tanquam in protectionem ipſius milites miſſi. Quos cùm vidiſſet, ait: *Caſtra Dei ſunt hæc.* Et appellauit nomen loci illius Manahim, id eſt caſtra. Eccleſiam quoque in caſtrorum aciem ordinatam, tanquam in pręcinctu belli procedentem, Canticum Canticorum deſcribit.

Militia eſt vita hominis ſuper terram. Tanquam in caſtris ſemper militant, qui minimè pacem hîc habentes contra diabolicas tentationes vel impetus carnis, aut impugnationes iniquorum hominum, iugem pugnæ ſuſtinent conflictum: in agone illo vel pugna conſtituti, de quo Apoſtolus ait: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Et rurſum: *Sic pugno, non quaſi aerem verberans.* Et iterum in alia eius Epiſtola: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, contra ſpiritales nequitiæ in cæleſtibus.* Sed vt horum Deus exercituum proprio exemplo nos pugnare doceret, & vincere daret, ſicut ipſe promittens ait: *Confidite, ego vici mundum*, terram tetigit ſicut prophetica lectio nunc ait, dum terrenæ ſubſtantiæ noſtræ naturam in vnam ſibi vniuit perſonam primo de Spiritu ſancto in Virgine conceptus, & poſtmodum ex ea natus. Vnde & ad Spiritus ſancti gratiam commendandam, per quem ille quoque factus eſt conceptus in noſtræ redemptionis exordium, benè hîc videmus Prophetam exorſum, & narrationem ſuam in beneficijs diuinis deinceps perducere, vſque ad miſſionem eiuſdem Spiritus factam in præſenti tempore. Ab illo quippe Dominicæ conceptionis exordio, quo vt expoſitum eſt, terram tetigit, ita diligenter quid in hac terra egerit, comprehendere curauit, vt nec mortem ipſius, nec reſurrectionem, nec aſcenſionem prætermittens, ad excellentiam feſtiuitatis hodiernæ commendandam peruenirет. Congruo quidem ordine tanquam à capite ad membra per mirabilem ſancti Spiritus operationem deducens, cùm ipſe ſcilicet, cuius operatione cõceptus eſt, Dominus Apoſtolici virtutem conſummauit exercitus.

TRIA itaque à Domino tacta quodammodo tabeſcunt, dum ab ipſo humanitas aſſumpta vſque ad diſſolutionem perducta eſt mortis. Vnde & ipſemet de hac diſſolutione mortis ad patrem ait: *In puluerem mortis deduxiſti me.* Et quia de morte ipſius maximè contriſtati Apoſtoli fuerunt, hanc maximam eorum iuſtitiam luctum appellat Propheta cum ſubiungit: Et lugebunt omnes habitantes in ea. De quo etiam luctu quaſi veſpertino ante matutinam reſurrectionis eius lætitiam Pſalmiſta prædixerat: ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. In terra quaſi tabeſcente fideles habitant, dum in aſſumptæ humanitatis morte ſpem ſuæ redemptionis collocant. Quam videlicet ſpem nequaquam retinerent, niſi de

Digitized by Google

mortis casu conscenderet resuscitatus. Vnde & subditur: *Et ascendet sicut riuus amnis, & defluet sicut fluuius Ægypti.* Riuus quamdiu in alueo suo concluſus cohibetur, nec se erigens alueum excedit, nequaquam terras circumiacentes irrigare valet. Quasi ergo de alueo viuus amnis ascendit, cùm incarnata Dei sapientia de ipso mortis loco, quo depositus fuerat, hoc est de sepulcro resurgit. Tunc circumiacentem terram irrigat vt fructificare possit, dum desperata priùs discipulorum corda fide corroborauit; vt spe futuræ beatitudinis, quam eis resurgēs exhibuit, bonorum operum fructus proferant. Quod autem riuum amnis priùs appellauit, consequenter fluuium Ægypti nuncupans diligenter describit congrua parabola illi fluuio Ægypti, qui Nilus appellatur, Dominum comparans. De hoc quippe fluuio, & singulari quadam eius natura Beda in libro de natura rerum ita meminit: Nili flumine pro pluuijs vtitur Ægyptus, propter solis calorem imbres & nubila respuens. Mense enim Maio dum ostia eius quibus in mare influit, zephiro flante vndis ejectis arenarum cumulis perstruuntur, paulatim intumescens ac retro propulsus plana irrigat Ægypti. Vento autem cessante, ruptisque arenarum cumulis, suo redditur alueo. Nilus itaque de paradiso manans ipsa Dei sapientia est de supernis descendens, vt nos de fonte vero potaret, & huius mundi Ægyptum, id est tenebras ipsa carnis assumptæ præsentia illustraret, de qua scriptum est: *Erat lux vera, quæ illuminat, &c.* Hic fluuius per septem ostia in mare dicitur defluere. quæ scilicet ostia dum vento flante arenis obstruũtur, refluxum habent in terram. Habent non liberum exitum in mare. Sic post resurrectionem Domini antequã septiformis gratia spiritus effunderetur in magnum mare nationum, quibusdam quasi arenis vento flante obstruebatur fluuius iste; dum metu Iudæorum Apostoli compressi de Iudæa, in qua erat facta cæcitas, tanquam de Ægypto egredi non permittebantur, vt de hoc fluuio per prædicationem suam Gentes reficerent. Quid enim ventus nisi diabolica suggestio? Quid arenæ, nisi qui influxu seculi per concupiscentiam terrenorum huc illucque defluunt? Vento itaque flante arena cumulata fluuium obstruit, dum cupiditas Iudæorum locum vel gentem amittere metuens, Apostolicam compescit prædicationem. Sed hoc postmodum metu de cordibus eorum per Spiritum sanctum expulso, ruptis arenis liberè fluuius in mare defluit, dum ad Gentes de Iudæa prædicatio Apostolica omni timoris obstaculo repulso constanter exiuit, sicut

vnus eorum intrepidus ait, *Vobis oportebat primùm prædicare verbum Dei: ſed quia vos indignos æternæ vitæ judicaſtis, ecce conuertimur ad Gentes.* Quia tamen dum in Iudæa tenebantur concluſi, nequaquam à fructu prorſus erant vacui, cùm ibi quoque nonnullam hominum multitudinem Deo lucrarentur. Prædictus fluuius, id eſt Chriſtus, quodam ibi ſuo refluxu fructificauit, antequam in immenſum mare gentium defluens Eccleſiam vndique colligeret.

ASCENSVM itaque fluuij Ægypti refluxum expoſitum in Iudæam dicit, ac deinde ordine cõgruo defluxum eius in vniuerſum mundum ad corda gentium irroranda ſupponit. Quod cùm nonniſi poſt aſcenſionem Domini, & Spiritus ſancti aduentum conſtet eſſe factum, rectè de vtriſque ſubditur: *Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundabit.* Non ait ſolum modo, *qui aſcendit in cælum*, ſed, *qui ædificat in cælo aſcenſum ſuum*: vt non tranſitoria hæc eius aſcenſio intelligatur, tanquam ad conuerſationem terrenam ipſe iterum reuertatur: ſed abſque huiuſmodi reuerſione firmam ibi deinceps habeat manſionem. Faſciculum ſuum iam in cœlo conſiſtens ſuper terram fundauit, cùm ipſo Spiritu ſancto corda diſcipulorum adhuc diſſoluta, & timore mortis titubantia, nec vlla fortitudine animi ſolidata, per Spiritum ſanctum in modum faſciculi tam ſibi quàm inuicem ſummæ caritatis vinculo aſtrinxit, & ſic etiam ſuper terram eos fundauit, hoc eſt in omnibus confirmauit bonis: vt ipſi etiam in Eccleſia quædam aliorum fierent fundamenta, iuxta illud quod de ipſa prædixerat Pſalmiſta; *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* AQUAS autem maris ſalſas eſſe cõſtat. Et ampliùs benè ait: *Vos eſtis ſal terræ*, quo videlicet terrena corda condienda ſunt, & veſtra prædicatione quaſi quodam ſale ſapientiæ in bonis moribus componenda. Aquæ itaque huius ſalis verba ſunt Apoſtolicæ prædicationis. Iſtæ aquæ à Deo vocantur, & ſuper terræ faciem effunduntur, dum Apoſtoli Chriſti ad officium prædicationis ab ipſo vocati admittuntur, non more pſeudoapoſtolorum per ſe veniunt. Quales quidem veritas arguens dicit: *Omnes quotquot venerunt, fures fuerunt & latrones.* Tanquam ſi diceret, venerunt per ſe, non miſſi à me. Vocat itaque Dominus aquas maris, dum Apoſtolicæ prædicationis verba in omni genere linguarum, & per vniuerſum mundum dirigit. Et hæc non ſolum ſuper terram, verumetiam ſuper faciem terræ effudit, dum non ſolum exteriùs ſonant, verumetiam intellecta mentem intus illuminant. Per ſa-

Digitized by Google

ciem quippe, qua vnuſquiſque cognoſcitur, non incongruè notitia deſignatur. Super terram itaque verba fiunt, ſed vſque ad faciem non peruenerunt, cùm ænigmata legis vel prophetiarum velamen habent in litte ra, non adpertionem in intelligentia Euangelica vel Apoſtolica doctrina, quia non ita myſticis referta eſt verbis: ſuper terræ faciem effunditur, dum quæ pro feruntur intellecta cognoſcuntur. Quis verò iſte ſit, qui hæc tanta peragit, competenter ſubdit: *Dominus nomen illi.* Quẽ cùm ſimpliciter Dominum vocat, nec quorum ſit determinat, generale ipſius dominium, & vniuerſale innuit imperium, quo cũcta regit atque optime diſponit in ſecula ſeculorum, Amen.

FERIA V. PENTECOSTES, SERMO. XXI.

TAM ipſum diem Paſchæ quàm Pentecoſtes dono Spiritus ſancti legimus inſigniri, vt non ſolùm hanc, verumetiam illam ſollemnitatem, quæ præcipuæ habentur, ad honorem quoque Spiritus ſancti referendas eſſe ſciamus. Vt enim Ioannes commemorat, cùm eſſet ſerò die illo, & fores eſſent clauſæ vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus, & ſtetit in medio eorum, & dixit eis, *Pax vobis.* Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dicit ergo eis iterum Ieſus: *Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit & dixit illis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Et quidem actum eſſe conſtat in extremæ eius apparitione illarum quinque, quas illo die legitur habuiſſe, videlicet quinta vice apparens, tunc ſpiritum daret in terra, quem poſtmodum de cœlo miſſurus erat, quinta de eadem completa. Quam quidem miſſionem, & ſupremum Spiritus ſancti aduentum, quem nunc colimus, ipſe antea promiſerat. *Ego*, inquit Veritas, *veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Quæ eſt iſta, obſecro neceſſitas, ad Spiritus ſancti aduentum, vt prius abire oporteat Chriſtum? Numquid in terra conſiſtens eum dare non poterat, cuius plenitudinem ipſe ſemper habebat? Quid cauſæ extitit, vt in cœlum aſcenderet, tanquam miſſurus ſpiritum de lõginquo, quem dare poterat de proximo? Non enim localis eſt ſpiritus non ſolum diuinus, ſed nec

Digitized by Google

humanus, nec more corporum ſpiritalis natura moueri habet de loco ad locum. *Cælum*, inquit Deus, *& terram ego impleo*. Et ſicut Veritas ait, *Spiritus eſt Deus*, qui *vbi vult ſpirat, diuidens ſingulis prout vult*. Cuius immenſitatem & diuinitatis potentiam locis omnibus præſidentem Pſalmiſta conſpiciens, ad Dominum ait: *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades*. Ac ſi apertè dicat, ſi ſumma tua bonitas, de quo illud eſt, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*, meis te peccatis iratum reddiderit, quò mihi patebit à præſentia tua locus fugiendi? vel ..... tua abditus abſcõdendi? Quem ſtatim per hanc incircumſcripti ſpiritus ſui maieſtatem vbique conſpiciens præſentem, adiecit, *Si aſcendero in cælum, &c.* Tanquam ſi diceret, Nullus mihi tutus locus refugij, tam in ſupernis quàm in infimis, cùm me perſequi decreueris, cùm ad quælibet agenda tibi ſint cuncta loca præſentia. Denique & in ipſo die reſurrectionis, vt iam ſuprà meminimus, Spiritum ſanctum ab eo Apoſtolis datum eſſe nouimus.

Qvi ergo iam dederat in terra ſpiritum, quid ad eum iterum dandum neceſſe fuit eum aſcendere in cœlum? tanquam eum ibi reperiret, quem in terra nõ haberet, aut inde illum mitteret, quem in terra iam ſicut priùs de ſe inſufflando dare nõ poſſet. Adeo, inquam, neceſſe fuit vt diceret: *Niſi ego abiero, &c.* Aut fortaſſis hæc miſſio ſpiritus ſuperior fuit ac maior, vt de cœlo dãda eſſet, quàm illud prædictum donum in remiſſione peccatorum per inſufflationem Apoſtolis in terra collatum. Reuera lõgè ſuperior & eminentior dignitate, ſi diligenter & illud donum diſcernere valeamus. Ibi quippe poteſtas illa collata eſt Apoſtolis, quæ omnibus eorum vicarijs, hoc eſt Epiſcopis, creditur eſſe communis, in remittendis ſ. vel retinendis aliorum peccatis. Hæc vero Spiritus ſancti gratia, quæ die Pentecoſtes Apoſtolis eſt infuſa, quanto magis eſt rara, tantò amplius pretioſa. Quid enim illæ igneæ linguæ ſuper Apoſtolos apparentes, niſi ſummam hominis exprimunt perfectionem in tribus conſiſtentem? tribus his, inquam, quæ in omnibus bonis hominem cõſummant. Hæc verò ita ſunt. Illuminatio mentis, ne ſimplicitas eorum vllis deinceps oberraret infidelitatis tenebris, ſicut & ipſe Dominus eis promittens, ait: *Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Sed quia vt beatus meminit Petrus, melius eſt non noſſe viã veritatis, quàm poſt agnitam retrorſum abire, poſt fidei lucem neceſſe eſt infundi caritatis ardorem, vt quæ jam agenda eſſe per Deũ

nouimus

nouimus, per eius amorem implere ſtudeamus, qui Spiritus ſanctus intelligitur. Vnde & Apoſtolus, *Caritas* inquit, *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis.* Ignis itaque, in quo diſpertitæ apparuerunt linguæ, quia ex propria natura tam lucem habet quàm calorem, duas prędictas gratias tam de illuminatione fidei, vel ſaluberrimis documẽtis, quàm de inflammatione caritatis diligenter exprimit. Forma verò linguarũ, quæ diſpertitę memorãtur, prędicatio eſt futura, non vno genere linguæ, non in vna parte per Apoſtolos proferenda, vt non ſolum ſibi, ſed omnibus viuant. Duæ quippe priores gratię hominem in ſe moribus conſummant, & beatitudine dignũ efficiunt. Sed qui adhuc prædicare non ſufficit, quaſi ſibi tantum ad hoc proficiens nõ aliis viuit. Etſi enim prędcepta Dei iã tenet in vita, quia tamen alijs prædicare non ſufficit illa, nondum magnus eſt in regno cœlorũ, iuxta illã Domini ſentẽtiam: *Qui autem fecerit & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ.* Nullus quippe in Eccleſia maior eſt, quàm qui præcepta Dei viuendo cuſtodit, & ad imitationẽ ſui alios prędicando trahit. Quid ergo de Apoſtolis æſtimãdũ eſt, quorum prædicatione non pars vna terrarum, ſed vniuerſus mũdus conuerſus eſt ad Deum? Quæ diuinæ dona largitatis huic, quã diximns, eorum trinę gratiæ poterit comparari? Quam quidem vt Apoſtoli mererentur accipere, in cœlum primitus Dominum oportebat aſcendere, & ſic eis ibi locum quodammodo conuerſationis, ſicut ipſe promiſerat parare. Vnde & Paulus: *Noſtra*, inquit, *conuerſatio in cœlis eſt.* Illuc ego Chriſtus conſcendit opere, vt eum Apoſtoli ſequerentur mẽte, & tãtò ardẽtiùs appeterent eſſe, quod Dominum ſuũ nouerãt præceſſiſſe. Vnde & prædictus Apoſtolus nos adhortãs ait: *Quæ ſurſum ſunt, quærite; vbi Chriſtus eſt in dexterã Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Vt enim beatus meminit Hieronymus, nihil maius poteſt parari ſeruo, quàm eſſe cũ Domino. Et profecto quiſquis præſentiã alicuius plurimũ diligit, maioribus in abſentẽ deſiderijs in ardeſcit. Abire ergo in cœlum eum oportuit vt ſpiritum mitteret, quia recedendo ab eis, quanto amplius ad ſequẽdũ ſe deſideria ipſorũ accendebat, tanto perceptione maioris gratię dignos eos efficiebat. Benè prius ſpiritum quo peccata dimitterẽtur dedit eis in terra: quia vbi committur, ibidem remiſſio eſt facienda, & quiſquis indulgentiã non meretur in hac vita, fruſtra eã expectat in futura. Hãc ergo, Domine, per ſpiritum tuum, qui pro ſanctis poſtulat, nobis hic impetra: illic te comprehendere mereamur, quò vt te ſequi tua membra va-

lerent, ſpiritum nunc illis miſiiſti de ſupernis. Illum, inquam, ſpiritum, de quo Propheta confidens, ait: *ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quæ enim terra recta, niſi illa viuentium ab iniquitate penitus aliena? per hunc nobis ſpiritum in hac terra nõ recta remiſſionem tribue peccatorum, vt ad eam quæ recta per ei⁹ veniamus ducatum, Saluator mundi, qui cum Patre & eodem ſpiritu vnus es Deus in æternum, & vltra, Amen.

DE S. PETRO, SERMO XXII.

BEATI Petri Apoſtolorum Principis ſolemnitas tantò celebriùs ab Eccleſia veneranda eſt, quantò ipſi à Domino amplior Principatus in Eccleſia conceſſus eſt. Ipſum quippe quaſi fundamẽtum Eccleſiæ Dominus collocauit, cùm in confeſſione fidei ſuæ, qua dictum eſt, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, tanquam in petra quadam firmiſſima Eccleſiã ſuam ædificandam eſſe prædixit: & ei ſpecialiter ligandi atque ſoluendi poteſtatem commiſit. Cuius quidẽ petræ fundamentũ beatus cõſiderans Cyprianus in Epiſtola quadam ad Iuuaianũ ita meminit: Manifeſtũ eſt autem & per quos remiſſa peccatorũ dari poſſit. Nã Petro primũ Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiã, dedit vt id ſolueret in terris quod ille ſoluiſſet. Idem de eodem ad Quintum, Petrũ quem primum Dominus elegit, & ſuper quẽ ædificauit Eccleſiã ſuam. Ambroſius quoq; ipſum Petrum, ſuper quẽ ... intelligens quodam loco ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpã diluit. Et Hieronymus ad Marcellam, de fide noſtra & Mõtani hereticidogmate ſcribens, de hoc ipſo ait: Si igitur Apoſtolus Petrus, ſuper quẽ Dominus fundauit Eccleſiã, &c. quanta autẽ firmitas & cõſtãtia Petri eſſet in fide, vt hinc ipſe meritò petra vocaretur, Dominus ipſe alibi proteſtatur, dicens: *Ego pro te rogaui Petre, vt nõ deficiat fides tua.* Ac ſi diceret: quantumcũq; alij titubent, quãtũcũq; de morte mea deſperent, tua fides incõcuſſa manebit. Ex qua quidem fidei firmitate, & ipſe Petrus fratres confirmare admonetur, cùm ei ſtatim à Domino dicitur: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Neq; enim credendum eſt tunc fidem Petri defeciſſe, cùm diuina diſpẽſatione Dominum permiſſus eſt negare, ex infirmitate ſ. carnis & timore mortis. Hic eſt Petrus, vt dictũ eſt, tanquã vnicum ceterorum firmamentum & confirmatio, cui poſt trinam amoris ſui cõfeſſionem Dominus oues ſuas & agnos committẽs,

Digitized by Google

ipſum totius Eccleſiæ ſummum conſtituit paſtorem. Vnde & merito Sedes eius, quam paſſionis ſuæ martyrio decorauit, inter vniuerſas Eccleſias Primatum accepit, vt ſicut ille omnibus Apoſtolis, ita Epiſcopatus eius prælatus ſit ceteris. Scimus antiquitus tres tantum Patriarchatus, hoc eſt tres principales Epiſcopa tuum ſedes Eccleſiam habuiſſe, Romanã ſcilicet, Alexandrinam, Antiochenam. Quarum quidem dignitas ad ho. orem B. Petri maximè reſpicit: cùm videlicet tam Antiochena quàm Romana Sedes eius propriæ fuerint, & tertia id eſt Alexandrina, Marco eius diſcipulo ceſſerit. Hic eſt Petrus poſt Chriſtum quaſi alter Heliſæus poſt Heliam.

LEGIMVS poſt raptum Heliæ, ad Heliſæum filios Prophetarum congregatos eſſe, eoſque iuxta fluenta Iordanis in caſulis habitantes, quaſi monaſticam & cœnobialem vitam cum ipſo duxiſſe. De quorum conuerſatione B. Hieronymus quodam loco meminit, dicens, Filij Prophetarum, quos *Monachos legimus in veteri Teſtamento, &c.* Sicut autem tunc ad Heliſæum illi, vt diximus, ſunt congregati, Monaſticè & communiter cum ipſo viuentes: ita & poſt aſcenſionem Domini fideles ad Petrum adunati hanc vitæ perfectionem vel etiam maiorẽ arripuerunt. Quod quidem in Actibus Apoſtolorum Lucas diligenter deſcribens, *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor vnum & anima vna*, nec quiſquam eorum quę poſſidebat aliquid ſuũ eſſe dicebat, ſed erãt illis omnia cõmunia. Conſtat etiã Heliſæum, quia vidit Heliam, quando à ſe tollebatur, duplicatũ ſpiritum Heliç, id eſt ampliorẽ gratiam in miraculis accepiſſe. qui nõ ſolũ viuus ſicut Helias mortuos ſuſcitauit, verũ etiam mortuus cum tactu oſſium ſuorũ defunctum vitæ reddidit. Quid eſt Heliã intueri, quãdo ſuſtollitur, in cælum ſcilicet aëreũ, niſi Chriſtum ad Patrem aſcendentem cernere, hoc eſt eũ Patre nõ eſſe inferiorẽ credere, ſed per diuinitatis naturã ipſum ei tanquam æqualem occurrere? Vnde & Pſalmiſta: *A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius*. Summũ quippe cælum Dei Patris excellẽtiam dicit, qui per hoc quod ab alio nõ eſt ſummus per exiſtentiam dicitur potius quàm per dignitatem. Ex hoc vtiq; cœlo filius naſcendo procedit, quia Platoni mens ex ſummo Deo nata dicitur, hoc eſt ſapientia de ipſa Patris ſubſtãtia exiſtens tanquã genita. De hoc quidẽ egreſſu generationis Filij de Patre illud eſt Ptopheticum, *Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*. Et ipſe Filius, *Exiui*, inquit, *à Patre*. qui ne inferior vel indignior patre videretur, occurſus eius vſque ad ſummũ eius annectitur, quia per ple-

nitudinem diuinitatis Patri coæqualis assurgit. Cuius quidem æqualitatis dubitationem ipse increpans in Maria dicit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Ac si diceret, non es me digna manib. tuis contingere in terris, quæ nondum fide me tanquam Patri æqualem contingis in supernis, quod est, me nondum tibi ad Patrẽ ascendisse: hoc est, te nondum credere me illi per plenitudinem diuinitatis æqualem occurrere. Quod quia Petrus ceteris firmior in fide amplius credidit, quasi alter Helisæus Heliam sustolli vidit. Vnde & spiritum Heliæ quasi geminatũ vel multiplicatum accipere meruit, qui ab ipso Christo maiorem miraculorũ gratiã accepit, quàm ipse Christus per semetipsum exhibuit, sicut & ipse antea promiserat, dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, quia ad Patrem vado*: hoc est in corde ipsius per fidem ad æqualitatem Patris conscendo. quo itaque Petrus in hac fide firmior extitit, maiorem quàm ceteri gratiã miraculorum meruit. qui non solùm infirmos & vmbra corporis curauit, verum etiam eadem vmbræ suæ virtute dicitur suscitasse. Vnde Augustin. in Psal. cxxx. In Christo, inquit, maiora fecisse videntur Apostoli, quàm ipse Dominus Iesus. Ad vocem Domini surrexerunt mortui. Ad vmbram transeuntis Petri surrexit mortuus. Isidorus de vita & obitu Sanctorum Patrum: Simõ Petrus prẽteriens vmbrâ mortuos suscitauit. quod ergo Dominus ait, *Qui credit in me, maiora horum faciet*, vt dixit generaliter quicũque, sic specialiter ad singularem cõstantiã fidei Petri visus est retulisse. Mirabilius autẽ fuit miraculum vmbræ Petri, quàm fimbriæ Christi. Fimbria quippe aliquid veritatis habet, vmbra verò similitudinem tenet, & illa permanet, hæc præterit.

Qvod si post hanc miraculorum gratiam, dignitatem quoque honoris, quam Petrus à Domino est adeptus, consideremus: videbimus Sedem Petri ipsi quoq; propriæ sedi Dei, quã ab initio Hierosolymis habuit, præminere, vt ex hoc etiam quodãmodo in terris Christus videatur præferre. Quis enim nesciat ipsam quoque Hierosolymitanã Ecclesiam, sicut & ceteras Romanæ subiacere? Quam tamẽ Ecclesiã ipsum fratrem Domini Iacobum primũ habuisse constat Episcopũ: nec tamẽ illa eius prima Cathedra vel ceterorum Apostolorũ festiuitatẽ in Ecclesia meruerunt, vt hoc soli Petro priuilegiũ reseruaretur. Qui etiã successorib. suis in Syluestro Papa id proprijs acquisiuit meritis, vt deinceps Roman⁹ Põtifex Vicarius quoq; Cõstãtini in vrbe Imperiali ab ipso cõstitutus, à quo & insignia, quç hanc exornãt dignitatẽ cõcessa sunt: quasi iuxta ordinem Melchisedech perfectus tam sacerdotali quàm re-

Digitized by Google

gia præmineret dignitate, vt in Ecclesia Petrus, in vrbe Cæsar habeatur. Geminam quippe gratiam tam in constantia fidei quàm in feruore dilectionis adeptus, tam Ecclesiasticam quàm regiam meruit sibi Monarchiam vendicare. Ceteris quippe discipulorum opinionem hominum magis, quàm assertionem suam de Christo proferentibus, & cùm ipse Dominus ab eis requisisset, *Vos autem quem me esse dicitis?* quasi adhuc hæsitando reticentibus, Petrus vt fluctuantes confirmaret respondere non distulit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Vnde statim specialiter ac solus beatus à Domino prædicatur, ac singulariter priuilegiũ Ecclesiasticæ potestatis susciperе meretur, cùm ei à Domino totum cœlorum regnum, non pars, ei commendandum à Christo promittitur: *Tibi dabo*, inquit, *claues regni cœlorum.* Quamuis enim generabiliter dictum sic omnibus Apostolis, *Quæcumque ligaueris super terram, &c.* Soli tamen Petro insuper claues regni cœlorum datæ sunt. Sicut enim multæ ciuitates sunt in vno regno, ita multæ partes in populo Christiano. Regnum itaque Christi vniuersalis est Ecclesia, ita in potestatem Petri tradita, vt nihil in ea fieri nisi ordinatione vel permissione liceat Romani Pontificis: nullus alius generalem super omnes habet excommunicationem vel absolutionem. Qui etiam nonnullis discipulorum recedentibus, & omnibus plurimum dubitantibus, cum eis Dominus requireret: *Nunquid & vos vultis abire?* tanquam scilicet in quodam anxietatis articulo constitutus; ne quaquam reticere Petrus sustinens respondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ex hac denique intrepidus constantia, quam tunc in animo gerebat, & maxima semper dilectione flagrabat, profiteri non timuit, *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et rursum: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Et iterum: *Domine tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire.* Non enim minori caritate succensus, quàm fuerat fide firmus. Quæ namque illa erat in eo amoris flamma, cùm Dominũ nec pro redemptione sua pati toleraret, cũ ei passionẽ suam prædicenti respõderet: *Propitius esto tibi Domine ne fiat hoc.* Quẽ deniq; zelum amoris in ipsa captione Domini ceteris omnibus fugientibus ita exhibuit, vt in tanto trepidationis articulo seruo Principis aurem amputaret. Aqua quidem vltione nec ceteris Dominum comprehendentibus parceret, nisi ab ipso Domino citò correptus fuisset.

MEMOR itaque illius Dominici sermonis, *Maiorẽ hac dilectio-*

nem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, morti ſe opponebat à qua Dominũ liberare volebat. Qui cõtra vitia ipſamque radicem omnium malorũ cupiditatem quanto armaretur zelo, vindicta illa in Ananiam & vxorem eius patenter oſtendit; quos non gladio ſicut dictum ſeruum percuſſit, ſed mirabiliùs ſerui ſui virtute peremit. Tolerauit diu Dominus auaritiam Iudæ, iſte nec ad momentum ſuſtinuit ſacrilegium cupiditatis commiſſæ. Quo enim amplioris zeli virtute feruebat, omne virtuti contrarium minus tolerabat. Et quo ſe ampliùs à Domino ſublimari nouerat, magis ſe pro Domino ſemper humiliare ſtudebat. Vnde & ad paſſionem crucis tandem veniens: quo videlicet genere mortis Dominum maximè ſecutus eſt, ſicut ei antea prædixerat, non tam de paſſione ſua trepidus, quàm de honore Domini ſollicitus, nequaquam crucifigi ſe permiſit vt Dominum, ſed capite deorſum verſum pedibuſque ſurſum erectis, ex ipſa quoque corporis ſui poſitione augmentum elegit pœnæ. Ex qua etiam ſua humiliatione quantum à Domino meruit exaltari, dubium non poteſt eſſe, à cuius etiam honore nec id reor alienum eſſe, quòd quantocius mundi caput præminebat Romana Sedes eius facta eſt, vt hoc etiam iure in toto mundo Principatum obtineret. Per eam videlicet omnium regnorũ Principem, quam ipſe proprio ſanguine Domino conſecrauit; & hoc tanquam indiſſolubili bitumine quaſi aliarum fundamentum fundauit. Ad cuius inſuper ciuitatis gloriam id à Domino collatum eſt, vt cùm ceteræ Sedes Apoſtolorum reliquijs eorum ſint priuatæ, hoc de Romana Dominus non tulerit, ne ad comparationem eius ceteræ poſſint gloriari: imò & de corpore Coapoſtoli Pauli eam voluit inſigniri, vt hæc quoque ciuitas ex his duobus gratiæ donis quaſi geminatum acciperet ſpiritum, ſicut & de hoc Heliſæo noſtro præfati ſumus. Vnde factum eſt, vt hæc ciuitas à duobus fratribus Remo videlicet & Romulo prius ædificata, multò feliciùs à maioribus fratribus Petro & Paulo ſit poſtmodum in Chriſto fundata. His duobus tota diſtributa eſt gratia quæ ad totius mundi confeſſionem ſufficeret, cùm Petrus in miraculis, Paulus emineret in verbis. Quæ videlicet duo ipſe Paulus diſtinguens: ait: *Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt.* Ne quem fortè moueat, quòd ex priuilegio diuini amoris, Ioannes Petro præferri videbatur in meritis; cùm iſte plus à Domino diligeretur, ſicut ille amplius Dominum diligere creditur: agnoſcat ſecundum bea-

tum Auguſt. hoc nequaquam de perſonis ipſis eſſe accipiendũ, ſed de duabus vitibus per eos ſignificatis intelligẽdũ. Necenim dubitat eum, qui plus diligit Chriſtum, eſſe meliorẽ, nec eum qui plus à Chriſto diligitur beatiorem. Quòd ſi cui fortè diſpliceat nos ad myſterium hic declinare, nec in ipſis perſonis veritatem hiſtoriæ diſſentire: ſi in eo, vt opinamur, Ioannes magis à Chriſto diligi dicatur, quod Chriſtus maiorem ei caritatem vel familiaritatem exhibebat in opere: tum pro mundicia carnis, qua ille tanquam virgo præminebat: tum etiam quia pro iuuenili ætate maiorem circa eum prouidentiæ curam habebat. Plus igitur ipſum Chriſtus amare dicitur per effectum operis, non per affectum dilectionis. Habeat itaque Ioannes hunc dilectionis effectio à Domino tanquam virgo, ita tamen vt Martyri, & per affectum amoris meliori non inuideat Petro. Vtrique autem ſuis nos magnis meritis ita iuuent apud Dominum, vt ad eorum pertingere valeamus conſortium.

IN CONVERSIONE S. PAVLI, SERMO XXIII.

PRAECIPVI Gentium Doctoris conuerſio tantò deuotiùs à conuerſis per eum Gentibus eſt celebranda, quantò ipſas ipſi amplius eſſe conſtat obnoxias. Sola eius conuerſio, per quam vniuerſus conuerſus eſt mũdus, vel diligentiùs de fide inſtructus, ac per fectiùs edoctus, ſollemnitatem in Eccleſia meruit obtinere. Solus inter Apoſtolos ipſe eſt, qui Propheticis præconijs olim mundo promiſſus eſt, atque proprijs vaticinijs deſignatus, & à ceteris diſcretus itaque ſegregatus. Hic eſt rinoceros ſeu monoceros ille diuinis hodie loris adſtrictus, qui priſtinam feritatem depoſuit, & Domini iugo deditus, diuinumque aratrum trahens, glebas vallium frangere cœpit. De cuius mirabili conuerſione & ipſe Dominus ad beatum Iob loquens, & virtutem ſuam, qua id potuit, magnificans, ait: *Nunquid rinoceros volet ſeruire tibi?* ac ſi diceret, ſicuti mihi, *aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis rinocerotem ad aranduin loro tuo, aut confringet glebas vallium poſt te? Numquid habebis fiduciam in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? Nunquid credis ei, quòd reddat ſementẽ tibi, & aream tuam congreget?* Quod B. Gregorius libro Moralium, xxxi. de beato denique Paulo diligenter exponit. Rino cerotus

inquit, indomitæ omnino naturæ est, itaut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiens quippe, vt fertur illicò moritur. Eius verò nomen Latina lingua interpretatum sonat, in nare cornu Rinocerus, qui etiam monoceros Græcis exemplarijs nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, vt nulla venantium virtute capiatur. Sed sicut hi asserunt, qui describendis staturis animalium laborioſa inuestigatione sudauerunt, virgo ei puella proponitur. Quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate depoſita caput deponit. Sicque ab eis, à quibus capi quæritur, repente velut eneruis inuenitur. Buxei quoque coloris esse describitur. Qui etiam cum elephantis quando certamen ingreditur, eo cornu, quod in nare singulariter gestat, ventrem aduersantium ferire perhibetur; vt cùm ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. Potest ergo per hinc rinocerotem, vel certè monocerotem, vnicornẽ, ille populus intelligi, qui dum de accepta lege non opera, sed solam inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter ceteras bestias cornu singulari certauit. Inde passionem suam Dominus, Propheta canente, prænuncians ait: *Libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Tot quippe in illa gente vnicornes vel rinocerotes extiterunt, quot contra prædicationem veritatis de legis operibus gloriati, & fatua elatione confisi sunt.

Beato igitur Iob Ecclesiæ typum tenenti dicitur: *Numquid volet rinoceros seruire tibi?* Ac si dicatur, nunquid illum populum, quem superbire in nece fidelium stulta sua elatione cõsideras, sub iure tuæ prædicationis inclinas, subaudis vt ego? qui & contra me illum singulari cornu extolli conspicio; & tamen mihi cum voluero protinus subdo? Sed hoc melius ostendimus, si de genere ad speciem transeamus. Ille ergo ex hoc populo & primus in superbia, & postmodum præcipuus testis in humilitate nobis ad medium deducatur. Qui dũ contra Deum sequasi de custodia legis nescius extulit, cornu in nare gestauit. Vnde & hoc ipsum naris cornu per humilitatem postmodum inclinans dicit: *Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* In nare cornu gestabat, qui placiturum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit: *Et proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.* Huius autem

autem rinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit, quia Sauli ſæuitiam vnuſquiſque prædicator expauit. Scriptum namque eſt: *Saulus autem adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, &c.* Cùm flatus nare reddendus trahitur, ſpiratio vocatur. Et illud ſæpe per odorem nare deprehendimus, quod oculis non videmus. Rinocerus ergo iſte nare geſtabat cornu quo percuteret: quia minarum & cædis ſpirans poſtquam præſentes interfecerat, abſentes quærebat. Sed ecce omnis ante illum venator abſconditur, omnis homo, id eſt rationale ſapiens opinione mortis eius effugatur. Vt ergo hunc rinocerotem capiat, ſinum ſuum virgo, id eſt ſecretum ſuum ipſa per ſe inuoluta carne Dei ſapientia expandit. Scriptum quippe eſt quòd cùm Damaſcum pergeret, ſubitò circumfulſit eum die media lux de cœlo, & vox facta eſt, dicens: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Qui proſtratus in terra reſpondit: *Quis es Domine?* Cui illico dicitur: *Ego ſum* IESVS *Nazarenus quem tu perſequeris.* Virgo nimirum rinoceroti ſinum ſuum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei ſapientia incarnationis ſuæ myſteriũ de cœlo loquendo patefecit. Et fortitudinem ſuam rinocerotus perdidit, quia proſtratus humi omne quod ſuperbum tumebat amiſit. Qui dũ ſublato cœlorum lumine manu ad Ananiam ducitur, patet iam rinocerus iſte quibus Dei loris aſtringitur, quia videlicet vno in tẽpore cæcitate prædicationis baptiſmate ligatur. Qui etiam ad Dei præſepe ligatus moratus eſt, quia ruminare verba Euangelij dedignatus non eſt. Ait enim: Aſcendi Hieroſymam cum Barnaba aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium. Et qui priùs ieiunus audierat: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*? mira poſtmodum virtute præſidentis preſſus, ex verbi pabulo vires obtinuit, & calcem ſuperbiæ amiſit. Loris quoque Dei non tantum à feritate reſtringitur; ſed quod magis ſit mirabile, ad arandũ ligatur: vt non ſolum homines crudelitatis cornu non impetat, ſed eorum etiam refectioni ſeruiens, aratrum prædicationis trahat. Ipſe quippe de Euangelizantibus quaſi de arantibus dicit: *Debet enim in ſpe qui arat, arare: & qui triturat in ſpe fructus percipiendi.* Qui ergo tormenta priùs fidelibus irrogauerat, & pro fide poſtmodum flagella libenter portat: qui ſcriptis etiam Epiſtolis humilis ac deſpectus prædicat: qui dudum terribilis impugnabat, profecto benè ligatus ſub aratro deſudat ad ſegetem, qui viuebat in campo malè à timore liber. Dequo rectè dicitur: *Aut*

confringet,&c. Iam ſ. Dominus quorumdam mentes intrauerat, qui illũ veraciter humani generis redemptorem credebãt. Qui tamen cùm nequaquam à priſtina obſeruatione recederẽt,cùm dura litteræ prædicamenta cuſtodirent,eis prędicator egregius dicit:*Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.*

QVI ergo in humili mente fidelium legis duritiam redarguendo contriuit,quid aliud quàm in valle poſt Dominũ glebas fregit,ne.v.grana ſeminum quæ excuſſus aratro fidei ſulcus cordis exciperet, per cuſtodiam litteræ preſſa deperirent. De quo adhuc benè ſubditur:*Nunquid fiduciam habebit, &c?* In rinocerotis huius fortitudine fiduciam Deus habuit, quia quanto illum crudeliùs dura ſibi inferentem pertulit,tanto pro ſe conſtantiùs tolerantem aduerſa præciuit. Cui labores etiam, quos ipſe in carne pertulerat,dereliquit; quia conuerſum illum vſq; ad imitationem propriæ paſſionis traxit. Vnde & per eundem rinocerotem dicitur: *Suppleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* De quo adhuc ſubditur: *Nũquid credes ei quod reddat ſeminãtibus, & aream tuam congreget?* Conſideremus Paulum quis fuerit, cùm ab ipſa adoleſcentia lapidãtium adiutor exiſteret, cum alia Eccleſiæ loca vaſtaret, & acceptis Epiſtolis vaſtando alia peteret, cùm mors ei fidelium nulla ſufficeret,ſed ſemper ad aliorum interitum alijs extinctis anhelaret. Et profecto cognoſcimus,quia tunc nullus fidelium crederet, quòd ad iugum Deus ſuæ fortitudinis veritatem elationis inclinaret. Vnde & Ananias voce Dominica hunc & poſtquam conuerſum audiuit, extimuit dicens: *Domine,audiui à multis de viro hoc, quanta mala ſanctis tuis fecerit in Hieruſalẽ.* Qui tamen repente commutatus,ab hoſte prædicator efficitur,& in cunctis mundi partibus Redemptoris ſui nomen inſinuat,ſupplicia pro veritate tolerat, pati ſe quæ irrogauerat exultat. Alios blandimentis vocat,alios ad fidem terroribus reuocat. Iſtis regnum pollicetur cæleſtis patriæ,illis minatur ignes gehennæ. Hos per auctorem corrigit,illos ad viam rectitudinis per humilitatem trahit, atque in omni latere ad manum ſe ſui rectoris inclinat. Et tanta arte Dei aream congregat, quanta illam priùs elatione ventilabat.

SED neque hoc abhorret à Paulo, quòd rinocerus buxei coloris dicitur,& elefantorũ vẽtres cornu ferire perhibetur. Quia enim viuere ſub rigore legis aſſueuit, artiùs in illo ceteris cuſtodia vniuſcuiuſque virtutis molliuit. Quid enim per colorẽ buxeum, niſi abſtinentiæ pallor exprimitur? Cui ipſe ſe tenaciter

Digitized by Google

adhærere teſtatur dicens: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Qui diuinæ legis eruditione præditus, dum aliorum ingluuiem redarguit, cornu elefantos in ventrem ferit. In ventremque elephantos percuſſerat, cùm dicebat: *Multi ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti. Quorũ finis interitus, quorũ Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Et rurſum: *Huiuſmodi Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Cornu ſuo igitur rinocerotus iſte non iam homines, ſed beſtias percutit: quando illas Paulus doctrinæ ſuæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impepetit, ſed ſuperbos ventris cultores occidit.

Qvod ſi de prædicta Iob gentilis Regis prophetia trãſire ad Patriarcharum vel Prophetarum vaticinia iuuat, primum illud nobis occurrit, quòd in benedictione nouiſſimi & dilectiſſimi filij ſui Benjamin, Iacob Patriarcha prædixit, in typo videlicet huius Apoſtoli, qui de tribu Benjamin, ſicut ipſemet aſſerit, fuit. *Beniamin*, inquit, *lupus rapax: mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia*, vel ſecundum aliam tranſlationem, *diuidet eſcas.* Libet autem ea quæ de Benjamin fuerunt altiùs repetere, vt quòd congruè ſingula Paulo aptari poſſint euidenter appareat. Benjamin ergo inter fratres nouiſſimus, & patri cariſſimus, matrem ſuam Rachel naſcendo peremit. Quæquidẽ moriens eum Benonim, id eſt filium doloris mei nuncupauit. Pater verò poſtea commutans, ipſum Benjamin, id eſt filium dextræ vocauit. Benjamin itaque, fratres, fratrum nouiſſimus, & patri dilectiſſimus Paulus ipſe eſt, qui nouiſſimè poſt Apoſtolos à Deo vocatus, tãto extitit Deo carior, quanto in meritis fuit excellẽtior. De quo Hieronymus ad Paulinũ: Paulus, inquit, nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt; quia plus omnibus laborauit. Cõſtat inſuper eum non ſolum martyrem, ſed & virginem extitiſſe; vt quæ in Petro & Ioanne Apoſtolo diuiſę videntur meritorum palmę, in ipſo reperiantur conjunctæ. De prærogatiua autem virginalis palmæ ipſius illud eſt Ambroſij in prima ad Corinthios. *Dico autem non nuptis, &c.* Non diceret, *Bonum eſt innuptis vt ſint ſicut & ego*, niſi eſſet integer corpore. Nec diceret, *Omnes homines volebã eſſe ſicut meipſum.* Si enim habuit vxorem, & hoc dixit, virgines eſſe voluit. Sed abſit. Sic enim à pueritia ſpiritu ferbuit, vt huius rei ſtudium non haberet, quippe cùm iuuenculus anticipatus ſit à gratia Dei. In eo adiuuatur quis quod videtur auiditate mentis appetere. Item in ij. Epiſtola ad Corinthios, Omnes Apoſtoli

excepto Ioanne & Paulo vxores habuerũt. Hinc Hieronymus docet adEuſtochiũ virginẽ*,inter cetera ſic ſcribit:*De virginibus* inquit Apoſtolus,*præceptũ Domini non habeo*,quòd ipſe vt eſſet virgo non fuit imperij,ſed propriæ voluntatis. Nec enim audiendi ſunt,inquit,qui in eum vxorem habuiſſe cõfingunt: cùm ſuadẽs perpetuam caſtitatem intulerit, *Volo autẽ omnes eſſe ſicut meipſum*, Qui etiam in libro Hebraicorũ nominũ,& ipſa interpretatione nominis Pauli excellentiã eius cõmendans,ait: Paulus mirabilis ſiue electus interpretatur,quem Dominus ipſe vas electionis vocauit,& tam vita quàm doctrina inter Apoſtolos mirabilẽ fecit. Benjamin,vt dictum eſt,naſcens matrẽ parientem peremit, quæ præ dolore partus moriens, Benonim eum, id eſt filium doloris appellauit. Pater verò nomine cõmutato,eum Benjamin, id eſt filium dextræ nominauit. Paulus quippe in Chriſto iam renaſcens,matrẽ ſuam Iudæã,quæ eum in doctrina legis genuerat, & educauerat,quaſi peremiſſe dicitur;cùm præcipuè carnaliũ obſeruationũ præcepta,in quibus viuebant, euacuerit, & totã eorum gloriã ad nihilum redegerit,quaſi de vtero matris exiens,& à ſcola ſynagogæ per conuerſionẽ recedens, iuxta quod ipſemet ait: *Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ,& vocauit per gratiã ſuam.* Vnde& bene mater eum Benonim,id eſt filium doloris ſui vocauit: quia quo plus errorem eius Paulus infeſtauit, ampliùs eam dolere fecit,& quo præ ſapientiæ ſuæ excellentia gratior extiterat habitus,ampliùs eam contriſtauit amiſſus.Benè autem pater nomen cõmutare voluit,vt potius eum filiũ dexteræ, id eſt proſperitatis ſeu fortitudinis appellaret quã doloris: quia,vt hîc dixim⁹,interitus Synagogæ,qui per Paulũ factus eſt,in proſperitatẽ potius fideliũ,& communẽ Eccleſiæ exultationem,quam in dolorẽ reputandus eſt. Qui etiã qua fortitudine animi viguerit,innumeræ in eũ perſecutiones indicant. Quod verò dicitur manè rapere prædam, & veſpere eſcas diuidere,ſignificat eum primitus perſecutorem Eccleſiæ fuiſſe, & poſtea ei verbi refectionem doctrinæ ſuæ prædicationis adminiſtraſſe. Quòd autẽ iuxta aliã tranſlationẽ dicitur diſtribuere ſpolia,ſignificat eum poſteaquã conuerſus eſt multas animas diabolo eripuiſſe, & quaſi ſpolia fugato hoſte hos retinuiſſe: quòd poſtea per Eccleſiaſtica officia, vel quæcumque fidelium miniſteria ordinauit. Hieronymus verò in libro Hebraicarum Quæſtionum aſſerit ſecundum Hebræos,quòd altare in quo immolabãtur hoſtiæ & victimarũ ſanguis ad baſim illius fundebatur,in parte tribus Bẽjamin erat.

Digitized by Google

Quod quidem conuenienter iſte Chriſtiani ſanguinis effuſor intelligit, de quo ſcriptum eſt, *ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini*, vbi Chriſti membra tanquam lupus oues laniaret in terris.

VT autem de Patriarchis ad Prophetas tranſeamus, quid de hoc Benjamin noſtro maximus ille Regum & Prophetarum Dauid prædixerit, audiamus: *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus: in medio iuuenculatum tympaniſtriarum. In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael. Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.* In initio quippe naſcentis Eccleſiæ Apoſtoli principes eius in electione præceſſerunt, quia priùs à Chriſto ſunt electi, per quos conuerterentur ceteri. qui ſi non tantæ perfectionis fuerunt vt verbo prædicationis alios generare poſſent, pſallentes tamen, id eſt pſalmum in bona operatione habentes dicuntur. Pſalmus quippe, id eſt melodia inſtrumenti, quod Pſalterium dicitur, impulſione manuum in cordis affectum bonæ operationis actiones ſignificat. Manibus quippe ad operandum magis quàm cæteris vtimur membris. Ideoque per manus opera ſignificantur. Principes itaque in Eccleſia coniuncti ſunt pſallentibus, quia qui verbo prædicationis inſiſtunt, ſubiectis plebibus, quæ ad hoc non ſufficiunt, ſed tamen bona operantur quæ poſſunt, in vna fide ſociantur. Prælatis autem & ſubiectis plebibus adoleſcentulas tympani ſtrias coniungit, id eſt vitam continentium, qui magnæ tympanum mortificationis geſtant, & tantò ad nouitatem Chriſti ampliùs accedunt, quanto à vetuſtate primi hominis longius recedunt. Quaſi ergo in medio iſtarum duo præmiſſi ordines conſiſtunt, quia vita continentium quo maioris eſt meriti, ampliùs rectorum & ſubiectorum plebium ordines quaſi ambiendo ſuis virtutibus munit, & orationibus protegit. Sed quia tam continentes quàm ſubditæ plebes de doctrina prædictorum principũ, quaſi de hauſtu quorundam fontium imbuuntur: hortatur vt de his fontibus Deum maximè glorificemus, qui tales Eccleſiæ ſuæ præeſſe diſpoſuit. Quorum ille Benjamin noſter, quo perfectioris doctrinæ aqua imbuit corda fidelium, tantò rectiùs à Domino vas electionis, & crater præclari nuncupatur. De cuius excellentia ſtatim adnectitur: Ibi, hoc eſt inter illos fontes, quaſi vnus ex ipſis eſt Benjamin per electionem, vt dictum eſt, nouiſſimus, ſed per dignitatem primus. De cuius excellentia & gratia ſingulari ei collata ſtatim ſubditur, *In mentis exceſſu*, hoc eſt in extaſi mentis factus, & tanta contemplatione vſque ad tertium cœlum aſſumptus,

Digitized by Google

& ſuprà hominem raptus, vt ipſemet ignoret vtrum in illa ſublimitate reuelationis anima eius in corpore fuerit, an extra. Cùm enim Dominus Moyſi quærenti eum videre reſpondit, *Non videbit me homo & viuet*, profectò ſupra hominem fuiſſe tunc videtur, qui tanta viſione in cæleſtibus fruebatur, vbi tanta ſe audiſſe commemorat, quæ homini loqui non liceat.

QVANTO autem ibi perfectius inſtructus fuit, tantò nobis perfectiorem doctrinam reliquit. quæ quidem doctrina quantum cæteris præferatur, non ſolùm à Chriſtianis, verum & à Philoſophis non ignoratur. Ipſe quippe Coapoſtolus eius atque Apoſtolorum Princeps Pauli Epiſtolas, in quibus tamen ſe reprehendi nouerat, plurimum commendans, *Et ſicut carißimus*, inquit, *frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Sicut in omnibus Epiſtolis loquens de his in quibus ſunt quædam difficilia, intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum damnationem. Hinc & Hieronymus Pammachio ſcribit; Paulum Apoſtolum quotienſcumque lego, videor non mihi verba audire, ſed tonitrua. Quantus autem & apud Philoſophos habitus ſit qui eius vel prædicationem audierãt, vel ſcripta viderant, inſignis ille tam eloquentia quàm moribus Seneca in Epiſtolis quas ad eum dirigit his verbis proteſtatur: Libello tuo lecto de plurimis ad quoſdam litteris, quas ad aliquam ciuitatem ſeu populum caput Prouinciæ direxiſti, mira exhortatione vitam mortalem cõtemnentes, vſquequaque refecti ſumus. Quos ſenſus non puto ex te dictos, ſed per te: certè alioquin & ex te, & per te. Tanta etenim maieſtas earum rerum eſt, tantaque generoſitate clarent, vt vix ſuffecturas putem hominum ætates, quibus inſtitui perficique poſſint. Meminit & Hieronymus huius laudis Senecæ erga Paulum in libro de Illuſtribus viris, cap. XII. ita ſcribens: Lucius Anneus Seneca Cordubenſis Fotini Stoici diſcipulus & patruus Lucani Poëtæ, continentiſſimæ vitæ fuit, quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, niſi me Epiſtolæ illæ prouocarent quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, vel Senecæ ad Paulum. In quibus, cùm eſſet Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit eſſe eius loci apud ſuos, cuius ſit Paulus apud Chriſtianos. Tempus me, fratres, deficeret, ſi per ſingula laudem Pauli proſequens virium mearum facultatem excedere pręſumam. Sed quia ſcriptum eſt, *Si quid reſiduum fuerit igni comburatur*, Deo cetera relinquamus, & ad Miſſarũ ſollemnia ſuper his hoſtiam laudis immolaturi nos præparemus.

Digitized by Google

DE S. IOANNE EVANGELISTA, SERMO XXIV.

QVI Sermones in Sanctorum festiuitatibus componunt, à prærogatiua, hoc est dignitate ipsorum non incongruè sumunt exordium; vt eorum festa tantò deuotiùs à fidelibus celebrentur, quanto ampliùs ipsorum commendatione audita & eos gratiores intelligimus, & de meritis ipsorum magis confidimus. Constat autem inter vniuersos Apostolos, sicut & beatus meminit Augustinus, Epistolam Pauli ad Galathas exponens, tres honorabiliores extitisse, Petrum videlicet, Iacobum, & Ioannem: qui vt memoratus ait Apostolus, videbantur columnæ esse, quasi fulcimentum scilicet ac robur aliorum. Hos quippe tres familiarissimos Christo fuisse ex multis locis Euangeliorum colligimus, & his seorsum Dominum sua secreta sæpiùs commisisse, & tanquam inseparabiles comites eos habuisse. His enim seorsum assumptis transfigurationis suæ gloriam in monte reuelauit, & ad passionem veniens eisdem secreto assumptis ait: *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum.* Ad quos etiam post orationem regressus, *vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem.* Vnde patenter innuitur, quàm inseparabiliter isti tres ei semper adhæserint, quos & in gloria trãsfigurationis, & in agonia passionis, & tam in vigilijs quàm in oratione tanquam comites indiuisos habuerit, nec à se vmquam sicut ceteros separari permiserit.

CVM itaque isti, vt dictum est, inter Apostolos non dubitentur honorabiliores, quanto præmineat honore Ioannes quis dubitet, qui inter hos quoque qui honorabiliores extiterunt, ex priuilegio Dominicæ dilectionis ampliorem quendam honorem est adeptus, & ab ipso Domino matri eius virgini tanquam alius filius pro ipso est virgo substitutus? Sic enim vtrisque cruci eius adstantibus de ipsa cruce loquitur, dicens: *Mulier, ecce filius tuus.* Ad discipulum autem: *Ecce mater tua.* Vbi & ipsemet Ioannes adnexuit, *Ecce filius tuus*, dicens: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* In sua, inquam, subaudis stipendia, & quasi virginitatis suæ primi*, non in sua quasi vxorem. Felix hæc incomparabilis remuneratio discipuli, cui virgine matre saluatoris commendata, quasi alter filius ei à Domino deputatus est, vt eius gaudijs, eius colloquijs assiduè frueretur, ei seduliùs vsque ad exitum ministra-

ret,eius corpuſculum immaculatum virgineis & quaſi Angelicis manibus ſepulturæ præpararet, & præparatum in ſepulcro componeret:beatos illos oculos clauderet , Angelicam illam faciem aptaret, & tam manibus quàm ceteris membris deuoté compoſitis officij ſui deuotionem ſacerdos magnus conſummaret. Cuius ſanctiſſimæ poſtmodum vitæ atque immarceſſibili carni nec roſam martyrij,ſicut nec lilium virginitatis certum eſt defuiſſe , ſequenti,vt ſcriptum eſt, Agnum quocumque ierit. Hic quippe & in feruentis olei dolium miſſus,& in exilio diutino relegatus ,illud conſtantiâ mentis impleuit,quod de calice Dominicæ paſſionis bibendo Dominus antea tam ipſi quàm fratri eius prædicens, *Calicem*,inquit, *meum bibetis*.Cuius quoque conſtantia & inſuperabilis caritas maximè circa crucem probata eſt , cùm ipſe ſolus Apoſtolis per fugam diſperſis cruci aſſiſteret intrepidus,& cum matre Domini crucifixoDomino compateretur.Ex qua denique perſeuerantia conſtantiæ ſtipẽdium illud quod diximus ſingulare de commendatione matris à Domino meruit ſuſcipere.O beatum commercium!ô commutatio incomparabilis ! Abſtractus à nuptijs virgo eſt,& ab vxore diuiſus,& à lecto concupiſcentiæ ſequeſtratus,vt immaculatus immaculatam ſuſciperetDomini matrem,filius efficeretur virginis,& ſpiritalis frater Chriſti, potius quàm maritus vxoris. Cui profecto tam in hoc quàm in ceteris Chriſtus quantam exhibuerit dilectionem , multis manifeſtum eſt indicijs. Soli quippe ipſi conceſſum eſt ſuprà pectus Domini in cœna recumbere, & tanquam impauidum & fide conſtantem quieſcere in illo imminentis paſſionis articulo ,vbi iam omnium corda fluctuabant,vt hinc quoque conſtantia eius probaretur, ſicut Ionæ Prophetæ, qui de imminente periculo ceteris deſperatis ſecurus in ſentinam vt dormiret deſcendit. Quod quidem Apoſtolus nequaquam præſumeret,niſi de nimia eius familiaritate confideret,vt in eius gremio tanquam in ſtratu aliquo , & in eius pectore quaſi in puluinario quodam ſeſe reclinaret. De quo quidem pectore,vbi,ſicut Paulus meminit,omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri erant abſconditi , fluenta Euangelij ceteris altiùs exhaurire meruit:vt plus ex hac quaſi dormitione ſua perciperet recumbendo,quàm ceteri prolixum illum Cœnæ ſermonem audiendo.Vnde & ab ipſo tantum ſermo ille poſtmodum eſt deſcriptus,cuius ſpiritalibus auribus per reuelationem ampliùs fuerat impreſſus. Cuius etiam vitæ longitudo vſque ad ſenium porrecta patenter indicat quàm neceſſarium Dominus ad inſtructionem

Eccleſiæ

Digitized by Google

Ecclesiæ suæ tamdiu eum reseruaret in mundo. Quem nec ita vt ceteros Apostolos passionibus exposuit, nec affligi permisit, cùm & eum in feruenti oleo custodierit illæsum, & vt eius citius terminaret exilium, in persecutorem eius vindictam maturauit Domitianum. Cuius omnibus decretis à Senatu quassatis occulta Dei dispensatione ab exilio ipse reductus fidelibus populis cũ summa exultatione est restitut⁹. In quo etiã exilio ei à Domino quę sit collata cõsolatio, reuelatio ibidem ei facta, quæ Apocalypsis dicitur, manifestè testatur. Qui etiam quàm mirabilem & iocundum vitæ habuerit terminũ, in morte quoq; circa eum summa dilectio Domini claruerit, multorum relatione didicimus. Solum quippe ipsum ab ipso Domino legimus inuitatum, vt ad supernum fratrum suorum conscenderet conuiuium: vt eo veniente sic omniũ compleretur gaudiũ. Qui & vt voluit, & quando voluit, animam suã in manus Domini cõmendans, tam alienus extitit à dolore mortis, quàm ignarus fuerat à corruptione carnis. Cuius denique corpus nec corruptione vel putredine corruptum in specie mannæ perhibetur conuersum, vt ex eius speciei candore munditia carnis probaretur immaculatæ. Quod nonnulli quoque Sanctorum iam gloria resurrectionis donatũ astruere non dubitauerunt. Vnde illud est Augustiniani sermonis in Natale Martyrũ, Vt taceam⁹ quia omnia possibilia sunt Deo, & quod clausis tumulis possit corpus spirituale educere, Ioannis tantũ Apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptũ claudere potuit, costodire nõ potuit. Nã depositum corpus perdidit, nõ assumpsit. Hic enim clausis tumuli foribus gratiâ resurrectionis ablatũ est, vt constaret sepultura, nec inueniretur sepultus. Denique cum sacerdotes honorandi causa corpus inquirerẽt, reserato aditu tumulus nõ potuit reddere quẽ susceperit. Cuius etiam locum, quo castissimũ corp⁹ eius tenebatur cùm Euangeliũ scriberet, vel orationi instaret, quanta gratia Deus insignierit, Gregorius Turonẽsis lib. Miraculorum 1. commemorat, dicens: In Epheso habetur locus, in quo hic Apostolus Euangelium scripsit. Sunt autẽ in summitate mõtis illius proximi IIII. parietes sine tecto, vbi orationi insistens Dominum exorabat, obtinuitque ne in loco illo imber & . . . descenderet, donec ille Euãgelium ad impleret. Sed vsque hodie ita præstatur à Domino, vt nulla ibi descendat pluuia.

Ex his itaq; specialis iste dilectus Domini quàm honorabilis inter ceteros, quàm acceptus extiterit Deo, quantis præmineat meritis, quantis sit extollendus præconijs, & vos Deo dilectæ Virgi-

Digitized by Google

nes attendite,tantoq; deuotiùs eius ſollemnitatem celebrate,quãto amplius eius excellẽtiã ſanctam imitamini puritate. Cuius nos interceſſio ita in ſancto confirmet propoſito,vt ad illud ſupernũ, quo ipſe inuitatus eſt,conuiuiũ perueniatis:vt illic mentẽ feliciùs quàm hic carnem reficiatis,ſponſo veſtro cæleſti perenniter coniunctæ, cuius præſentiæ viſio ipſa ſumma eſt beatitudo.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ, SERMO XXV.

SIcvt ex dictis Eccleſiaſticorum doctorum collegimus, Domino aſcendente in cœlos quidam Angelorum dubitantes,vel potius admirantes,de tanta glorificati hominis magnificentia,ceteros aſſiſtentes non ſemel interrogabant,*Quis eſt iſte Rex gloriæ*?Sic & in hodierna Dominicæ matris Aſſumptione de tanta infirmi ſexus exaltatione nõ incongruè per Angelicã admirationem dictũ eſſe credimus : *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut Aurora conſurgens,pulchra vt luna,electa vt ſol,terribilis vt caſtrorum acies ordinata*? Aurora quippe conſurgẽs primam claritatem diei affert. Surgere autẽ electorum eſt,hoc eſt ad culmen virtutũ,&ad comprehendẽdum Deũ ſeſe attollere: ſicut ècontrario reproborum cadere,atque in profundũ vitiorum ſe immergere. Vnde ad torpentes ſomno negligẽtiæ,&in ſua iacẽtes ignauia, vox illa eſt exhortationis.*Surge qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*.Surgunt quidam & per pœnitentiã à morte animæ quaſi ſuſcitati reſurgunt,ſed ad tanta virtutũ merita nõ excreuerunt, vt in exemplum perfectionis aſſumi queant, nec quaſi Aurora claritatem doctrinæ,his,qui ad perfectionem vitæ ſe ſtudent attollere, valent exhibere. Beata verò Dei genitrix quanto in virtutibus excreuit perfectiùs , tantò perfectionis ſuæ claritatem more ſurgentis Auroræ amplius dilatauit,&cãdoris virginei propoſito prima reſurgens,huius perfectionis viam,qua ſolæ virgines agnum ſequuntur quocumque ierit,proprio declarauit exemplo: ſicut & Aurora,vt dictũ eſt,prima diei claritatem affert. Etſi enim nõnulli virgines eam præceſſiſſe credãtur,ſicut de Helia,vel Hieremia,vel Daniele,vel quibuſdam alijs æſtimant;non hãc eos virtutem tam ex deuotione ſacri propoſiti quàm ex neceſſitate quadam, atque oppreſſione perſecutionis credimus habuiſſe:præſertim cùm eo tempore maledictioni ſubjacerent ex lege,qui ſemẽ in Iſrael non relinquerẽt,&quędam legis coactiones ad nuptias cõ-

Digitized by Google

pellerẽt. Vſque adeò nãq; lex iſta matrimonij vigebat, vt ipſa quoque mater Domini tam à parẽtibus quàm à lege coacta deſponſari ſuſtineret. Diuina tamẽ reuelatione confidens virginẽ quoq; illũ, cui & virgo nubebat, ad virginitatis ſeruandæ cõſenſum ſe trahere non deſperabat. Pro quo maximè impetrãdo in ipſo deſponſationis tempore ſecretum orationis cubiculum tenere credenda eſt, quo ingreſſus fuiſſe Angelus memoratur ad eã miſſus. Non enim eã exterius cum ſecularib. feminis morantem reperit, ſed abditam pudicitiæ & cubiculi oſtio clauſo deuotè Dominũ orantẽ, & ſinceræ orationis puritate propoſiti ſui concordiã Domino cõmendantem. Vnde & in medijs precibus ſuis Angelicam viſionem meruit, qua ſic ad integrũ cõfortaretur, vt & votũ virginitatis ei Dominus cuſtodiret, & à maledictione legis de ipſa naſcendo ei pariter prouideret, & per eã in mulierib. benedictam, ſicut & ipſe mox Angelus cõmemorat, vniuerſo mũdo benedictionẽ infunderet, illud ei ſ. ſemen largiendo, de quo Abrahæ promiſerat, dicens: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.*

HAEC itaq; tanquã Aurora cõſurgens, prima claritate mũdum illuſtrauit, quia prima caſtimoniæ nitorẽ, & sãctę virginitatis propoſitum in exemplũ propoſuit. Sed quia nõ ſatis eſt ad laudem ipſius vnũ virginitatis bonum, ſi ceterorum gratia deſit: Lunæ quoque cõparatur eius pulcritudo, quia totiꝰ Eccleſię dona in ea ſunt collata, & quod per partes diuerſi fideles perceperũt, in eã transfiſum eſt totum: & quæ in cęteris diuiſa ſunt dona, in ipſa reperiũtur coniũcta. Et quoniam parũ eſt quantamcũque gratiam donorum habere, ſi deſit in eis virtus perſeuerãtiæ, de qua ſcriptũ eſt, *qui perſeuerauerit, hic ſaluus erit*, adiunctũ eſt, *electa vt ſol.* Non enim ſicut Lunæ, claritas Solis defectui ſubdita eſt, ſed in ſuo vigore perſeuerat. Tria itaq; in laude huiꝰ Virginis præmiſſa ſunt. Primo quippe cõparata eſt auroræ pro exẽplo pudicitiæ, quæ per eam mũdo innotuit: poſtmodũ Lunæ, pro plenitudine omniũ gratiarũ: deinde Soli, pro perſeuerantia in eis accepta. quibus quidẽ donis adornata, & quaſi quibuſdam ſpiritalibus armis munita, tandẽ terribilis memoratur vt caſtrorum acies ordinata. Talis quippe acies & ſuis eſt amabilis, & aduerſarijs terribilis: ſi videlicet ita vt cõuenit ordinata fuerit. Tunc verò benè eſt ordinata, cùm aduerſus ſingulos .... irruentes hoſtes prouiſi ſunt, qui eis reſiſtere valeant, ne quis locus pateat, quò irrumpere ad feriẽdũ hoſtis queat. Scimus ſcriptum eſſe, quia *militia eſt vita hominis ſuper terrã*: & qui in agone illo contendit, de quo dicitur, *Nõ coronabitur niſi qui legitimè certauę-*

rit,abomnibus ſe abſtinet,ne coronam ſ.victoriæ perdat. Hoſtes fidelis animæ,&inimici ſatellites,qui eam ſuis tẽtationibus perſequuntur,dæmoniaci ſpiritus ſunt,ſicut eſt ſpiritus fornicationis, &qui ceteris præſunt vitijs. Aduerſum quos Principes & Poteſtates,vt ait Apoſtol⁹,colluctatio nobis eſt,qui omnibus fulti virtutibus nõ apparemus. Nec tã de victoria metuẽdi ſum⁹ illis,quàm illi nobis. Dei verò genitrix omniũ munimẽ eſt virtutũ adornata, & cõtra impetus quarũcũq; tentationũ vel vitiorũ,ſingulariter habitu virtutum roborata,magis illis terribilis, quam ei ipſi apparent.

LEGIMVS aſcendenti Domino Angelos aſtitiſſe,qui diſcipulos eius conſolantes dixerunt,*Viri Galilæi,&c.* A quibus etiam ceteris præ admiratione quærentibus Angelis,*Quis eſt iſte Rex gloriæ?* reſponſum fuiſſe credimus,*Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Et rurſum, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Vtrorumque verò Angelorũ quaſi quadam triũphali põpa deductus ad Patrẽ,à dextris eius cõſediſſe noſcitur. At vero ſi diligẽter illũ tũc occurſum Angelorũ,& triumphalem põpam Chriſto exhibitam, hodiernç feſtiuitatis comparemus iocumditati: videbimus plus aliquid in aſſumptione matris ei deferri,quam in aſcẽſione Filij ipſi exhiberi,& huius pompæ occurſum illo non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli aſcendenti Chriſto occurrere potuerũt: ipſe verò pariter cum tota ſuperna curia,tã Angelorũ quàm fideliũ animarũ eius animam ſuſcepit,in qua ipſe tã animã quàm carnem antea ſuſceperat. Nec animã ſolùm,verũetiam corpus ad cælos hodie ſuſtuliſſe creditur, vt animæ pariter &carnis glorificatione eã remuneraret,in qua, vt dictum eſt,ſimul animam &carnẽ decreuit aſſumere. Cui quidem rei plurimũ atteſtatur ſepulchrũ vacuũ penit⁹ repertũ,ſicut &antea fuerat Dominicũ: vt ipſa quoque reſurrectionis gloriã &geminã ſtolam adepta credatur, ſicut manifeſtè feſtiua huius diei oratio cõtinet,his verbis: *In qua ſancta Dei genitrix mortẽ ſubijt temporalem,nec tamen mortis nexibus deprimi potuit &c.* Cùm enim præmiſſum ſit,*mortẽ tẽporalem*,patenter oſtẽditur, id quod ſubiũctũ eſt de vinculis mortis,ad mortẽ illã carnis referẽdum eſſe,nõ ad mortẽ animæ,cuius vinculis nõ detineri cõmune eſt omnibus electis. quod diligẽter beatus quoq; Gregorius Turonenſis attendens cũ de trãſitu eius ſcriberet,maturç quoque reſurrectionis eius gloriã aſſererenõ dubitauit. Vnde Miracul. li. 1. ca. IIII. ita meminit: Poſt Dominic. Aſcenſ. gloriã Apoſt. Domini cũ B. Maria matre eius in vnã cõgregati domũ,omnia ponebãt in medio,nec quiſquã ſuũ aliquid eſſe dicebat,ſed vnuſquiſq; cuncta

Digitized by Google

possidebat in caritate, sicut sacer Apostolicæ actionis narrat stilus. Post hæc dispersi sunt per regiones diuersas ad prædicãdum verbum Dei. Denique impleto beata Maria huius vitæ cursu, cùm iam vocaretur à seculo, congregati omnes sunt Apostoli de singulis regionibus ad domum eius. Cumque audissent quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul. Et ecce Dominus Iesus aduenit cum Angelis suis, & accipiens animam eius, tradidit Michaeli Archangelo, & receſſit. Diluculo autem leuauerunt Apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntque illud in monumento, & custodiebant ipsum aduentum Domini præstolantes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, & susceptum corpus sanctum in nube deferri iussit in paradisum, vbi nunc resumpta anima cum electis eius exultans æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur. Ex qua quidem tanti viri assertione, quàm glorioſus iste summæ Virginis transitus sit liquet. Ad quẽ videlicet consecrandum seu celebrandum tam ipse Dominus cum Angelis de supernis occurrit, quàm Apostoli de vniuersis regionibus sunt congregati, vt exequias eius isti præpararent, quam illi susciperent.

SCIMVS Apostos in morte Domini metu fuisse dispersos, & in fugam conuersos. Nunc autem diuina dispensatione factum est, vt quod in filio minus est auctum, in obsequio matris recompensetur; & quod ibi deliquerant dispersi, hîc emendarent cõgregati. Ex quo etiam apparet, quantò amplius de honore matris ipse Dominus, quàm de proprio fuisse videatur sollicitus, si quis tam vitam matris quàm exitum penset. Ipse quippe, non solum in passionne, verumetiam antea tanta sustinuit probra, vt homo vorax, & potator vini, & dæmonium habens diceretur, nulla prorsus infamiæ macula matris excellentiam respergi pertulit. Vnde & de ipsa nasciturus sponsum ei prouidit, per quem non solum eius corporalibus necessitudinibus prouideret, verumetiam tam maledicti quàm infamiæ crimen ab ea propulsaret. Triduo Dominicum corpus in sepulchro iacuit, & à die resurrectionis quadraginta diebus ascẽsionẽ suã distulit. Quam quidẽ dilationem nequaquam, vt dictum est, in matre pertulit. Deniq; & sacrum corpus clam prius in paradisum sustulit quàm resuscitauit, quo mirabilior exanimis corporis assũptio fieret ac resurrectio, nullatenus iam ipsum suscitatum terreno contactu iudicans dignum. Creatum extra paradisum legimus Adam, in paradiso Euam: resuscitatum in terris Dominum, in cœlestibus

Digitized by Google

verò corpus maternum. Perpendant feminæ quanta inferiorem earum sexum gloria Dominus sublimauit, & quàm eis esse naturalis videatur tam cœlestis quàm terrestris paradisus. In hoc quippe femineus sexus tam corpore quàm anima primum creatus, in istum hodie anima pariter cum corpore sublimatur. De veteri Adam creata est Eua: nouus autem Adam & veteris redemptor generatur ex Maria. Illa de paradiso illum suum tam virum quàm parentem expulit: hanc hodie suus tam sponsus quàm filius ad feliciorem paradisum assumpsit. Qui quemadmodum cœlos ascendens, à dextris Dei sedisse describitur, ita hodie matrem assumptam à dextris suis collocasse non dubitat, cui olim per Prophetam dictum fuerat, *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato*, hoc est in corpore semper immaculato, etiam immortali & incorruptibili facto. Aurum quippe ceteris metallis splendidius & solidius, nec igne consumi, nec rubigine potest corrumpi.

Sicvt ergo Dominus in seipso viris, ita in matre feminis gloriam resurrectionis exhibuit: quo videlicet vtriusque sexus desideria spe futuræ beatitudinis amplius in se concitaret. Ad hæc specialiter illa vox Sponsi dirigitur, qua tam dulciter inuitatur: *Surge, propera amica mea, & veni. Iam enim hiems transiit, imber abijt, & recessit.* Amicam simul & formosam eam appellat, quæ tanta est caritate Dei vulnerata, vt nulli inimici telo in ea locus pateat. In cuius singulari laude, & ab ipso ei dicitur: *Immaculata mea, & macula non est in te.* Etsi enim multi amici Dei dicantur, iuxta quod ipse Sponsus Apostolis ait, *Vos autem dixi amicos*: comparatione tamen Dominicæ Matris, cui ab Angelo dicitur, *Aue gratia plena*, nulla est fidelium anima immunis à macula. *Surge, propera*, hoc est, matura resurrectionem, ad me filiũ mater es perducenda. Per hiemem & imbrem, hoc est gelu & pluuiam, totam hiemalis temporis comprehendit grauitatem. Tanto autem quisq; ampliùs in hac vita grauatur, & inuitus tenetur; quanto securior de futura, maiori desiderio ad eam festinat. Quis autem fidelium sic ad Dominum, sicut mater peruenire cupiebat ad filium? Tanto ergo hanc vitam magis pro hieme habebat, & grauius sustinebat, quanto ad æstatem supernæ serenitatis amplius anhelabat. Vnde rectè nunc dicitur ei iam hiems transisse, & imber abijsse, quæ finitis omnibus molestijs, non ad illum Abrahæ sinum & refrigerium fidelium, quo pauper Lazarus perductus est, sed ad ætherei throni culmen est

Digitized by Go

assumenda. Non ignoramus beatum Hieronymum, cùm huius Assumptionis sermonem scriberet, intantum dubitasse de resurrectione hac, quam diximus in Matre Domini completã, vt diceret nihil pro certo hinc haberi, nisi quòd hodierna die migrauit de corpore. Sed cùm in Daniele scriptum sit: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, & beatus Benedictus in Regula dicat, quia reuelat Deus sæpè iuniori quod non reuelat maiori: potuit contingere, vt quod tempore Hieronymi latuit incertum, postmodum reuelante spiritu fieret manifestũ. Quod si etiam à minori ad maius argumentum ducamus; quis in hoc mendacij arguere præsumat prædictum Gregorium, quòd Domini matrem iam resuscitatam asserit, cùm hoc etiam de Ioanne Apostolo ipsius Dominicæ Matris Paranympho beatus Ambrosius astruere non vereatur, sicut in sermone Natalis eius cõmemorauimus?

ASCENS VRVS Dominus discipulis promisit, se ire parare illis locum. Et vos ergo virgines, vel quæcumque feminæ Christo deuotæ, huius summæ Virginis tanquàm discipulæ, à qua sancti propositi documentum suscepistis, & per continentiæ votum eam secutæ, templum Dominicum estis factæ, sicut scriptũ est: *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.* Ita & vos in eius discipulatu perseuerate, vt per eam vobis æternas parari mansiones mereamini; & quæ vos proprio exemplo incitauit ad cursum auxilio suo perducat ad brauium. Quanta hodie in terris, quanta exultatio est habenda in cœlis? quanta Angelis pariter atque hominibus lætitia confertur, cùm hæc eorum collegio sursum est aggregata, & per quam hominibus patuit via, & ex hominibus Angelorum restaurata sunt damna? Hæc nostra est mediatrix ad filium, sicut & ipse filius ad patrem. Rogantem pro nobis matrem filius non exaudire non potuit, nec nulla eam repulsa offendere, qui honorem parentum maxime commendat. Iræ Domini sanctorum preces intantum resistere legimus, vt nequaquaquam debitam possit exercere vindictam. Quod diligenter beatus attendens Hieronymus cùm illum Hieremiæ locum exponeret: *Tu autem noli orare pro populo hoc, ne roges vt misericordiam consequatur, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te*, ait: Quod autem dicit, *& non resistas mihi*, ostendit quia Sanctorum oratio iræ Dei possit resistere. Vnde & loquitur ad Moysen, *Dimitte me ne percutiam populum istum.* Si

ergo Sanctorum oratio tantum valet ad placandam ſuperni Iudicis iram ; quid de oratione matris ſperandum eſt, de qua tantò amplius peccatoribus eſt confidendum,& quodam debito in hoc ipſam teneri ; quanto magis apud omnes conſtat,huius gloriæ ſingularem honorem vt mater Dei eſſet , non niſi pro peccatoribus adeptam fuiſſe. Ad quod quidem debitum perſoluendum , quàm prompta , quàm ſpontanea ſit ipſa , & omnibus qui eam inuocant in neceſſitatibus ſubuenire parata , multorum iam comperimus experientia Sanctorum , quorum nonnulla deducentes in medium , ſic à minimis inchoamus vt perueniamus ad maxima : vt cùm eam de paruis meminerimus curare , de maioribus ipſam non dubitemus ſollicitam eſſe.

VINVM in nuptijs defeciſſe legimus , ad quas filius eius cum ipſa & diſcipulis venerat inuitatus. Vino itaque ibi deficiente, dicit mater Ieſu ad eum,*Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus. Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius miniſtris. Quodcumque dixerit vobis facite.* Et poſt aliqua : *Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua, &c.* Ecce mater Chriſti de corporali beneficio ſollicita,intercedendo inuitat filium ad præſtandum beneficiũ, & quaſi ab ipſo objurgata grauiter,non deſtitit,donec quod intendebat obtinuit. Et quidem ſi diligenter attendimus , non tam beneficium eam videbimus rogaſſe , quàm defectum vini nunciaſſe. Cùm enim dixerit quia defeciſſet vinum,nequaquã rogaſſe legitur vt hoc ipſe præberet ;ſed hoc ſolum ſufficere arbitrata eſt ad impetrandum quod volebat , ſi nunciaret quod deerat:nec iam apud filium precem ſuam eſſe neceſſariam, cùm videretur ſuam inſinuaſſe voluntatem. Nec rogata quidem à conuiuis fuerat , vt hoc eis beneficium impetraret. Quid ergo per precem factura eſt , cùm à fidelibus exorata , pro ipſis apud filium interceſſerit , & pro ſalute quorum ſe ab ipſo electam , & eis debito obligatam eſſe recognoſcit? Quæ quanto ſanctior & iuſtior eſt , tanto in perſoluendo debito ſollicitam magis eſſe conſtat. Quod non ſolum ratione , verumetiam exemplorum manifeſtum eſt luce. Ad Collocenſes Apoſtolus ſcribens,quodam loco de Deo patre & Domino Ieſu Chriſto ſic ait : *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis,conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta , delens quod aduerſus nos erat cyrographum decreti , quod erat contrarium vobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci,expolians Principatus & Poteſtates.* Ad hunc itaque modum & Domini mater miſerrimo atque deſperato Theophilo execrandum ac deteſtandum

teſtandum reſtituens cyrographum, ad conſolationem multorum in vno tunc egit homine, quod filius eius in humano genere cognoſcitur egiſſe. Denique quantum velox & prompta ſithis qui eam inuocant, ferre opem non ſolum contra dæmones, verumetiam contra terrenorum Principum tyrannidem, ille Iuliani Imperatoris interitus proteſtatur, quem in vita beati Baſilij legimus. Quanto ergo ſecuriùs de protectione & ſuffragio confidimus, tanto nos deuotius eius intereſſe feſtiuitati conuenit, & vnumquemque noſtrum ad eam ſuſpirantem inceſſanter clamare: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Tracta quippe eſt vt trahat, aſſumpta eſt vt aſſumat, quæ creata eſt vt ſaluet, & formata vt reformet. Quo enim mirabilior in reparatione noſtra fieret operatio diuina, per eadē quibus corruimus erecti ſurreximus, ſi naturas potius quàm res ipſas penſemus. Diabolus quippe in ſerpente de ligno vetito primos parentes tentauit, virum & feminam captiuauit, & per hæc quatuor damnati ſumus, ſcilicet lignum prohibitum, ſerpentem ſuadentem, Euam ſeductam, Adam deceptum. Per totidem etiam reparati ſumus. Dum Angelo ad ſe miſſo Maria credidit, ſicut diabolo Eua conſenſit. Adam nouus in ligno Crucis redemit, & de ligno ligni damna reparauit, & noxij pomi lethiferum guſtum quaſi medicamine quodam curauit; fructibus illis de arbore Crucis aſſumptis, de quibus ipſemet ait: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Quid enim per palmam, qua victoria deſignatur, niſi Crux Dominica ſignificatur, qua ipſe diabolum triumphauit, & in ea noſtram redemptionem operans, ea quæ ad ſalutem noſtram pertinent conſummauit? Vnde & expirans ait: *Conſummatum eſt*, hoc eſt completum humanæ ſalutis medicamentum. Quo quidem medicamine ipſe animæ noſtræ morbos curare dignetur, qui ſe verum medicum quodam loco profitens ait: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* Quod quia noſtris obtinere meritis nequaquam ſufficimus, ipſa eius genitrix hoc nobis impetret, quæ eum ad hoc genuit, vt hoc ipſe nobis medicamentum afferret. Vnde & Saluator ſolus propriè nuncupatur; hoc, vt ait Apoſtolus, nomen quod eſt ſuper omne nomen patre ipſi donante, cum quo viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

Digitized by Google

EXPOSITIO IN EVANGELICA LECTIONE IPSIVS DIEI.

INTRAVIT *Ieſus in quoddam caſtellum.* Caſtellum munitio eſt & refugium defenſionis ab incurſu hoſtium. Hoc intrat Ieſus, dum Verbum Dei naturam noſtram in Virgine aſſumpſit, in qua noſtram operatus eſt redemptionẽ; & diabolum triumphans, quandam in eam nobis conſtituit munitionem. Hanc ingrediens in domo Marthæ ſuſcipitur, quia in terram Iudææ exterioribus operibus intendentis eſt incarnatus, & à quibuſdã illius populi primo eſt per fidem ſuſceptus, ſicut à Simeone, Anna, vel à populis indè collectis. Soror Marthæ Maria Gentilitas eſt conuerſa, id eſt Eccleſia Gentium vnum patrem Deum habens cum Martha, hoc eſt cum fideli Synagoga quæ iam Chriſtum ſuſceperat, paucis Iudæorum primò ad Chriſtum conuerſis. Martha ſuſcepto per fidem Chriſto refectionem parat, dum Iudæa de obſeruatione corporalium operum obſequium Deo miniſtrat, & cum Eſau exteriùs egreſſa de venatione ſilueſtri patrẽ reficere laborat. Sollicitatur Martha circa diuerſa, dum Legem ſimul & Euangelium, vmbram & veritatem conſeruare nititur. Vnde conuerſis Gentibus indignata grauiter perturbatur, & ſcandalizatur, quòd eis quoque iugum legis non poteſt imponere; ob hoc quaſi murmurans à Domino requirit, vt ſibi in omnibus Mariam ſociet: dum videlicet primitiua illa Iudæorũ Eccleſia poſtulat à vicarijs Chriſti Apoſtolis, vt gentes quoque iudaizare compellant. Sed dum Martha conſtat in opere laborando, & foras ad exteriora progreditur, Maria ſecus pedes Domini ſedens, & iam lege ſepulta ſoli Chriſto adhærens quaſi Iacob de domeſticis animalibus interiorem atque meliorem parat refectionem, iuxta illud Pſalmiſtæ: *In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Quæ quàm ſollicitè Chriſto intendat, monſtratur & dicitur, quia audiebat verbum illius, & ſedens iuxta pedes, non à longè. Sicut enim in vna Chriſti perſona diuinitas, quæ ſuperior eſt natura, capiti cõparatur; ita per pedes humanitas eius intelligitur. His pedibus quaſi ſedendo adhærens, audit verbum Chriſti potiùs quàm Moyſi, ſequendo ſcilicet Euangelium magis quàm legem: quæ tam firma fide humanitatem eius amplectitur, vt

Digitized by Go

hanc eius vnam hostiam ad salutem sufficere non dubitet, nullumque iam legis sacrificium necessarium fore putet. Vnde & subditur; *Porro vnum est necessarium*, quia cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: hoc est, cùm accesserit veritas, recedet vmbra; & superueniente Euangelica perfectione cessabit inchoatio legis. Optima pars Mariæ, veritas, quam elegit reprobata vmbra, intelligitur. Quæ non auferetur ab ea, quia finem non accipient Euangelica præcepta, sicut ea quæ de lege sunt Matthæ sunt ablata: quia conuersis Iudæis legalia sunt interdicta, cùm per Paulum dicitur: *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit.*

IN DIE SANCTI MARCELLINI PAPÆ ET MARTYRIS,

Ad Monachos Rothomagenses reliquias habentes.

SERMO XXVI.

SVPERNA pietas, fratres, membris suis omnibus ex omnipotentia prouidens, sicut fortibus à præsumptione, sic infirmis prouidet à desperatione. Vnde & in vtróque seipsum primo constituens in exemplum, nũc persecutionem declinans se abscondit, nunc passionis imminente articulo in tantum pauere ac tædere scribitur, vt in agonia factus, quasi sanguineas guttas pro sudore contra humanam naturam emitteret, & sæpius ad patrem orans calicem passionis à se transire, si possibile esset, postularet. Qui etiam infirma mẽbra in tantum transferre in seipsum dignatus est, vt diceret: *Nunc anima mea turbata est.* Et quid dicam? *Pater saluifica me ex hac hora.* Ac si diceret; Da mihi constantiam in passione, ne timor prævaleat infirmitati humanæ. Quare, ô fratres, Christus dixerit securus per omnia se nullo timore passionis, nullo cruciatu doloris posse superari? nostram vtique, fratres, infirmitatem his verbis intendebat consolari, non aliquam imbecillitatem quam haberet exponere. Nobis in his omnibus consulebat, non sibi prouidebat, ne forte si aliqui fideles tempore passionis trepidarent, aut ab ea declinarent, desperatione percussi & de venia diffidentes dicerent se ad Christum minimè

pertinere. Contra quam etiam desperationis plagam non solum Thomæ dubitationem, verumetiam trinam Petri negationem infirmis opposuit, & saluberrimum indè cataplasma confecit. Denique & Marcellinum nostrum beati PETRI Vicarium, cuius tempore crebræ passiones multos terrebant, nōnullos etiam abnegare cogebant, titubare ad horam Dominus pertulit, & ad tempus cadere, sed non confringi, sicut scriptum est: *Cùm ceciderit iustus non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

TERTIO negauit Petrus, nec simpliciter negauit, sed sicut scriptum est, *cæpit detestari & iurare quia non nouisset hominem.* Quòd verò Mathæus ait *detestari*, Marcus discipulus ipsius Petri, & per ipsum de scribendo Euangelio instructus, dixit *anathematizare*, hoc est excommunicationi se subdere, à quo alij absolutionem expectabant. Nec in vna tantum negatione Petri Mathæus iuramentum commemorat, sed quasi leuioribus culpis grauiores adnectens primò dixit Petrum negasse, postea cum iuramento, tandem cum detestatione simul & iuramento. Marcellini verò iuramentum vel detestationem siue anathematizationem non nouimus, nec etiam verba negationis ipsius legimus: sed quasi timore mortis extra se factum, nec deliberare aliquid permissum. Audiuimus ipsum in sacrificio idoli incensum solummodo posuisse, nec istam transgressionem eum toleraſſe, sed statim conuocatis Episcopis in seipsum sententiam depositionis dedisse: cùm nequaquam Petrus de trina sua negatione tantam egerit satisfactionem, nec etiam ad confessionem venisse legatur, aut satisfactionem aliquam inde suscepisse.

QVÒD si post Petrum, Paulum quoque summum Coapostolum eius Marcellino conferamus, leuissimā Marcellini culpam in hac transgressione censebimus. Legimus quippe Paulum secundum ritum legis, cuius corporales obseruantias maximè impugnabat, compulsum à Iudæis, vt more Nazareorum Deo se consecraret, necnon & Timotheum discipulum suum ad circumcidendum eis traderet: quando tamen circumcisionem intantum superfluam vel periculosam iudicabat, vt diceret, *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit*: & generaliter de obseruantijs legis, *Qui in lege*, inquit, *iustificamini, à gratia excidistis.*

NEGATVRO Petro Dominus prædixerat quòd negaret, & ille constantiam sui promittēs econtrario maiora promittebat,

& ſe omnibus præponẽs dicebat: *Et ſi omnes ſcãdalizati fuerint, ſed non ego.* Et rurſum: *Tecum paratus ſum & in mortem & in carcerem ire.* Quanto præſumptio promiſſionis maior extiterat, tantò reprehenſibilior Petri ruina, & lapſus eſt grauior, quantò contra hunc profeſſio fuerat maior. Nemo Marcellinum de tranſgreſſione, quę facta eſt, pręmunierat: nullius exhortatione ne id pręſumeret præuentus erat. Mendax in promiſſione Petrus, ſicut & in negatione repertus eſt. Nec in vna tãtum, vt dictum eſt, negatione, ſed trina, nec ſimplici, ſed cum anathematizationis deteſtatione. Qui quãuis pœnituerit, multo tamen tempore paſſionem ſuam diſtulit. Quam denique fugiens, ſicut ſcriptum eſt, à Domino illi obuiante quaſi nolens redire compulſus eſt, iuxta quod ei Dominus prędixerat; *Cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu nõ vis.* Scriptum denique eſſe veſtra nouit fraternitas, *Septies cadit iuſtus, & reſurgit*, ac ſi apertè dicat: Quamquam fidelis crebris tentationibus pulſatus ſeptem principalibus vitijs ſuccumbat victus, diuino tamen non deſtitutus auxilio, à profundo tanto vitiorum emergit, illam à Domino poſtulationem adeptus: *Nõ me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Tertio negauit Petrus, ſepties cadit iuſtus. Semel Marcellinus titubauit magis quàm cecidit, qui tam citò ſurrexit, & titubationem ſuam confeſtim non tam pœnitentiæ lacrimis vt Petrus, quàm virtute paſſionis expiauit intrepidus. De qua quidem perfectione virtutis Dominus ait, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.*

Scimvs, fratres, diuina diſponente gratia ſummos in virtutibus viros magnos quandoque peccatorum pertuliſſe caſus, tamen propter humilitatis concordiam ac prouidentiæ curam .... contra deſperationis inſaniem Domino per Pſalmiſtam nos ita conſolante, *Nunquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat?* Quis enim dormiens non piger ad operandum, & per negligentiam torpens atque ad horam deficiens? Quales quidem adhortans Apoſt. ait: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis &c.* Ecce Petrus, qui priùs Simõ dictu, poſtmodum à Chriſto Petra Petrus eſt appellatus, hoc eſt à firmitate firmus, cui & Dominus dixit: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Tertiò lapſus ore ſolummodo, non mente Chriſtum abnegat. Ecce Marcellinus Petri ſucceſſor, & tã infirmitatis trepidatione quàm poſtmodum cum fortitudine Vicarius eius, ſemel labitur titubans, nec deficiens, confeſtim conualeſcens; his quibus præerant

in exemplo ſunt poſiti,ne propter quemlibet lapſum de venia deſperent.Dictum eſt Petro à Domino quamuis negaturo, vt confirmaret fratres.Nouimus & Marcellinum confirmatam à ſe Thebeam legionem in fide ad cælos præmiſiſſe. Cuius & diſcipulus Marcellus Papa & Martyr ei ſuccedens ſanctum Magiſtri exitum confirmauit,ſicut & ante actam eius vitam Thebæana legio comprobauit:vt tam priora eius quàm poſteriora commendatione digna totam medij dubitationem tollant vel deſperationem. Sicut autem iſtos Dominus in clero,ita Dauid Salomonem præmiſit in populo, qui graui ſuo lapſu peccata ..... ſolarentur, ne poſt quantamcumque crimina de indulgentia deſperarent.Maximus ille Regum ac Prophetarum Dauid, adulter ſimul, proditor, & homicida, quanto in virtutibus ampliùs creuerat, tanto maius præcipitium de culmine pertulit virtutum.Quo enim altior gradus,tanto grauior caſus.Salomon ille Idida, hoc eſt dilectus Domini,de quo & Dominus prædixerat:*Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*, in tantum abominationibus lapſus eſt puteum, vt concupiſcentia carnis deuictus diuinum cultum omnino deſereret,&tanto tempore idolis deſeruiret,à quo nec idolorum excelſa ſunt ablata.Nec id timore mortis, ſed concupiſcentia egit mulieris.De cuius tamen indulgentia, ne deſperemus, ipſe quoque nos Dominus conſolatur. Cùm enim præmiſiſſet quod dictum eſt,*Ego ero illi in patrem,& ille erit mihi in filium*, ſtatim adnexuit,dicens,*Qui ſi iniquè aliquid geſſerit,arguam eum in virga virorũ, & plagam filiorum hominum. Verumtamen miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea.* Quid enim facies Dei niſi notitia ipſius, cùm vnuſquiſque homo ex facie ſua cognoſcatur? Quid eſt itaque Deum ſic alicui miſericordiam impendere,vt non amoueat eum à facie ſua,niſi hanc ei gratiam reſeruare;vt cum ille peccãdo quaſi oblitus creatoris ſui per negligentiam fuerit,poſtmodum, per pœnitentiam rediens eum recognoſcat,& tam timore diſtricti iudicis,quàm amore Domini eum expectantis peccata corrigat?

BENE ergo binos tam in clericis quàm in laicis de rectoribus ipſorum,ibi,videlicet Petrum & Marcellinum,hîc Dauid & Salomonem,contra ſummam illam deſperationis ruinam præmiſit; nequis tam in clero quàm in populo,poſt quantacumque flagitia diffidat à venia, dummodo præuideat de pœnitentia. Benè, inquam,binos tam hic quàm ibi quaſi teſtes ſperandæ reconcilationis & indulgentiæ impetrandæ. Vt enim ſcriptum eſt, quantum-

Digitized by Google

cumque ſplendida fuerit perſona, vnius teſtimonium non ſufficit, ſed iuxta diuinam legem *in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*. Si autem in ore, quãto magis in opere? Vt autem, fratres, finem noſtri ſermonis ad diuinam miſericordiam circa nos habitam deducamus. Perpendite, quæſo, quantum de ſalute noſtra Dominus prouiderit, quantum Saluator noſter ſollicitus ſit noſtri, ex cuius etiam nomine inſignitus eſt locus iſte. In multis, fratres, delinquimus, in multos incidimus lapſus, ſed ne deſperemus, ne correptionem differamus, magnus Domini martyr & patronus noſter nobis à Domino miſſus eſt, in exemplo propoſitus, quem apud Deum habemus aduocatum, & de quo præcipuè ſi volumus nobis eſt confidendum. Princeps iſte eſt ordinatus à Domino, vt dictum eſt, tentari, & grauiter labi, vt de poteſtate tãta quam accepit, amplius poſſit, & de lapſu quem pertulit ad indulgentiam lapſorum & veniam poſtulandam pronior fiat, qui ſicut de Patre dicitur, in ſeipſo didicit qualiter aliorũ infirmitati compati debeat, atque miſereri. Feſtum igitur eius tanta deuotione celebremus, vt quod noſtris precibus non valemus, eius meritis aſſequamur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt &c.

IN DEDICATIONE ECCL. SERMO. XXVII.

DEDICATIONIS ſollemnitas quantum ceteras antecedat, non tam Scripturarum auctoritas, quàm ratio manifeſta declarat. Ab hac quippe ceterarum omnium exordium manat, cùm in hac locus conſecretur, quo ceteræ celebrentur, & Dominica ſacramenta conficiantur. Hic eſt ille locus, quem ſibi Dominus ſpecialiter eligens, & propriæ domus vocabulo inſigniens per Moyſen ait: *Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco, ſed vbi fuerit memoria nominis mei*. Et rurſum: *Domus mea domus orationis vocabitur*. Et ceterarum quidem celebratio feſtiuitatum, quas antiquo populo tanquam præcipuas Dominus inſtituit, nequaquam ſeptenarium dierum exceſſerunt. Templi verò dedicationem ſeptenario geminato Salomon & vniuerſus Iſrael in holocauſtis innumeris, & multiplici muſicorum inſtrumentorum modulatione XIIII. diebus exſoluit. Ex quo liquidum eſt quanta dignitate pariter atque auctoritate celebritas iſta ſit prædita, & quanta deuotione ſit ab omnibus peragenda. Cuius quidem inſtitutio non à lege, non à Propheta, ſed à Patriarcha Iacob initium habuit. qui & futuri poſtmodum templi locum deſi-

gnasse dicitur,& sacramenta dedicationis primus exhibuisse, sicut in Historia Genesis continetur. Hic nempe relictis parentibus persecutionem primogeniti fratris declinans,cùm veniret ad quẽdam locum vespere,& in eo requiescere vellet, tulit vnum de lapidibus qui iacebant in terra, & capiti suo supponens obdormiuit. Viditque in somnis scalam stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat. Angelos quoque per eam ascendentes & descendentes,& Dominum inuixum scalæ dicentem sibi: *Terram in qua dormis tibi dabo,& semini tuo.* Cumque euigilasset Iacob ait: *Quàm terribilis est locus iste! non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Surgens ergo mane tulit lapidem, quem suppossuerat capiti, & erexit in titulum,fundens oleum desuper. Votum etiam vouit, dicens: *Si fuerit Deus mecum,& custodierit me,cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi.*

Ecce, fratres,historiam succinctè percurrimus. Nunc ad ædificationem nostram intelligentiam præcipuè moralem in ea perquiramus, & melioris dedicationis typum in his quæ gesta sunt aperiamus. quid enim dedicatio Ecclesiæ,nisi illa est fidelis animæ sponsio, quæ à seculo recedens se penitus Deo dedicat, & quasi propriam Sponsam Christo se copulat, vt ei deinceps tota vacet, & sic ei voto suæ professionis obligans tanquam proprium templum Deo se consecrat? Sicut enim in vna villa multæ hominum domus,& vna Dei dicitur,quam Ecclesiam vocamus,ita & in populo Dei inter illos qui coniugati sunt,quælibet anima conuenientè voto Deo cõsecrata proprium eius habitaculum facta est. qualem quidem animam Apostolus describens,& eius prerogatiuam à ceteris distinguens,ait: *Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.* Iacob itaque persecutionem, vt dictum est,primogeniti fratris fugiens, relicta domo parentum peregrinatus, fidelis anima est de seculo ad Dominum conuersa, quæ carnalium affectionum ruptis vinculis more Abrahæ, de terra sua & de cognatione progreditur,& de domo parentum procedit ad clausstrum,illud Psalmistæ non solum audiens,verùm exaudiens: *Audi filia,& vide, & inclina,&c.* Nec non & illud Domini documentum amplectens: *Qui non odit patrem suum & matrem,non est me dignus.* Primogenitus talis animæ frater caro est in vnam personam animæ coniuncta,& priùs in vtero formata quàm ei anima sit infusa. Cuius quidem

Digitized by Google

dem carnis tentationes, de quibus ſcriptum eſt: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, dū fugimus à ſeculo recedentes, quaſi primogeniti fratris impugnationem vitamus. Et quia hæc virtus continentiæ & remuneratio ſeculi ab aduentu Chriſti, quæ vltima ætas eſt mūdi, maximè cœpit. Vnde Iacobus poſt ſolis occubitū, id eſt in veſpere, ad locum peruenit, vbi dormiens requieſcat. Hic autē locus clauſtralis vita eſt cōtinentiū, qui à tumultuoſa ſeculi vita ad quietem Monaſticā tranſeunt, & Marthæ ſollicitæ & circa plurima turbatę tranquilitatem præferunt Mariæ. Quæquidem tranquilitas à Domino nomine lecti, à Spōſa in Cātico nomine lectuli deſignatur cùm dicitur: *Erunt nocte illa duo in lecto. In lectulo meo per noctes, &c.*

In hoc itaque lectulo dormiturus Iacob, de lapidibus quos intuetur eligit vnum, quo ſuppoſito capiti ſuo dormiat, cùm anima quælibet locū ſanctæ congregationis ingreſſa, multos circūſpicit fideles tanquā lapides viuos & fortes ad omnia tolerāda, in ſummo lapide Chriſto fundatos; vt eorū ſ. exēplis ad perfectionē inſtituatur. Sed quia vnū Chriſtum omnibus præfert, cui ſe fidelis anima quaſi ſpōſam copulat, & dedicat, & velut in amplexib. eius lectulo contēplationis dormit corpore, ſed vigilat mente, iuxta illud Spōſæ: *Ego dormio & cor meū vigilat*, vnus ex vniuerſis eligitur lapidib⁹. Iuxta quod & ipſemet de dilecto ait, *Electus ex millibus*. Hūc capiti ſuo ſupponit vt dormiat, cùm totā ſuæ mētis intentionē in eo defigit, vt à curis ſeculi penitus quieſcat, & tota ei per deſideriū inhęreat. Caput quippe principalis pars corporis mētē deſignat in nobis. Hūc profecto ſomnū contēplatiū dilectus ille Domini & virgo Ioannes ſpecialiter expreſſit, qui in Dei gremio recūbēs, quaſi hoc lapide ſuppoſito capiti obdormiuit. Scalā dormiens Iacob intuetur, quia tanto ampliùs ſcripturā ſacram quiſque intelligit, quāto ab occupatione ſecularium curarū magis quieſcit. Scala hæc dormiēti appoſita vſq; ad cœlū porrigitur, quia per doctrinā ipſius de terrenis ad deſiderāda cæleſtia ſubleuamur, & illuc mēte conſcendimus, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedēs. Huic ſcalę Dominus innititur, & indè nobis loquitur, quia per eius doctrinā noſtris imprimitur mētibus, & de ei⁹ verbis noſtras in ſe mētes erudiēs accēdit. Huius ſcalæ, hoc eſt ſacræ ſcripturæ, quaſi duo latera duo ſunt Teſtamēta, quęquidē ad inuicem quaſi quibuſdā gradibus inſertis cōnectūtur, dū per expoſitiones Doctorū rota rotæ applicatur, & quod in veteri fuerat prædictū, in nouo mōſtratur exhibitū. Angeli per hanc ſcalā aſcendentes & deſcēdentes, ſancti ſunt Prædicatores, quorūvnus de ſe & aliis ait: *Quomodo prædicabūt, niſi mittātur?*

De qualibus & per Malachiã dicitur: *Labia ſacerdotis cuſtodiũt ſcientiam, & legem inquirent ex ore illius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Aſcendunt verò per ſcalam iſtã vel deſcendunt dũmodò in ſua prædicatione de natura diuinitatis vel ſecretis cæleſtibus nos inſtruũt, modò de aſsũpta humanitate, vel cõponẽdis moribus noſtris erudiũt; vel cùm modò ad altã cõtinentiç virtutẽ nos hortãtur, modo infirmitati noſtræ per indulgentiã nuptiarũ conſulunt. Terrã in qua dormit Iacob ei & ſemini eius Dominus promittit, quia terrã viuentium, cuius deſiderio anima cõtemplatiua à terrenis curis quieſcit, in remuneratione pollicetur tã ei quàm ſequacibus eius, & in hoc propoſito ipſam imitãtibus. Euigilãs de ſomno cõtẽplationis anima illa, & de illa cæleſti habitatione ad ſancta ſtudia totius contẽplationis oculos reflectens, & quaſi homines pariter ammonẽs, vt ſpe promiſſæ ſibi terræ in propoſito perſeuerent, *Verè Dominus eſt*, inquit, *in loco iſto, & ego neſciebã.* Ac ſi diceret: Qui vbiq; eſt per diuinitatis prçſentiã, hic ſpecialiter inhabitat per gratiã. Pauẽs quoque, *Quàm terribilis*, inquit, *eſt locus iſte.* Terribilem, hoc eſt ſumma reuerentia dignũ eſſe recognoſcit: in quo, vt dictũ eſt, tanquã in ſpiritali tẽplo, ac ſibi penitus dicato, per abũdãtioris gratiæ dona Deus inhabitat. Sed quia multi hanc reuerentiã loco deberi recognoſcunt, nec tamẽ illi hãc exhibẽt, nec illam Apoſtoli comminationem expauent, *Si quis violauerit templum Dei, diſperdet illum Deus.* Benè præmiſſum eſt, *pauens*, vt quod pauendum eſſe nõ dubitat, offendere in eo non præſumat. Et attende, quòd cùm prçmiſerit, *Domus Dei*, ſtatim adnexuit, *& porta cæli.* Hic eſt talis aditus, regni cæleſtis, ex quo ſine dilatione, de huius vitæ obſeruatione illuc introcatur, nulla videlicet purgatione interpoſita.

SVRGIT mane Iacob, & lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo erigit in titulũ, ipſumq; oleo deſuper infuſo, more Pontificis votũ explet dedicationis: quaſi in hoc primogenitorũ dignitatẽ quam emerat exercens. Primogenita quippe tũc fuiſſe dicũtur veſtis ſeu dignitas ſacerdotalis, quã primogeniti fratres per benedictionem paternã accipiebãt, vt ſoli inter fratres ſacerdotali fungerẽtur officio. Et à matre veſtibus Eſau valde bonis indut⁹ fuiſſe Iacob memoratur. Et nota, ſicut Melchiſedech ſacramenta Eccleſiæ antiquiora videtur quàm Synagogæ: ita in Patriarcha Iacob noſter dedicationis ritus videtur præceſſiſſe, qui tã altare quàm Eccleſiã ipſam oleo cõſecramus. quod nequaquã in tabernaculo vel templo factũ eſſe legimus. Mane ſurgit Iacob de loco, in quo quieſcens viderat viſionẽ, & eius loci ſanctitatẽ cognouerat, cùm anima quæli-

Digitized by Google

bet prædicta, peracto iã ſuæ probationis tẽpore, ad profeſſionẽ cõ-
ſcẽdit regulæ, experta iã huius propoſiti ſimul ac loci religione: &
tũc ſe penitus Deo dedicãs, & proprio voto illi ſe obligãs, ſpiritalis
tẽpli dedicationẽ in ſeipſa celebrat. Tũc lapidem, in quo dormie-
rat, erigit in titulũ, hoc eſt, oculis ſuis affigit in ſignũ, quaſi nihil a-
liud vlteri⁹ debeat intueri, quia iã facta profeſſione reſpicere retro
nõ licet, ne cũ vxore Loth pereat. Primũ ei tamẽ in imo lapis iace-
bat, quia nõ tãto debito ei antea cohærebat. Erectũ lapidẽ oleo ſu-
perfuſo ſibi cõſecrat, dum toto dilectionis affectu ipſum cõprehẽ-
dẽs, tot vnguẽtis delinit eũ, quot deſiderijs amplectitur ipſũ. quid
autẽ vnguẽta, niſi quædã eſt recreatio dolorũ, & fomẽta dolentiũ?
Dolet autẽ Chriſtus de nobis cùm noſtra ei conuerſatio ſecularis
diſplicet, & ſic eũ exaſperãdo, malis operibus cõtra nos cõmouemus. Placatur autẽ penitus, & quaſi quibuſdã vnguentis hic eius
dolor mitigatur, cùm à ſeculo recedẽtes totis ei viſceribus inhæ-
remus, & perfectione virtutis nos iã ei penit⁹ copulamus, iuxta il-
lud Apoſtoli, *qui autem adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.* Cautè autẽ ac
prouidè votũ faciens Iacob de perſoluẽdis decimis, nõ de ſuis vi-
ribus, ſed de miſericordia Dei pręſumẽs, quaſi appoſita cõditione
ait: *Si fuerit mecũ Deus, & cuſtodierit me,* quia ei⁹ gratiæ eſt quicquid
boni agimus. Vnde & Paulus, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et rurſum
cùm dixiſſet, *Plus omnibus laboraui,* ſtatim adiecit, *Non ego autem, ſed
gratia Dei mecũ.* Decimas omniũ Deo perſoluit, qui decalogum le-
gis in nullo excedit, nec à mandatis Dei quæ per decalogum illũ
intelligũtur in aliquò recedit. quod in ſemet nobis ſic cõplere cõ-
cedat, vt quod viſibilibus ſacramẽtis exteriùs actũ eſt, in corporali
templo ipſe inuiſibiliter in nobis operãdo templũ nos veriùs effi-
cere dignetur ſummus Pontifex & Rex Ieſus Chriſtus, cuius tam
ſacerdotium quàm regnum perſeuerat in ſecula ſeculorũ, Amen.

DE S. SVSANNA, SERMO XXVIII.

Adhortationem Virginum.

AVDISTIS, cariſſimæ, atque vtinã exaudiſſetis beatam
illã ſpõſæ ſollicitudinẽ in Cãtico Canticorũ ad exhorta-
tionẽ veſtrã diligenter deſcriptã. quæ cùm diu quæſitũ
in lectulo dilectũ inuenire nõ poſſet, *Surgã,* inquit, *& circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quærã quem diligit anima mea.* In
lectulo dilectum quærit, & non inuenit, cùm anima perfecta fatuis
virginibus adiũcta opera ipſarũ conſiderans, exemplis earũ inſtrui
cupit, quas de continentia carnis in magna virtutũ perfectione eſ-

ſe credit. Cùm enim etiam iſta carnis continentia, & huius tã ardui propoſiti obſeruantia paucorum ſit, talium vita à tumultu ſeculi remota lectulo potiùs quàm lecto comparatur, quia magna quies eſt à moleſtiis nuptiarum vacare, & voluptatibus carnis operã nõ dare. Sed quia non magnũ quid hanc continentiam, quæ paucorũ eſt, imperiti æſtimant, & ideò facile ex caritate ſua in elationẽ ſimplices trahit, nõ poteſt in talibus Chriſtus reperiri, qui ſuperbis reſiſtit ſemper, & humilibus dat gratiã. Hoc itaq; ſponſa conſpiciens quaſi de lectulo ſurgit, & egreſſa circuiuit ciuitatem, quærens ibi ſponſum per vicos & plateas, quẽ in lectulo reperire nõ potuit: dũ mente foras exiens bonã vitã fideliũ intuetur, qui in hoc ſeculo tãquã in ciuitate, quę multos capit, conuerſantur, & quas imitetur exempla virtutum inde aſſumit, in quibus per gratiã Domini habitare nõ deſperat. Et quoniã in omni gradu fideliũ alij perfectiores ſunt alijs, quoſdam ibi in plateis, quoſdã in vicis reperit, quia quorumdam vita quo altior eſt in meritis in paucioribus conſiſtit, qui quaſi in vicis morãtur, qui ſtrictiores ſunt quàm plateæ, quales Iob & Suſannam legimus, & pleroſq; alios, qui de magna virtutũ perfectione tam viris quàm feminis in exemplo ſunt poſiti. Quorum tantò laudabilior vita extitit, quanto in ſeculari conuerſatione religioſior fuit, & quaſi puriſſimum aurum in fornace non arſit.

Et quoniã de virtutib. Iob, quas diligenter cõmemorat Scriptura, ſuperuacuũ me nunc vobis ſcribere arbitror, ad Suſannã cõiugatã, quæ veſtri .... minoris propoſiti, & maioris virtutis fuit, ſtilũ cõuerto; vt in eiꝰ cõparatione, ſi quæ ſacri propoſiti feminæ minus quàm nouerint habeant, de ſuo defectu erubeſcãt. Primaverò laus eius deſcribitur, cùm eam pulchram nimis, & timentem Dominũ Scriptura cõmemorat. A pulchritudine corporis ad decorẽ mentis aſcendit, iuxta illud Gregorij, A minimis quiſq; inchoat, vt ad maiora perueniat. Pulchra corpore, ſed pulchrior mẽte, tantò laudabiliùs hęc duo ſimul, quãtò difficiliùs cuſtodiebat. In altero habebat pugnãdi materiã, ex altero cepit victoriæ coronã. Ex illo in cõcupiſcẽtiã eiꝰ exarſerũt Sacerdotes, vt hoc per cõſtãtiam virtutis probaretur, cùm morti addicta vitę periculũ elegit, ne cõtagiũ incurreret corporis, atq; ipſũ corpꝰ quod appetebatur ad culpam, hoſtiã offerret immaculatã. Proh dolor! proh pudor! Tot videmꝰ in ſacro propoſito cõſtitutas adeo deformes, vt ſicut ſcriptum eſt larua nõ indigeãt, quas diuinę reuerẽtię, ac voti ſui protsꝰ oblitas ita libidinis furor exagitat; vt cũ ad turpitudinẽ peragẽdã gratis aliquos habere nequeãt, emere inceſtuoſos cogãtur, & quæ de for-

Digitized by Google

ma cõfidunt, venales ſeſe proſtituũt; aut ſi de mercede diffidunt, ipſas luxuriæ ſordes quas excipiunt pro mercede ſibi cõſtituunt. Adulteras tam leges ſeculi quàm diuinæ morte puniendas cenſuerunt. Quanta autem vindicta in Sponſas Chriſti corruptas exercenda ſit, datur intelligi, quibus vix locum etiam pœnitentiæ Canones reliquerunt. Sunt & nonnullæ inter eas vetulæ meretrices, quæ cùm iam ſe omninò contemni præſenſerint aliena corpora vendendo, cùm propria non poſſunt, deteſtanda exercent lenocinia. De qualibus quodam loco me ſcripſiſſe recolo: Vetus meretrix ſe propagat in adoleſcentulis.

QVAM ſeueram quoque ſententiam de lænis Sancti Patres inſtituerint, ex eorum manifeſtum eſt ſcriptis, quas in fine quoque à communione priuarunt. Vnde & illud eſt Eliberitani Cõcilij Cap. XI. Mater vel parens, vel quælibet fidelis ſi lenociniũ exercuerit, eò quòd alienum corpus vendiderit vel ſuum, placuit nec in fine communicandam. Quòd ſi in feminis ſeculi adeò lenocinium ſunt deteſtati, quantũ in ſponſis Chriſti iſtud eſt abhorrendum, vbi proprium Dei templum violatur, & hæc ei vindicta ſpecialiter reſeruatur? Si quis, inquit Apoſtolus, templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Beata laica, & ſeculi, non clauſtri, femina prædicta, hominis potiùs cõiunx quàm Chriſti ſponſa dicenda, ſurget in iudicio, & condemnabit generationem hanc peſſimam: quę vt hominis ſeruaret fidem, elegit interire munda, ne viueret immunda. Vnde autem tanto caſtimoniæ zelo ſuccenſa, tanto conſtantiæ muro eſſet munita, ſubinfertur cùm dicitur: *Parentes autem eius cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi.* De iuſtis parentibus iuſtiſſima filia nata memoratur, & in communi eorum laude ſanctiſſima ſtudia prædicantur. Quod & beatus Hieronymus diligenter attendens, cùm in explanatione Danielis ad hunc locũ veniret, ait: Hoc vtendum eſt teſtimonio ad exhortationem parentum, vt doceant iuxta legem Domini, ſermonemque diuinum, non ſolum filios, ſed filias ſuas. Hoc adhuc ſacrarum litterarum zelo Iudaicus populus in ipſis etiam tenebris cæcitatis ſuæ plurimum feruens, non mediocriter noſtram, id eſt Chriſtianorum negligentiam accuſat. Tanto quippe ardore legem amplectũtur, vt quiſlibet eorum quantumcũque pauper, quotquot habeat filios, neminem diuinas litteras ignorare permittat. Quorum tanto zelo Apoſtolus maximè compatiens, ait: *Fratres, voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis*

Digitized by Google

in ſalutem. Teſtimonium enim perhibeo illis quòd emulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc eſt magnum feruorem in Deum, ac deſiderium in mandatis eius, quæ in lege acceperant, cognoſcendis atque implendis, licet in magno perſiſtentes errore, cùm hæc ad ſalutem ſufficere credant. Emulatio quippe ſeu zelus quiſlibet animi feruor vehemens ad deſiderium cuiuſlibet nuncupatur. Vnde & tam bonus quàm malus zelus dicitur vehemens ſcilicet commotio animi ac ſollicitudo ad aliquid agendum. Nulli verò, vel pauci Chriſtianorum ſunt, qui Euangelicæ doctrinæ perfectionem tanto ſtudio vel cauſa amplectũtur, vt eius deſiderio filios ſuos ſacris imbuere litteris curent, ſed temporalis tantummodo commodi cauſa, vt huius vitæ neceſſaria ſibi ipſis vel illis indè prouideant aut de officijs clericorum, aut de habitu Monachorum. Vnde rectè ab intentione talium patrum Suſannæ parentes diſtinguũtur, cum tam in eorum laudibus quàm in ipſius Suſannæ dicitur, quia *parentes eius cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam, &c.* Cùm eſſent enim iuſti, dictum eſt, non, cùm eſſent auari: quia quod iſti nunc per auaritiã agunt, illi per religionẽ egerunt; & amore Dei, nõ ambitione ſeculi, tãquam illud quod ſcriptum eſt attendentes: *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Quos in hac ſpe ſua nequaquam fruſtratos fuiſſe præſentis hiſtoriæ ſequentia clamant, tantam filiæ ſuæ deſcribendo perfectionem, quam de diuinæ legis eruditione proueniſſe, præcedentia inſinuant, ob hoc videlicet commemorata.

QVALI autem agone matrona mirabilis mirabiliter triumphauerit, perpendite virgines, vt ex ea diſcatis qualiter & ipſæ dimicare debeatis, & ſponſionis votum ſe ſeruare Chriſto, ſicut illa fidem cuſtodiuit marito. Comprehendentes igitur eam ſenes, & ad conſenſum adulterij cogere nitentes, *Ecce*, inquiunt, *oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt. Quam ob rem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. Quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te.* O cæci cæcorum duces, & expertes iuſtitiæ iudices, numquid ſi oſtia pomarij ſunt clauſa, ianua cœli nónne eſt aperta? Fruſtra hominum conſpectum fugitis, qui conſpectum Dei fugere non poteſtis. Hoc illa præcipuè attendebat, cùm diceret. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Nemo, dicitis, nos videt. Quid ſi Deus? Pudet ab homine deprehendi, & non à Deo conſpici: mortẽ cor-

Digitized by Google

poris temporalem ab hominibus deprehendi timetis; mortem animæ perpetuam non formidatis, cuius comparatione nec illam dici mortem illa profitetur. Sic quippe ait. *Si enim hoc egero mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Mortẽ vtique potiùs animæ quàm corporis appellandam cẽsuit;& quia illam plus timuit, vtramque pariter euitare meruit. Vos autem econuerso, hanc magis quàm illam metuentes, à neutra fuistis immunes. Illa iudicem Deum plus quàm hominem verita, tam diuino quàm humano iudicio liberata, quorum neutrum vos ipsi Iudices effugere non potuistis.

ATTENDITE Sponsæ Christi, quid dixerit ac fecerit coniunx hominis,& si quis profanus, & Dei prorsus oblitus, consimilem à vobis exegerit turpitudinem, & in tantùm etiam fortasse perstiterit, vt vim facere præsumat: respicite vestrum maritum non hominem, sed Deum, non Ioachim, sed Christum, & intrepida Susanna vestrum vnaquæque dicat, *Si hoc egero, mors mihi est.* Latere Ioachin fornicatio poterat vxoris, sponsum autem vestrum quis latere potest? Iniuriam suam tam ipse, quàm glorioſa mater eius, ac tota pariter cœli curia desuper intuebitur. Quæ adeò impudens, adeò insana, vt hunc maximè non erubescat, & expauescat aspectum? Cùm quis te falsi nominis Christianus super hoc conuenire, imò circumuenire tentauerit, sufficit tibi vno te statim responso absoluere. Assentiam tibi in isto, si peragi potest inscio sponso meo, aut si fortiores eo fuerimus, quo eius offensam minus timeamus. Denique instantibus impudicis senibus, cùm vi non posset eos Susanna repellere, ore vsa pro manibus quod vnum restabat impetum eorum compescuit, dicens *: Perpendite virgines virtutem cõiugatæ, & de maioribus minora cogitate. Non timetis mortis periculum, si à vobis incestuosos repuleritis, sicut illa, vt dictum est, faciebat. Non est tanta vis eorum, vt ab ipsis clamore liberari sitis compulsæ. Aut si clamare necesse sit, faciliùs vos sponsus quàm Susannam exaudiet maritus, & quo potest ampliùs, liberabit citiùs.

*Hic videtur aliquid deesse.

EGRESSAE itaque de lectulo mente, Susannam in vico requirite; vt quas non inuenitis in claustro virtutes, reperiatis in seculo. Videte quid in secreto comprehensa, quid in publico gesserit accusata. Et quia partem agonis eius iam diximus, quæ restant breuiter perstringamus. Deducitur illa, vt dictum est, ad iudicium cum parentibus & filijs, & vniuersis cognatis suis. Flebant igitur sui, & omnes qui nouerant eam. Consurgentes

Digitized by Go

autem duo Presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius. Quæ flens, suspexit ad cœlum. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, & dixerunt Presbyteri, *Cùm deambularemus in pomerio soli, &c.* Et vos itaque piæ virgines innocentem matronam, & tantam sustinentem iniuriam pio prosequimini fletu, vt quo maior vestra fuerit compassio, iocundior existat innocentis liberatio. Flebant non solùm sui, sed omnes qui nouerant eam. Non quidem omnes, qui eius laudem audierant, quæ nullos aut paucos latere poterat, sed qui rei veritatem multis indicijs experti fuerant. In medium matrona sanctissima trahitur, & innocens pro rea statuitur. Anxius maritus, anxij tam parentes quàm filij, & omnes qui nouerãt eam, quãto pudore confusi, quãtis lacrimis perfusi eius innocentiã deplorarent, quis commemorare vel cogitare non plorando queat? Sol tam naturæ quàm humanitatis immemores senes in eius iudicium, imò suum potiùs consurgere ausi, & immundas manus sanctæ vertici eius imponentes tanquam testimonium accusationis in eam dicturi, *Cùm deambularemus*, inquiunt, *in pomerio soli, &c.* Benè, inquàm dicitis, *deambularemus*, & *soli*, qui concupiscentiæ stimulis agitati, à Deo pariter & lege iam eratis alieni.

Bene autem cùm dictum sit, *Consurgentes in medio populi, manus suas super caput eius*, statim adiũctum est, *quæ flens suspexit ad cælum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Quid est quòd hucusque cùm sui eam deflerent, non est memorata flere, sed tunc tantum cùm castissimum eius caput contingerent manus impudicæ? Nunquid tunc primò vel præcipuè de periculo timebat vitæ? Quod quidem ne suspicemur, mox adnectitur: *Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Quamuis enim superiùs dixisset, *Si autem non egero, non effugiam manus vestras*, & postmodum dicat, *Et ecce morior, cùm nihil horum fecerim*; confisa tamen & secura de salute animæ, & gloria palmæ, nequaquam tristis erat de transitoria morte, per quam se transituram sciebat ad gaudia perennis vitæ. Vnde & benè suspicere ad cœlum memoratur quo eius intentio toto desiderio ferebatur. Cur igitur flebat tunc tantùm cùm eius capiti manus imponerent illi, ac non potiùs cùm ad mortem duceretur; nisi quod ea quæ mortem non timebat, ab obscœnis manibus caput suum contingi dolebat, quibus nec inferiores corporis partes tangi consenserat? Audite hæc, & intelligite virgines sacræ, quæ corpora quoque vestra tanquam propria Deo templa consecrastis, vt nullo

lasciuiæ

laſciuæ tactu hæc pollui permittatis, nullo immunditiæ ſacrilegio violari. *Si peccauerit vir in virum*, Samuel ait, *placari ei Deus poteſt. Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* In virum ſuum peccare Suſanna timuerat, ſi aliquo laſciuiæ tactu corpus ſuum ei dicatum contingi permitteret. Quid igitur ſponſæ Chriſti faciendum eſt, cùm quis inceſtus ad eam acceſſerit, ſummam iniuriam Deo facturus, ſi hoc eius proprium templum aliquod laſciuiæ contagium præſumpſerit? Cui Iudici niſi ſummo hæc ſumma iniuria; cui niſi cuius eſt propria vindicanda ſeruatur? Ei vtique qui ad timorem ſui maximè nos adhortans, ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ verò non habent quid faciant: ſed potiùs eum timete, qui habet poteſtatem corpus & animam perdere in gehennam*, Ac ſi apertè dicat, Non eſt eorum guerra plurimum metuenda, quæ in vna tantum noſtri ac minori parte eſt, hoc eſt in corpore, & citò præterit; ſed ea præcipuè, quæ in vtraque parte perenniter ſæuit. Quam & Apoſtolus conſiderans, ingemiſcit, dicens, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Si enim illas, quæ thorum maritalem maculauerunt, lex diuina ſenſerit morte puniendas, quid eas manet, quæ ipſum Dei templum proſtituerint? Nunquid præjudicium illis fecit, quæ minus deliquerunt, ſi maiora crimina, & proprij thori maculas expiauerit minore vindicta? Certum eſt, vt ſuprà memoratus Apoſtolus ait, in manufactis templis nequaquam Deum habitare, ſed magis in illis, qui vera eius templa ſpiritalia ſunt dicendi. De qualibus ipſe quibuſdam ait: *Neſcitis quia Dei templum eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.* Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Qui autem intra parietes corporalis templi ſordes aliquas corporales intuens, non eas ſtatim aſportare feſtinet? Qui ſibi fornicari non abhorreat, ac magis illud, quàm verius animæ tẽplũ polluere trepidet?

FLEBAT, vt dictum eſt, Suſanna, & fletus eius cauſa iam ex parte eſt expoſita, pro cõtactu ſcilicet obſcœnarum manuũ, quæ nec ad horam ſuſtinere potuit. Flebat vtique de præſente, & ſi diligentiùs attendimus, non ſolum corporis contactum, ſed & famæ futurum flebat detrimentum, cùm illi ſcilicet ad teſtificãdum prorumperent, quorum teſtimonio plurimum credi prouidebat, ſicut & poſtmodum Scriptura cõmemorat, dicens. Credidit eis multitudo quaſi ſenibus populi, & Iudicibus, & condemnauerũt eam ad mortẽ. Flebat opprobrium domus ſuæ, nec tam ſuam calamitatem quàm ſuorum deplorabat anxietatem.

Digitized by Google

Quid enim? Quid inquã? Circũſtantes ſuos virũ, parentes, filios, cognatos, vt dictum eſt, & omnes qui nouerant eam in ſumma anxietate poſitos, & tam innocentiam eius quàm ſuam infamiã deplorare cernebat. De quorũ cõpaſſione magis quàm de propria paſſione dolebat; nec tam corporis mortẽ quàm infamiæ labem plangebat. Quo enim quæque caſtior eſt, verecundior eſſe cognoſcitur, & caſtimoniæ ſummũ iſtud eſt argumentũ. Vnde benè ſicut re, ita & nomine pudor, & pudicitia ita ſunt adiuncta, vt frequenter nomine pudoris ipſa caſtitas deſignetur, quod vt dictũ eſt ſignũ, eſt eius præcipuum argumentum. Quod & Apoſtolus diligenter attẽdens cùm muliebris honeſtatis habitum deſcriberet, id in commendatione ipſarum primum aſſumpſit, per quod eas maximè commendari cenſuit. *Mulieres in habitu ornato, cũ verecũdia, & ſobrietate, &c.* Hinc ecõtrario ſcriptũ eſt, *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Heu! quid iam nouimus, vel audiuimus inter eas, quæ per habitum ſanctum Deo mentiuntur, non ſolum turpitudinem carnis incurrere, ſed nec infamiæ notam abhorrere. Quibus hoc ipſum pro gloria videtur, quod Chriſto dedecorato amaſiæ hominum, imò deteſtanda ſcorta dæmonum prædicantur. A quibus ſi nõnulla munuſcula quandoque ſuſcipiunt, tam Chriſti quàm ſui oblitæ miſerandam mortẽ ſuam, cum ſummo dedecore ſui quibus audent oſtentant, quaſi non parui ſe æſtimantes, quæ ſe aliquib. vendere poſſint: plura tamen fortaſſis largituræ quàm accepturæ. Paucos quippe emptores reperiunt vt magis damnum quàm lucrũ conſpiciunt; & quæ minùs appetuntur merces, faciliùs omnibus exponuntur, & publicatæ citiùs obtinentur.

* *ſ* ad propoſitum

Vt autem à propoſito * reuertamur, & de ſumma ignominia Chriſti ad laudem feminæ ſecularis redeamus: Cùm falſo teſtimonio ſenum populus credidiſſet, & eam ad mortem condemnaſſent, exclamauit voce magna, & dixit: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant, tu ſcis quoniã contra me falſum tulerent teſtimonium, & ecce morior cùm nihil horum fecerim.* In iudicio prius conſtituta, cum illi in accuſationẽ eius teſtificarẽtur, nõ loqui, ſed flere, & in cœlũ ſuſpicere narratur, vt eius patiẽtia primũ probaretur, quã & in Chriſto Propheta prædixerat his verbis: *Tanquam ouis ad occiſionẽ ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Expectabat ibi tacita, damnationis ſuæ ſententiam, & tacens hominibus, ſoli Deo fletu loquebatur. Nunc verò damnationis accepta ſenten-

Digitized by Google

tia,ad excuſationem ſui,nõ liberationẽ,ſuam innocentiam proteſtata,famæ potius quàm vitæ decreuit conſulere, & ſuos ſaltẽ de morte ſua minus ſollicitos reddere, quam minimè dubitarẽt ad feliciorem vitam tranſire. Certiſſimum quippe vel innocentiæ,vel culpæ teſtimonium eſt,extrema confeſſio damnatorum, maximè cum quicquid iam dicatur apud homines, ſibi profuturum deſperent, & tantò amplius de ſeruanda veritate ſunt ſolliciti, quanto ſe magis ad diuinum iudicium propinquare trepidant. Benè autem dicitur exclamaſſe voce magna, non quæ ſolum aures hominum tetigit, ſed quæ ad pijſſimas aures Dei perfectius venit,nec tam terrã quàm cœlum repleuit. Quod ſtatim ſubſecutus indicat effectus,cum dicitur: *Et exaudiuit Dominus vocem eius.* Quam obſecro vocem eius audiuit,imò vt audiſtis exaudiuit? Quid enim orauit, vnde meruit exaudiri? *Tu Domine*,inquit,*omnia noſti antequã fiant: tu ſcis quã falſum cõtra tulerent teſtimonium.* Nunquid orando adjecit vt liberaretur à[e] pœna, quam non meruerat ex culpa? nequaquam id rogare decreuerat, quæ ſic ſe ad vitam tranſire magis quàm mori attendebat, nec tam de morte quàm de infamia propulſanda curabat, vt ſuis potius quàm ſibi conſuleret. Dominus autem, cui conſcientia magis quàm lingua loquitur,non ſolum ab infamia, verumetiam à morte ipſam liberare non differens, in eo vocem eius exaudiuit, quòd confeſſionis ſuæ veritatem certis indicijs comprobauit. Vnde & ſubditur: *Cumque duceretur ad mortem, ſuſcitauit Deus Spiritum ſanctum pueri iunioris,cui nomen Daniel.* Spiritum,inquit,potius quàm corpus ſuſcitauit, cùm ætatem pueri iunioris mirabiliter exaltauit, vt Spiritus ſanctus, qui in eo iam erat per gratiam, per Prophetiæ cognoſceretur efficaciam; & per virginem puerum pudicitiæ defenſorem impudici ſenes iudicati dãnarentur. Ex quaquidem ſpiritus ſuſcitatione ad pudicæ, vt dictum eſt, defenſionem matronæ, & condemnationem impudicorum ſenum,id non immeritò puerum hunc meruiſſe credimus,vt perpetuæ virginitatis florem obtineret. Hinc quoque non incongruè credimus in tantam puerum famam ex hoc tam mirabili iudicio ſuo creuiſſe, vt ipſe quoque Nabugodonoſor,qui eum captiuauerat,cum cæteris eum præcipuè toti terræ ſuæ quaſi Iudicem præficeret.

EXCLAMAVIT autem voce magna, & dixit: *Mundus ego ſum à ſanguine huius.* Et conuerſus omnis populus ad eum, dixit: *Quis eſt iſte ſermo quem locutus eſt?* Qui cum ſtaret in medio eorum,

ait: *Sic fatui viri Iſrael, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael? Reuertimini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduerſus eam.* Reuerſus eſt ergo populus cum feſtinatione. Quod verò tam mirabile, vel tam diuinæ virtutis manifeſtum ſignum, vt tam citò ad vnius pueri ſubitam increpationem totus ſubſiſteret populus, & eo diligenter audito ad iudicium feſtinanter rediret? Quid in eo cernebat, quẽ ætas paruulum monſtrabat & deſpicabilem, nec omnino ad tantum negotium ſufficientem oſtendebat? Profectò non eſt ambigendum eum quo repletus eſt, ſpiritum aliquo manifeſto ſigno in eo eſſe viſum, & quiddã diuinum in vultu eius vel habitu apparuiſſe, ſicut de Domino creditur, cum ipſe ſolus omnes pariter tã ementes quàm vẽdentes de templo eijceret. Reuerſo autẽ ad iudicium populo, quàm conſtanter, quàm ſapienter iudex ſenũ puer, imò in puero Spiritus ſanctus loquatur audiamus. *Separate eos ab inuicẽ procul, & dijudicabo eos.* Et primò quidem grauiter increpando atque arguendo eos dixerat: *Sic fatui filij Iſrael, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, &c.* Quæ eſt iſta obſecro confidentia eius, qui non ſolum puer, ſed & iunior memoratur, vt vnus duos tam acriter arguat, tam publicè puer increpet ſeniores, & tamen citò iudicium ipſe conſumet? Audiſtis pueri conſtantiam, ſed miramini prudentiam, de qua in examinandis teſtibus vniuerſa per orbem Eccleſia ſumpſit auctoritatem. Puer erat, & captiuus, etiam Eccleſiæ legẽ non ſcripto, ſed facto promulgabat. Quid eſt puer quod audes præſumere, & ſupra ætatem pueri, & non trepidas dicere, *dijudicabo eos*? Dic ſaltem, *dijudicabat eos Dominus.* Sed quia, vt ait Apoſtolus, *qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt*, ſecurè profiteris quod per diuinum agatur, per tuum fieri ſpiritum. Præſertim cùm & Veritas dicat, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

QVID interim agis, ô Suſanna? quanta ſubſiſtis admiratione ſuſpenſa? quòd à puero ſperas auxilium, quæ per commune damnaris iudiciũ? Sed quia ſcriptum legiſti de tuo & omnium Saluatore, *Puer natus eſt nobis, &c.* ne diffidas eum te per hunc puerum ſaluare, quem vt omnes ſaluet puerum fieri credideras ex lege. Non attendas pueri ætatem, ſed præſidentem puero deitatem, de cuius potentia ſcriptum meminiſti: *Dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt.* Confidens Domino, atque omni auxilio deſtituta præter diuino, illud Apoſtoli jam in te completum experiris: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Filia Iuda, vt ipſe Daniel

Digitized by Google

profitetur,& de regio ſanguine clara,atque Dominicæ ſtirpi per cognationem coniuncta,quem fueras habitura cognatũ, iam in agone tuo præſentis propitiũ; vt quod ſperas de ſalute animæ, iã experiaris in corporis liberatione,vt ex beneficio minori certior reddaris de maiori, & de perceptione amplioris gratiæ ei ſẽper ſtudeas deſeruire. Audiſtis, Virgines & Spõſæ Chriſti, virtutem laicæ cõiugatæ,quã à vobis de lectulo,vt diximꝰ,foris egreſſi voluimus cõſpici: vt eã ſ. imitãtes ſpõſum veſtrũ reperiatis in vico, quẽ fortaſſis nõ habetis in clauſtro. Audiſtis & vos tã Preſbyteri quàm Clerici iudiciũ veſtrũ,qui circa ſponſas Dei aliqua de cauſa conuerſantes, vel eis familiaritate qualibet adhærentes, tantò à Deo longiùs receditis,quantò eis turpiter amplius propinquatis. Maculare hominis thorum præſumentes Presbyteri, dignam, vt dictum eſt,mortis ſententiam exceperunt. Quid eos maneat perpendite,qui proprium Dei lectum non verentur polluere. Cùm apud ipſas Miſſarum ſollemnia celebratis, vel ad infirmas venire cogimini, ſæpè vt audio earum ori hoſtias porrigitis manibus illis,quibus ipſarum nates vel obſcœnas partes contrectare ſoletis. Si corruptis Monialib.vix à ſanctis Patribus remedium indulgetur,quid de ipſis ſentiendum eſt corruptoribus? Quorum ſexus quo naturaliter eſt fortior, tantò & eorum lapſus damnabilior. Ac ne prolixitate tam abhorrendæ maculæ finem noſtri fœdemus ſermonis,ſufficit vtriſque ſuum nos propoſuiſſe iudicium,& de propoſitæ hiſtoriæ iudicijs à minori ad maius traxiſſe argumẽtum. Dominus ipſe,ſorores cariſſimę,qui ſicut audiſtis,cubile hominis ſeruauit immaculatum, proprium quem ei conſecraſtis lectum cuſtodiat incontaminatum, & longè à vobis releget fornicationis ſpiritum:& qui ſancti propoſiti vobis inſpirauit voluntatem,ipſe perſeuerandi tribuat facultatem, Amen.

DE ELEEMOSYNA, SERMO XXIX.

Pro Sanctionialibus de Paraclito.

INTER vniuerſas Domini parabolas,fratres,illa præcipuè de villico iniquitatis ad eleemoſynæ fructum nos inuitat. Qui cùm villicationis ſuæ rationem reddere Domino non ſufficeret,hoc nouiſſimum habuit conſilium, vt de pecunia Domini ſui,& de redditibus ipſius villæ cui præerat, quos ipſe antea in ſeipſo prodigus conſumpſerat,amicos ſibi præpararet. Qui cùm expulſus à Domino ſuo fuiſſet,eum ſuſciperent

Digitized by Google

beneficiorum eius memores. Factum est itaque, vt cùm ipsius villæ redditus colligeret, de rebus Domini sui intantum alijs largus existeret, vt ei qui centum cados olei debebat, quinquaginta condonaret, id est dimidietatem, & ei qui centum coros tritici, viginti remitteret, octoginta s. accipiens. Et sic in eo completum est illud vulgale prouerbium. De alterius corio largæ corrigiæ. Quo audito, Dominus eius, qui eum à villicatione, hoc est à præpositura illa villæ remouere decreuerat, laudauit ipsum villicum iniquitatis, qui v. iniquè eum pecunia sua defraudauerat, quòd prudenter feciſſet, de alieno v. ære sibi amicos comparando. Quam quidem parabolam suam Dominus Iesus tali fine concludens ait; *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mãmona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Ecce ipsum villicum Dominus dicit iniquum, qui iniquè s. Dominum suum pecunia sua defraudauerat, & ipsam mammonam, id est pecuniam iniquitatis appellat, tanquam Domino fraude surreptam. Et tamen hanc ipsius villici siue mammonæ iniquitatem excusat prouidentia villici, quæ laudatur in amicis scilicet sibi comparatis: vt hinc maximè colligatur, quanta sit eleemosynæ virtus, quæ de malè etiam adquisitis, & iniquè Domino surreptis æterna cælestis mansionis habitacula nobis promeretur. Quicumque enim in hac vita possidet aliquid, quasi villicus summi regis est, nec sua sunt quæ habet, sed à Domino sibi commissa tanquam procuratori & ministro. Quas quidem res Domini sui ita debet administrare, vt indè necessaria vitæ habeat, & quæ superfuerint Domino reddat. Iniquè verò agit & fraudulenter, si vltra necessaria sua quicquam retinet, & non de residuis ipsum Dominum in pauperibus pascit & vestit, sicut ipsemet ait: *Amen dico vobis, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Diuina autem inspirante gratia tunc apud Dominum suum se defamari villicus intelligit, quòd non videlicet Domini sui fidelis extiterit dispensator aut procurator, quando peccatis obstinatiæ suæ, & auaritiæ, & clamore pauperum, quibus subuenire, & sua illis reddere noluit, se apud Deum grauiter accusari recogitat, & eos sibi inimicos feciſſe, quos amicos debuit comparasse. Attẽdit etiam se à villicatione remouendum esse, cum eius rationem Domino non sufficiat reddere, quia hoc ipsum est villicationem amittere, fructum de administratione rerum terrenarum apud Deum non obtinere. Quem tantò amplius quisque debet timere, & de reddenda ratione sollicitior esse, quantò sibi ab eo plura recognoscit commis-

Digitized by Google

ſa eſſe. Cum enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Quod quidem attendens villicus prouidus & prudens, quem Dominus ſuus multis præfecerat, præparat ſibi amicos, qui ſe à Domino excluſum recipiant. A Domino ſe excludendum iudicat, cum in ſe non recognoſcit vnde Deo placeat, attendens quàm terribile quid de diuite Dominus alibi dicat: *Facilius eſt camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum.* Vt ergo illic per alios introeat, amicos ſibi illos comparat, quorum ipſum eſt regnum, ipſa veritate ſic atteſtante: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* His ergo communicat ſua terrena, vt illi ſua ei communicent cæleſtia. Audi Salomonem, & exaudi plus quàm Salomonem, quia *redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ.* Et Dominus ipſe Ieſus Chriſtus, *Date*, inquit, *& dabitur vobis. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, quia *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.*

VALDE contraria ſunt, fratres, ignis & aqua, quibus Dominus eleemoſynam comparat & peccatum. Ille inter elementa calidiſſimus eſt, hæc frigidiſſima eſt. Et ſcitis, fratres, quia caritas, quæ nos iuxta Apoſtolum ſpiritu feruentes facit, igni meritò comparatur. De quo quidem igne Veritas ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Ac ſi apertè dicat: Quid aliud veni quærere in mundum, niſi ipſum flamma dilectionis accendere? Peccatum autem quod per inuidiam eius intrauit in orbem terrarum, qui frigidas hominum inhabitat mentes, ſicut ſcriptum eſt: *Ponam ſedem meam in Aquilone*, id eſt præparabo mihi regnum in cordibus hominum igne caritatis carentibus, rectè per aquam frigidiſſimum elementum deſignatur. Cum autem caritas in Deum ferueat ſemper, maximè illa feruere cognoſcitur, quæ per compaſſionem fraternam in eleemoſynis exhibetur. Vnde & per excellentiam quandam ipſa eleemoſynæ largitas quaſi proprio iã vel ſpeciali nomine caritas vocari conſueuit. Sic econtrario obduratio mentis in pauperes maximè frigidam mentem eſſe conuincit, & ab omni caritatis igne priuatam, ſicut ſcriptum eſt. *Qui enim non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* Bene itaque hanc obſtinationem animi frigidiſſimo comparauit elemento, ſicut illam benignitatem calidiſſimo. Huius itaque benignitatis effectum pauperibus exhibentes, à regno diaboli recedimus, & in regnũ Chriſti transferimur. Sicut ab Aquilone pandetur malum: ita Deus ab Auſtro veniet. Inde enim venire quiſque habet, vbi inhabitat. Et diabolus, qui malorum

Digitized by Google

ctor eſt, in frigidis habitat mentibus, quæ per Aquilonem frigidiſſimum ventum intelliguntur; & Deus in his, quæ caritatis igne ſunt ſuccenſæ, quas benè Auſter, qui calidiſſimus eſt, deſignat.

AD has ſibi mentes parandas ipſe in Canticis Sponſus dicit: *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Hortus Domini ſancta eſt Eccleſia, quam excolit & irrigat doctrinis & exhortationibus ſanctis: Hic hortus habet duo aromata, id eſt precioſa ſancti Spiritus vnguenta, quorum altero Deum, altero proximum quaſi vngere dicitur: Dei videlicet, ac proximi dilectionem, quia per illam propriè Deum in ſeipſo tangit, & ad ipſum toto ſe deſiderio ſuſpendit, & per iſtam ad procurandas proximi neceſſitudines ſe inclinat atque demittit. Ab hoc horto ſurgit recedendo Aquilo, & venit Auſter, quando frigida priùs hominum corda caritatis accenduntur flamma. Perflando Auſter ſentitur, & caritas per eleemoſynam exhibetur. Eſt Auſter, ſed nondum flat; caritas mente concepta, nondum in opere exhibita. Tunc autem flatu ſuo educitur atque ſentitur, dum in opere neceſſitatibus proximorum exhibetur. Tunc aromata, quæ priùs in mente quaſi recondita latebant, fluunt, cùm tã Dei quàm proximi dilectio viſibili effectu operum exhibetur. Tum aromata fluentia pariter fragrantiam ſuam dilatant, quando impenſæ caritatis bonus odor ad multorum veniens notitiam, multos aliorum exemplo ad bonæ operationis imitationem trahit.

ECCE, fratres hic congregati, hortus Dei eſſe debemus. Oremus ipſum Dominum horti, vt ad eius imperium ſurgat Aquilo ſicut expoſuimus, & veniat in eum Auſter perflans ipſum, vt fluant aromata: vt veſtra videlicet caritas pauperibus impenſa, non ſolum vos Dominus lucretur, ſed exemplo veſtro alios ei adquirat. Facite iuxta ipſius exhortationem, de mammona iniquitatis amicos, vt cùm defeceritis recipiant vos. Eſt enim mammona iniquitatis, eſt & pecunia æquitatis, id eſt iuſtitiæ. Iniquitatis eſt, quæ iniquè Domino fraudata, cùm pauperibus debuerit erogari tot pauperes vt homicida peregit*, quos ſuſtentare potuit. Vnde Hieronymus in Epiſt. Pauli ad Romanos: Nam ſi viderit illum fame periclitari, nonne ipſe illum occidit, ſi illi cùm affluit non dedit victum? Quicumque enim in neceſſitate ſuccurrere morituris poteſt, ſi non fecerit, occidit. Auguſtinus contra Fauſtum: Itaque ſi occurras in eum famelicum qui mori poſſit, niſi cibum porrigendo ſubuenias, iam tu homicida teneberis lege Dei, ſi non

*ſ. peremit

Digitized by Google

non dederis. Leo Papa in Sermone II. Dominicæ quadrageſimæ. Quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poteris, ſi non paueris, occidiſti. Nobilis quoque gentilis Seneca, & naturali præditus lege, hoc quoque diu ante in prouerbijs ſuis ſanxerat, dicens: qui ſuccurrere perituro poteſt, cùm non ſuccurrit occidit. Quantum hic, fratres, nobis periculum indicitur, ſi ſic pauperes membra Chriſti auaritia noſtra interficit, imò ipſum iterum in membris ſuis Chriſtum occidit? Ipſe quippe de his omnibus, quæ his pauperibus fiunt, per ſemetipſum loquitur: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Etiam in cælo conſiſtens perſecutori ſuo clamat, dicens: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ipſe propter pauperes ſuos ſemel occiſus eſt, nos eum adhuc quotidie in ipſis pauperibus interficimus. Prior eius illa occiſio, per quam redempti ſumus fructuoſa nobis fuit, hæc autem ſolummodò damnoſa. Suſcepit Iudas mammonam iniquitatis, vt Chriſtum traderet. Nos mammonam retinentes iniquitatis, ipſum interficere nõ ceſſamus. Accuſamus Iudam, quod eum propter pecuniã ſemel tradidit. Nõ accuſamus nos, quòd per pecuniæ cupiditatem eũ quotidie quaſi iterũ crucifigentes interficimus. Transferamus, fratres, iſtam mammonam iniquitatis in mammonam æquitatis atque iuſtitiæ. De qua ſcriptum eſt: *diſperſit, dedit pauperib⁹, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Illa eſt mammona æquitatis, id eſt pecunia iuſtitiæ, quam virtus iuſtitię fideliter diſpenſat, ſicut illa eſt iniquitatis, quam auaritiæ defraudat iniquitas.

Ne putetis, fratres, cùm hæc pauperibus impenditis, vos eis veſtra dare, ſed ſua reddere. Quicquid enim ſupra neceſſaria vitæ retinetis, ipſorum ſunt, & per rapinam ſua violenter occupaſtis, quibus ablatis eos interficitis. Vnde Gregorius in Paſtorali: Ea, inquit, de quã ſumpti ſunt, cunctis hominibus terra communis eſt, & idcirco alimenta quoq; communiter omnibus profert. Incaſſum ſe ergo innocentes putant, qui commune Dei munus ſibi priuatim vendicant, qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece graſſantur. Nam cum quælibet neceſſaria indignantibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur. Iuſtitiæ potius debitum ſoluimus, quàm miſericordiæ opera implemus. Vnde & Veritas cum de miſericordia cautè exhibenda loqueretur dixit: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Et Pſalmiſta: *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia ei⁹ manet in ſeculum ſeculi:* Eſt enim iuſtitia, quæ vnicuiq; reddit quod ſuum eſt. Cum autem pauperibus ſua reſtituimus, maxima eſt adhibenda

Digitized by Google

discretio, ne s. quod alterius est alteri demus, aut cui magis debemus, minus demus. Est enim discretio mater omnium virtutum. Et si rectè offeras, sed non rectè diuidas, peccasti. Et omnia lex immunda censet animalia, quæ non ruminant, & non findunt vngulã. Non enim infidelibus deneganda est misericordia, sed maximè fidelibus impendenda. Iuxta quod scriptum est, *maximè autem ad domesticos fidei*, si tanta sit largitas stipis porrigendæ. Sed Apostolus docet faciendam quidem ad omnes eleemosynam, sed maximè ad domesticos fidei. De quibus & Saluator loquebatur: *Ques recipiant in æterna tabernacula*. Sed inter etiam ipsos fideles pauperes multa est differentia, cum alij pauperes mundi sint necessitate, alij pauperes Dei propria volũtate: de quib⁹ dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Quod & prædictus doctor diligenter attendens, consequẽter adiecit: Nũquid & isti pauperes, inter quorum pannos & ingluuiem corporis flagrãs libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possidẽt nec futura? Nõ enim simplices pauperes, sed pauperes spiritu beati appellãtur, id est vt ei tribuat qui erubescit accipere, & cũ acceperit dolet metẽs carnalia, & seminãs spiritualia Sed inter ipsos iterũ, qui Dei potius quàm mũdi pauperes sũt, nõnulla est differẽtia, cùm alij pl⁹ egeãt, alij min⁹. Hi quidẽ, qui seculo penit⁹ abrenunciãtes Apostolicã imitãtur vitam, veriores sunt pauperes & Deo propinquiores. Sed sunt huius professionis nõ solũmodo viri, sed etiã feminæ, quę cùm sint fragilioris sexus, & infirmioris naturæ, tãto est earũ virtus Deo acceptabilior atq; perfectior, quanto est natura infirmior, iuxta illud Apostoli: *Nam virtus in infirmitate perficitur*.

Istae cũ terrenis coniugijs vel carnaliũ voluptatum illecebris spretis sponso immortali se copulãt, sponsæ summi Regis effectæ, omniũ eius seruorũ efficiũtur dominæ. quod diligenter attendẽs B. Hieronymus cũ ad vnã harũ sponsarũ Eustochiũ scriberet, ait: Hæc iccirco domina mea Eustochiũ. Dominã quippe debeo vocare spõsam Domini mei. quod si tãt⁹ Ecclesiæ doctor veraciter profiteri non erubuit, & vos eas Dominas vestras rebus ipsis magis quam verbis recognoscẽtes, ne differatis earũ inopiæ subuenire, & vos lõgè amplius Domini vestri sponsis debere, quàm seruis, & eas apud sponsum proprium plus posse quàm seruos agnoscatis. Inter ipsas quoq; Sanctimoniales hæc in eleemosynis adhibenda est discretio, vt quę maiori paupertate sunt oppressæ maiori subsidio sustententur. Sũt enim Monasteria feminarum sicut & Monachorũ

antiquitus à potentibus ſeculi fundata, vel copioſis poſſeſſionibus ditata. Hoc verò monaſteriũ nouiter cõſtructũ, nec à diuite quodam fundatum eſt, nec poſſeſſionibus ditatum. Quod tamen in diuinis officijs, & diſciplina regulari non minori ſtudio perſeuerare quàm ceteraDei gratia nouimus. Sed nouella eius adhuc & tenera plantatio, veſtris vt creſcat colenda eſt eleemoſynis. Eligẽdi vobis ſunt pauperes, & eleemoſyna qua regnum cœlorum emere vultis, non temerè cuilibet porrigẽda; ſed ſudet, ſicut ſcriptũ eſt, eleemoſyna in manu tua, donec inuenias qui dignus ſit, donec tibi occurrat vbi eã poſſis benè collocare, quam in precio tantæ rei vis ponere. Conſiderandi ſunt pauperes, qui te poſſint meritis ſuis & orationibus illuc introducere; quia ſtultum eſt ab illis ęterna tabernacula ſperare, qui vt ea obtineant minimè ſeu parum laborant, qui coactione magis quã voluntate ſunt pauperes, rebus potius quàm ſpiritu, inuiti potius quàm ſpõtanei. *In carcere eram*, Dominus inquit, *& veniſtis ad me*. Nõnulla miſericordia eſt eis etiam ſubuenire, qui in carceribus hominum inuiti tenentur; ſed maxima eſt his ſubuenire, quę ſe ſponte Domini carceribus in perpetuo mãcipauerunt, donec ſponſo occurrentes cũ ipſo intrẽt ad nuptias, ſicut ipſemet ſponſus aſſerit dicẽs: *Et quæ parata erant intrauerũt cũ eo ad nuptias*, vt illuc v. quaſi vxores aſſidua cohabitationẽ fiãt, quæ hic extiterũt tãquã ſpõſæ. Ad quã quidem cæleſtiũ ſocietatẽ nuptiarũ & æterna tabernacula, ipſæ vos meritis & interceſſionib⁹ ſuis ſponſæ ſecũ introducãt, vt illic per eas percipiatis æterna, quæ hic à vobis ſuſcipiunt temporalia, prẽſtante ipſo earum ſponſo Domino Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria, per infinita ſeculorum ſecula, Amen.

IN NATALI S. STEPHANI, VEL CETERORVM *Diaconorum, qui ab Apoſtolis deriuati ſunt obſequio Sanctarum viduarum.*

SERMO XXX.

Habetur & alius ſpecialis de S. Stephano protomartyre Sermo ſuperiùs interpoſteriores Epiſtolas.

EN lectulũ Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Quàm glorioſus & quàm precioſus, fratres, iſte ſit lectulus Salomonis, cui tam diligens cuſtodia tot & tantorum virorum ſic præparatorum, ſic armatorum deputatur, mirari

Digitized by Google

magis quàm eloqui poſſumus. Quid in noctibus Rex tantus metuebat, qui ex ipſo quoque nomine ſuo quantam ſit adeptus pacem inſinuat? Quid, inquam, in noctibus potius quàm in diebus verebatur, vt tanta cuſtodiæ prouidentia lectulum ſuum ambiente muniret? Cur hæc denique quies eius lectulo magis quàm lecto comparatur? Lectum quidem in Euangelio legimus duos in ſe continentem, quorum alterum aſſumi, & alterum relinqui veritas teſtatur. De lectulo autem, qui in hoc Cantico Canticorum ſæpiùs memoratur, nihil tale dicitur; nec quiſquam in eo quieſcens relinqui perhibetur. Lectus itaque qui maior eſt, & multos capit, quorumlibet continentium vitam deſignat. Hi namque quo amplius ab inquietudine ſecularium curarum ſunt remoti, nec cõiugalibus moleſtijs impliciti, ampliori quiete fruũtur. Sed quia & inter virgines nonnullæ fatuæ inueniuntur, quę à ſponſo clauſa ianua repelluntur, & multi poſt ſacrum propoſitum apoſtatantur, & ob hoc aſſumi à ſponſo non merentur, derelinqui dicuntur. Lectulus verò, qui artior eſt, & paucos capit, ſanctæ cõtinentiæ quietẽ exprimit, cuius vitæ perfectio Deo ſe artiùs aſtringit, & quaſi cum eo vnus ſpiritus fit. Talium vita Deo penitus vacans, atque illi ſoli dedita, ſponſæ nomine rectè cenſetur, ſed tunc rectiùs & ſpecialiter, cùm tanta virtus in feminis præminet, quæ virili copula ſpreta, & contemptis voluptatibus Chriſtum ſibi pro marito propoſuerunt, non ſolum virgines, vt Maria, ſed etiam viduæ, ſicut Anna, & quæ abrenunciantes ſeculo, Apoſtolico adhærebant Collegio. Quas denique Apoſtoli tãto pietatis amore ſunt amplexi, vt cum creſcente numero fidelium ipſi iam vt antea mẽſis earum non ſufficerent miniſtrare, ſeptem huic officio Diaconos, id eſt miniſtros deputauerũt, quibus earum neceſſitudini diligenter prouidentibus, ipſæ ſpiritali lectuli quiete fruerentur ampliore. De quorum quoque numero, ſicut & de cætu Apoſtolico diabolica tentatione vno cribrato & ventilato, ſex tantũ Diaconi huius viri Salomonis lectuli cuſtodes, & tanquam excubiæ nocturnæ remanſerunt. De quibus nunc dicitur, *En lectulum Salomonis, &c.* Ac ſi patenter diceretur, Iam in hac incarnati Verbi manifeſta fœderatione veri Salomonis lectulũ ſexaginta viri fortes diligenter ambiendo, & circumſpiciendo protegunt: ne quo diabolicæ tẽtationis adulterio violetur, ne quo carnalium voluptatum contagio maculetur, aut curæ mundialis tumultibus inquietetur.

SEXAGENARIVS numerus conſtat ex ſenario atque denario, quia ſexies decem ſexaginta fiunt. Sex autem illi Diaconi tam ſenarium, in numero ſuo habuerunt, quàm in perfectione

& cuſtodia mandatorum Dei, quæ per decalogum legis deſignantur, denarium tenuerunt. Sic igitur in eis ſenario atque denario pariter coniunctis, rectè ſexaginta fuiſſe perhibentur. Fortes præcipuè, nec in carnalibus remiſſos voluptatibus eſſe oportuit, qui ſanctarum caſtimoniæ feminarum cuſtodes præpoſiti. De quorum collegio ille ſolus expelli meruit, qui zelo pulchræ coniugis ſuæ nimium accenſus, nec ab hac concupiſcentiæ carnalis infirmitate vel correptus deſtitit: ſed vehemẽtis doloris veſania commotus, tam illam ſuam, de qua corripiebatur, quàm ceteras feminas publicari cenſuit. Quem adeò deteſtandum Apoſtoli decreuerunt, vt in locũ eius neminem iudicarent ſubſtituendum, ſicut in Mathia Iudam reſtaurauerũt. In omni quippe Religionis Conuentu tolerabilior auaritia videtur, & minoris infamiæ, quàm turpitudo luxuriæ, & maximè in deuotis feminis. Hæc labes eſt deteſtanda, & ab eis penitus ſemouenda. Expulſo denique illo miſero, & tam infirmi animi Nicolao, à prædicto illo Diaconorum forti conſortio, myſticus ille quem diximus ſexagenarius numerus rectè eſt conſeruatus. Ex fortiſſimis Iſrael hi ſunt Diaconi electi, quia ex diſcipulis Chriſti mira continentiæ & abſtinẽtiæ virtute præditis ſunt aſſumpti. Vnde gladijs armati, & ad bella doctiſſimi deſcribuntur, quia doctrinis inſtructi diuini verbi, qui gladius ſpiritus nuncupatur, quęlibet antiqui hoſtis tentamenta cum hoc gladio reſecabant, & tam continentiæ quam abſtinentiæ clypeis muniti ignea tela illius nequiſſimi quaſi quodam vmbone valido repellebãt. Qui etiam in qua ſui parte gladios præcipuè geſtarent prouide eſt determinatum cùm ſubditur: *Vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuum.* Qui enim ſanctimoniæ præerant feminarũ, & prædictũ miſerum de concupiſcentia carnis damnatum à conſortio ſuo mouerant ejectum, ab hoc ſibi vitio maximè prouidebant, & incentiua libidinis continentiæ gladio à ſe maximè reſecabant. Vnde & bene ſuper illam corporis partem enſes habere deſcribũtur, vbi ſedem luxuriæ conſtat eſſe tanquam proprijs partibus libidinis. Quod diligenter maximus ille Chriſtianorum Philoſophus Origenes attendens, corporali quoque gladio in ſemetipſo vſus manus ſibi inferre ſuſtinuit, quo ſine ſuſpicione infamiæ ad mulieres quoque inſtruendas liberum acceſſum poſſet habere. Ex primo quoque Dialogorum beati Gregorij libro didicimus venerabilem Equitium Abbatem, vt feminarum quoque Monaſterijs præeſſe deberet, ab Angelo per viſum ita ſpiritaliter

eunuchizatum esse, vt incentiua carnis quibus primò grauiter incestabatur sic in eo penitus extinguerentur, ac si omnino de-inceps viueret sine sexu.

SVNT qui super femur alienum potius quàm super suum gladium habent: cùm aliqui non tam benè viuentes quàm prædicantes, aliorum incestuosam vitam magis corrigunt quàm propriam. Timores nocturni sunt sollicitudines sanctorum de quibuslibet diaboli vitandis insidijs. Tanquam enim in tenebris omnis insidians latet, & perfecti quilibet, qui iam manifesta vicerunt tentamenta. De his superest vt cogitent quæ magis sunt occulta, & difficiliùs deprehendi possunt. Vnde & secundum veterem Ezechielis translationem, vt beatus meminit Gregorius, sancta illa quatuor animalia oculos in dorso habere dicuntur. Quod ipse diligenter exponens, ait: Et hæc quidem vitia quæ virtutibus finitima sunt, maiori sollicitudine considerandа sunt, ne per speciem fallant. Et post aliqua: Ea enim quæ in facie sunt sæpè etiam peccatores custodire solent. Iusti autem quia se & in eis custodiunt, quæ in promptu & in facie non videtur, in dorsis oculos habent; quia & ea quæ in oculis sunt discutiunt, & ab his se custodiunt quæ latent. Pensate itaque, dilectissimæ sorores, quam obsequij vicem his tam egregijs ministris referre debeatis, & tantò maiori deuotione natalitia ipsorum celebrate, quantò fidelibus his viris dispẽsatoribus amplius estis obnoxiæ. Perpendite & quanto vos honore diuina gratia sublimauit, qui vos primum suas & postmodum Apostolorum habuit Diaconas, cùm tam illis quàm istis sanctis viduis de suis facultatibus constet ministrasse. Vnde & ipsas tã Diaconas quàm Diaconissas antiquitus appellare Doctores sancti consueuere. De quarum etiam mensis ordo Diaconatus in prædictis viris incœptus ad Dominicam altaris mensam postmodum est translatus; vt qui Diaconarum fuerant Diaconi, nunc Leuitæ efficiantur Christi. Quibus pariter & feminas in hoc Diaconatus ordine ab Apostolo coniunctas esse, Doctores sancti multis profitentur in locis. Qui ad Romanos Epistolam scribens: *Commendo*, inquit, *vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Chencris.* Quem quidem locum Cassiodorus in huius Epistolæ Commentarijs suis exponens: Significat, inquit, Diaconissam fuisse matris Ecclesiæ, quod in partibus Græcorũ hodie vsque peragitur, quibus & baptizandi vsus in Ecclesia non negatur. Hinc & Claudius ita meminit: Hic locus Apostolica-

Digitized by Google

auctoritate docet etiam feminas in ministerio Ecclesiæ institui, in quo officio positam Phœben apud Ecclesiam, quæ est Chencris, Apostolus magna cum laude & commendatione prosequitur. Hieronymus quoque illum Apostoli locum ad Timotheũ scribentis exponens, dicit, Adolescentiores autem viduas deuita in ministerio Diaconatus præponere, nec malum pro malo detur exemplum.

IDEM quoque Apostolus cùm suprà in eadem Epistola post Episcopos etiam Diaconorum vitam ordinaret, institutionem quoque Diaconarum illis coniunxit, dicens: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non tempore lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diacones sint vnius vxoris viri, qui filijs suis benè præsint, & suis domibus, &c.* Vbi & illud notandum est, quòd quemadmodum hoc loco Diaconos quoque sicut Episcopos, vnius vxoris viros approbat, ita & postmodum Diaconissarum ordinem instituens, eas etiam vnius viri vxores maximè commendat, *Vidua*, inquit, *eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor*, vt videlicet tanto sit ad sui ordinis administrationem idoneior, quanto iam calore corporis refrigescente, ardorem libidinis minus sentit: & tantò solertiùs Ecclesiasticis ministerijs valeat præesse, quantò magis in rei familiaris cura benè cognoscitur exercitata. Quæ de intemperantia libidinis ne plurimum possit notari, si videlicet per plures decurrerit viros, vnius viri vxor eligenda cẽsetur. Vos tãdẽ alloquor, virgines, vt ministrorũ quoque differẽtiã de vestra cogitetis prærogatiua. Ecce enim sanctarum obsequio viduarũ ab Apostolis, locum quorum obtinent Episcopi, minoris ordinis viros, idest Diaconos, videtis deputatos: ab ipso vestro Christo in matre eius virgine didicistis, quid vobis debeant Episcopi. Non enim illi Diaconum, sed Apostolum dedit ministrum, per hoc patenter insinuans tanto vos digniores promereri ministros, quantò ad excellentiam Dominicæ matris ampliùs propinquatis. Quæ quidem non Diaconum, sed Apostolum in obsequio sui ministrum adepta, quid vobis Episcopi debeant insinuat, qui Apostolorum gradum in Ecclesia possident. Vnde & deuotis communiter feminis tam virginibus quàm ceteris, quanto studio tam Apostolorum, quàm prædictorum Diaconorum ab eis electorum festiuitates sint celebrandæ, nolo vos ignorare. Quo-

Digitiz

rum vos interceſſionibus plurimum adiutas ille vos in ſacro propoſito cuſtodiat, qui tales vobis deputauit miniſtros, & eoſdem apud ſe veſtros habeat aduocatos ſponſus veſter Dominus Ieſus Chriſtus, qui cum Patre.

DE S. IOANNE BAPTISTA, SERMO XXXI.

DOMINVS ad beatum Iob in parabolis loquens, cùm per ibices, & parturientes ceruas Rectorum ordinem deſcripſiſſet, conſequenter, dilectiſſimi fratres & commonachi, ad inſtitutionem veſtri propoſiti ſtilum conuertit, & eius libertatem ceteris præferens ait: *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis? Contemnit multitudinem ciuitatis, & clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.* Magnum, fratres, in multis virtutibus Iob fuiſſe, tam ipſius Hiſtoria quam Dei teſtimonia monſtrauerant. Quem ne tantarum magnitudo virtutum in elationem fortè traheret, vitæ ipſius coniugali tam Rectorum quàm continentium dignitas præ oculis ponitur, vt eorum ſcilicet cõparatione ſe compeſcat ab elatione. Et quia tam continentiæ quàm abſtinentiæ virtus præminet in Monachis, ſub onagri ſpecie huius prærogatiua deſcribitur vitæ. Onager quippe non domeſticus, ſed ſilueſtris Aſinus dicitur. Hic tantò liberiùs in ſolitudine conuerſatur, quantò à commiſeratione hominum magis remotus nec onere grauatur, nec vinculis coercetur, ſicut econtra domeſticus ſuſtinet aſinus. Vnde merito huic vita coniugatorum, ſicut illi continentium comparatur. Quod enim vinculum maius quàm copulæ coniugalis? Quæ grauior ſeruitus, quàm vt homo proprij corporis poteſtatem non habeat? Quæ denique vita oneroſior, quàm moleſtijs quotidianæ ſollicitudinis tam pro vxore quàm pro filijs cruciari? Aut quæ vita pigrior ad obſequium Dei, quàm eius qui tot affectionum vinculis mundo ligatus adſtringitur? Vnde nec ab huius vitæ comparatione pigri iumenti tarditas diſſidet. Monachi verò tantò expeditiores vel promptiores ad diuinum fiũt obſequium, quãto ampliùs ſecularium affectionum vinculis abſoluti, omnibuſque renunciantes ab illa, quam diximus, ſeruitute longiùs abſiſtunt, & liberiores fiunt.

DE qua nũc libertate Dominus ad Iob loquitur: *Quis dimiſit onagrum*

onagrum liberum. Ac ſi diceret, quis, niſi ego, hanc libertatem quieti Monaſticæ dedit, quæ longè præminet illi tuæ coniugali ſeruituti? Magnum vtique hoc tantæ gratiæ donum, vt inſpiratione & virtute diuina homines in carnalibus concupiſcentijs nati, & in ſecularibus illecebris educati, contra vel ſupra humanæ naturæ infirmitatẽ ita in carne viuant, vt vitia carnis neſciãt, & humanitatis obliti virtute fiant Angelici. *Et vincula eius quis ſolvit?* hoc eſt affectiones carnis, quibus naturaliter quaſi quibuſdã vinculis mundo ligatus erat, quis dirupit? Quàm cõgruè autem vitam continentium, quæ vt dictum eſt in Monachis præminet, onager deſignet, illa eius natura indicat, quã Iſidorus, & qui de naturis animalium ſcripſerunt referunt. Qui enim mares ſunt in onagris, filios ſuos caſtrare dicuntur. Quod quidẽ ne fiat, matres quantum poſſunt eos occultare nituntur. Mares autem in onagris, fortes in propoſito ſuo ſunt Monachi, qui eos quibus quaſi filijs præſunt, vel quos in ſuam congregationem ſuſcipiũt, ſpiritaliter caſtrando in ſua continentia ſeruant. Quales quidem Eunuchos, qui ſe v. propter regnum cœlorum caſtrauerũt, tam Eſaias quàm ipſa Veritas plurimum cõmendat. Quòd autẽ de Monachis, id eſt ſolitarijs hæc de onagro dicta ſint intelligenda, patenter inſinuat, dicens: *Cui dedi in ſolitudine domũ*, hoc eſt à tumultu ſeculi ad ſecretum heremi traxi, vt ibi ſ. quanto quietiùs habitaret, tanto perfectiùs mihi vacaret. *Et tabernacula eius in terra ſaltuginis*. Tabernacula mobiles domus ſunt, nullâque ſtabilitate fixæ, qualia ſunt paſtorum vel peregrinantiũ obũbracula. His corpora noſtra cõparantur morte adhuc diſſolubilia, nec ſtabilitatẽ immortalitatis adepta. De qualib. dicit Apoſtolus: *Si diſſoluatur domus noſtra terreſtris, habemus in cælum domum nõ manufactam à Deo paratam*. Dum ergo in his luteis & mortalibus corporibus ſumus, in tabernaculis magis quàm in domibus habitamus. Qui ergo hîc adhuc peregrinantes quaſi tabernaculũ habemus, cùm ad cœleſtis Hieruſalem patriã venerimus, domum potiùs habituri ſumus. In cuius rei typo populus Dei primũ habuit tabernaculũ in deſerto, & poſtea templũ in Hieroſolimis, terrã adeptus promiſſionis, & maxima pacis iocunditate fruẽs ſub Salomone, qui ex nomine quoq; ſuo, ſicut & Hieruſalẽ, vbi tẽplũ ædificauit, pacẽ prætendit, quæ nuſquã niſi in illa Hieruſalẽ ſuperna poteſt eſſe vera. Scribens etiã ad Heb. Apoſtolus mortale cuiuſlibet corpus tabernaculo comparat dicens: *Habemus altare, de quo non habent edere qui tabernaculo deſeruiunt*, hoc

Digitized by Google

est concupiscentijs carnis magis quàm spiritui obediunt, & ventri magis quàm Deo famulantur. Terra salsuginosa loca sunt arida, & sicca, quam perambulans diabolus requiem non inuenit qui in locis humentibus dormit, sicut ad eundem Iob Dominus dicit. Onagri ergo tabernacula in terra sunt arida, quia virtus abstinentiæ in eis viget, quorum corpora fluxu carnalium concupiscentiarum nequaquam sunt humida.

CONTEMNIT *multitudinem ciuitatis.* Ad duo quæ nouissimè dixerat duo subjungit, quasi singula singulis reddens. Ad illud quidem, *Cui dedi in solitudine domum*, istud refert quod nunc dicitur, *Contemnit multitudinem ciuitatis*, id est frequentiam secularium hominum, quæ multos capit atque oblectat. Multi quippe sunt vocati, sed pauci electi, & spacioſam & latam viam mortis multi perambulant. Sunt qui timore vel necessitate aliqua commoti ad occulta solitudinis se conferunt, & hoc ex coactione magis quàm ex voluntate faciunt; sicut in Helia primo antiqui populi Anachoreta, vel in Paulo postmodum primo heremita factum esse legimus. At verò egregius est à seculo recessus & Deo acceptus, cùm quis propter Deum relinquit mundum, nec tam eum mundus expellit, quàm ipse mundum reijcit. *Et clamorem exactoris non audit*, ac si diceret: Ex hoc apparet eum in terra salsuginis habere tabernacula, quia quotidianæ abstinentiæ moderatis ieiunijs carnem domat, vt & concupiscentias reprimat, & defectum naturæ non incurrat. Importunus & quotidianus exactor in nobis venter est, qui cibum à nobis exigendo quasi quotidie murmurat, & clamat; Affer, affer. Hic quidem vocem moderatam habet in necessarijs, sed clamorem intemperatum in superfluis. Onager ergo iste, quia necessaria ventri alimenta non subtrahit, sed superflua tollit, clamorem exactoris, vt dictum est, non audit, quia ei non obtemperat in superfluis. De quo adhuc subditur, *Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæq; perquirit.* Montes pascuæ volumina sunt sublimioris doctrinæ, id est sacræ scripturæ. Quo ergo iste spiritalis onager amplius cibis corporalibus abstinet, tanto consolatione melioris cibi, id est pabulo diuini verbi magis indiget; & quo illam minus curat, hac refectione animam magis satiat. Bene autem circumspicere dicitur montes pascuæ suæ, hoc est diligenter inquirere ac prouidere, in quibus montibus, id est sacris voluminibus aptiorem sibi refectionẽ ex intelligentia ipsorũ possit reperire. Non enim

omnibus omniũ librorũ lectio cõpetit, nec omnes ab omnibus *intelligi* poſsũt, nec in omnibus ferculis omnes pariter oblectantur. Et quoniã in diuinis Libris quædã reprehẽdũtur, quædã cõmendantur, nec ſolum vita bonorũ quam ſequamur, verumetiã malorum quam fugiamus deſcribitur; montes iſti non ſolùm viridem, ſed etiam ſiccam continent herbam. Quæ enim ad ſecularem pertinent vitam fœno comparanda ſunt, quod abſciſum de terra ſuæ viriditatis vigorem amiſit. Et vita reproborum à terra viuentium aliena, his caducis inhians rebus, quæ in defectu conſiſtunt, fœno comparatur; ſicut econtrario vita electorum, quæ quotidianum habens profectum, ad immarceſſibilem patriæ cœleſtis, quaſi ſemper virentis tendit amœnitatem, virentium pratorum ſpeciem gerit. His igitur onager noſter in illis montibus reficiendus. Non ſicca pabula, ſed virentia quærit, quia hæc aſſequi nititur, per quæ ad æternam pertingitur vitam, & his tantùm animam ſuam hic reficere curat, quibus ad ſupernam illam refectionem perueniat.

HAEC quidem de onagro in generali, vt ita dicam perſonam Monachorum, expoſitio noſtra proſecuta eſt. Quẽ nunc de genere ad ſpeciem transferẽtes, in ſummo illo Monachorũ Principe, cuius hodie ſollẽnitas agitur, iuuat hæc omnia diligẽtiùs cõſiderare, vbi ea perfectiùs poſſimus inuenire; qui ſine profeſſione regulæ viuens, omnẽ regulæ tranſcendit perfectionẽ. Hic quippe, vt dictũ eſt, in ſpiritu & virtute veniẽs Heliæ, huius propoſiti vitã, quam ille inchoauit, ipſe cõſummauit. Ab his duobus tanquã ducibus noſtri propoſiti, ſeu principibus huius Philoſophiæ Chriſtianę tam in veteri quàm in nouo populo ſtudia ſunt exorta. Hieronym. ad Paulinum in Epiſt. 11. Habet vnumquodque propoſitũ Principes ſuos, & vt ad noſtra veniamus, Epiſcopi & Preſbyteri habeãt ad exemplum Apoſtolos & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritũ. Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes, Paulũ, Antonium, Hilarionem, Macharium. Et vt ad Scripturarum authoritatem redeam, noſter princeps Helias, Heliſæus, noſtri duces Prophetarum filij, qui habitabant in agris & ſolitudine, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis. De his ſunt & illi filij Recab, qui vinũ & ciceră non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur, quòd non deficiat de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino. Idem ad Euſtochiũ virginem, de diuerſis generibus Monachorũ. Ad tertium

Digitized by Google

genus veniam, quos Anachoretas vocant, & qui de Cœnobijs exeuntes excepto pane & ſale amplius ad deſerta nihil perferũt. Huius vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & vt ad ſuperiora conſcendã, princeps Ioãnes Baptiſta fuit. Talem virum quoque Hieremias deſcribit, dicens: *Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & tacebit, quoniam ſuſtulit per ſe iugum, &c.* Chryſoſtomus homilia XXIII. quæ ſic incipit, *De Ioanne dicitur, Fuit homo miſſus à Deo, cui nomẽ erat Ioannes.* Gratia in nomine comprehenditur. Ioannes enim interpretatur Domini gratia, quia maiorem accepit gratiam. Propterea in heremo philoſophatur, & reſeruat ſe in aduentum Chriſti, quia nunciaturus erat Chriſtum. Statim in heremo nutritur, ſtatim ibi creſcit. Non vuult cum hominibus conuerſari, in heremo cũ Angelis philoſophatur.

CONSIDERATE Monachi dignitatem veſtrã, Ioannes princeps veſtri eſt dogmatis. Ipſe Monachus ſtatim vt natus eſt in heremo viuit, in heremo nutritur, Chriſtum expectat in ſolitudine. Eo tempore quo Ioannes natus eſt, & erat in heremo, hoc templum quod videmus eſſe deſtructũ, quãtas habebat diuitias, quid auri, quid argenti, Ioſephus deſcribit; quantum gemmarum, quantũ ſerici: quanti erant Sacerdotes, ſcribæ, & vniuerſa genera officiorum. Videte quomodo ſemper Chriſtus humilitatem diligit. Chriſtus Dei filius in templo neſcitur, & in heremo prædicatur. Humilis enim humiles diligit. Hoc totum quare dico? Vt doceam dogmatis noſtri principem eſſe Ioannem Baptiſtam. Hic alter, vt dictum eſt, Helias in ſpiritu, imò quodam priuilegio vitæ maior habitus, tanto maiorem à Domino gratiã percepit, quantò huius excellentiam gratiæ, ex præcepto Angeli natiuitatem eius nunciantis, talique nomine, quod hãc exprimeret gratiã, meruit inſigniri. Ipſe reuera onager liber fuit, qui ab infantia ruptis carnalium affectionũ vinculis, ſpretáq; domo parentũ, ad horridum heremi deſertum ſe contulit: non quidem vt Helias metu perſecutionis coactus, ſed abſtinentiæ virtute ſpontaneus. Qui in illa ſolitudine, quam ſalſugineos & aridæ terræ tabernaculum efficeret corpus ſuum, Euangelia docẽt. Vbi naturalibus cibis, & quæ vltro terra dabat, contentus, nec pane, nec olere, nec aliquo cocto veſci legitur, ſed tantum melle ſilueſtri & locuſtis, & aqua ſuſtentatur. Helias non ſolum cibi Monaſtici, verumetiam carnium alimentum coruis miniſtrantibus habuit. A quibus non ſemel in die, ſed tam mane quàm

Digitized by Google

veſpere ad eum hæ pariter cum pane deferebantur. Qui & de torrente Charit poculum habens, in tribus iſtis, pane videlicet, carnibus, & aqua, non magnæ * abſtinentiæ grauamen ſentiebat. Filij quoque Rechab nullam ieiuniorum laudem adepti, de abſtinentia tantum vini, non carnium, vel quarumcumque deliciarum, commendantur à Domino. Ioannes verò eiuſque diſcipuli in abſtinentia corporali quotidiana, non ſolũ priores Patres, verumetiam ipſum Chriſtum, vel eius diſcipulos tranſcendiſſe legitur, ſicut Mathæo referente didicimus: *Acceſſerunt*, inquit, *ad Ieſum diſcipuli Ioannis dicentes: Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Qui etiam quãta veſtium aſperitate, ne in iſtis aliquam ſentiret mollitiẽ, nec eadẽ Euangelia, nec ipſe Dominus reticet in laude eius. Scriptum quippe eſt. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos?* Pro cucullis quidẽ laneis hiſpida de pilis camelorum habebat indumenta. Pro femoralibus lineis, zona pellicea circa lumbos vtebatur, vt v. frigiditate & duritia pellis calorem & molliciem reprimeret libidinis. Filius ipſe Põtificis qui tunc hereditario iure patri ſuccedebat, populo contempſit præeſſe in ciuitate, vt perfectiùs Deo vacaret in ſolitudine. Huius onagri fuerunt montes paſcuales viri prædicti altitudine vitæ in antiquo populo præminentes, ad quos intentionis ſuæ oculos leuans, iuxta illud: *Leuaui oculos meos in montes*, quot indè virtutum ſumpſit exempla, quaſi tot virentis herbæ habuerit pabula. Nõ enim in ſingulis omnia diuinę gratia dona reperiebat, ſed ex diuerſis diuerſa colligens, quaſi ex multis vnum hominem perfectum componere ſtudebat. Huius itaque vitã tam de continentia quàm de abſtinentia Dominus præferẽs vniuerſis, nec tã humanã quàm Angelicam cenſens eam, cùm præmiſiſſet in eius laude, *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Dico vobis, plus quàm Prophetam*, ſtatim adiecit: *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt, Ecce mitto Angelum meum, &c.*

* f. magnũ

Qvid autem, fratres, tanti Principis noſtri vitam commendare prodeſt, ſi eam imitari contemnimus? Sicut ait Apoſtolus, *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*. Quãtum nobis imminet periculum, ſi ea non impleamus documenta, quę ſpecialiter ad ædificationem noſtram ſunt ſcripta, ſi eis inſtruimur exemplis, quæ noſtri propoſiti mores deſcribunt perfectius? Quo enim diligentiùs hæc nobis expoſita videmus, maius iudicium de

Digitized by Google

contemptu incurrimus eorum. Vnde & veritas, *Seruus*, inquit, *sciens & non faciens voluntatem Domini sui, plagis vapulabit multis*. Ecce in onagri supraposita descriptione quid nos sequi deceat patenter expressum est, sed quàm contraria incedamus via non minus liquidum est. Iam quippe refrigescente, imò extincto religionis feruore, postmodum de labore proprio viuere debebimus, quod vnum verè Monachos efficere B. Benedictus meminit, inimicam animæ sectantes ociositatem, de alieno labore victum quærimus: & huius noxiæ quietis peruersa libertate vtentes, & tam luxui rerum quàm multiloquio vacantes, veram prædicti onagri libertatem amisimus. Vnde secularibus nos implicantes negotijs, dum cupiditate terrenorum nobis dominante, ditiores fieri studemus in Monasterio quàm fueramus in seculo, terrenis nos dominis potius quàm Deo subiecimus. Villas & homines & seruos pariter & ancillas à potentibus seculi tanquam in eleemosyna sumentes, eorum nos graui iugo subiugamus, & nonnunquam pro paucis quæ accipimus multa persoluimus. Quæ cùm de suo potiùs quàm de nostro sibi prouenire censeant, nullas his habent grates, quæ sibi non tam dari quàm reddi autumant. Sæpè & pro tutela horum ad forinseca iudicia trahimur compulsi, & ante seculares judices publicam agentes causam, adeò non impudenter contendimus, vt homines nostros non solum ad iuramenta, verumetiam ad duella pro nobis egenda cum summo vitæ suæ periculo compellamus. Quod quidem in secularibus quoque Christianis Apostolus arguens ait: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patiminí? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Quis etiamnum ignoret in ipsos subiectos nostros exactiones grauiores nos exercere, & maiori debacchari tyrannide, quàm seculares faciunt potestates? Denique & in tantam si valemus insaniam prorumpimus, vt de tributis & vectigalibus, & teloneis victum nobis acquiramus: cùm inter magna Domini miracula deputetur, quòd à theloneo vocatione sua potuit abducere Mathæum.

VT autem de secularibus ad Ecclesiasticas transeamus potestates, non minora hinc grauamina nostra ambitio sustinere videtur. Cùm enim ea quæ sunt Clericorum nobis vsurpamus, & ab Episcopis quocumque modo parochiarum redditus tam in decimis quàm in oblationibus obtinemus, sæpè quæ non rapui-

Digitized by Google

mus ex ſoluere cogimur. Hinc ad Synodos & ad Concilia frequenter tracti,& ad publicas cauſas quotidie profecti,non modico precio Iudices, vel qui noſtras iniurias pallient conducimus oratores.Certè & in ipſis Concilijs quanta ſit auaritiæ noſtræ rapacitas,frequens querimonia monſtrat. Rarò ibi Epiſcopos, raros Clericos inuicem contendere videmus. Omnes ferè controuerſiæ aut Monachorum ſunt, aut de Monachis ortæ. Denique vt omittam harum ſollicitudinum ſeruitutem & vincula,quibus ſe mundo vehementer obligant,quid de affectionibus carnalium propinquitatum vel affinitatum dicam, pro quibus innumera de rebus Monaſterij committunt ſacrilegia? Verbi gratia cum filios, aut nepotes, vel quacumque ſibi cognatione vel affinitate coniunctos habent in ſeculo, furtim ſi manifeſtè non poſſunt, quæ fratribus ſurripiunt,illis impendunt.Quos ſi fortè ad Monachatum traxerint, vel miniſtros in domibus ſuis habuerint, hos in prælationibus ſublimant,& pro arbitrio ipſorum cuncta diſpenſantur.Contra quos ſi quis dixerit,ſtatim læſam maieſtatem ſentit.Iſti Monaſterii ſunt domeſtici hoſtes,iſti quotidiani fures, tãto magis noxij,quanto plus aſſidui. Quorum patrocinio ad quæuis turpia,ad quęlibet illicita ipſi Monachi tantò faciliùs prorumpunt, quanto de ipſorum propinquitate vel affinitate amplius confidunt.Tabernacula prædicti onagri in ſolitudine à Domino præparari dictum eſt. Iſti autem è contrario ſuggerente diabolo ſolitudinis quietem fugientes, & ſeculi tumultibus ſe impudenter ingerentes,in ciuitatibus & caſtellis habitare lætantur, nomtã Monachi,hoc eſt ſolitarij,quàm ciues appellandi.Quorum impudentiam maximus ille Monachorum & Eccleſiaſticorum Doctorum Hieronymus arguens, & noſtram ac Clericorum vitam diligenter diſtinguens, ait: Si Epiſcopatus te vel opus vel onus forte delectat,viue in vrbibus & caſtellis,& aliorum ſalutem fac lucrum animæ tuæ. Si cupis eſſe quod diceris Monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula,ſed multorum? Idem alibi: Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt nomen tuum.Quid facis in turba,qui ſolus es? Tãtò autem periculoſiùs in ſecularibus turbis, & in frequentia hominum habitamus,quanto eorum noſtro maior eſt numerus, & plures cernimus ſeculares quàm religioſos homines. Quod quidem periculum tunc maximè incurrimus,cùm bini,vel terni, & nonnumquam ſinguli inter hos conuerſamur. Etiam hæc loca noſtra, quæ Abbatias dicere non poſſumus, Obedientiarum

nomine commendamus;tantò in hoc mentientes apertiùs,quantò ab obedientia regulæ,& ab ordine profeſſionis noſtrę amplius remouemur. Vbi enim iuxta inſtitutionem regulæ ordo non tenetur,quis inordinatam domum dicere vereatur? Denique duo tantum genera Monachorum commendat auctoritas, Cœnobitarum ſ. atque Anachoretarum. qui autem in ſeculo bini vel terni aut ſinguli conuerſantur,nec tantum fratrũ numerum habent, vt obſeruantiam Regulæ impleant, profectò nec Cœnobitæ ſunt,nec Anachoretæ.Cœnobitæ quidem cùm ſub Regula non degant, ſed nec Anachoretæ cum in ſolitudine non viuant.

Qvod ſi nec monita,nec exempla ſanctorum Patrum nos à ſeculo tentationibus pleno reuocant & plus lucra corporalia cupimus quàm animarum damna timemus: ipſa ſaltem rerum noſtrarum incommoda,quæ de communi hominum conuerſatione frequenter ſuſtinemus,nos ab hac præſumptione compeſcant. Incurſu quippe hoſtium ciuitates ipſas vel quæ ciuium ſunt depopulante,res noſtræ pariter cum rebus eorum iunctę,à communi clade non poſſunt eſſe disjunctæ. Ceſſantibus quoque hoſtibus frequenter in ciuitatibus contingunt improuiſa domorum incendia:per quæ tam Oratoria,quàm officinæ Monachorum penitus conſumuntur. Ipſa ſaltem damna, quæ fugiendo incurrimus, refugere ad ſolitudinem doceant, vt quaſi mercibus noſtris tempeſtate amiſſis, de procellis ſeculi vel nudi properemus ad quietis & ſolitudinis portum. Sunt qui in ſolitudine tabernacula ſua collocant,ſed minimè perſeuerant. quod quidem multis de cauſis accidit. Alij quippe paupertatis ſuæ modum excedentes, & maiora ſuis viribus aggredientes,quod non habẽt de proprio, ſupplere coguntur ex alieno, & pro neceſſitudinibus ſuis ſe rurſum ſeculo ingerere,quod propoſuerant fugere. Sunt & qui longa hèremi conuerſatione,& abſtinentia tantum religionis nomẽ adepti ſunt,vt à potentibus ſeculi vel ſecularibus viris ſub aliqua pietatis occaſione ſæpius inuitentur, & ſic diabolico cribro more palex ventilati,de heremo renouentur in ſeculo. qui multis adulationum fauoribus dona diuitum venantes, tam ſuam quàm illorum iugulant animas,ſicut ſcriptum eſt:*Væ vobis qui conſuitis puluillos ſub omni cubitu manus, & ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Et rurſum, *Populę meus,qui te beatificant, ipſi te decipiunt, & vias greſſuum tuorum diſſipant.* Quid eſt autem puluillos cubitis, vel ceruicalia capitibus ſupponere, niſi ſecularium hominum vitam blandis ſermonibus demulcere, quam nos

magis

magis aſperis increpationibus oportebat corrigere, & de horrore diuini iudicij, & pœnis gehennæ ad pœnitẽtiam trahere. quorum dona cùm ſuſtulerimus, eos vtique de ſuffragio noſtrarum orationum confidentes, in ſuis iniquitatibus relinquimus ſecuriores. Qui nec ea ſe male adquiſiſſe vel poſſidere credunt, vnde religioſos viros eleemoſynam petere cernunt. Quam cùm ſuſcipimus, mammonæ iniquitatis frequenter communicamus. De qua quidem mammona iniquitatis à Domino vocata, beatus Hieronymus ad Edibiam de diuerſis ſcribens quæſtionibus. Fac tibi amicos de mãmona iniquitatis. Pulchrè dixit de iniquo. Omnes enim diuitiæ de iniquitate deſcendunt, & niſi alter perdiderit, alter non poteſt inuenire. Vnde illa vulgata ſentẽtia mihi videtur eſſe veriſſima. Diues autẽ iniquus, aut iniqui hæres. Seneca in Prouerbijs: Lucrum ſine damno alterius fieri non poteſt. Item prædictus Doctor in Iſaia: Principes tui ſocij furũ. Principes Scribas vocat & Phariſæos, qui à Domino recedentes, ſocij fuerunt proditoris furiſque Iudæ. quod quidem & nos cauere debemus, ne accipientes ab hominibus munera, qui per rapinas miſerorumque lacrimas diuitias congregant ſocij furum appellemur, dicaturque nobis, *Videbas furem, & currebas cum eo &c. Omnes diligunt munera*: non dixit qui accipiunt, hoc enim ſæpè neceſſitate fit, ſed ſunt qui non putant amicos, niſi à quibus dona perceperint; nec os conſiderant amicorum, ſed manus: & eos ſanctos iudicant, quorum exhauriunt marſupiũ. De quibus & Eccleſiaſtes loquitur: *Qui loquitur pecuniam, non implebitur*. Sequuntur retributiones, vt laudem eos à quibus aliquid acceperint, vel certè nulli quippiam tribuãt, niſi à quo ſe recepturos putauerint.

Si quis autem diligenter conſideret, quod ait Dominus, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, hoc eſt à vobis vel alijs malè adquiſita, & de alieno damno in lucrum noſtrum ſuſcepta, & conſilium Domini voluerit propoſitæ de villico parabolæ competentius aptare, viderit hoc ita intelligi debere, vt eis quibus abſtulimus ſua, reſtituam⁹ eorum damna, & ſic eos nobis in amicitiã conciliemus, quos in odiũ veſtri concitaueramus. Nõ enim veros Chriſti pauperes donis noſtris amicos efficimus noſtros, qui ſuos quoq; diligunt inimicos, ſed potius eos quos diximus, & eo modo quo diximus. Quod quidẽ parabola, quã de villico Dominus præmiſerat, diligẽter exprimit, cùm his quos ille generaueratdãna ſua reſtituit, nõ quę ab ipſis acceperat alijs diſtribuit. A quibus etiã in æterna tabernacula recipiẽdus dicitur, cùm id eis fecerit, vnde re-

Digitized by Google

cipi mereatur nõ tã in ſua quàm in Dei ſuperna tabernacula. Quis deniq; neſciat quãtũ noſtra religio his quoq; vileſcat, à quibus vocati venire nõ recuſamus, & nõ ſolũ eorum dona ſuſcipimus, verũ etiã inordinatis eorum mẽſis & familijs admiſcemur. Quod ſi non pro reuerẽtia Dei, ſaltẽ probitãdo noſtræ famæ detrimẽto fugere deberem⁹. Scriptũ quippe eſt in Eccleſiaſtico: *Aduocatus à potẽtiore diſcede, ex hoc enim te magis aduocabit.* Et Hieronymus ad Nepotianum: Facile contemnitur Clericus, qui ſæpè vocatus ad prandium ire non recuſat. Nunquam petẽtes rarò accipiamus rogati. Neſcio enim quomodo etiam ipſe, qui deprecatur vt tribuat, cùm acceperis viliorem iudicat te. Quod ſi hoc eſt in Clericis arguendũ, quãto magis in Monachis eſt deteſtandum?

V T autem nunc documenta ſanctorum omittam, gentilium ſaltem Philoſophorum exempla noſtræ cupiditatis impudẽtiam reprimant. Hi quippe ſine vlla regulæ profeſſione adeò mũdũ cõtempſerũt, vt non ſolum potentum reſpuerẽt dona, verum etiam poſſeſſiones ampliſſimas abdicarẽt. Quorum nonnulli tãta frugalitate referuntur contenti, vt vel vnum retinere ciphum cenſerent ſuperfluum, cùm ad hauriẽdum aquæ poculum proprias manus viderent ſufficere. Ex quib. illum Diogenem famoſiſſimum, & de cõtemptu mundi notiſſimum, Doctor prædictus cõtra Iouinianũ in II. inducens, inter ceteras eius laudes id quoque adiecit: Quodam verò tempore habẽs ad potãdum caucum ligneũ, vidit puerum manu cõcaua bibere, & eliſiſſe illud fertur ad terrã, dicẽs: Neſciebã quod & natura haberet poculũ. Ad quẽ etiã potẽtiſſim⁹ Alexãder multa ei donalia offerẽs, cùm dolio eius tãquã dator importun⁹ adſiſteret, hoc vnum ab ipſo ſuſcepiſſe dicitur reſpõſum: Ne obſtes mihi iuuenis à ſole. Socrates quoq; Archelai Regis dona reſpuẽs, hoc vnum in excuſatione prætendit, nolle ſe ſuſcipere tãta, quibus referre nõ poſſet æqualia. Vnde Seneca de beneficijs Libro v. Alexãder Macedonum Rex gloriari ſolebat à nullo ſe beneficijs victum. Item: Archelaus Rex Socratem rogauit vt ad ſe veniret. Dixiſſe Socrates traditur, nolle ſe ad eum venire, à quo acciperet beneficia, cùm reddere illi paria non poſſet. Primum, in illius poteſtate erat non accipere. Deinde ipſe dare beneficium par incipiebat. Veniebat enim rogatus, & id dabat, quod vtique ille non erat Socrati redditurus. Etiam nec Archelaus daturus erat aurum & argentum, recepturus contemptum auri & argenti. Non poterat referre Archelao Socrates gratiam? Et quid ſi Regem in luce media errantem ad rerum naturam admiſiſſet, ſi il-

Digitized by Google

lum negare vetuiſſet? Quare ergo hoc Socrates dixit, vir facetus, & cuius per figuras ſermo procedere ſolitus erat, deriſor omnũ maximè potentum? Maluit ei naſutè negare quàm contumaciter aut ſuperbè. Timuit fortaſſe ne cogeretur accipere quæ nollet. Timuit ne quid indignum Socrati acciperet. Dicet aliquis: Negaſſet ſi nollet, ſed inſtigaſſet in ſe Regem inſolentem, & omnia ſua magno æſtimari volentem. Vis ſcire quid verè voluerit? Noluit ire ad voluntariam ſeruitutem, is cuius libertatem libera ciuitas ferre non potuit.

QVOD ſi de Philoſophis ad Apoſtolos, imò ad ipſam Sophiã Chriſtum, quaſi à minimis ad maxima cõſcendere velimus, vt eorum videlicet exemplis & auctoritate ampliùs inſtructi, dona libẽtiùs reſpuamus, Paulum Doctorem Eccleſiæ maximum ponamus in medium, qui non ſolum data, ſed etiam ſibi debita recipere nõ adquieuit; ne, vt ipſe ait, vel gloriam ſuam minueret, vel occaſionem turpis queſtus exemplo ſuo alijs relinqueret. Qui enim ſecundum legis auctoritatem, & Dominicam inſtitutionẽ de labore prædicationis ſuæ victum accipere merebatur, ſicut ceteri faciebãt Apoſtoli, hac tamẽ poteſtate, ſicut ait ipſe, vti verebatur, prædictis v. cauſis, & ſummopere cauebat, ne quod offendiculũ daret Euãgelio Chriſti. Prouidebat quippe vir diſcretiſſimus, & animo liberali præditus, ſi ſeminando ſpiritalia meteret carnalia, nõ tam mãducare vt euangelizaret, quàm euãgelizare vt mãducaret, nequid* tam ex caritate quàm ex ambitione id facere, nec tam quæ Chriſti ſunt quàm quæ ſua quærere. Si ergo ipſe ne turpem incurreret ſuſpitionem debita quoque ſuſcipere de tanto lucro animarũ erubuit, quanta eſt impudentia noſtra, qui nõ deprecatione vel conuerſione hominum victũ ſuſcipimus, ſi de adulatione potẽtũ ipſum qualibet arte poſſumus extorquemus. Qui etiam nonnunquam in tantam prorumpimus ignominiam, vt filacteria noſtra dilatantes, & interdum caſſas cum reliquijs ſanctorum circumferentes venali prædicatione mundo diſcurramus: & nonnumquam pſeudo prædicatoribus conductis, quæ veritate non poſſumus mendacijs lucramur. quod ſi quandoque ſub obtentu eleemoſynæ aliqua largimur, ad hoc vtique intendimus, vt maiora recipiamus: & quaſi modicam eſcam in hamo ponimus, vt ſic magnum piſcem extrahamus, nec tam alij quàm nobis beneficia impendimus, nec tam alij quàm nobis caritatem exhibemus, ſi fortè in talibus vel beneficium, vel caritas dici queat. Seneca quippe maximus morum ædificator beneficium, & B. Grego-

*f. neque

Digitized by Google

rius caritatem nonniſi erga alteros haberi aſſerunt. Ille quidem in ſuprà memorato de beneficijs libro ſic meminit: Nemo ſibi beneficium dat, ſed naturæ ſuæ paret à qua ad caritatem ſui compoſitus eſt, nec liberalis eſt qui ſibi donat. Beneficium eſt, quod quidem non ſua cauſa dat, ſed eius cui dat. Is autem qui ſibi beneficiũ dat, ſua cauſa dat: nõ eſt ergo beneficium. Hieronymus, Binos, inquit, in prædicatione diſcipulos mittit. Quia enim duo ſunt præcepta caritatis, Dei v. amor & proximi, & minus quàm inter duos haberi non poteſt. Nemo enim propriè ad ſemetipſum habere caritatem dicitur, ſed in alterum dilectione ſe extẽdit, vt eſſe caritas poſſit. Binos ad prædicandum Dominus diſcipulos mittit, quatinus hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum nõ habet, prædicationis officium ſuſcipere nullatenus debet.

CVM ergo id non pro lucro animarum, ſed nummorum geritur, iuxta quod per Hieremiam Dominus conqueritur, dicens: *Sacerdotes mei non dixerunt, vbi eſt Dominus.* Ac ſi diceret, ſed vbi eſt nummus? non tam id beneficium quàm lucrum, non tam caritas quàm cupiditas eſt appellãdum. A quo quidem turpi quæſtu memoratus Apoſtolus tam proprio quàm Dominico exẽplo nos vehementer dehortans, & impudentiam noſtram reprimens, Luca in Actibus Apoſtolorum referente ait: *Argentũ, & aurum, aut veſtem nullius concupiui, ipſi ſcitis, quoniam ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare quàm accipere.* In quantum autem ad dandum magis quàm ad accipiendũ Chriſtus manum extenſam haberet, ipſe patẽter inſinuat, cùm diuiti de perfectione iuſtitiæ conſulenti reſpondit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* Nõ vtique ait, veni, & affer quæ habes ad nos, ſed alijs pri⁹ eroga tua, & ſic poſt modũ ſuſcipe noſtra. Nos verò ecõtrario quẽlibet ad cõuerſionẽ veniẽtem, non tam lucrũ animæ quàm pecuniæ quærentes, vt quę habet afferat exhortamur, nec tam ei noſtra largimur quàm vẽdimus. In quo ei profectò nõ mediocrem tentationis occaſionẽ da⁹. Facile quippe de his quæ attulit intumeſcẽs, cũ quid ei defuerit indignatur & murmurat; & ſe miſerũ ac proditũ clamat, cùm ſe his coequari viderit, qui minus, aut omninò nihil attulerint. Has igitur omnes occaſiones Chriſt⁹ amputãs, nudũ magis quàm ſuffarcinatũ decreuit aſſumere. qui enim diſcipulis pręceperat, *Gratis accepiſtis, gratis date*, hoc in ſe ipſo primũ voluit exhibere non tam

Digitized by

verbo ſuo quàm exemplo nos ad hoc cupiēs incitare. Qui enim proter Deū relinquit propria, impudēter exigit aliena. Ac longè melius vel honeſtius eſſet ei ſua retinuiſſe, vt haberet de proprio fructum eleemoſynæ, quàm ad aliena mendicantem famæ ſuæ detrimentum incurrere, & non mediocriter religionis propoſitæ dignitatem lædere. Qui dum marſupia hauriunt aliena, ea proculdubio congregant, quæ religioni maximè ſint contraria, & iuxta Dominicam parabolam ſpinas plantant meſſem Domini ſuffocaturas. Quid enim tam congruum religioni, quàm frugalitas, j. voluntaria paupertas? Quid tam noxium quàm abundatia rerum? Vnde & Philoſophi Gentium nequaquam virtutes cum diuitijs retineri cenſuerunt. Quorum vnus, vt ceteros omittam, ille fuit, quem de contempu mundi nobis exemplum prædicto contra Iouinianum libro Hieronymus proponens, ait: Crates ille Thebanus proiecto in mare non paruo auri pondere, Abite, inquit, peſſum malæ cupiditates. Ego vos mergam ne ipſe mergar à vobis. Item ad Paulinum Preſbyterum: Socrates ille Thebanus homo quondam ditiſſimus, cùm ad Philoſophiam Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit; nec putauit ſe poſſe & virtutes ſimul & diuitias poſſidere. Nos ſuffarcinati auro Chriſtum ſequimur pauperem, & ſub prætextu eleemoſynæ priſtinis opibus incubantes, quomodo poſſumus aliena fideliter diſtribuere, qui noſtra timidi reſeruamus? Idem ad Pammachium de morte Paulinæ: Non eſt profecto & conſummato viro opes contemnere, pecuniam diſſipare, & proijcere quod in momento & perdi & inueniri poteſt. Fecit hoc Socrates Thebanus, fecit Antiſthenes, fecerunt plurimi, quos vitioſiſſimos legimus. Plus debet Chriſti diſcipul⁹ præſtare, quàm mundi Philoſophus. Chriſtus ſanctificatio eſt. Chriſtus redēptio, idem redemptor & precium. Chriſtus omnia, vt qui omnia propter Chriſtum dimiſerit, vnū iuueniat pro omnibus, vt poſſit liberè proclamare, *Pars mea Dominus.* Sunt & qui de Monaſterijs ad ſeculum prodeuntes, intantum ſibi religionis nomen vendicant, & mirabiles videri appetunt, vt miraculorum quoque gratiam ſe habere ſimulent, atque id de ſe prædicari glorientur. Quales nonnullos temporibus noſtris vidimus, qui frequentiam hominum quàm maximè fugere debuerant, hac potiſſimum arte conuocabant. Denique & in tantum hac ſimulatione gratiam potentum vel fauorem Eccleſiaſticarum poteſtatum venantur, vt relicto propoſito Monachi ſecularibus Cle-

Digitized by Google

ricis præficiantur Epiſcopi. Quod quidem cùm ad religionem non adducant, in ſecularitatem eorum facilè declinant, & ex eorum miſera conuerſatione, & religioſorum fratrum ſeparatione notum illud Pſalmiſtæ prouerbium vel non attendunt, vel contemnunt, *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruertêris.* De qua quidem eorum ſublimatione, ad quam non tam ab alijs tracti, quàm à ſe ipſis ſunt intruſi, illud non incongruè accipitur, quod ad Deum dicitur: *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Certum quippe eſt ſpiritales viros de Monaſterij quiete ad Pontificalem adminiſtrationem compulſos, ab illa quam habuerant virtutum gratia per tot occupationem curarum eſſe diminutos, ſicut de ſemetipſo ſ. profitetur Martinus, & B. Gregorius deplorat.

Si ergo viri tanti hoc ſine detrimento priſtinarum virtutum ad Martham tranſire de Maria non potuerunt; quid de his quos diximus reſtat æſtimandum? Steriles, inquiunt, ſunt Monachi, & ſpiritalium filiorum beatior fœcunditas. Sed nunquid nuptiæ præferendæ ſunt continentiæ, aut habentes filios coniugatæ ſunt virginibus anteferendæ? Numquid lippæ fœcunditas Liæ pulchritudine Rachel infœcundæ gratior extitit Patriarchæ? Denique iſta fœcunditati ſororis inuidens, cùm in hac quoque reſummum deſiderium ſuum impleſſet ipſo ſuo partu extincta eſt, & quæ infœcunda vixerat incolumis, de fœcunditate ſua mortem incurrit. Tales profectò iſti ſunt, qui ad Epiſcopatum anhelantes, cùm de Monaſterijs reuocantur ad ſeculum, & quaſi de ſterilibus fœcundi, vt dictum eſt, fieri gloriãtur, ex hac ipſa gloria dignitatis periculum incurrunt religionis. Quod diligenter Sponſa in Canticis attendens, ſpõſo ad eius oſtium pulſanti, vt ſibi aperiatur poſtulanti, ne ipſum hoc conſentiat, talibus ſe reſpõſis excuſat: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quid enim ſponſa in lectulo quieſcẽs intelligitur, niſi fidelis anima, quæ relicta ſeculi tumultuoſa vita tranquilitatem ſolitariæ tantò amplius diligit, quantò in ea liberiùs Deo deſeruit? Quam cùm fidelis populus ad regimen ſui requirit, vt .v. ipſa Eccleſiaſticis implicetur negotijs, quaſi ad oſtium Cellæ ipſius Chriſtus pulſat in membris ſuis, & vt ſibi aperiatur poſtulat; hoc eſt, vt fideles ad ſe admittat potiùs quàm excludat, eiſque præeſſe ſuſtineat, & multorum ſalutem ſuæ perfectioni præponat. At illa ſeculi tentationes præcauens, vel meritorum ſuorum diminutionem non ferens, deuotioni pulſantium tale in excuſationem ſui affert reſponſum,

Digitized by

Exui me tunica mea, hoc est exteriorem seculi curam ex voto reliqui. Tunica quippe, quæ camisiæ vel pelliciæ superponitur, exterior est administratio secularium rerum. Laui pedes meos, hoc est affectus ab inquinamentis secularium tentationum mundaui, & ab illecebris mundanarum curarum purgaui. Pedibus quippe ducimur, & affectu nostro ad effectum operis trahimur, ideóque per pedes affectus exprimuntur. De lectulo ad terram pedes deponere timet ne inquinentur, quia nunquam verã munditiam reputat extra secretum suæ quietis. Vnde & Apostolorum quoque pedes Dominus abluens patenter innuit, nequaquam sine aliquo contagio pulueris perfectos etiam viros mundum perambulare posse. Hoc est, nequaquam diu inter tentationes atque illecebras seculi conuersari, vt non indè aliqua macula nostræ infirmitatis effectus respergantur, etsi non vsque ad opera tentatio pertrahat.

Prolixa, fratres, imò superflua digressione sermonem nostrum fortasse videor protendisse, & ab exordio nostri propositi longiùs recessisse. Laudare Ioannem incœperam, sicut hodiernæ sollemnitatis dignitas exigebat, & nunc inde ad vituperationem nostram stilum conuerti, quasi eorum vitium incurrens, qui Tulliana reprehensione digni laudare aliquos nesciũt, nisi alios redarguant; nec vllos extollere, nisi alios deprimant. Sed quia sermo noster hodiernus non tam ad Ioannis laudem quàm ad nostram intenditur ædificationem: (non enim quæ scribuntur ad vtilitatem præcedentium hominum, sed subsequentium ædificationem fiunt) ita vitam Ioannis tanquã Principis nostri commendare cœpimus, vt ad imitationem eius nos maximè prouocaremus. Quod quidem nequaquam diligenter fieri decreuimus, nisi priùs exposita perfectione ipsius, quid nostræ quoque imperfectioni desit ex comparatione illius annotaremus, & cum profectu eius defectum etiam nostrum præ oculis poneremus, & eorum quæ in ipso laudauimus, contraria in nobis reprehenderemus. Ecce enim à solitudine Monachi vocamur, id est solitarij. Etsi enim monos, vnus interpretatur, non tamen Monachus ita vnus personaliter dicitur, sicut etiam quilibet de plebe, sed ex solitariæ vitæ conuersatione. Vnde & Augustin. in Psal. cxxxii. Ex voce huius Psalmi appellati sunt & Monachi. Quare ergo & nõ appellamus Monachos, cùm dicat Psal. *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.* Monos enim vnus dicitur, & non vnus quocumque modo. Nam &

vnus in turba eſt,ſed cum multis vnus dici monos non poteſt,id eſt ſolus. Qui ergo ſic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, *vt ſit illis*, verè,quomodo ſcriptum eſt, *vna anima, & vnũ cor*, rectè dicitur monos, id eſt vnus ſolus. Hinc & Hieronym. ad Heliodor. Monachum. Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt nomen tuum. Quid facis in turba, qui ſolus es? Et poſt aliqua: O heremus familiariùs Deo gaudens! Quid agis frater in ſeculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbræ premunt,quamdiu te famoſarum vrbium carcer includit? Et ad Paulinum Preſbyterum. Quia igitur, frater, me interrogas per quam viam incedere debeas, reuelata tecum facie loquar. Si officium vis exercere Preſbyterij, ſi Epiſcopatus te vel opus vel onus fortè delectat, viue & vrbibus & caſtellis, & aliorum ſalutem fac lucrum animæ tuæ: ſin autem cupis eſſe quod diceris Monachus, id eſt ſolus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum? Et ad Ruſticum Monachum: Filij Ionadab, qui vinum & ſiceram non bibebant in tentorijs,& quò nox compulerat ſedes habebant, ſcribuntur in Pſalmo, quòd primi captiuitatem ſuſtinuerint, quia exercitu Chaldæorum vaſtãte Iudæam vrbes introire compulſi ſunt. Viderint quid alij ſentiant. Vnuſquiſque enim ſuo ſenſu ducitur. Mihi oppidum carcer, & ſolitudo Paradiſus eſt. Quid deſideramus vrbium frequentiã,qui de ſingularitate cenſemur? Moyſes vt præeſſet populo Iudæorum, XL. annis eruditur in heremo. Paſtor ouium, hominum factus eſt paſtor. Et attende hanc Epiſtolam Hieronymi ad Monachum ſcriptam non tam ex nomine Monachi quàm Preſbyteri,intitulatam eſſe. Cenſuit quippe Doctor diſcretiſſimus, eum qui nondum ad ſolitudinem tranſierat, Preſbyterum magis quàm Monachum eſſe vocandum.

QVID autem de his dicendum eſt Monachis,qui non ſolum vrbes,aut ſecularium habitacula non fugiunt,ſed etiam aſciſcũt. Quem quidem Ioannes tanto ampliori deſiderio eſt amplexus, quanto in ea prouidit Deo deſeruire perfectiùs. Vnde benè in eius laude meminimus à Domino præmiſſum eſſe: *Cui dedi in ſolitudine domum.* Semel à ſeculo receſſit ad heremum, nulla deinceps pietatis occaſione, vel indigentiæ neceſſitudine reuocatus ad ſeculum, donec ab Herode tractus ad carcerem, lilio virginitatis roſam martyrij copulauit. Qui cùm tantus videretur, vt Chriſtus credi poſſet,& ſummo deſiderio ab omnibus requireretur in heremo, multa facile in ciuitatibus poſſet corrigere,

&

& ſecularibus hominibus perſuadere, ſi aliqua ratione ſibi congruum iudicaret ad ſeculum redire. Quis etiam neſciat eo tempore, quo patri ſuccedere in Epiſcopatu habebat, iam in Iſrael cæcitate facta, quantum locum in hac dignitate religio eius haberet, quàm conuenientiùs eum quàm Annam & Caipham Põtificari oporteret, ſi ad humanum iudicium magis, quàm ad diuinam diſpenſationem reſpiciamus? Eo tamen tempore, quo Pontificandi maiorem nactus opinionem videtur fuiſſe, Monachatum Pontificatui præpoſuit, & lucro aliorum proprium melioris vitæ meritum prætulit. Semel itaque recedens à ſeculo, immobilis perſtitit in heremo, & cùm omnes ad eum de Hieroſolymis & de Iudæa, vel de regione circa Iordanem cauſa baptiſmatis vel ædificationis exirent, ipſe ad neminem intrabat, & qui ſemel vincula ruperat, nodare poſtmodum nullatenus adquieſcebat. Qui quantò ampliùs homines fugiebat, eiſque rarior apparebat, tanto carior omnibus maiori deſiderio requirebatur. Ad quem & Dominus ipſe cum populo exire non dedignatus ab ipſo vnà cũ eis eſt baptizatus, ſicut & Lucas meminit, dicens: *Factum eſt, cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato, &c.* Ad ſeruum Dominus, ad Monachum ſummus Pontifex venit, vt ab eo baptiſmum ſuſciperet, ab eo teſtimoniũ haberet, ſicut & alius Euangeliſta cõmemorat: *Vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, &c.* Nec ſemel, ſed ſæpiùs ad eum veniebat Dominus, cùm eum ad Dominum numquam veniſſe legamus. Mittere pro eo Dominus poſſet, vt ad ſe baptizandũ veniret, aut vt ei Apoſtolatus officiũ ſicut cæteris iniungeret, ſi hoc congruum iudicaret. Sed profectò quem nihil latebat, id nouerat nequaquã propoſito tãtæ vitæ vt ad ſeculum reuocaretur conuenire, & ſic eum facile vileſcere, nec teſtimonium eius tãtã vlteriùs auctoritatem habere. Qui enim partẽ Mariæ parti prætulerat Marthæ, nequaquã excellentiæ Ioannis congruere cenſebat, vt eum de quiete Mariæ ad laborẽ venire compelleret Marthæ. Sciebat & quid ipſe ſub perſona ſponſi de ſponſa præceperat olim: *Ne ſuſcitetis*, inquit, *neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Qui enim, vt ſuprà meminimus, debitum ſibi reliquerat Pontificatum, nequaquam ſponte ſuſciperet Apoſtolatum. Et qui conuerſari non ſuſtinuit in ciuitate, multò minus adquieſceret per mundum diſcurrere.

MONACHVS, fratres, ſeu heremita, nomen eſt religionis. Epiſcopus autem ſiue Clericus vocabulum eſt officij & operis, magis

quàm deuotionis. Vnde Apoſtolus: *Qui Epiſcopatum, inquit, deſiderat, bonum opus deſiderat.* Idem alibi de ſeipſo & cõſimilibus ait: *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores, &c.* Non apud Dominum domus eiuſdem gradus ſunt ſponſa eius in ſecreto thalami manens, & miniſter exterioribus intendens, quãuis & de ſponſa ipſa nonnullam prouidentiam & curã gerat. Sic & in Eccleſia Dei Clericorum vel Epiſcoporum occupatio laborioſa nequaquam quieti Monaſticæ contemplationis eſt coæquanda: quantum, inquam, ad meriti pertinet quantitatem, non Eccleſiaſticam dignitatem. Vnde & plerumq; videmus non ſolum Clericos, verumetiam Epiſcopos pro emendatione vitæ ad humilitatem Monachorum deſcendere, habitu pariter cum vita mutato. Monachos autem ad officia Clericorum aſcire non ſolet Eccleſia præſumere, niſi tantum ad ſummũ ſacerdotij gradum: & hoc vt diximus, non ſine aliquo religionis detrimento. Quòd cùm euenerit, nequaquã is, qui Epiſcopus factus eſt, quãuis religionem minuat, habitũ tamen religionis non mutat. Ad quam quidem religionem cùm filij quoque ſacerdotũ tranſeũt, qui de adulterio parentum tantam infamiæ labem trahunt, vt nec tonſuram Eccleſiaſticam ſuſcipere permittantur, poſtquam Monachi fuerint, tota illa labes ſanctitatis lauacro deletur, vt deinceps per ſingulos Eccleſiaſticorum ordinũ gradus vſque ad Epiſcopalem conſcendant altitudinem. Quantum deniq; Monachi Clericis præmineant in meritis, ipſa Eccleſiaſtica conſuetudo teſtatur, cùm videlicet in ſupplicatione letaniæ dicatur ab omnibus: Omnes ſancti Monachi & heremitæ orate pro nobis. A nullis autem dici præſumitur, omnes ſancti Clerici, vel Epiſcopi, ſeu Canonici, orate pro nobis. Horum quippe nomina ſeu vita non ita vt illorum ſanctitate præminent.

Si igitur ſic eſt, imò quia ſic eſt, vt videlicet vita Monaſtica ſanctitate præmineat Epiſcopali adminiſtrationi, ſicut econuerſo iſta illi præminet dignitate prælationis, nemo profecto eſt plus ſanctitatem quàm dignitatem appetens, qui hanc derelinquere, vel minuere propter illam velit. Sed fortaſſis inquies, quia hoc inuiti Monachi onus ſuſcipiunt, conſtricti videlicet obedientia prælatorum, & maximè pro lucro aliorum ſuæ religionis tolerant diſpẽdium, eligẽtes magis mediocre meritum cum multis habere commune, quàm magnum habere ſingulare. Atque vtinam ita ſit, vt inuiti ſ. trahantur, & hac ſaltem intẽtione qua diximus, de Monachis fiant Epiſcopi pro ſalute ſ. aliorum;

Digitized by Google

ſicut econuerſo, vt dictum eſt, de Epiſcopis nonnunquam Monachi fiunt, qui propriæ ſtudent ſaluti. Sed profectò ſicut credibile eſt eos, qui ſponte de diuitijs ad paupertatem trãſeunt, cauſa religionis id facere; ita veriſimile iudicatur, ſi è conuerſo fiat, ambitionis cauſa maximè peragi. Quod quidem qua intentione cœperint, vita ſequens indicat; cùm videlicet remiſſiùs ac molliùs viuant Epiſcopi, quàm fecerant Monachi, & delicatiùs ſe tã in cibis quàm in veſtimentis gerant. Quod qui non faciat, neminem videmus, & ſi quis hoc non fecerit, vt videlicet delicijs affluat, nec eas ſentiat, ſupra hominem eum æſtimamus: & forti animo ſe prædicant eſſe, qui ea quæ religioni maximè aduerſantur, & quæ alij pro religione dimittunt, cum religione poſſidere confidunt. Nec quicumque tales ſunt, à tentatione Dei recedere videntur. Quid enim eſt aliud tentare Deum, quàm ſponte periculo ingerere quod poſſit vitare? Verbi gratia, Si quis flammis ſe inijciat, confidens ſe indè diuina liberari virtute. A quo tamen periculo ſibi cauere poteſt abſque animæ ſuæ detrimento, id vtique eſt Deum tentare. Quid autem diuitiæ, vel ſeculi ſunt illecebræ, niſi quædam flammæ vel incentiua vitiorum, quę deſiderijs carnalibus animam æſtuare compellunt?

QVOD ſi fortè reſpondeas, te ad hoc onus per obedientiam cogi, vel nec vllatenus te id poſſe recuſare ſine dãno animæ tuæ; non facile tibi à quoquam credendum arbitror. Sed cum obedientiæ actionem opponis, illud omnes de te prouerbium ſuſurrare ſcias: Satis catus nouit cuius barbam lambit. Et certè cùm quis Epiſcopus vel Abbas ſub nomine obedientiæ Monachum ad Epiſcopandum inuitat, non vtique diffidit ab impetratione ſuæ iuſſionis, etiam quando illum cùm hoc iniungit reluctari videt in verbis, & ſeipſum tanquam indignũ accuſare, & nonnunquam qualeſcumque lacrimas fundere. Ita quippe naturaliter omnibus honoris ambitio inſita eſt, vt cùm quis ad eum peruenerit, quo ſe ante indignum cenſebat, modis omnibus ſibi vẽdicare ac defendere contendit, & cùm accuſatur vt dignus depoſitione videatur, quantumcumque poteſt excuſare ſe nititur, vt honorẽ ſuſceptũ retineat, quẽ antequã ſuſciperet eo ſe indignũ cenſebat. Ex quo liquidũ eſt excuſationẽ illã ſimulatoriã magis quàm verã fuiſſe, & ſe amore magis quàm coactione in hac prælatione præſidere. Notũ quippe omnib⁹ prouerbiũ eſt, Quæ ſine amore poſſidẽtur, ſine dolore amittũtur. Sed inquies, illud mihi B. Auguſt. obijciens: Qui famã ſuã negligit crudelis eſt. Addes

Digitized by Google

etiam hoc plurimã afferre pernicie, ſi fictis criminibus mali bonos deijciant, & prævaleat iniquitas ſanctitati. Sed ab hoc quidem periculo, & famæ detrimento, eum qui vi ad Epiſcopatum tractus eſt, facile ſibi eſt prouidere; & quod cũ amore non poſſidet, cum honore dimittere, nec vt ſibi tollatur expectare. Si enim de ſuſcepta prælatione debitam prælatis reuerentiam aut ſubditis curam nolit impendere, & hoc exhibere modo quod reuera inuitus tolleret onus, tam famæ ſuæ quàm animæ pariter conſulere poterit. Quòd ſi de ſanctitate ſua confidens æſtimet ſe ad hanc adminiſtrationẽ melius quàm cęteros poſſe ſufficere. Et hoc vtique ſuperbiſſimum eſt, & in illam Heliæ præſumptionem incidere, quo dicebat. *Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.* Sed quid, inquit Apoſtolus, dicit ei diuinum reſponſum? *Reliqui mihi ſeptem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ factæ ſunt ſaluæ, &c.*

Si ergo Propheta tantus vnum ſe cæteris præferens, de hoc ſuæ præſumptionis temerario iudicio à Domino correptus eſt; quis noſtrum nullã Prophetiæ gratiam adeptus ſe alijs melioré æſtimare audeat, maximè cùm id iuxta Regulam B. Benedicti à propoſito Monaſticæ Religionis ſit remotiſſimũ? Vnde illud eſt in præfata Regula cap. VII. vbi de gradibus humilitatis Monachum inſtruẽs, ait: Septimus humilitatis gradus eſt, ſi omnibus ſe inferiorem & viliorem non ſolùm ſua lingua pronuntiet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, humilians ſe, & dicens cum Propheta, *Ego autem ſum vermis, &c.* Qualiter autem quiſlibet de congregatione aſſumptus inferiorem alijs ſe æſtimare poteſt, & aſſentire eo loco ſe poni, quo melior ſe dignus ſit. Aut quidem pernicioſus eſt, alios ſe inferiores æſtimare, & non audire Apoſtolum dicentem, *Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum?* Maximè cùm & iuxta Bedam quæ dubia ſunt in meliorẽ partẽ debeamus interpretari. Quod Apoſtolus quoque attendens, cùm præmiſiſſet, *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruũ? ſuo Domino ſtat, aut cadit.* adjecit, *Stabit autem,* in meliorem .v. partem dubium conuertẽs. Quid deniq; periculoſius, & in ſuperbiã pronius, quàm alios inferiores ſe attẽdere, etiãſi inferiores & impares meritis videãtur? Vnde & Phariſæus Publicanũ reſpiciens ſtatim intumuit, & ex comparatione minoris magnum ſe æſtimans, quæ habuerat merita perdidit; ſic econuerſo Phariſæus de comparatione illius

Digitized by Google

tanquam maioris per humilitatẽ excreuit in meritis. Nihil quippe ad ſuperbiam ita nos trahit, ſicut inferiores reſpicere, & quæ illis bona deſunt in illis attendere. Nihil ita proficit ad obtinẽdam vel conſeruandam humilitatem, quemadmodum eos intueri, qui nos præcedunt in meritis, vt ſciamus quid deſit nobis, non quid deſit alijs. Quod diligenter Apoſtolus conſiderans, Philippenſibus ſcribens, ait: *Fratres, ego me nondum arbitror comprehendiſſe. Vnum autem quæ quidẽ retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extẽdens meipſum, ad deſtinatũ proſequor brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Quod ergo Dominus ad reprimẽdã ſuperbiam cõſilium dederat, proponẽs nobis Phariſæi & Publicani parabolã, ad hoc poſtmodũ Apoſt. proprio incitauit exẽplo, dicens ſe nõdũ arbitrari ſe cõprehendiſſe id ad quod tẽdit. Hoc eſt, nõdum ſe illi⁹ eſſe meriti quod deſiderat adipiſci. Quod quidem vt obtineat, qualiter id poſſit, diligẽter aperit, dicẽs ſe in hoc vno occupari, vt quæ retro ſunt obliuiſcatur, & ad ea quæ ante ſunt extẽdat ſe, hoc eſt hanc in operib. vel meritis hominum rationem habeat, vt quæ dignitate priora ſunt ad exemplum imitationis aſpiciat, non quæ poſteriora ſunt reſpiciat. Nemo quippe, vt ipſe Dominus ait, *mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, quia quiſquis ad bona opera feſtinat, ſi deteriores reſpiciat ſe, & non meliores attendat, regni cæleſtis aditum ſibi claudit, quia de comparatione minorum in ſuis meritis amplius confidit, ſicuti Phariſæus ille, qui cùm Abraham & ſuperiores in meritis Patres aſpicere debuiſſet, publicanũ reſpexit, quem inferiorem meritis çſtimauit. Ita fratres, cùm quis de cœtu Monachorum ad Epiſcopatum aſſumptus ſe ceteris tanquam inferioribus comparat, quibus ſe ad hãc adminiſtrationẽ digniorẽ æſtimat, mirãdũ, valdeq; mirãdũ eſt, ſi de ſua electione ceteris reprobatis in elationẽ nõ incidat. Vt enim rhetoricę cõplexionis argumẽtatione vtar, quam cornutũ ſyllogeſmũ Hieron. vocat, profectò aut meliorem ſe ceteris, & ad hoc digniorem æſtimat, aut non æſtimat. Si æſtimat, quo magis ab humilitate Monachi recedit, tãtò deteriùs in elationem cadit, & eo ipſo quo ſe meliorem credit, deteriorẽ efficit. Si non æſtimat, ſe v. ceteris ad hoc eſſe meliorem, ſed vel æqualem alijs vel inferiorem, profectò nonnullum & in hoc periculũ occurrit. Si enim æqualẽ alijs, excidit à ſuprapoſito Regulæ Ca. quo præcipitur ad humilitatis cuſtodiam, vt ſe ceteris inferiorem non ſolum pronunciet voce, verumetiam teneat in corde. Sin autem deteriorem vt oportet ſe æſtimat,

Digitized by Google

quãta ſit præſumptio videat locum occupare melioris,& per ambitionem ſacrilegium rapinæ committere. Denique cùm Apoſtolus diligenter Epiſcopum deſcribens,dicat: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,vnius vxoris virum,doctorem, nõ cupidum, ſuæ domui benè præpoſitum,filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.Si quis autẽ domui ſuæ præeſſe neſcit,quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt,vt non in opprobrium incidat,&c.*

MVLTA in deſcriptione illius,qui Epiſcopali dignus ſit electione,cura diligenti collegit,ex quibus pauca in hunc locum contulimus,ſed ea quæ ſufficere credimus his in excuſationem ſui prætendere,qui ſe inuitos ad Epiſcopatũ trahi profitẽtur.Si enim dixerint his,à quibus trahuntur,ſe Apoſtolicam ſuper hoc ſententiã velle audire,& qualem eligi oporteat Epiſcopum ab ipſo cognoſcere,cùm recitata ex integro fuerit ab Apoſtolo prolata deſcriptio: nulla ni fallor reperiet,quibus ſe rationabiliter poterit excuſare,quo magis Apoſtolum,imò ſpiritũ Dei in eo loquentẽ,quàm coactionem hominum ſequi debeat.quid eſt enim quod ſtatim in ipſa fronte deſcriptionis præmiſit *irreprehenſibilem*? Quis de ſalute ſua ſollicitus hoc audito ſtatim pedem non retrahat, & non magis illud alterius Apoſtoli dictum attendat,*in multis enim offendimus omnes*?quanto etiam diligentiùs illud eſt attendend ũ, quod ſecundo loco adiecit,*vnius vxoris virum*, & poſt modum rationẽ ſuppoſuit,dicens,*habentem filios ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ,&c.* Conſulens quippe probatas in ſeculo perſonas de minoribus ad maiora transferri iuxta illud Dominicũ, qui fidelis erit in minimo,fidelis erit &in maiore, hoc potiſſimũ præbet conſilium,vt qui in matrimonio poſiti fuerant,& circa domeſticam curam bene ſe geſſiſſe probati ſunt,quaſi ſpiritalem vxorẽ ducant,& Dominicæ domus curam ſuſcipiant.Quod & ipſe Dominus proprio declarauit exemplo,cùm x i i. Apoſtolos congregans,quorum Epiſcopi locum obtinent, nullos aut paucos niſi cõiugatos aſſumpſit.Et quamuis Ioannem virginem magis quàm Petrum copulam nuptiarum expertum,& domui ſuæ diu præpoſitum dilexerit, non tamẽ illum ſicut iſtum Principẽ Apoſtolorũ conſtituit.Quo ergo quiſque de monaſtico cætu aſſumptus circa curam vxoris & domeſticorum minus probat° eſt,magis ad Epiſcopatum accedere trepidet.Qui etiam doctoris officium quanto minus eſt expertus, iuxta illud Hierony. Monachus non doctoris,ſed plangentis officium habet,qui ſe & mundũ lugeat,& Do-

Digitized by Google

mini pauidus præſtoletur aduentum tãto magis ignorat quid populũ doceat, qui à populo iam toto tẽpore ſequeſtratus vixit. Denique quod ait Apoſtolus, quia oportet eũ habere bonũ teſtimonium, & ab his qui foris ſunt, attẽdat is qui electus eſt de ſubiectione ad prælationem, de paupertate ad abundãtiã tranſlatus, quàm difficile ſit eũ bonũ teſtimonium retinere, vbi de ambitione maior quàm de religione ſurrepit opinio. Nemo autẽ mihi obijciat quod in antiquis temporibus multis de Monaſtica religione ad Epiſcopatũ tractis per eos Eccleſia in magnã fidelium meſſem & virtutũ copiã excreuerit. Scimus & nos iſta, nec negamus cognita. Sed edocti de proximo tempora diſcernimus, & cum præteritis præſentia conferentes reperimus officiũ Epiſcopi tantò nunc laudabilius & ſalubrius reſpui, quanto laudabilius & ſalubrius olim ſuſcipiebatur. Tunc honorabile nomẽ Epiſcopi, & ſalubre officiũ fuit: cùm Epiſcopi non tã honorem quàm onus ſuſciperent, nullis adhuc opibus Eccleſia ditata, ſed aſſiduis tribulationibus afflicta, quando in eam perſecutione ſæuiente eos primùm aut plurimùm infideles perſequerentur, quos in capite nouerant conſtitutos. Nunc autẽ Eccleſia corporalem pacem adepta, ſicut in primo de ciuitate Dei B. meminit Auguſt. lõgè grauiores expreſſiones à vitijs intus ſuſtinemus, quàm tũc externis ab hoſtibus. Nunc enim libertate peſſima crapulæ & ebrietati, & omni luxui vacantes, interfectores noſtrarũ efficimur animarum, ſicut illi antea corporũ, & ciuilibus quibuſdã & inteſtinis bellis perit Eccleſia, ſicut olim deſtructa eſt Roma. Tãquã enim ad dignitatẽ Epiſcopi pertineat ita in diuitijs abundare, ſicut in prælatione perire, nõ aliter ſe dignè cenſent Epiſcopari, niſi ſplendidiùs & accuratius viuant, & obliti cibarium panem, quo antea veſcebãtur, corde in Ægyptum reuertentes de heremo, ollis carnium impudẽter incũbant. Qui cùm de Apoſtolica dignitate gloriẽtur, pauperem eorum vitã & frugalitatẽ beatã omnino refugiunt, quã Dominus ipſis in fundamento conſtituens, ait: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ.* Quibus quidem verbis patenter oſtendit, non per honorẽ prælationis, ſed per onus voluntariæ paupertatis cœlos promereri.

QVANTA ſit autẽ impudentia tales Epiſcopos de Monachis factos habitũ Monachi retinere, & nõ Monaſticè viuere, imò ſuæ profeſſioni contraria prorſus agere, quis non videat quãta ſit impudentia? quis ignoret de talibus, vt verbis vtar Apoſtolicis, quia primã fidem irritam fecerunt, & quàm cõtrarij reperiãtur ſanctis Patrib. ſimiliter promotis? Nõ B. Martinus aſperitatem cilicij ſeu

Digitized by Google

cibi pro prælatione mutauit Episcopali. Quare in hoc officio non quæ sua essent, sed quæ Iesu Christi quærebat. Quis denique non miretur, quod hoc tempore soliti sunt præsumere, vt v. Romam pergentes cùm necessitas exegerit aliqua vt ad summum Pontificem vadant, ipsum quoque Monasticæ religionis habitum deponãt; quo liberius in via sub laicali habitu secularitervivere audeãt, & simulatione pessima se id esse quod sunt tam re quàm voce mẽtiantur. qui nec Clericatus signa retinentes comam pariter & barbam nutriunt, quo facilius intuentes fallant, atque tutius sub habitu lecatorum, lecaciter se gerant, vt tam à Monachi quàm Episcopi proposito apostatantes, nec Monachi meritum habeant, nec Episcopi reuerentiam seruent. Quos prædictus onager noster tãtò amplius accusat, quantò perfectius sine professione Monasticæ Religionis Monachum exhibuit, & Episcopali dignitati austeritatem huius vitæ pręposuit. Cui nec à Domino gratia miraculorũ est collata, quo magis frequentiam populi declinaret, cum ipse, sicut in Ioanne scriptum est, nullum fecerit signum. Quæ quidem gratia quantum quieti & humilitati Monachorum sit noxia, ille diligenter attendebat, quem Postumianus de peregrinatione sua scribens, in exemplum huius gratiæ non appetendæ, imò summopere nobis fugiendę ad mẽdium deduxit. Cuius sanctitas cum inter cetera in expellendis dæmonibus singularẽ gratiã esset adepta, & de hoc se inquietari, tam hominum frequentia, quàm vana gloria videret, rogauit Dominum, vt ipsis dæmonibus, quos expellebat, in seipsum potestatẽ daret, simulque his fieret v. mẽsibus, quos ab hac oppressione curabat. quod cũ impetrasset à Domino, correptus est à dæmone, tentus in vinculis, omnia illa quæ energumeni solẽt ferre perpessus. quinto demũ mense purgatus est, non tamen dæmone, sed quod illi erat vtilius atque optatius vanitate. Sed mihi, inquit Postunianus ista replicanti, nostra infelicitas, nostra occurrit infirmitas. Quis enim nostrũ est, quem si vnus hommuculus humilis salutauerit, aut fatuus, atq; adulãtibus verbis femina vna laudauerit, non cõtinuò elatus sit superbia, nõ statim inflatus sit vanitate? Aut etiam si non habeat conscientiam sanctitatis, tamen quia vel stultorum adulatione, aut fortassis erroris, sanctus esse dicatur, sanctissimum se putabit? Iam verò si ei munera crebra mittantur, Dei se magnificentia asserit honorari, cui dormienti atq; resoluto, necessaria conferantur. Quod si vel de modico ei aliqua virtutis signa succederẽt, Angelum se putaret. Cetertũ cum neque opere, neque virtute cõspicuus sit, si quis cleric⁹ fuerit

effectus,

Digitized by Google

effectus,dilatat continuo fimbrias ſuas,gaudet ſalutationibus,inflatur occurſionibus.Ipſe etiam vbique diſcurrit. Et qui ante pedibus aut aſello ire cõſueuerat,ſpumeo equo ſuperbus inuehitur. Parua prius ac vili cellula contentus habitare, erigit celſa laquearia,cõſtruit multa cõclauia,ſculpit oſtia, pingit armaria,veſtẽ reſpuit groſſiorem,indumentum molle deſiderat:atque hęc caris viduis, ac familiaribus mãdat tributa virginibus. Illa vt birrũ rigẽtem,hæc vt fluẽtem texat lacernam.Verũ hæc mordacius deſcribenda B.viro Hieronymo relinquamus.

QVID ad hæc illi dicturi ſunt,quos hoc tẽpore in tantũ vidim⁹ præſumere, vt de ſolitudine ad turbas procedẽtes, ſicut de ficto religionis nomine tumebãt,ita & de ſimulatione miraculorũ gratia videri mirabiles appetebãt?Omitto cõtact⁹ & benedictiones aquarũ,quas lãguidis in poculũ dirigebãt,vt ſic curarẽtur,cõtrectationes vel cõſignationes mẽbrorũ,vt dolores infirmãtiũ expellerẽt, eulogias in panibus fractas,& ad infirmos deſtinatas. Ad maiora veniã,& ſumma illa miracula de reſuſcitãdis quoque mortuis inaniter tẽtata. Quod quidem nuper præſumpſiſſe Nobertum,& coapoſtolum eius Farſitum mirati ſuimus,& riſimus.qui diu pariter in oratione coram populo proſtrati, & de ſua præſumptione fruſtrati,cùm à propoſito cõfuſi decidẽrẽt,obiurgare populũ impudẽter cœperunt,quòd deuotioni ſuæ & cõſtãti fidei infidelitas eorũ obſiſteret.O calliditas incautorũ ! ô excuſatio friuola inexcuſabiliũ! Aliquos aliquãdo in talib.decipere poſsũt,ſed iuxta Veritatis aſſertionẽ,nihil occultũ quod nõ reueletur,& iuxta Hieron. ſen tẽtiã,falſus rumor citò opprimitur.Nõ ignoramus aſtutias taliũ,qui cũ febricitãtes à lenib.morbis curare prẽſumũt,pluribus aliqua vel in cibo vel in potu tribuũt vt curent, vel benedictiones vel orationes faciunt.Hoc vtiq; cogitant,vt ſi quoquomodo curatio ſequatur,ſanctitati eorũ imputetur.Sin verò minimè infidelitati eorum vel deſperationi aſcribatur.Tale cõſiliũ quidã ſecularis aſtutus cuidam pauperculæ ſibi notæ fertur dediſſe.Cùm enim illa,vt dicitur,ad paupertatem nimiam deueniſſet, & à prædicto viro eleemoſynam poſtularet,miratus ille quòd eam mendicantem videret,quam antea nouerat abundantem, dedit ei tandem conſilium, vt ſe medicari ſcire ſimularet, & herbas quaſcumque colligeret, & ægrotantib.indè curationem præpararet,& hac arte ſibi victum quæreret. Addebat enim, dicens, quòd ſi alicui pro medicamine aliquid daret,& ſanitas quacũq; de cauſa indè aliquo curato ſequeretur, ille ſanatus hanc curationem eius me-

dicinæ deputans, multos exemplo ſui ad medicamenta illius inuitaret: & ſic in breui magnum ſibi nomen medicinæ adquireret. Quæ cum in aliquibus medicamentis ſuis efficaciam nõ haberet, morbo id imputaretur, quòd incurabilis eſſet, & contra mortẽ nihil medicamẽti vires poſſe. Quid plura? fallaci homini vt multos falleret adquieuit illa, & magna tandẽ in opinione hominũ de virtute medicamenti habita eſt. Sic iſti de miraculis præſumentes, ſicut illa de medicaminibus, quodã ſimulationis pallio ſe ornãtes, multarũ febriũcularũ curationẽ præſumunt, vt cùm in aliquibus quocũque caſu ſanitas conſequatur, hoc eis imputari poſſit. Cùm verò in aliquib⁹ defecerint, infirmæ fidei hominũ adſcribatur, qui digni non fuerant vt hæc beneficia ſuſciperent aut etiam viderẽt.

NONNVLLI quoque de nomine Religionis gloriantes, cùm gratiã miraculorũ aſſequi nõ valẽt, vt hinc maximè religio ipſorũ cõprobetur, hoc ad cõſolationẽ ſuam afferre ſolẽt, nõ iã hoc tempore, quo fides corroborata eſt, miracula ſic eſſe neceſſaria quomodo quõdã in primitiua Eccleſia. Ad quod etiã teſtimoniũ de Apoſtolo inducentes, dicũt: Linguæ in ſignum ſunt non fidelib⁹, ſed infidelibus, prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus. Sicut ergo cuilibet genera linguarũ collata ſubitò pro ſigno habentur apud infideles, & cum admiratione magna ab eis quaſi magnũ quid ſuſcipiuntur, vt his tanquam miraculis ad fidem moueãtur: ita & quęcumque miracula infidelib. potiùs quàm fidelibus neceſſaria dicũt. Ideòq; hoc tempore his, qui inter fideles cõuerſantur, hãc ſignorum gratiã nõ eſſe neceſſariam, qua illi fideles efficiãtur qui iã fideles ſunt. Sed profectò cũ fides ſine operibus mortua ſit, & ſeruus ſciens, & non faciens voluntatẽ Domini ſui multis vapulet plagis, nõ minus propter opera quàm propter fidẽ conferẽda, hoc etiam tempore neceſſaria videntur miracula. Sed nec adhuc infidelium tã hereticorum quàm Iudæorum ſiue Gentiliũ nobis copia deeſt. Ad quorum conuerſionem faciendam, vel oppugnationem reprimendam non minus miracula nunc quoque ſicut olim neceſſaria videntur. Sed quia non ſunt qui hãc promeruerint gratiam, nec tã ad ſalutem aliorum, quàm ad oſtẽtationẽ ſui quiſque eam deſiderat, iamque omnino fides illa perijt, de qua Saluator ait: *Si habueritis fidem ſicut granum ſi napis, dicetis huic mõti vt ſe transferat, & transferet*, ceſſantur penitus illa miraculorum beneficia, quæ prędictus onager, quãuis his indignus non eſſet, reſpuit, & qui digni non ſunt appetunt, & impudenter ſimulant. qui denique clamorẽ exactoris non audiens, & in montanis virentia quæ-

Digitized by Google

que perquirēs, quāto hæc ampliùs ad gloriā ſuā peregit, tantò hęc magis ad ignominiam noſtrā conuertit. Quis enim tā inſatiabilis vel importunus exactor, quomodo venter Monachorū vel potius Epicureorum porcorum, de qualibus quidem illud Horatianū,

Me quoque iam nitidum, bene curata cute, viſes,
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

Quilibet in ſeculo macilenti, cùm ad viuaria Monaſticorū clauſtrorum peruenerūt, ita in breui dilatati ac impinguati fiunt, vt ſi poſt modicū tēpus eos viſites, vix agnoſcere queas. Inter mille laicos, ſi paucos adhibeas Monachos, plures in eis pingues, plures nitidos, plures ex nimio calore inebriatos, ſæpius capitis caluos reperies.

IN VI. FERIA POST OCTAVAS NATIVIT.* DOM. SERMO XXXII.

*leg. videtur, Aſcenſionis, vt ex ipſius Sermonis lectione patet

TRES ſollemnitates in lege ſanctas nouimus, Paſchæ v. Pētecoſtes, atq; tabernaculorū, de quibus in Exodo ſcriptum eſt: *Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis, ſolemnitatem aſimorū, tempore mēſis nouorū, ſolemnitatē quoque in exitu anni, quādo congregaueris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne maſculinū tuū corā Domino* DEO. Hinc & in DEUTERON. ſcriptūm legimus: *Obſeruamenſem nouarum frugū, & verni primū tēporis, vt facias phaſe Domino, & celebrabis diē feſtum hebdomadarū Domino: ſollēnitatē quoq; tabernaculorū celebrabis per ſeptē dies, quādo collegeris de area & torcular fruges tuas.* Has tres ſollēnitates illos dies intelligim⁹, de quib. in primo Regū de Helchana dicitur: *Et aſcēdebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret & ſacrificaret* DOMINO *in Sylo.* Ex his autē trib. ſollēnitatib. ſub nominibus priſtinis, quāuis in diuerſa ſignificatione, apud nos quoque duę permanēt. Iudęi quippe Paſcha in immolatione agni figurati. ui agebāt, nos in reſurrectione veri agni Paſcha celebramus. Illi à die Paſchæ in Ægypto celebrati, primo die lege ſuſcepta, ſollēnitatem Pentecoſt. in veneratione legis ſuſceptæ ſecūdā habuerunt. Nos verò in aduentu Spiritus ſancti, quo tāquā digito Dei lex ſcripta eſt, & tā legis intelligētia quàm verborū Chriſti per eūdem ſpiritū Apoſtolis miniſtrata Pentecoſten recolimus. Feſtiuitatē autē tabernaculorū, quā his ſolis, qui de genere Iſrael sūt præceptā legis, Eccleſia Gentiū nō ſuſcepit. Quā quidē DOMINUS inſtituens, & Iſraelitico populo celebrādā cōmendās, in Leuit. ait: *Omnis qui de genere Iſrael eſt, manebit in tabernaculis, vt diſcāt poſteri veſtri quod in*

Digitized by Google

tabernaculis habitare fecerim filios Israel. Nulla autem occasio se nobis offert, qua festiuitatem tabernaculorũ Ecclesia Gẽtiũ retineret, præsertim cùm tabernacula peregrinantiũ sint, nõ in domib. suis cõmorãtiũ. quæ est autem domus vel patria nostra nisi cælestis illa, de qua dicit Apostolus: *Si dissoluatur domus ista terrestris, habemus in cælis domum non manufactam.* Prior itaque populus ille aduentum Domini præcedens, cui nondum cæli ianua patebat, tanquam in peregrinatione, non in patria fuit. Subsecuta verò Gentium Ecclesia, quę post passionem Domini iam à regno non differtur, & ad cælũ quotidie migrat, patriæ magis quàm peregrinationis sollemnitates celebrat, cùm futuræ vitæ gaudia in natalitijs Sanctorum frequentat: nec tam quòd terris nati sunt, quàm quod cœlo nascuntur, nostra iam deuotio curat. Domus itaque mãsionem magis quàm exilij peregrinationem celebrare nos conuenit, quibus cælestis iam patet felicitas in præmium constituta: cùm terrena tantùm prosperitas in remuneratione legis antiquo populo fuerit à Domino promissa.

Praetermissa itaque Tabernaculorum festiuitate, ad suprapositas duas reuertentes, Paschę v. atq; Pentecostes, diligenter eas inter se cõferam⁹, vt hãc illa tam in veteri quàm in nouo Testamẽto nõ inferiorẽ esse probemus, imò præ cæteris quãdã obtinere prærogatiuã mõstremus. Legim⁹ Dominũ Moysi præcepisse, vt populũ sanctificaret, eũque vestimentis suis ablutis ab vxorib. abstinentem, sic ad legem præpararet in tertio die sũscipiendã. Nullã autẽ aliã festiuitatem ita lex cõmendat, vt talem ei sanctificationis prę-parationem instituat, præsertim cùm Apostolo attestãte inter vniuersa Dei dona Iudæis antiquitus collata illud primũ sit, hoc est maximũ, quia credita sunt illi eloquia Dei, hoc est veteris Testamenti doctrina illis, non cæteris nationum populis data. Sed nec ille dies, qui propriè Pascha vocabatur, agnum vel hœdũ immolãs ad vesperũ septem sequentes dies, qui azimorum dicebantur, aliquid festiuæ celebrationis ex præcepto Domini habuit, sed in ea tãtùm immolati agni advesperum iussa est fieri. Nostra quoque sollemnitas Pentecostes quid vtilitatis vel dignitatis præ cæteris adepta sit, multis clarum est indicijs. Lex hodie in mõte Sinai vni populo, & in vna lingua tradita, obscuritatis caligine fuit inuoluta, & tã fumo potiùs quàm luce referta, sicut & patẽter præfigurabatur cũ ipsa traderetur. Spirit⁹ verò super Apost. hodie descẽdẽs tã legis quã ceterorũ diuinorũ verborũ intelligẽtiã attulit, & omnia genera linguarũ, quib. hęcvbiq; prædicarẽtur discipulis cõtulit, &

Digitized by Google

notũ prius in Iudæa Deum vniuerſo mũdo declarauit, & ipſum ei adquiſiuit. Die Paſchæ Dominũ in corpore reſurrexiſſe nouim⁹. Hac verò die id actũ eſt per S. Spiritus aduẽtũ, per quod vniuerſus mũdus feliciùs in anima reſuſcitaretur. Die Reſurrectionis ſiue Aſcẽſionis fides & ſpes diſcipulorũ cõfirmata eſt. Hac verò die caritas per Spiritum, qui amor Dei dicitur, infuſa, diſcipulos cõſummauit, iuxta illud Apoſtoli: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordib. veſtris per Spiritũ S. qui datus eſt nobis.* Diffuſa, inquit, potius quàm infuſa; hoc eſt dilatata in plenitudine donorũ, non ſtillata. Legimus & Dominũ die reſurrectionis Spiritũ Apoſtolis inſufflãdo dediſſe, atq; dixiſſe: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, &c.* Et tũc quidẽ Spiritus Apoſtolis eſt infuſus, nõ in eis diffuſus: hoc eſt, ad vnũ poteſtatis donũ eis collatus, nõ ad omnia chariſmata dilatatus. Quod vtiq; donũ in ſubjectos potiùs redundaret, quàm in ipſis fructificaret. Hac verò die, qua intelligentia ſunt illuminati, & igne caritatis accenſi, in omni bonorum perfectione ſunt conſummati. Ad hanc eos cõſummationẽ tam Reſurrectio Domini quàm Aſcenſio præparauit: ſicut populus Dei legem ſuſcepturus biduo ad hanc ſuſceptionem eſt præparatus Domino per Moyſen dicente: *Eſtote parati in diem tertium, &c.* Hinc de reſurrectione pariter & aſcenſione ſcriptũ eſt: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondũ fuerat glorificatus.* Et rurſum: *Expedit vobis vt ego vadam. Niſi enim abiero Paraclitus non veniet.* Vt ergo Spiritus S. veniret, tam reſurrectionis quàm aſcenſionis gloria Chriſtus fuerat exaltandus; vt ſic diſcipuli tam fide quàm ſpe futuræ beatitudinis roborati promiſſum Spiritum accipere mererentur, vt per eum, qui amor dicitur cõſummarẽtur in caritate. Caritatem, quippe, quæ poſt fidem & ſpem perfectũ efficit, & ſola filios Dei à filijs diaboli diſcernit; hæc dies Apoſtolis contulit, ſicut ſcriptum eſt, *Caritas Dei diffuſa eſt, &c.*

HAEC ergo feſtiuitas caritatis tantò cæteris excellentior videtur, quãtò caritas ceteris virtutibus ſiue donis Dei prẽminere noſcitur. Et quia minus eſt ad hominis perfectionẽ Deũ amare, niſi & alios in amorem eius noſtra prædicatio ſciat accẽdere, vt quod facimus alios doceamus iuxta illud Veritatis præconium: *Qui autẽ fecerit & docuerit ſic homines, hic magnus vocabitur in regno cælorum*, caritati diſcipulorũ doctrina eſt addita, vt in vtroque ipſos præſens conſummaret dies. Vnde & benè in igneis linguis ſuper eos apparẽtibus S. Spiritus reuelatus eſt aduẽtus, vt v. ignis & linguarum ſpecie manifeſtũ ſignũ amoris & doctrinæ *; vt per

Digitized by Google

amorem ſibi,per doctrinã proficerent alijs.Lex data in mõte Sinay,timorẽ incutiens in ſeruitute genuit. Spiritus verbo in ſuperioribus cœnaculi datus,de quo Apoſt.ait,*Vbi Spiritus Domini,ibi libertas*,ſeruos in filios conuertit,ſicut idẽ Apoſt.ad Rom.ſcribit: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterũ in timore,ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis,in quo clamamus,Abba pater.* Et ad Galathas, *Quoniam*,inquit,*eſtis filij,miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamãtem,Abba pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius. Quod ſi filius, & heres per Deum.* Iſte eſt ſpiritus,ex quo in baptiſmo regenerati, & ab Epiſcopo confirmati,nitimur in Chriſto Chriſtiani effecti. Ipſe eſt ſpiritus, cuius donis in omni perfectione virtutum conſummantur electi. Eius præſens ſolemnitas ceterarum omnium conſummatio eſt,& diuinarum perfectio promiſſionum. Vnde & Veritas Apoſtolis ait: *Mitto promiſſum Patris mei in vos. Vos autẽ ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* De hoc ſpiritali virtutis dono Pſalmiſta præcinit,*Et ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et rurſum:*Dominus dabit verbũ Euangelizantibus virtute multa.* Vera quippe caritas,quæ omnia ſuffert,omnia ſuſtinet,& cuius flamma nullis perſecutionum fluctibus extingui poteſt,iuxta illud Cantici Cantic. *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Aquæ multæ non poterunt extinguere,nec flumina obruent illã.* Omnis diſcipulorũ virtus facta eſt, cùm eos Spiritus S.amore tanto ſcientiáque repleuerit,vt non ſolùm prudẽtes, verumetiã iuſtos,nec non & fortes ſeu tẽperantes effectos in virtutib. quatuor conſummaret. Quas quidẽ virtutes omnes in caritate comprehẽdi beatus aſſerit Aug. vt ipſa v. caritas ſit ſapientia vera dicenda,ipſa etiam ſit iuſtitia,ipſa fortitudo pariter in aduerſis, ac temperantia in proſperis vocetur ſecundum diuerſa quæ in nobis operatur. Vnde benè dictum oſtenditur caritas per illum diffuſa in illis,quia *ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.*

TANTO ergo hæc ſollẽnitas ceteris præminet,quanto maioris gratiæ plenitudo donis omniũ virtutũ diſcipulos cõſummauit, quibus eos quaſi quibuſdã armis induit;vt his prẽmuniti vniuerſum debellare mundũ,& adquirere Deo ſufficerẽt. Quod quidẽ indumentũ Chriſtus eis promittens ait, *Donec induamini virtute ex alto.* Tanquã ſi diceret,donec inermes armaturam,&imbecilles accipiatis fortitudinem. Vnde & cùm baptizati à Preſbyteris confirmãtur poſtmodum ab Epiſcopis , & per impoſitionẽ manus traditur eis Spiritus S. hæc ipſa eorum confirmatio quædam eſt virtutum armatura ſpiritalis ad reſiſtendum vitijs , vel perſe-

Digitized by

uerandum in illa quã in baptiſmo perceperunt munditia plena ibi remiſſione peccatum percepta. Legimus & de caritate, quæ veſtis illa nuptialis dicitur, quia operit multitudinem peccatorum, & quia diſcipulis à Domino dictum eſt, *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Vnde patẽter intelligi datur, quia ſpiritus adueniens diſcipulos ſimul & à peccatis mundauit, & ornamẽtis virtutũ eos tanquã antea nudos induit, tanquã ſimul baptizarentur & cõfirmarẽtur omniũ plenitudine bonorũ, tunc percepta, vt iam nulla gratia *, quæ ad illorũ pertineat ſalutẽ, aut etiam ad aliorũ vtilitatẽ. Ipſi quippe non ſolum ſapientiâ, vel virtute præditi, verumetiã omnium genera linguarum adepti totum ſimul quod vel ſibi vel alijs neceſſarium eſſet. De hoc ornatu tantũ in Libro Iob ſcriptum eſt de Domino, quia *ſpiritus eius ornauit cælos*, hoc eſt eos qui tãquã terreni, & per merita erant infimi, ſuperiores iam per tot dona factos in ſpiritales cõuertit cœlos. His ergo gratijs ornati, & virtutibus armati diſcipuli, ſecuri quaſi bellatores intrepidi per vniuerſum dirigũtur mundũ, etiã multis aduerſitatibus probari permittuntur, quos antea Dominus ſuprà id quod poſſent nequaquã tentari permiſerat. Vnde & ipſe ad paſſionẽ captus neminẽ eorũ ſecum capi voluit, dicens: *Si me quæritis ſinite hos abire, vt impleretur ſermo quem dixit, quia quos dediſti mihi non perdidi ex ipſis quemquã.* Vt enim B. meminit Aug. nondũ ſic in eum credebant, quomodo credunt quicumq; non perituri. Petrus ſi negato Chriſto hinc iret, quid aliud quàm periret? Cùm igitur Apoſtoli ante aduentũ Spiritus ſancti tanquã imbecilles & inermes exiſterent, nõ eos Dominus ad fortia bella deſtinauit, ne in aduerſitatibus deficerent victi, qui ſtatim ad eius captionẽ in fugã ſunt cõuerſi, & ipſe princeps eorum tam nomine quàm firmior fide, tam leuiter eum nec ſemel negauerit. Die autem Pentecoſtes in omnibus, vt dictum eſt, bonis conſummati, in omnibus fuerant poſtmodum virtutibus probandi, vt Eccleſiam ſibi commiſſam non ſolũ erudirẽt verbis, verumetiã confirmarent exẽplis ne deficerẽt in aduerſis.

* Locus corruptus.

CVM itaq; die Pentecoſtes tanta bonorũ perfectione ſint Apoſtoli cõſummati, nequaquã hæc feſtiuitas apud nos, ſicut nec apud Iudæos ſeptẽ dies ſequentes in celebrationẽ habet, vt vſq; ad octauã diem ipſa protendatur. Quid enim perfectioni poteſt ſuperaddi? Præparare ſe quiſque ad perfectionẽ poteſt, ſed cùm illuc peruenerit, quid requirat non ſuper eſt. A Paſcha vſque ad Pentecoſtẽ feſtiua quædam iocunditas per 7. dies continuatur,

Digitized by Google

ob reuerentiam ſ. ac dignitatẽ ſequẽtis Pentecoſtes. His quippe diebus auſteritas pœnitentiæ relaxatur, nec in oratione genua flectimus, vt in eo ampliùs ob tẽpus nos excitet in amorẽ Dei, & præparet deuotiores ad venturam feſtiuitatem ſpiritus, qui ſpecialiter amor Dei dicitur, quo minus ipſum pœnale eſt ob gratiã vt diximus feſtiuitatis prædictæ in omnibus ſpiritalibus gratijs conſummare. Benè autẽ duodecima manſione populus Iſrael egreſſus de Ægypto legẽ in die quinquageſimo ſuſcepit, vt hoc v. numero mãſionũ ipſe numerus ſignaretur Apoſtolorũ, quibus per Spiritum S. L. die dandũ, & legẽ amoris potius quàm timoris imprimendã cordibus eorum promiſerat, dicens: *Rogabo Patrem meũ, & alium Paraclitũ dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Et rurſum, *Apud vos*, inquit, *manebit, & in vobis erit.* Illa vtique manſio XII. Iudæorũ, qua lex datur, ſpiritũ præſignabat verã Apoſtolis legẽ crediturũ, & in eis non tranſitum, ſed manſionem facturum. Populus ille ad legẽ illam imperfectam tertio die ſuſcipiendam duobus ſe præparauit diebus. Nos ad ſupremum Spiritus S. aduentũ, qui legis perfectionẽ Apoſtolis attulit, his ſaltẽ duobus pręparemus diebus, vt tãtæ gratiæ participes mereamur eſſe. Poſt aſcenſionẽ Apoſtoli à mõte Oliueti Hieroſoly. reuerſi, cùm in Cœnaculũ aſcendiſſent, orationibus & ieiunijs promiſſũ S. Spiritus aduẽtũ meruerunt. De quibus profectò ieiunijs poſt aſcenſionẽ ſuã futuris Dominus ipſe prædixerat: *Venient dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* Hos itaque dies ieiuniorũ, iſtos dies ſequentes poſt octauas Aſcenſionis, & præcedentes diem Pentecoſtes, non incongruè accepimus. Cùm enim feſtiuitas Aſcenſionis habeat octauas, totum illud tempus octo dierum Aſcenſionis eſt dicendum; quia ſponſus in cœlos aſcendens obtutibus Apoſtolorum per præſentiam carnis ſubtractus dicitur vel ablatus. Vnde nunc duo præſentes dies ſecundum Dominicam ſententiam ieiunijs deputandi videntur. Quæ profecto ieiunia non pœnitentiæ ſunt vt à peccatis purgemur, ſed vt deſiderijs accenſi ad ſequendum ſponſum, tanto ampliùs S. Spiritus mereamur deſcenſum, quanto ardentiùs ad illum, ſequendo Chriſtum, anhelamus aſcenſum. Vnde & ipſemet ait, *Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet.* Quod eſt dicere, Niſi ego à vobis receſſero ſuperiùs aſcendendo, nequaquam illis vos deſiderijs accendam, quibus aduenientis Spiritus promereamini gratiam. Hanc ipſe ſpiritus gratiam nos ita faciat præuenire, vt ipſum ab eo mereamur percipere, Amen.

PETRI

MAGISTRI

PETRI ABAELARDI,

NANNETENSIS,

INTRODVCTIO AD THEOLOGIAM,

DIVISA IN III. LIBROS.

Ex Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Victoris Pariſ. Ordinis S. Auguſtini.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGISTRI PETRI ABAELARDI, NANNETENSIS,

INTRODVCTIO AD THEOLOGIAM, DIVISA IN III. LIBROS.

PROLOGVS.

SCHOLARIVM nostrorum petitioni, prout possumus, satisfacientes, aliquam sacræ eruditionis Summam, quasi diuinæ Scripturæ Introductionem conscripsimus. Cùm enim à nobis plurima de Philosophicis studijs & secularium litterarum scriptis studioſè legissent, & eis admodum lecta placuissent; visum illis est, vt multo facilius diuinæ paginæ intelligentiam, siue sacræ fidei rationes nostrum penetraret ingenium, quàm Philosophicæ abyssi puteos, vt aiunt, exhausisset. Addebant etiam nec me aliter Philosophiæ cursum consummare, nec ad eius peruenire metam, aut aliquem ex ea me fructum colligere; nisi eius studium ad Deum, ad quem omnia referri conuenit, terminarem. Ad hoc quippe fidelibus secularium artium scripta & libros gentilium legere permissum est; vt per eas locutionum & eloquentiæ generibus, atque argumentationum modis, aut naturis rerum præcognitis, quicquid ad intelli-

gentiam vel decorem ſacræ Scripturæ, ſiue ad defendendam vel aſtruendam veritatem eius pertinet, aſſequi valeamus. Quo enim fides noſtra, id eſt Chriſtiana, inquiunt, difficilioribus implicita quæſtionibus videtur, & ab humana ratione longiùs abſiſtere; validioribus vtique munienda eſt rationum præſidijs: maximè verò contra impugnationes eorum, qui ſe Philoſophos profitentur. Quorum quantò ſubtilior videtur inquiſitio, tantò difficilior ad ſoluẽdum, & ad perturbandam fidei noſtræ ſimplicitatem facilior inuenitur. Ad has itaque diſſoluendas controuerſias cùm me ſufficere arbitrarentur, quem quaſi ab ipſis cunabulis in Philoſophiæ ſtudijs, ac præcipuè Dialecticæ, quæ omnium magiſtra rationum videtur, conuerſatum ſciant, atque experimento, vt aiunt, didicerint; vnanimiter poſtulant ne talentum mihi à Domino commiſſum multiplicare differam, quod cum vſuris vtique diſtrictus ille & horendus Iudex quando exigat ignoratur. Addunt etiam noſtræ iam ætati ac profeſſioni conuenire; vt ſicut mores & habitum, ita commutem & ſtudium, & humanis diuina præferam volumina, qui ad Deum ſæculo relicto totum me iam transferre propoſui. Et quia olim ſtudium ad lucrandam pecuniam inſtitueram, nunc ad lucrandas animas hoc conuertam. Vt ſaltem circa vndecimam ad excolendam Dominicam vineam prout poſſum introeam. Hæc & his ſimilia diſcipulis noſtris frequenter improperantibus, vt ſi non propter rationem, vel propter improbitatem noſtrum aſſequerentur aſſenſum; in hoc tandem conſenſimus, vt pro viribus noſtris, imò diuinæ gratiæ ſupplemento, quod poſtulant aggredi tentaremus; non tam nos veritatem dicere promittentes, quàm opinionis noſtræ ſenſum quem efflagitant exponentes.

In quo quidem Opere, ſi culpis meis exigentibus à Catholica, quod abſit, exorbitauero intelligentia vel locutione; ignoſcat ille mihi, qui ex intentione opera penſat, parato ſemper ad ſatisfactionem de malè dictis vel corrigendis vel delendis; cùm quis me fidelium vel virtute rationis, vel auctoritate ſcripturæ correxerit. Scio namque quod ſcriptum eſt, *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* Et in Prouerbijs: *Via vitæ, increpatio diſciplinæ: qui autem odit increpationes, inſipiens eſt.* Et

iterum: *qui cuſtodit increpationes, aſtutior fiet: & qui increpationes odit, morietur.* Et rurſum: *Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit: ſi autem corripuerit ſapientem, intelliget diſciplinam.* Item: *Viro qui corripientem dura ſeruice contemnit, repentinus ſuperueniet interitus.* Ad hoc autem & beatiſſimi Auguſtini exemplo prouocamur, qui cùm à Deo tantam eloquentiam ac ſapientiam aſſecutus eſſet; plura tamen in ſcriptis ſuis erroneè poſita retractando atque corrigendo profeſſus eſt, dicens: *Neque enim quiſquam niſi imprudens, ideò quia errata mea reprehendo, me reprehendere audebit. Vt volet quiſque accipiat hoc quod facio, me tamen Apoſtolicam illam ſententiam intueri & in hac re oportuit, vbi ait: Si nos ipſos iudicaremus, à Domino non iudicaremur.* Illud etiam quod ſcriptum eſt, *Ex multiloquio non effugies peccatum.* Item: Quem verò filiorum † ſuorum non terruit Chriſtus, vbi ait; *Omne verbum ocioſum quodcumque dixerit homo, reddet rationem pro eo in die iudicij. Vnde & Apoſtolus Iacobus: Sit*, inquit, *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et alio loco: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Ego hanc perfectionem mihi nec nunc arrogo cùm ſim ſenex, quantò minus cùm iuuenis cæpi ſcribere?* Tanti itaque viri inſtructus exemplo, ſi qua fortè per errorem proferam, nulla in his per contemptionem defendam, aut per elationem præſumam. Vt ſi nondum ignorantiæ vitio caream, hæreſis tamen crimen non incurram. Non enim ignorantia hæreticum facit, ſed magis ſuperbiæ obſtinatio: cùm quis videlicet ex nouitate aliqua nomen ſibi comparare deſiderans, aliquid inuſitatum proferre gloriatur, quod aduerſus omnes defendere inopportunè nititur: vt vel ceteris ſuperior, vel nullis habeatur inferior. Vnde Gennadius Marſilienſis Epiſcopus de orthodoxa fide Eccleſiaſticorum dogmatum: *Quolibet quis acquieſcat modo, non eſt hereticus, niſi in contentione hereticus fiat.* Auguſtinus in Epiſtola ad Optatum: *Si de anima falſitatis aſſertio proferatur, & falſitàs mendacem, & falſitatis inopportuna defenſio hereticum facit.* Rurſus idem ſuper Geneſim: *Non ob aliud ſunt heretici, niſi quòd ſcripturas Canonicas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatẽ pertinaciter aſſerunt.* Qui & in libro de vtilitate credendi, hæreticum diligenter deſcribens: *Hæreticus*, inquit, *eſt, vt mea fert opinio, qui alicuius temporalis cõmodi, & maximè gloriæ cauſa*

† al. fidelium.

Digitized by Google

falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur. Item idem in XVIII. de Ciuitate Dei: *Qui in Ecclesia aliqua prana sapiunt, si correcti contumaciter resistunt, & sua pestifera dogmata emendare nolunt, sed & defendere persistunt, heretici fiunt.* Rursus idem de vnico baptismo lib. IIII. *Istum hereticum nondum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholica fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.* Sed hæc hactenus. Nunc ad propositum accedamus.

ARGVMENTVM OPERIS.

PRIMVS *iste Liber Theologiæ breuiter comprehendit summam totius prædicti Tractatus, in Fide scilicet, & Caritate, & Sacramentis. Quid sit Fides, quid Spes, quid Caritas, quid Sacramentum. Quomodo propriè siuè impropriè Fides dicatur. Quæ sit Fides Catholica. Positio sententiæ de fide sanctæ Trinitatis, siue vnitatis. Quare solus Pater dicatur ingenitus. Quid velit distinctio trium personarum in vna diuinitatis essentia. Quòd vocabulo Patris diuina potentia specialiter designetur. Quare opera trium personarum indiuisa dicantur. Quòd nomine Filij seu Verbi diuina sapientia exprimatur. Quòd Spiritus sanctus diuinæ caritatis bonitas appelletur. Testimonia Prophetarum de Trinitate. Testimonia Philosophorum.*

SECVNDVS *Liber Theologiæ differit ea quæ de Trinitate primus Liber proposuit, & ad testimoniorum auctoritatem intelligentiæ commendat rationem.*

TERTIVS *Liber superposita replicando, diligentiùs de potentia, & sapientia Dei, & bonitate, in quibus Trinitas consistit, perfectiùs inquirit ac differit.*

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

TRIA ſunt, vt arbitror, in quibus humanæ ſalutis ſumma conſiſtit. Fides videlicet, Caritas, & Sacramentum. Spem autem in fide, tanquam ſpeciem in genere, comprehendi eieſtimo. Eſt quippe fides exiſtimatio rerum non apparentium, hoc eſt ſenſibus corporis non ſubiacentium. Spes verò, expectatio aliquod commodum adipiſcendi, quando videlicet quis credit ſe aliquod bonum aſſecuturum eſſe. Eſt itaque fides tam bonarum quàm malarum rerum, & tam de præſentibus vel præteritis, quàm futuris, ſicut in principio Enchiridion beatus diſſerit Auguſtinus. Spes autem de bonis eſt tantùm & de futuris. Expectatio quippe alicuius incommodi non tam ſpes dicenda eſt quàm deſperatio, hoc eſt diffidentia à bono. Caritas verò eſt amor honeſtus, qui ad eum videlicet finem dirigitur, ad quem oportet: ſicut econtrariò cupiditas, amor inhoneſtus ac turpis appellatur. Amor verò eſt bona erga alterum ipſum voluntas, qua videlicet optamus, vt eo modo ſe habeat, quo ſe habere bonum ei credimus eſſe, & hoc eius potiùs quàm noſtri cauſa deſideramus. Sæpè namque contingit, vt aliquem odientes, & ab eo quoquomodo nos deliberare volentes, optemus eum ad cæleſtia iam tranſferri, & ſuperna illa gloria frui: quo melius ei contingere nil poteſt. Nec tamen id eius amore gerimus, quia pro nobis id potius quàm pro ipſo agimus. nec tàm illius vtilitatem, quàm noſtram in hoc attendentes. Cui fortaſis in hoc ipſo melius quàm nobiſmet ipſis optamus; magis adhuc præſentis vitæ miſeriam, quàm futuræ gloriam nobis cupientes. Quod Tullius quoque, cùm amicitiam in ſecundo Rhetoricæ definiret, diligenter prouidebat, dicens: Amicitia eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum, ipſius illius cauſſa, quem diligit. Vbi profectò cùm adiecit, ipſius illius cauſa, quem diligit; veram à falſa diſtinxit amicitiam. Sunt enim qui alios amare dicuntur, quacumque intentione benè alij eſſe deſiderent. Qui cùm id cauſa ſui potiùs quàm illorum agant, non tam I.

hominem diligunt, quàm fortunam eius ſequuntur, nec tam commoda ipſius quàm ſua in illo venantur, nec tale deſideriũ tã charitas, i. amor honeſtus, vt dictũ eſt, quàm cupiditas, i. amor inhoneſtus ac turpis eſt dicendum. Illa quippe amor Dei, hæc amor ſeculi nuncupatur: quia per illum Deo copulamur, per iſtum mundanis occũpamur curis, & terrenis deſeruimus deſiderijs. Et per illum quidem quæ Dei ſunt curamus, per iſtum quæ noſtra ſunt prouidemus. Et in illo finis eſt Deus, j. finalis & ſuprema cauſa, ad quem noſtra dirigitur intentio, quando videlicet tam ipſum quàm proximum diligimus propter ipſum, nec tam noſtram quàm ipſius ſequimur voluntatem. In iſto autem ipſi noſmetipſos finem conſtituimus, quibus ſatis eſt ſi deſideria noſtra compleamus, & voluntati noſtræ pareamus. Quales & Apoſtolus præuidens, *Erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes*, hoc eſt in ſe potiùs quàm in Deo ſui amoris finem conſtituentes. Cùm enim proximum tanquã nos ipſos amare iubeamur, nequaquam peccamus nos amando; ſed amoris, vt dictum eſt, finem in nobis collocando. Et cùm noſtri quoque ſicut & proximi curam in neceſſarijs agére debeamus, nonnulla propter noſmetipſos agere nos oportet, vt & nos eorum quæ agimus cauſa quædam exiſtamus; ſed non, vt dictum eſt, finis, ideſt ſuperior & ſuprema cauſa, quæ Deus eſt. Hoc ipſum quippe quod pro nobis gerimus, ſi rectè agamus, propter Deum facimus, cui hoc placere credimus, & eius dilectio noſtræ cauſa eſt: vt nos quoque propter ipſum, non eum propter nos diligamus. Alioquin peruersè agentes in nobis potiùs quàm in ipſo noſtræ dilectionis finem conſtitueremus. Tunc verò propter ipſum tam noſmetipſos quàm proximum diligimus, cùm ideò nos amamus, quia hoc ei credimus placere: non quia nobis vtile fore, licet id conſtet inutile nobis eſſe non poſſe. Nihil igitur amandum eſt, nihil omninò faciendum niſi propter Deum, vt in Deo finem omnium conſtituamus. Vnde & ipſe α & ω dicitur, hoc eſt principium & finis. Principium quidem ſupremum à quo omnia; finis, id eſt finalis & ſuprema cauſa, propter quem omnia. Neque enim comedere, nec dormire, nec vxorem ducere, nec omninò aliud facere niſi propter ipſum debemus. Alioquin beſtialiter viueremus, noſtris tantum voluptatibus dediti. Comedere autem propter

ipſum

debemus, hoc vno saltem vt corpori quod suum est, ac nobis commissum, necessaria impendamus, quibus in eius obsequio sustentetur. Similiter & dormiendo ipsum reficere debemus, vt vigilare cùm oportet in eius obsequio valeamus. Vxor quoque ab eo qui est incontinens ducenda est, non solum propter filios ipsi generandos, verumetiam ne eum ex fornicatione offendamus. Qui etiam cùm pro nobis ipsi oramus, aut aliquid quod nobis apud eum prosit efficimus, ipsa eius etiam charitas ad hoc nos compellit, per quæ ad eum, quem super omnia diligimus, peruenire cupimus. Sic & cetera omnia propter ipsum facienda sunt, alioquin ab ipso frustrà remunerationem expectaremus, si ea quæ agimus propter ipsum non ageremus. Quod diligenter Apostolus attendens, in 1. ad Corinthios Epistola dicit, *Sive ergo manducatis, sive aliud quid facitis, omnia in gloria Dei facite.*

SACRAMENTVM verò est visibile signum inuisibilis gratiæ Dei, veluti cùm quis baptizatur, ipsa exterior ablutio corporis, quam videmus, signum est interioris ablutionis animæ; cùm ita interior homo à peccatis mundatur, sicut exterior à corporalibus sordibus. Nunc autem tribus suprà positis breuiter assignatis atque descriptis, scilicet Fide, Charitate, & Sacramento; de singulis diligentiùs est agendum, quantum pertinet ad propositam humanæ saluationis summam: & de his quæ præcipuè maioribus implicita quæstionibus videntur. Ac primum de fide, quæ naturaliter ceteris prior est, tanquam bonorum omnium fundamentum. Quid enim sperari, vel speratum amari potest, nisi priùs credatur? credi autem potest, si non speretur vel ametur? Ex fide itaque spes nascitur, cùm quod credimus bonum nos adepturos esse per Dei misericordiam confidimus. Vnde Apostolus, *Fides*, inquit, *est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium.* Substantia sperandarum rerum, hoc est fundamentum & origo, vnde ad speranda aliqua perducimur, credendo videlicet priùs ea esse, vt postmodum speremus. Argumentum non apparentium, hoc est probatio quòd sint aliqua non apparentia. Quia enim nemo fidem esse dubitat, oportet ex hoc vt aliqua non apparentia esse concedat: cùm fides, vt dictum est, propriè non dicatur nisi de his quæ nondum apparent. Vnde II.

iuxta Apoſtolum, cùm nunc tria manere dicantur, fides ſcilicet, ſpes, charitas; ſola charitas nunquam excidit, tam in hoc ſcilicet ſæculo, quàm in alio futuro perſeueratura. Ex quo & meritò maior dicitur tam dignitate perſeuerantiæ, quàm remunerationis debito; cùm ipſa videlicet ſola, vt arbitror, remuneratione ſit digna. Si quis autem de apparentibus quoque fidem haberi dicat, fidem abuſiuè nominat. Reperitur tamen fides dici de apparentibus quoque, ſicut de non apparentibus. De vtróque autem exempla præ manibus habemus. Gregorius Homilia VI. lib. II. in Euangelia, cùm Apoſtolus dicat, *Eſt fides ſperandarum rerum ſubſtantia &c.* profectò liquet, quia fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt. Quæ enim ſunt apparentia, fidem non habent, ſed agnitionem. Idem Dialog. lib. IIII. cap. VIII. Cùm Paulus dicat, *Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, hoc veraciter debet credi quod non valet videri. Nam credi iam non poteſt quod videri poteſt. Auguſtinus ſuper Ioannem: *Et nunc dico vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis.* Quid eſt hoc, cum magis hæc credere habeat antequam fiat id quod credendum eſt? Hæc eſt enim laus fidei, ſi quod creditur non videtur. Nam quid magnum eſt ſi id creditur quod videtur, ſecundùm illam Domini ſententiam, qua diſcipulum arguit dicens, *Quia vidiſti, credidiſti? Beati &c.* Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippè homine diuinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, & ideo confeſſus eſt, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Nam ipſa fides ita eſt diffinita: Eſt autem fides ſperandarum rerum ſubſtantia, quæ non videntur. Quapropter quid ſibi vult, *vt cum factum fuerit credatis*? Nam & ille cui dictum eſt, *Quia vidiſti credidiſti*, non hoc credidit quod vidit. Cernebat carnem, & credebat Deum latentem in carne. Sed & ſi dicimus credi quæ videntur, ſicut dicit vnuſquiſque oculis ſuis ſe credidiſſe, non tamen ipſa eſt quæ in nobis ædificatur fides, ſed ex rebus quas videmus, agitur in nobis, vt ea credantur, quæ non videntur. Item creditura non fide noua, ſed aucta, aut certè cùm mortuus eſſet defecta, cum reſurrexiſſet refecta. Item ſermone trigeſimo nono, quid promittit credentibus? *Cognoſcetis veritatem*, non quia cognouerunt, ſed vt cognoſcerent crediderunt. Credimus vt cognoſcamus, non cognoſcimus

Digitized by Google

vt credamus. Quid eſt enim fides, niſi credere quod non vides? Fides ergo eſt, quod non vides credere, veritas quod credidiſti videre. Veritas eſt, ſed adhuc creditur, non videtur. Idem in libro de verbo Domini, & quibuſdam ſententijs Pauli Apoſtoli, ſermone octuageſimo. *Iuſtus ex fide viuit*, quia credit quod non videt, filij Dei ſumus, *& nondum apparuit quid erimus; Quamdiu enim ſumus in corpore peregrinamur à Deo.* Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem. Cùm venerimus tenebimus, & iam viſio erit, non fides; & iam res, non ſpes. Amabimus videndo & tenendo. Ergo charitas perfecta erit, ſicut ait Apoſtolus, *Fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.* Securi illo adiuuante perſeuerantes in eo dicamus. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, &c.* Idem libro ſecundo Quæſtionum Euangeliorum. *Iuſtitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem*, intelligitur quidem fides qua creduntur ea quæ non videntur.

SED tamen eſt fides etiam rerum, quando non verbis, III.
ſed rebus ipſis præſentibus creditur quod futurum eſt, cùm iam per ſpeciem manifeſtam ſe contemplandam præbebit ſanctis ipſa Dei ſapientia. De qua fide rerum luciſque ipſius præſentia fortitan Paulus dicit, *Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* Dicit enim alio loco, *Nos enim reuelata facie gloriam Dei ſpectantes in eandem imaginem transformabimur à gloria in gloriam.* Sicut enim dicit hic à gloria in gloriam, ita & ibi ex fide in fidem. De gloria ſcilicet Euangelij, quo nunc credentes illuminantur, in gloriam manifeſtæ veritatis. Apud Philoſophos quoque de apparentibus etiam fides dicividetur. Quo etiã videlicet res quælibet ita animo tenetur, vt de ipſa non dubitetur, ſiue per opinionem, ſiue per experimentum quoque ſenſuum. Vnde Boëtius ſuper Topica Ciceronis libro primo. Argumentum eſt ratio quæ rei dubiæ facit fidem. Multa enim inquam ſunt quæ faciunt fidem, ſed quia rationes non ſunt, nec argumenta eſſe poſſunt, vt viſus facit fidem his quæ videntur. Sed quia ratio non eſt viſus, nec argumentum quidem eſſe poteſt. His itaque teſtimonijs patet fidei nomen modo propriè, modo impropriè poni, cum videlicet non ſolùm de occultis, verum etiam de manifeſtis fides dicatur. Sunt autem plura ad Deum pertinentia quæ credi vel non credi noſtra non intereſt, quia ſiue credantur, ſiue non

Digitized by Google

credantur, nullum incurrimus periculum, veluti si credamus Deum cras pluuiam facturum vel non facturum, vel huic nequissimo homini misericordiam impensurum, vel non. Ei vos quæ de fide ad ædificationem loquitur, ea sola tractare ac docere sufficit, quæ si non credantur damnationem pariunt. Hæc autem sunt quæ ad fidem Catholicam pertinent.

IV. CATHOLICA quippè est fides, id est vniuersalis, quæ ita omnibus necessaria est, vt nemo discretus absque ea saluari possit. Benè Athanasius cum præmisisset, *hæc est fides Catholica*, statim id aperiens, vndè scilicet dicatur Catholica, & velut exponens ait. *Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Sunt & qui velint fidem Catholicam ad differentiam fidei Catholicorum non vbique, cum Ecclesia dilatatæ, sed quasi in angulo aliquo latitantis, vel in aliqua terrarum parte concluſæ. Fides autem Catholica partim circa ipsam diuinitatis naturam, partim circa diuina beneficia & quascumque Dei necessarias dispensationes vel ordinationes consistit, quæ nobis diligenter Apostolorum vel Sanctorum patrum symbolis expressa sunt. Ac primum de his quæ ad diuinitatis naturam pertinent, consideremus: qualiter videlicet in vna & eadem penitus diuinitatis substantia tres personæ credantur. Pater scilicet, ac filius, ac Spiritus sanctus, & quid rationis vel vtilitatis hæc in vno Deo habeat personarum distinctio. Primò itaque hanc fidei summam ponamus, de vnitate scilicet ac trinitate diuina, deinde positam prout Dominus dederit differamus.

V. TENET igitur Christianæ fidei religio vnum solummodo Deum esse, ac nullo modo plures esse Deos, vnũ omnium dominum, vnum creatorem, vnum principium, vnum lumen, vnum bonum, vnum immensum, vnum omnipotentem, vnum æternum, vnam substantiam, siue essentiam incommutabilem penitus ac simplicem, cui nec partes aliquæ, nec aliquid quod ipsa non fuerit, possit inesse, ac per omnia solam prædicat, ac credit vnitatem, excepto quod ad personarum pertinet multitudinem. Huic itaque tam simplici seu indiuiduæ ac meræ substantiæ, tres inesse personas sibi per omnia coæquales ac coæternas, non numero rerum, sed pluralitate proprietatum, diuersas veraciter confitetur. Deum videlicet Patrem vt dictum est, ac Deum filium eius, atque Deum spiritum

eius, ab vtriſque procedentem. Non eſt autem vna perſona altera, licet ſit hoc ipſum quod altera: neque enim qui pater eſt filius eſt, aut Spiritus ſanctus: nec qui filius eſt, Spiritus ſanctus eſt, ſed tamen quod pater eſt, eſt filius, eſt & Spiritus ſanctus & econtrario. Idē quippè Deus tàm pater eſt, quàm filius ſeu Spiritus ſanctus, vnum quippè prorſus in natura, vnum tàm numero quàm ſubſtantia ſunt: ſed iuxta eorum proprietates ita perſonaliter ab inuicem diſtinguntur, vt alius ſit iſte quam, ille non aliud, homo eſt perſonaliter non ſubſtantialiter diuerſus, cum hic videlicet non ſit ille, licet hic ſit penitus hoc quod ille, id eſt eadem penitus ſit ſubſtantia quæ & ille, non perſona. Vnde Sedulius. Non quia quæ ſummus pater eſt & filius hic eſt; ſed quia quod ſummus pater eſt, & filius hoc eſt.

PROPRIVM autem eſt Dei Patris ingenitum eſſe, hoc eſt à ſeipſo non ab alio exiſtere, ſicut filij proprium eſt à patre genitum eſſe, non creatum vel factum, & Spiritus ſancti ab vtriſque procedere, nec creatum nec factum eſſe. Quod enim æternaliter ſubſiſtit, atque initio caret, nec creatum nec factum conuenit dici. Solum itaque patrem ingenitum dicimus, hoc eſt à ſeipſo non ab alio. Vnde Auguſt. aduerſus felicianum Arrianum: Patrem ingenitum dico, quia non proceſſit ex altero. Iſidorus Ethimol. lib. ſexto. Pater, inquit, ſolus non eſt de alio; ideo ſolus appellatur ingenitus. Aliud itaque dicere eſt patrem ingenitum, aliud non genitum. Sicut aliud eſt dicere aliud iniuſtum, aliud non iuſtum. Quippè quod iniuſtum eſt neceſſe eſt eſſe non iuſtum, ſed nonè conuerſo: lapis quippè non iuſtus, nec tamen iniuſtus eſt. Sic & cum Deus pater ſit ingenitus, conſtat profectò eum eſſe non genitum, id eſt non eſſe filium. Spiritus verò ſanctus ipſe quoque eſt non genitus, cum ipſe etiam non ſit genitus, hoc eſt non ſit filius, nec tamen ideo eſt ingenitus, cum ipſe ab alio ſit, tàm à patre ſcilicet, quàm à filio procedens. Solus itaque pater ingenitus dicitur, ſicut ſolus filius genitus. Spiritus verò ſanctus, nec genitus eſt, nec ingenitus, ſed vt dictum eſt, non genitus. Vnde & Auguſt. ad Oroſium. cap. ſecundo, Spiritum ſanctum nec genitum nec ingenitum fides certa declarat, quia ſi dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur: ſin autem genitum, duos filios affirmare† culpamur. VI.

† al. credere

Sed quod certa fides tenet nec ingenitus eſt, nec genitus, ſed ab vtriſque procedens, id eſt à patre & filio. Idem & Gennadius de orthodoxa fide Eccleſiaſticorum dogmatum cap. 1. aſſerit his verbis. Pater ergo principium deitatis, à quo filius eſt natus, à quo Spiritus ſanctus non natus, quia filius non eſt, nec ingenitus quia non eſt pater. Hinc & beatus Papa Greg. in ſymbolo Epiſtolis ſuis præſcripto meminit dicens. Credimus Spiritum ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed coæternum de patre & filio procedentem. Cum autem vnaquæque perſona harum ſit Deus aut Dominus ſiue Creator, nec vna perſona ſit altera; non tamen ideo plures Dij vel domini ſunt, ſiue creatores, ſicut plures ſunt perſonæ. Quippè cum dicimus Deos, aut dominos ſeu Creatores, rerum quendam numerum oſtendimus, quarũ vnaquæque Deus ſit, aut dominus ſiue Creator cum in indiuiduitate nulla rerum poſſit eſſe multitudo, vnde & indiuiduãdicimus Trinitatem. Cum verò multas in deo profitemur perſonas, proprietatum non rerum multitudinem, vt ſupra meminimus, demonſtrauimus. Quædam itaque de ſingulis tantum dicuntur perſonis, vt ingenitus de ſolo patre, genitus ſiue incarnatus de ſolo filio, procedens ab vtroque, de ſolo ſpiritu ſancto: quædam coniunctim tantum & non ſingillatim, vt trinitas de tribus tantum perſonis: quædam tàm diuiſim quàm cõiunctim de eis æquè dicuntur, vt Deus, Dominus, Creator, omnipotens, ſapientia, virtus iuſtitia, &c. Solum verò hoc nomen quod eſt perſona pluraliter proferimus, cum videlicet plures proferimus perſonas, non Deos aut dominos nec vllam in cæteris pluralitatem recipiamus. Vnde Auguſt. de Trinit. lib. VII. cap. VII. Pater ad ſe dicitur perſona, non ad filiũ vel ſpiritũ. Item hoc ſolùm non eſt, quod cùm dicatur de ſingulis ad ſe pluraliter non ſingulariter accipitur in ſumma. Dicimus itaque Pater eſt perſona, & filius eſt perſona, Spiritus ſanctus perſona: Pater tamen & filius & Spiritus ſanctus non ſunt vna perſona, ſed plures. Quarum quidem tamen perſonarum ſicut eadem prorſus eſt ſubſtantia, ita indeterminans eſt gloria, indiuiſa operatio ac voluntas. Hac autem fidei ſumma circa vnitatem ac trinitatem propoſita, ſupereſt vt aduerſus inquiſitiones dubitantium, congruis etiam ſimilitudinum exemplis defendamus atque aſtruamus. Quid enim ad doctrinam loqui proficit, ſi quod

docere volumus exponi non poteſt vt intelligatur? Quod diligenter beatus attendens Auguſt. cum difficillimum de Trinitate illum exponere vellet locum, quod videlicet Euangeliſta Ioannes exorſus eſt, dicens. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, hoc inquit, animalis homo non percipit. Quid ergo fratres? Silebimus hinc? Quare ergo ſcribitur, ſi ſiletur? aut quare auditur, ſi non exponitur? Sed vt quid exponitur, ſi non intelligitur? Itaque quoniam rurſus non dubito in numero veſtro quoſdam eſſe, à quibus poſſit non ſolùm expoſitum capi, ſed antequam exponatur intelligi; non fraudabo eos qui poſſunt capere, dum timeo ſuperfluus eſſe auribus eorum qui non poſſunt capere.

PRIMVM itaque nobis differendum occurrit, quid ſibi velit in vna diuinitatis natura perſonarum iſta diſtinctio, vt eadem ſcilicet pater, eadem filius, eadem Spiritus ſanctus ſit appellata. Deinde qualiter vna penitus & indiuidua permanente ſubſtantia, Trinitas perſonarum queat aſſignari, & quòd de vnitate ac Trinitate diuina ante propoſuimus contra vehementes Philoſophicas impugnationes deffendi. Videtur autem nobis ſuprapoſitis trium perſonarum nominibus ſummi boni perfectio diligenter eſſe deſcripta, vt cum videlicet prędicatur Deus eſſe pater & filius & Spiritus ſanctus, eum ſummum bonum atque in omnibus perfectum hac diſtinctione Trinitatis intelligamus. VII.

PATRIS quippè nomine diuinæ maieſtatis potentia deſignatur, qua videlicet quicquid velit efficere poteſt, vnde Auguſt. in Enchiridion. Neque enim veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quæcumque vult poteſt, nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Idem in lib. de ſpiritu & litera. Non poteſt facere iniuſta, quia ipſe eſt ſumma iuſtitia & bonitas. Omnipotens verò eſt, non quod poſſit omnia facere, ſed quia poteſt efficere quicquid vult. Sicut autem Dei patris vocabulo diuinæ maieſtas potentiæ exprimitur ſpecialiter, ita filii ſeu verbi appellatione ſapientia Dei ſignificatur, quia ſcilicet cuncta diſcernere valet, vt in nullo penitus decipi queat. VIII.

AT verò Spiritus ſancti vocabulo ipſa eius charitas ſeu benignitas exprimitur, qua videlicet optimè cuncta vult fieri ſeu IX.

Digitized by Google

diſponi, & eo modo ſingula prouenire quo melius poſſunt, in alijs quoque benè vtens, & optimè ſingula diſponens, & ad optimum finem quoque perducens. Non eſt autem perfectus in omnibus, qui in aliquo impotens inuenitur, nec perfectè beatus eſt qui in aliquo decipi poteſt, nec penitus benignus qui omnia optimè fieri non velit ac diſponi. Vbi verò hæc tria conueniunt, vt tam videlicet potentia quàm ſapientia, quàm bona voluntate ſit perfectus: nil boni eſt quod eius plenitudini deſit. Tale eſt ergo Deum patrem ac filium & Spiritũ ſanctum nos profiteri, ac ſi ipſum, vt dictum eſt, ſummum bonum eſſe prædicemus: cui inquam bonorum omnium plenitudini nil deſit, & cuius participatione bona eſſe cetera conſtet. Nec ſolùm hæc Trinitatis diſtinctio ad ſummi boni perfectionem, vt dictum eſt, deſcribendam conuenit, verum etiam ad perſuadendum hominibus diuini cultus religionem plurimum proficit, vt ob hoc præcipuè ipſa Dei ſapientia incarnata in prædicatione ſua eã rectiſſimè decreuiſſe taſſumere. Duo quippè ſunt quæ nos omnino ſubiectos Deo efficiunt, timor videlicet atque amor. Poteſtas quippè & ſapientia maximè timorem incutiunt, cum eum quem iudicem eſſe ſcimus, & cuncta quæ voluerit, punire poſſe, & nil eum latere cognoſcimus. Benignitas autem ad amorem ſpecialiter pertinet, vt quem benigniſſimum habemus, potiſſimum diligamus. Ex quo etiam certum eſt eum impietatem vlciſci velle, quia quo plus placet ei æquitas, magis ipſi diſplicet iniquitas, ſicut ſcriptum eſt, *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem.* Nec ſolùm ad timorem vel ad amorem Dei hominibus incutiendum hæc Trinitatis diſtinctio neceſſaria eſt, verum & ad vniuerſorum operum eius commendationem plurimũ valet, vt quæcumque agit, egregiè fideri credantur, vt pote qui omnia quæ velit, efficere poſſit, & in omnibus modis conſeruare ſciat, & optimè cuncta fideri ſeu procedere velit. Vnde & cum ad aliud per nos operandum diuinam imploramus gratiam, antè commemorationem Trinitatis facimus, dicentes. In nomine Patris & Filij & Spiritu ſancti, vel, In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vt videlicet diuinam potentiam & ſapientiam ſeu benignitatem commemorando quæcumque Deus efficiat, egregiè fieri demonſtremus. Vnde & Moiſes cum de vniuerſa mundi ageret creatione in ipſo ſtatim *Geneſis*

Geneſis exordio Deum patrem & filium & Spiritum ſanctum commemorat, vt quæcumque à Deo fieri narrat, egregiè facta credantur. Cum enim ait, *In principio creauit Deus cælum & terram*, & poſtmodum adiecit, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, diuinam Trinitatem diligenter expreſſit. In Deo quidem creatore patrem inſinuans, hoc eſt diuinam commemorans potentiam, per quam creari omnia de nihilo potuerit. Quamquam etiam non incongruè hoc nomen, Deus, iuxta propriam interpretationem innuit quod hoc videlicet quaſi Θεὸς, id eſt timor interpretetur, cùm poteſtati reuerentia timoris maximè exhibeatur. Nomine verò principij filium deſignat, id eſt diuinam rationem ſeu ſapientiam, in qua per prouidentiam cuncta prius conſiſtere quodammodo habuerunt, atque ibidem incipere quam in effectum operis ducerentur. Vnde & Euangeliſta de verbo patris differens, *quod factum eſt*, inquit, *in ipſo vita erat*. Sic & Macrobius Platonem inſecutus, mentem Dei, quam Greci νοῦν appellant, originales rerum ſpecies, quæ Ideæ dictæ ſunt, continere meminit. Antequam etiam, inquit Priſcianus, in corpora prodirent, hoc eſt in effecta operum prouenirent. Spiritus verò Domini apertè Spiritum ſanctum inſinuat, id eſt diuinæ gratiæ bonitatem, iuxta hanc quidem diligentem Prophetæ conſiderationem, cum ad excellentem hominis creationem ventum eſſet, prouidè hoc opus cæteris imponens, & quaſi pro ceteris commendans diſtinctionem potenter Trinitatis fecerit, vbi videlicet à domino potius dictum eſt *Faciamus hominem*, quàm faciam: *ad imaginem*, inquit, *& ſimilitudinem noſtram*; virum quidem ad imaginem, mulierem verò ad ſimilitudinem. Vir quippè iuxta Apoſtolum, imago Dei eſt, non mulier. Sed ſicut vir imago eſt Dei, ita & mulier imago dicitur viri. Imago quippè expreſſa alicuius ſimilitudo vocatur, ſimilitudo autem dici poteſt, & ſi non multum id cuius eſt ſimilitudo exprimat. Vir itaque ad imaginem Trinitatis eſt factus, quia quo perfectior conditus eſt quàm mulier, deſcriptæ ſummi boni perfectioni ſimilior exiſtit. Qui & per poteſtatem tàm mulieri quàm cæteris mundanis prælatus eſt creaturis, & per ſapientiam dignior, & per amorem ad ea quibus perfectio eſt pronior extitit. Benè & eum à ſerpente non eſſe ſeductum, cum ſeduceretur mulier, teſtatur Apoſtolus; qui tamen amo-

Digitized by Google

re mulieris guſtatum ei fructum porrigentis, cum eam contriſtare nollet, in tranſgreſſionem prorumpit, amplius de miſericordia Dei quàm oporteret præſumens, quem ad ignoſcendum facilem exiſtimabat, pro tàm leui quæ ei videbatur, offenſa; ſi quoquomodo commiſſam ſibi a Domino non ſcandalizaret mulierẽ, præſertim cum hæc piè magis, quàm maliciosè fieri videretur, à quo etiam amplius amari Deum quàm à muliere, quis non conſentiat? Quomodo enim illa tunc Deum verè dilexerit, quem ſibi in dolo fuiſſe locutum crediderit, cum ſerpentis acquieuerit conſilio?

X. Quod autem nomine Patris diuina potentia, nomine verò Filij ſeu verbi diuina ſapientia, nomine Spiritus ſancti ipſa Dei benignitas ſeu charitas ſpecialiter exprimatur, nec nos auctoritas nec ratio ſubterfugit. Potentiam quidem nomine patris ſpecialiter exprimi, ex multis colligitur teſtimoniis. Vnde Maximus Epiſcopus in expoſitione ſymboli quod dicitur Apoſtolorum, quæ legem in quinta quadrageſimæ Dominica his verbis inſinuat. Credis in Deum, inquit, patrem omnipotentẽ. In Deo natura innaſcibilis, in patre vnigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis oſtenditur. Eſt namque per ingenitam deitatem omnipotens, & per omnipotentiam Pater. Innaſcibilem hoc loco, increati m dicit, ingenitam deitatem patris appellat, hoc eſt eum ſolum ex tribus perſonis ingenitum eſſe profitetur, cum videlicet, vt iam ſupra meminimus, ſolus ipſe non ſit ab alio. Ceteræ verò perſonæ ab ipſo ſunt. Quod verò dicitur ipſe Pater per ingenitam deitatem eſſe omnipotens, hoc eſt per hoc quod cum ſit Deus, inſuper vt dictum eſt, ipſe ſolus ſit ingenitus, & rurſus per omnipotentiam Pater, apertè innuitur, quod ſicut ingenitum eſſe proprium eſt Dei patris, ita & ad proprietatem eius ſpecialiter diuinam potentiam pertinere, licet vnaquæque aliarum perſonarum cum ſit eiuſdem cum patre ſubſtantiæ, eiuſdem ſit penitus potentiæ. Iuxta proprietates quippè trium perſonarum, quædam ſpecialiter ac tanquam propriè de aliqua earum dici vel accipi ſolẽt, quæ tamen iuxta earum naturam, vnionem ſingulis ineſſe non ambigimus, vt ſapientia filio: charitas Spiritu ſancto ſpecialiter attribuitur, cum tamen tam Pater, quàm Spiritus ſanctus, ſeu etiam tota Trinitas ſapientia ſit, & ſimiliter tam pater ipſe, quàm filius cha-

Digitized by Google

ritas dici possit. Sic etiam iuxta personarum proprietates, quædam opera specialiter alicui personæ attribuuntur, quamuis indiuisa totius Trinitatis opera prædicentur, & quicquid ab vna earum fit, à singulis fieri constet. Soli quippè filio carnis susceptio assignatur: & ex aqua & spiritu tantum, non ex aqua etiam ex patre vel filio regenerari dicuntur, cum tamen in istis totius operatio Trinitatis affuerit. Sic & iuxta ipsam patris proprietatem specialiter ei & maximè quæ ad potentiam pertinent assignari solent, cum ex ipsius, vt dictum est, nomine, diuina specialiter potẽtia designetur, & eo ipso quod solus ipse ingenitus dicitur, hoc est à seipso, non ab alio, existens; quædam ei secundum substantiæ modum propria maneat potentia. Vt cùm videlicet ipse pater omnia facere possit quæ filius & Spiritus sanctus, hoc insuper habeat, vt a se ipso solus ipse queat existere, nec necesse habeat ab alio esse. Non minus tamen aut filium aut Spiritum sanctum omnipotentem prædicamus quàm patrem. Vt enim beatus meminit Augustt. non propter aliud omnipotens dicitur Deus, nisi quia quicquid vult potest efficere, vt non scilicet in aliquo efficiendo vllum eius voluntati impedimentum obsistat. Ideo autem trium personarum indiuisa opera, id est communia dicuntur, quod quicquid potentia geritur, id sapientia moderatur, & bonitate conditur. Vnde & meritò in his quæ facere Deum exoramus, commemorationem facimus Trinitatis dicentes. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vel, In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Vt sicut trium personarum est indiuisa operatio, ita & eorum sit inseparabilis inuocatio. Atque hoc modo cum fides ipsa postulati beneficij astruatur, tamen ipsa operis diuini efficacia commẽdetur. Facilè enim creditur facturus esse bonum quod rogatur, qui & facere id sicut voluerit, potest, & benignissimus esse cognoscitur. Nomine verò patris, vt dictum est, omnipotentia Dei, nomine spiritus, summa eius benignitas commemoratur. Cum autem & sapientiæ diuinæ commemoratio additur, quę scilicet nomine filij exprimitur, per quam in omnibus quæ efficit modum tenere nouerit, egregius effectus ostenditur qui ab eo proueniat, qui omnia quæ velit facere queat, & in omnibus faciendis modum sciat seruare, & optimè cuncta velit fieri. At verò cum vnaquæque trium personarum indè

omnipotens dicatur, quòd quicquid earum quæcumque velit efficere poſſit complere; non tamen neceſſe eſt eodem modo ſe penitus habere vnam quo alteram, cùm in ſuis proprietatibus diuerſæ ſint. Solus quippè pater poteſt eſſe pater ſiue ingenitus, & ſolus filius genitus, ſicut & ſolus Spiritus ſanctus procedens. Quicquid itaque vna perſona facere poteſt, & alia poteſt, & ideo vnaquæque omnipotens dicitur, ſed non quicquid vna eſſe poteſt, vel cuius modo vna eſſe poteſt, neceſſe eſt alteram eſſe. Hoc autem teſte Hieronymo plus habere pater à filio inuenitur, quod ſolus à ſeipſo eſt, filius verò à ſe non eſt, ſed à patre tanquam genitus. Sic quippe ait Niceni concilij exponendo fidem, ſymbolum. Abſit ergo in filio Dei aliud plus minuſ-ve, aut in loco aut in tempore, aut in potentia, aut in ſcientia, aut in æqualitate, aut in ſubiectione, cum dicitur hoc vt diuinitati eius aſcribatur, non carni. Si enim plus minuſ ve aliud inuenitur, excepto hoc quod genuit pater filium, & excepto hoc quod filius non ex ſemetipſo natus eſt, ſed de patre natus eſt, propriè aut inuidens aut impotens pater, inſuper etiam temporalis agnoſcitur. Ex his quidem verbis Hieronymi, cum profitetur nil plus in patre quàm in filio, vel minus in filio quàm in patre reperiri, excepto quod filius à ſeipſo non eſt, ſicut & pater profecto: videtur iuxta naturam vel modum exiſtentiæ, non operationis: hanc quaſi propriam patri aſcribere potentiam, quod ſolus ipſe per ſe ſubſiſtere queat, vel à ſeipſo exiſtere habeat: hoc eſt non ab alio: ceteras verò duas in Trinitate perſonas ab ipſo neceſſe ſit eſſe, nec per ſe habeant ſubſiſtere. Cui & illud beati conſonat Ambroſij, qui in Epiſtola Pauli ad Epheſ. vbi ſcriptum eſt, *Vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, &c.* Si itaque potentiam tàm ad naturam ſubſiſtendi, quàm ad efficaciam operationis referamus, inueniemus ad proprietatem perſonæ patris propriè vel ſpecialiter omnipotẽtiam attinere, qui non ſolùm cũ ceteris duabus perſonis Deus omnia efficere poteſt, verũ etiã ipſe ſolus à ſe non ab alio exiſtere habet, & ſicut ex ſe habet exiſtere, ita etiam ex ſe habet poſſe. Ceteræ verò perſonæ ſicut ab ipſo habẽt eſſe, ita & ab ipſo habẽt poſſe quod volũt efficere, vnde & per ſemetipſum filius dicit. *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam*, Et alibi. *Et à meipſo facio nil*, vel, *à meipſo nõ loquor.* Cum itaque de patre Maximus dixerit, quod per ingeni-

Digitized by Google

tam deitatẽ ſit omnipotens,id eſt per hoc quod cũ ſit Deus,ſit etiam ingenitus: illa quoque propria patris potentia qua ſolus ipſe à ſe nõ ab alio ſubſiſtit,vnde ſolus ipſe ingenitus dicitur,in omnipotentia comprehenditur, & ſic eum intellexit omnipotentem, vt quicquid ad potentiam attinet, non ſolum quantum ad operationis effectum, verum etiam quantum ad ſubſiſtendi modum,ei tanquam propriam attribuerit: vt tale ſit ſcilicet quod dixerit per ingenitam deitatem omnipotens, ac ſi apertè diceret: Per hoc quod Deus eſt & ingenitus, eum vtroque modo, vt diximus, propriè omnipotentem eſſe. Sic & cum ſtatim ſubiunxerit, & per omnipotentiam pater, tale eſt, ac ſi hanc quam intellexerit omnipotentiam ipſum propriè habere fateamur. Fortaſſe autem & in hoc diligentius accipi poteſt per omnipotentiam pater, ac ſi dicamus eum per omnipotentiam,quæ ei ,vt dictum, eſt ſpecialiter tribuitur, de ipſo Sapientiam ſuam tanquam filium generare, cùm ipſa ſcilicet diuina Sapientia aliquid ſit de diuina omnipotentia,cùm ſit ipſa quoque aliqua potentia. Sapientiam namque dicimus potentiam diſcernendi, ſiue à deceptione ſiue à fallacia prouidendi,ne in aliquo decipi poſſit, vel aliud eum latere queat. Eſt itaque diuina ſapientia quædã diuina potentia, per quam videlicet Deus cuncta perfectè diſcernere atque cognoſcere habet,ne in aliquo errare per inſciẽtiam poſſit, ſecundũ quod ſcilicet verbum ipſum Dei de ipſa Patris ſubſtantia eſſe dicitur, quod eſt Filium ex Patre genitum eſſe, ſicut poſtmodum ipſo annuante plenius differemus, cùm ad huius ſcilicet generationis modum exponendum ventum fuerit. Nunc verò præſentis eſt operæ auctoritates inducere, quibus vocabulo Patris diuinam maximè aſtruamus potentiam exprimi. Quod ſi etiam tàm Euangelica quam Apoſtolica diſcutiamus dicta, intelligemus iuxta ipſius locutionis proprietatem, ea quæ ad potentiam pertinent, Patri ſpecialiter aſcribi, vt hic quoque apertè colligi poſſit vocabulo patris ipſam ſpecialiter omnipotentiam deſignari. Ait quippè Filius. *Quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, non quæ ipſe Filius vel Spiritus ſanctus, licet eadem ſit trium perſonarum poteſtas. Et alibi, *ſicut diſpoſuit* inquit, *mihi Pater*. Qui etiam videlicet Filius quotiens humanitas eius opem vnitæ ſibi diuinitatis implorat, aut quaſcumque ei preces fundit,ſolo patris vtitur vocabulo, ipſam ſcilicet

commemorando potentiam qua potens eſt efficere quod rogatur, veluti cum dicit. *Pater ſancte ſerua eos. Pater in manus tuas comendo ſpiritum meum*, & ſimilia quæ ad orationem pertinent. Quod & adhuc maximè mos Eccleſiaſticus obſeruat, vt in illis ſpecialibus orationibus quæ in celebrationibus Miſſarum ad Altare fiunt; quæ ſcilicet orationes ad ſolum patrem locutionem dirigentes intendunt. Sed & cum ait Apoſtolus Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis per gloriam Dei patris, id eſt per virtutem diuinæ potentiæ, vel patrem eum à mortuis ſuſcitaſſe, & viuificaturum eſſe corpora noſtra, vel ab eo Filium, vel Spiritum ſanctum miſſum eſſe, vel ei Filium obediſſe, quaſi propriè vel ſpecialiter patri tribuit, quæ ad potentiam pertinere videntur, vt ex his quoque inſinuetur maximè ad perſonam patris iuxta eius, vt dictum eſt, proprietatem, ea quæ potentiæ ſunt aſcribenda eſſe, ſicut filio ea quæ ad animi rationem vel ſapientiam pertinent, ſicut eſt iudicare, quod diſcretionis eſt. Vnde ſcriptum eſt. *Pater omne iudicium dedit Filio* quia potentia cedit ſapientiæ in diſcutione iudicij, vbi æquitas magis examinanda eſt, quam vis potentiæ exercenda. Quod autem ſupponitur quia filius hominis eſt ex quo diuinum maximè pendeat iudicium, declarat ſecundum quod ipſe filius proteſtatus eſt. *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationē nullam habent de peccato.* Ac ſi dicatur ex hoc maximam impios condemnationem iuſtè incurrere, quia tanto diuino beneficio ingrati inexcuſabiles exſtiterunt, miſſum etiam à Patre filium reſpuentes. Ad hoc etiam illa inſcriptio Pſalmi noni pertinet quæ ait. Pro occultis filij ſcilicet iudiciis, de quibus in eodem Pſalmo ſubiunctum eſt. *Cognoſcetur Dominus iudicia faciens*, & alibi, *Iudicia tua abyſſus multa.* Quia videlicet ſicut dictum eſt, ſapientiæ eſt iudicare, id eſt quod ex iuſtitia cuique debeatur, cognoſcere. *Chriſtum* autem *Dei ſapientiam & Dei virtutem* Apoſtolus nominat. Sapientiam quidem per quam omnia ad integrum nouit, virtutem verò, per quam omnium bonorum efficaciam complet, ſecundum quod ſcriptum eſt. *Omnia per ipſum facta ſunt*, & alibi. *Omnia in ſapientia feciſti.* Vnde & dextera ſiue manus patris appellatus eſt, per quam Pater omnia operatus eſt. Qui etiam benè mens patris, ſiue ratio, ſiue Angelus conſilij dictus eſt, quia omnia in hac ſapientia rationabiliter Pater diſponit,

Digitized by

ſiue creando mundum, ſiue reparando eundem poſt lapſum: & in hoc Pater verum conſilium noſtræ ignorantiæ dedit, cùm eo incarnato nos viſitauerit. Sed & quando hominibus apparere ad aliquid docẽdum Deus legitur, filio id magis quã alteri perſonę tribuitur: eo quod docere ad ſapiẽtiam neceſſe pertineat. Siue ergo ad aliud docendum antiquis temporibus in Angelo vel in aliqua ſpecie corporali Deus apparuerit, ſiue tempore gratiæ per hominem aſſumptum ſe mundo viſibilem exhibuerit, filio id propriè aut ſpecialiter propter ſuprapoſitam cauſam aſcribitur. Per ipſum enim Deus nos erudiens tanquam verbo ſuo nos inſtruit, quotiens de plenitudine ipſa ſapientiæ ſuæ nobis aliud impartit, ſicut ſcriptum eſt. *Et de plenitudine eius omnes accepimus.*

XI. Logos itaque filius Dei cùm dicitur, id eſt Verbum, ſecundum illam ſignificationem ſumitur, ſecundum quam λόγος apud Græcos ipſum etiam mentis conceptum ſeu rationem mentis ſignificat, non vocis prolationem. Vndè Boetius in Cathegorijs Ariſtotelis lib. ſecundo, quoniam Græca oratione λόγος dicitur etiam animi cogitatio, & intra ſe ratiocinatio. λόγος quoque & oratio, ne quis Ariſtotelem, cùm diceret λογὸν, id eſt rationem quantitatem eſſe, de eo putaret dicere quem quiſque λογὸν in cogitatione diſponeret, addidit, quæ fit cum voce. Hinc & beatus meminit Auguſtinus lib. quæſtionum octuageſimo tertio. cap. XLIIII. *In principio*, inquit, *erat Verbum*, quod λόγος Græcè dicitur, Latine autem orationem & Verbum ſignificat. Sed hoc loco meliùs Verbum interpretatur, vt ſignificetur non ſolum ad patrem reſpectus, ſed ad illa etiam quæ per Verbum facta ſunt. Ratio verò et ſi nihil per eam fiat, neceſſe ratio dicitur. Idem in lib. contra quinque hæreſes. *In principio erat Verbum*, meliùs Græci λογὸν dicunt. λόγος quippè Verbum ſignificat & rationem. De quo quidem verbo Dei ſcilicet intelligibili, quod vt dictum eſt, ſapientia intelligitur, Beatus quoque Greg. in Homelia Euangeliorum, ſeptima ita loquitur, diſtinguens ſcilicet ipſum intelligibile verbum à verbo audibili, quod eſt vox. Scitis, inquit, quia vnigenitus Verbum patris vocatur, Ioanne atteſtante qui ait, *In principio erat Verbum*. Ex ipſa noſtra locutione cognoſcitis quia prius vox ſonat vt Verbum poſtmodum poſſit audiri: Ioannes ergo vocem ſe eſſe aſſerit,

quia verbum præcedit. Idem in Homelia xxiii. de Ioanne Baptiſta. *Ego vox clamantis in deſerto.* Ideo, inquit, vox à propheta vocatus eſt, quia verbum præibat, quod eſt dicere. Sicut verbum audibile in auditore præcedit intelligibile, quia videlicet prius vox ſonat, vt poſtmodum ex ea intellectus concipiatur: ita Ioannis prædicatio anteibat, Aduentum Domini nunciando. Verbum itaque dicit conceptum mentis, & quandam intelligentiæ locutionem, quæ in mente formatur, ad cuius ſimilitudinem vnigenitus Verbum Dei, & quaſi quædam eius intellectualis ac perpetua locutio, in cuius prouidentia omnium ab æterno præfixa conſiſtit ordinatio atque operatio. Vnde & Moiſes cum in diuerſis rerum creationibus faciendis præmittat, *Dixit Deus*, & ad dictum ſtatim adiungat effectum dicens, *Et factum eſt ita*. Cuncta Deum condidiſſe in verbo, hoc eſt in ſapientia ſua oſtendit, id eſt omnia rationabiliter. De quo etiam Pſalmiſta ait. *Dixit & facta ſunt*, id eſt ratione cuncta condidit ſiue ordinauit. Qui etiam hoc verbum alibi apertius demonſtrans, non eſſe verbum audibile, & tranſitorium, ſed intelligibile & permanens, ait. *Qui fecit cœlos in intellectu*, hoc eſt ad modum illum quo eos primum ordinauerat in verbo mentis, id eſt in conſpectu ſuæ perpetuæ omnia prouidentis intelligentiæ. Hanc autem intellectualem Dei locutionem, id eſt æternam ſuæ ſapientiæ ordinationem Auguſt. de Ciuit. Dei lib. xvi. cap. vi. deſcribens, Dei, inquit, ante factum ſuum, locutio ſui ipſius facti eſt incommutabilis ratio, quæ non habet ſonum ſtrepentem atque tranſeuntem, ſed vim ſempiternè manentem, & temporaliter operantem.

XII. QVEMADMODVM verò quæ ad potentiam pertinent, patri; quæ ad ſapientiam, filio ſpecialiter tribuuntur: ita quę ad operationem diuinæ gratiæ attinent, ac diuinæ charitatis bonitatem, Spiritui ſancto aſcribuntur: ſicut eſt remiſſio peccatorum, & quorumcumque donorum diſtributio, ex ſola bonitate eius, non verò ex meritis noſtris proueniens; qualis eſt regeneratio in baptiſmo ad dimittenda peccata, confirmatio per impoſitionem manus Epiſcopi, ad dandam armaturam virtutum, quibus ſcilicet virtutibus poſt remiſſionē peccatorū perceptam, reſiſtere valeamus inimico tunc vehemētius inſurgēti. Sic & cetera Sacramēta quæ in Eccleſia conficiuntur, ex

bonitate

bonitate Dei Spiritui tribuenda ſunt, vt ex hoc patenter innuatur ipſum diuinæ bonitatis affectum, atquæ diuinæ gratiæ dulcedinem Spiritus ſancti vocabulo exprimi. Spiritu quippè oris noſtri, id eſt anhelitu maximè affectus animi pateſiunt, cum videlicet aut præ amore ſuſpiramus, aut præ laboris aut doloris anguſtia gemimus. Vnde in hoc loco Spiritus ſanctus pro affectu benè ponitur, iuxta illud Sapientiæ. *Benignus eſt ſpiritus Sapientiæ &c.* atque illud Pſalmiſtæ. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* &c. Vnde & Apoſtolus, *Deus charitas eſt*, quia teſte Gregorio, ſpiritus ipſe amor eſt. De quo etiam Auguſt. in primo ſuper Geneſim, eo loco quo ſcriptum eſt. *Spiritus ferebatur ſuper aquas*, ita meminit. Egenus atque indigens amor ita diligit, vt rebus quas diligit ſubijciatur. Propterea cum memoraretur Spiritus Domini in quo ſancta eius beneuolentia dilectioque intelligatur, ſuperferri dictus eſt, ne faciendo opera ſua per diligentiæ neceſſitatem, potius quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putetur. Idem in XIV. de Trinit. denique ſi in nobis Dei nil eſt maius charitate, & nullum eſt maius donum Dei quam Spiritus ſanctus; quid conſequentius, quàm quod ipſe ſit charitas quæ dicitur Deus, & ex Deo? Quod ſi charitas qua diligit Pater filium, & Patrem diligit filius ineffabiliter communionem amborum demonſtrat, quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur charitas quæ ſpiritus eſt communis amborum? Idem ſupra lib. V. Spiritus ſanctus ſecundum id quod dictum eſt, quia Deus ſpiritus eſt: poteſt quidem vniuerſaliter dici, quia & Pater ſpiritus, & Filius ſpiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus, & poſt pauca. Spiritus ſanctus quædam patris filiique communio eſt, & ideo fortaſſe ſic appellatur, quia patri & filio poteſt eadem appellatio conuenire. Vt ergo ex nomine quod vtriſque conuenit, vtriuſque communio ſignificetur, vocatur donum amborum Spiritus ſanctus. Idem in XV. Multis exemplis dici poſſunt multarum rerum vocabula & vniuerſaliter poni, & propriè quibuſdam rebus adhiberi. Hoc ideo dixi, ne quiſquam propterea nos inconuenienter exiſtimet charitatem appellare Spiritum ſanctum, quia & Deus Pater, & Deus filius, poſſunt charitas appellari. Clarum itaque, ex ſupra poſitis arbitror teſtimonis, diuinam vt diximus

potentiam vocabulo patris exprimi, diuinam ſapientiam filium intelligi, ac diuinæ gratiæ bonitatem Spiritum ſanctum appellari. Tale itaque eſt dicere Domini poteſtatem, ac ſi dicamus diuinam potentiam, ex qua diuina genita eſt ſapientia. Tale eſt & dicere, Deum filium; quaſi diceremus, diuinam ſapientiam ex diuina genitam potentia. Spiritum verò ſanctum cum dicimus, tale eſt, ac ſi commemoremus diuinæ bonitatis charitatem, ex patre & filio pariter procedentẽ. Modum verò huius generationis ſeu proceſſionis proût Dominus dederit, in ſequentibus exponemus. Nunc autem ad noſtræ fidei aſſertionem aduerſus vniuerſos Chriſtianæ fidei deriſores, tàm Iudæos ſcilicet quàm Gentiles, ex ſcriptis eorum teſtimonia inducere libet, quibus hanc Trinitatis diſtinctionem omnibus annunciatam eſſe intelligant, quamquidem diuina inſpiratio & per Prophetas Iudæis, & per Philoſophos Gentibus dignata eſt reuelare, vt vtrumque populum ad cultum vnius Dei ipſa ſummi boni perfectio agnita inuitaret, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, & faciliùs hæc fides Trinitatis tempore gratiæ ſuſciperetur ab vtroque populo, cum eam à doctoribus quoque antiquis viderent eſſe traditam.

XIII. PRIMVM ipſa legis exordia occurrant, vbi legiſlator Moiſes fidem Catholicam de vnitate pariter & Trinitate tanquam omnium bonorum fundamentum anteponit. Cum enim dicitur, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Pro eo quod apud nos dicitur Deus, Hebraica veritas habet, *Heloym*, quod eſt plurale huius ſingularis, quod eſt *Hel*. Quare ergo non dictum eſt *Hel*, quod eſt Deus, ſed *Heloym*, quod apud Hebræos dij ſiue iudices interpretatur, niſi hoc ad multitudinem diuinarum perſonarum accommodetur: vt videlicet eo modo inſinuetur pluralitas in Deo, quomodo & Trinitas; & quodammodo multiplex dicatur Deus quomodo & trinus, non ſecundum quandam ſubſtantiæ diuerſitatem, ſed ſecundum perſonarum proprietates? Vt videlicet tale ſit quod dictum eſt *Heloym*, ac ſi diceretur, non res multæ, ſed perſonæ multæ, quarum vnaquæque ſit Deus, alioquin plures etiam dicerent Deos, cùm vnus ſit tantùm. Nam & ibidem de vnitate ſubſtantiæ demonſtranda cautè prouiſum eſt, cum dicitur *Creauit*, non creauerunt, ſeruata ſingularitate numeri in ver-

Digitized by

bo ſecundum vnitatem ſubſtantiæ per ſubiectum nomen intelligentiæ, quamuis ſcilicet iſtud nomen ſecundum formam vocis & terminationem declinationis ſit pluralis numeri, ſicut è contrario cum dicitur, Turba ruunt, ad nomen ſingularis numeri plurale verbum applicatur, iuxta intelligentiam ſcilicet pluralitatis rerum per ſubiectum nomen intelligentiæ. Tale eſt ergo *Heloym* creauit, ac ſi diceretur, Trinitas perſonarum diuinarum creauit, id eſt cooperata eſt. V bi & ſtatim in ſequentibus diſtinctionem perſonarum annectit: quaſi ad determinandum quod ad hanc denotandam *Heloym* pluraliter dixerat. Spiritus quidem ſancti æternitas patenter oſtenditur, cùm dicitur, *Spiritus domini ferebatur ſuper aquas*. Verbum verò, id eſt filius, ſimul & patenter inſinuatur, cum dicitur, *Dixit Deus fiat*: hoc eſt in dicto ſuo ſeu verbo, id eſt, in coæterna ſapientia ſua pater ordinauit facienda. Non enim de corporali locutione hoc accipi poteſt. In eo quoque quod ſcriptum eſt, *Et vidit Deus quod eſſet bonum*, Bonitas Dei quam Spiritum ſanctum dicimus, inſinuatur: ſicut in eo quod dicitur, *Dixit Deus*, intelligitur verbum & pater. Tale eſt enim quod dicitur, *Vidit Deus quod eſſet bonum*, ac ſi dicatur intelligendo, quia opus quod facerat bonum eſſet, amauit illud, eo ipſo quod bonum erat. Ex quo & ipſe bonus eſſe liquidò monſtratur. Quid etiam apertiùs ad documentum Trinitatis eſſe poteſt, quàm illud quod poſtea in creatione hominis ſubiungitur, dicente Domino, *Faciamus hominem &c*? Quid enim pluraliter dictum eſt *Faciamus*, niſi vt cooperatio totius Trinitatis exprimatur? Quippè quos cohortaretur Deus ad creandum hominem, aut ad ſe in aliquo iuuandum, cum ipſe ſolus creaturus ſit? Scriptum namque eſt, *Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis Conſiliarius eius fuit? Cum quo iniit conſilium &c.* Benè autem ad imaginem, & ſimilitudinem Trinitatis, hoc eſt ad expreſſam ſimilitudinem quandam trium perſonarum, homo fieri dicitur, qui & patrem per poteſtatem, quam in ceteras creaturas accepit, imitatur: & filium per rationem, & ſpiritum per innocentiæ benignitatem, quam poſtmodum per culpam amiſit. Ad hanc quoque pluralitatem diuinarum perſonarum illud attinere videtur, quod in ſequentibus per ſerpentem dictum eſt. *Eritis ſicut dij*, quod vt ſuperius dictum eſt in Hebraico ſonat *Heloym*, id eſt diuinæ

perſonæ potius quàm Dij diuerſi, nec non & illa dominica increpatio. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*, & rurſus iſtud quod Dominus ait. *Deſcendamus & confundamus linguam eorum*, cum hoc ſolus Deus compleuerit. Vnde & ſubditur. *Atque ita diuiſit eos*. Nunc autem poſt legem, ad Prophetas tranſeamus.

XIV. AIT itaque maximus Prophetarum & Regum Dauid, qui ſuam ceteris intelligentiam præferens dicit: *Super omnes docentes me intellexi*. Et: *Super ſenes intellexi*. Ait inquam diſtinctionē Trinitatis patenter inſinuans: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*. Qui & alibi vnitatem pariter cum Trinitate inſinuat dicens, *Benedicat nos Deus, Deus noſter; benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*. Trina quippè confeſſio Dei, Trinitatem exprimit perſonarum, patris ſcilicet, & Filij, & Spiritus ſancti. Benè autem filium Dei deſignans addidit, *noſter*, quaſi eum participem noſtræ naturæ, & à patre nobis eſſe datum oſtendens, cum per incarnationem verbi diuina nos ſapientia illuminauit. De quo etiam verbo Apoſtolus ait, *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Vnitatem verò diuinæ ſubſtantiæ Pſalmiſta in eodē aperit, cum poſt ternam diuini nominis prolationem, vnum tantummodo Deum in tribus perſonis intelligens, non coniunxit eos pluraliter, ſed ſingulariter. Hinc & illud conſonat Iſaïę quod dicit ſe vidiſſe Seraphin & audiſſe clamantia. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth. Rectè autem vocabulo Domini vſus eſt Propheta ad potentiam deſignandam, quia dominorum eſt præeſſe. Quæ videlicet putentia plerūque etiam hoc nomine Deus aſſignatur. Eo videlicet quod Θεὸς Græce, id eſt Deus, teſte Iſidoro, timor interpretatur, & poteſtas quælibet timor eſt ſubiectorum. Quod autem verbum Dei, ipſa ſapientia eius ſit intelligendum, apertè in Eccleſiaſtico monſtratur his verbis. *Omnis ſapientia à domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper & eſt ante æuum. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit? Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo, fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, &c.* Dauid quoque æternam filij generationem ex patre Deo apertè inſinuat, vbi perſonam filij introducit loquentis ſic, *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, poſtula à me & dabo tibi gentes ha-*

reditatem. Tale eſt autem quod ait, *Ego hodie genui te*, ac ſi diceret. Æterna lux ex ipſa mea ſubſtantia es: nam quia in æternitate nihil, præteritum aut futurum, ſed tantũmodo præſens, id circo aduerbio temporis præſentis, pro æternitate eſt vſus dicendo hodie, pro æternaliter. Benè autẽ ad hodie addidit genui, quaſi præſens præteritum, vt videlicet ipſam generationem per hodie præſentem, ſemper, per genui, perfectam eſſe indicaret, nunquam ſcilicet aut ceſſare, aut incœptam eſſe. Quippè quæ præterita ſunt, iam completa ſunt & perfecta, ideoque præteritum quaſi pro perfectione poſuit, oſtendens ſcilicet filium ex Patre ſemper, generari & ſempor genitum eſſe. Qui & alibi apertius æternitatem filij proteſtatur dicens. *Permanebit cum Sole & ante Lunam, in generatione & generationem*, & rurſus, *Tecum principium*. De hac etiam ineffabili & æterna generatione, ſiue etiam temporali, quarum vtraque mirabilis eſt, Iſaïas admirans ait. *Generationem eius quis enarrabit?* Ac ſi apertè diceret. Non eſt hoc differere humani ingenij, ſed ſolius Dei, cuius tamen ſpiritus in his fidelibus quos vult loquitur, ipſo atteſtante qui ait: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*. Hieronymus etiam ſuper Eccleſiaſtem eo loco quo dicitur, Quis ſcit ſpiritus filiorum hominũ ſi aſcendat ſurſum, & ſpiritus pecoris deſcendat deorſum in terra? Illud quod dictum eſt, *Generationẽ eius quis enarrabit?* ad exemplum difficilis non impoſſibilis trahit dicens, Adiiciendo, quis, difficultatẽ rei voluit demonſtrare. Pronomen enim quis, in ſcripturis ſanctis, non pro impoſſibili, ſed pro difficili ſemper accipitur, vt ibi. *Generationem eius quis enarrabit?* id eſt Chriſti, &c. Hæc etiam ſapientiæ coæternitas cum patre planè in Prouerbiis monſtratur his verbis: *Ego ſapientia habito in conſilio. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret ab initio; ab æterno ordinata ſum, ante quàm terra fieret. Necdum erant abiſſi, & ego iam concepta eram; necdum fontes, necdum montes. Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cœlos aderam, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore*. Quid enim apertiùs ad æternam generationem Verbi, quàm id quod ipſa ſapientia perhibet ſe ante conſtitutionem mundi conceptã eſſe & parturiri, & ſe cum

patre æternaliter permanentem ſemper ludere coram eo? Quippè quod conceptum parturitur, vtique in ipſo eſt à quo generatur, & ſapientia in ipſa ſubſtantia ſiue in eſſentia potentiæ eſt. Cum ipſa ſcilicet quædam ſit potentia, ſicut poſterius oſtendemus. Tale eſt ergo ſapientiam conceptam parturiri à Deo, ac ſi dictum ſit, ipſam ſapientiam ex ipſa patris ſubſtantia ex qua eſt gigni. Tale eſt ſapientiam ludere coram patre, & cum ipſo cuncta componere, ac ſi dixerit ipſam diuinam potentiam omnia in ſapientia pro bonitatis ſuæ arbitrio diſponere, vt in ipſo ludo ipſum bonitatis effectum intelligamus, de quo ſcriptum eſt, *Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* Quod autem ait, Sapientiam coram Deo patre ſemper aſſiſtere, tale eſt omnipotentiam ipſam nil efficere niſi præeunte ratione & ducatu ſapientiæ. Item in eiſdem Prouerbijs de filio Dei & ineffabili nomine ipſius quoque filij manifeſtiſſimè ſcripſit, quaſi inducens perſonam admirabilis cuiuſdam prophetæ, hanc inenarrabilem generationem prophetantis atque admirantis. Dicit quippè ſic. *Viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus, & quæ Deo ſecum morante confortatus, ait: Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? quod nomen eius, aut quod nomen filij eius?* Quam firmum etiam & quam apertum fidei noſtræ teſtimonium in Eccleſiaſtico occurrit, vbi quidem ſapientia Dei & ſe primogenitam ante omnia dicit ſecundum diuinitatis naturam, & poſtmodum creatam ſecundum naturæ noſtræ aſſumptionem, cum ipſa videlicet ad imperium patris per Incarnationis habitum viſitauerit Iſrael? Scriptum quippè eſt ibi, *Sapientia in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur dicens. Ex ore altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturam, ego in cœlis feci vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram. Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuiui ſola, &c.* Et poſt pauca. *Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi. In Iacob inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis meis mitte radices.* In eodē quoque Libro apertiſſimè peccatorū remiſſionē conſiſtere in incarnatione diuinæ ſapientiæ quæ Chriſtus eſt prophetat dicens, peccata Dauid per Chriſtum purgata eſſe. Ibi enim cum de laude Dauid plura dicerentur, ſumma totius laudis in hoc vno collecta eſt quod ſubditur. *Chriſtus pur-*

Digitized by

gauit peccata ipſius, & exaltauit in æternum cornu eius, & dedit illi teſtamentum regum, & ſedem gloriæ in Iſrael. Micheas quoque de hac æterna verbi generatione ex patre, nec non & de temporali ex matre ait. *Et tu Bethleem Effrata paruula es in millibus Iuda, ex te egredietur qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Dicant rebelles & increduli Iudæi, de quo naſcituro in Bethleem hoc dictum ſit, quod videlicet egreſſus eius ab initio ſit à diebus æternitatis. Æternum quippè eſt quod origine caret. Quod ſi hoc referant ad Meſſiam illum, ſcilicet maximum prophetam, vt aiunt, quem expectant, qui tamen ſecundum eos homo purus erit, non etiam Deus, oſtendant quis egreſſus eius æternus ſit, vel vnde æternaliter egrediatur. Si autem dicant eum æternaliter egredi ex Bethleem, eo quod eius natiuitas in eo loco futura ab æterno præuiſa ſit à Deo & prædeſtinata, hoc vtique modo cuiuſlibet hominis, vel cuiuslibet rei natiuitas æterna eſt, quia videlicet ab æterno præuiſa. Diſcant itaque æternam generationem eſſe quam ex ſcriptura legunt, & legendo profitentur, & profitentes non credunt. Reſpondeant etiam mihi cum audiunt prophetam dicentem, *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, quid per verbum Domini, quid per os eius, & per ſpiritum intelligant. Vnum quippè omnium aliarum rerum principium Deum conſtat eſſe. Et omne quod eſt, aut Deus eſt, & ideo æternum, aut ab æterno illo principio manet creatum. Scriptum præterea eſt. *In principio creauit Deus cælum & terram*, vnde ante hoc nihil creatum eſſe volunt. Verbum itaque illud quo cœli firmati ſunt, & ideo prius eſt his quos conſtituit, creatum non eſt, imo creator ipſe qui Deus, quo cœli firmati ſunt. Si autem hoc verbum locutionem aliquam Dei tranſitoriam appellant, ſicut & verbum hominis, eo videlicet quo ſcriptum eſt. *Dixit Deus, & facta ſunt*, atque ita Deus quoque ſicut homo modo loquatur, cum ait, *fiat lux*, modo conticeat, profecto permutabilis eſt diuinitatis æternitas, cum non ſemper dicat fiat lux &c. quæ iam condita ſunt. Quid etiam opus verbo audibili fuit ante mundi conſtitutionem, cum nondum eſſet qui loqueretur, vel qui audiretur? Nunquid inane verbum non protulit, ſi opus verbo non fuerit? præſertim cùm ſola voluntas ſufficeret, nec ad hæc aliquis eſſet, qui audito verbo inſtrueretur. Quo

etiam proferendo verbum emitteret, cum nullus adhuc locus creatus esset, nec aer adhuc conditus ex quo verba formantur. Quibus etiam instrumentis verba formaret, cum nec os, nec pars aliqua inesse possit ei qui omnino simplex est, & indiuisibile? Omne quippè quod partibus constat, posterius est naturaliter his ex quibus constat, & quorum conuentu perficitur, cum ex ipsis suum esse contrahat ex quibus est cõstitutum. Omne etiam, inquit Plato, quod iunctum est natura dissolubile est. Quod si Spiritum domini ventum intelligant, sicut ibi accipere volunt, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, eo, vt aiunt, quòd ventus in aquis quas commouet, màximè appareat: quomodo spiritus, id est flatus domini oris esse dicatur, cùm videlicet neque os, neque aliquam partem vt dictum est habeat? Quomodo etiam per ventum virtus cœli consistit & terræ? Intelligant ergo hunc esse illum spiritum Domini, cuius septiformem gratiam Isaias describens ait. *Et requiescet spiritus Domini super eum, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, &c.* Et alibi. *Et nunc dominus misit me & spiritus eius.* Et rursus, *Spiritus domini super me, eo quod vnxerit me, ad annunciandum mansuetis miſit me.* De quo etiam in Sapientia dicitur, *Spiritus sanctus effugiet disciplinæ fictum, benignus est enim spiritus sapientiæ, &c.* De quo iterum cum subditur, *Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*, apertè ipse spiritus Deus esse perhibetur, cùm omnia continere dicatur. Et iterum ad Deum loquens Sapientia dicit. *Sensum autem tuum quis sciuit, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum tuum sanctum de altissimis?* Et rursus, *O quàm bonus & suauis domine spiritus tuus in nobis!* Hinc etiam cum ipse spiritus sapientiæ describeretur, verus Deus planè prædicatur, cum inter cætera de eo scriptum sit in Sapientia sic, *Omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus.* Quem etiam Heliud in libro Iob confitetur creatorem dicens, *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Cuius & filius ipse Dei in Euangelio æqualem sibi & patri dignitatem ascribens dicit, *Ite, docete omnes gentes &c.* Nec non & Apostolus teste Augustino, cum templum spiritus sancti nominauit, apertè eum esse Deum pronunciat, cum solius templum Dei esse dicatur. Scriptum quippè est in Apostolo, *Nescitis quoniam templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Vbi apertè insinuat

ſinuat Deũ ipſum cuius eſt tẽplum, & ſpiritũ Dei quem inhabitare dicit idẽ eſſe. Sic & beatus Petrus in actibus Apoſt. Spiritũ ſanctũ Deũ eſſe profitetur dicens, *Vt quid mentitus es Spiritui ſancto Anania? non es mẽtitus hominibus, ſed Deo.* De quo iterũ ſpiritu in eiſdẽ actib. continetur. Hoc dicit ſpiritus iubens. *Separate mihi Barnabã & Paulũ &c.* & rurſum. *Placuit Spiritui ſancto & nobis.* Et Pſalmiſta Spiritũ Dei vbique eſſe tanquã incircũſcriptum profitetur dicens. *Quo ibo à ſpiritu tuo?* Qui & ſtatim vt ipſum ſpiritum Dei, quem vbique eſſe profitetur, idem eſſe cum ipſo Deo ad quem loquitur, inſinuet; per hoc patenter oſtendit quod ſtatim ſpiritum ipſum vbique eſſe aſſignat per ipſum Deum quem vbique eſſe aſtruit, dicens: *Si aſcendero in cælum tu illic es &c.* Sed & cùm veritas ipſa perhibet, peccatum in ſpiritum non eſſe remiſſibile, cum peccatum in patrem vel in filium remiſſibile dicat, cui apertè non inſinuet ſpiritum ipſum non minorem eſſe patre vel filio, & per hoc etiam ipſum Deũ plenum eſſe ſicut eſt pater ipſe vel filius? Liquet itaque ex ſuprapoſitis tàm verbum Dei quàm ſpiritum eius, Deum eſſe; ſicut & ipſe cuius eſt verbum vel ſpiritus. Intelligant igitur, vt dictum eſt, hoc verbum Deum, id eſt filium Dei, non tranſitorium verbum, non audibile, ſed intellectuale; hoc eſt ipſam rationem ſiue ſapientiam coæternam Deo, quam dici conuenit omniſapientiam ſicut & dicimus omnipotentiam, vnde & ſcriptum eſt, *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.* Qui etiam in libro Sapientiæ verus Dei filius & conſubſtantialis monſtratur, ad differentiã ſcilicet adoptiuorum filiorum, de quibus per prædicationem eius Deo acquiſitis ſcriptum eſt. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Sic quippè cum eius paſſio in Sapientia manifeſtè prophetaretur, inter cætera ab impijs dictum eſt. *Si enim verus Dei filius eſt, ſuſcipiet illum & liberabit de manu contrariorum.* Hanc & apertè generationem profitetur ſancta anima per Deum liberata cum in Eccleſiaſtico dicit, *Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ.*

XV. NVNC autem poſt teſtimonia Prophetarum de fide ſanctæ Trinitatis, libet etiam teſtimonia Philoſophorum ſupponere, quos ad vnius Dei intelligentiam cum ipſa Philoſophiæ ratio perduxit, qua iuxta Apoſtolum, *Inuiſibilia ipſius Dei à*

Digitized by Google

creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, tum etiam ipſa continentiſſimæ vitæ ſobrietas, quodam eis merito idipſum acquiſiuit. Oportebat quippè tunc etiam, vt in ipſis præſignaret Deus per aliquod abundantioris gratiæ donum quàm acceptior ſit ei qui ſobriè viuit, & ſe ab illecebris huius mundi per contemptum eius abſtrahat, quàm qui voluptatibus eius deditus, ſpurcitijs omnibus ſe immergit. Quantæ autem incontinentiæ vel abſtinentiæ Philoſophi fuerint, ſancti etiam Doctores tradunt, qui & eorum vitam ad noſtram increpationem aduehunt, & pleraque ex documentis eorum moralibus, vel teſtimonijs fidei, ad ædificationem noſtram aſſumunt: quod qui ignorat, legat ſaltem Hieronymum contra Iouinianum, & viderit quanta de eorum virtutibus & ceterorum gentilium referat, ad impudentiam ſcilicet illius hæretici conterẽdam. Maximè autem & nos opere hoc teſtimonijs ſeu rationibus Philoſophorum niti conuenit, in quo aduerſus eos præcipuè agimus, qui fidem noſtram Philoſophicis nituntur oppugnare documentis, præſertim cum nemo niſi per ea quæ recipit, arguendus ſit aut conuincendus; & ille nimia confuſione conteratur, qui per eadem vincitur, per quæ vincere nitebatur. Philoſophos autem vnum tantummodo Deum cognoſcere vnus ex ipſis Tullius in primo Rhetoricorum perhibet dicens: Eos qui Philoſophiæ dant operam non arbitrari deos eſſe, ac ſi apertè dicat, immo vnum deum, non deos plures. Qui etiam qualiter deo reuelante ad ipſius diuinæ Trinitatis cognitionem conſcenderint, Paulus quoque Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos patenter inſinuat dicens, *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis reuelauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis &c.* Vnde & Claudianus Præfectorio Patricio de ſtatu animæ ſcribens, his meminit verbis. Et quoniam mortalium generi natura datum eſt, vt abſtruſa fortius quærat, vt negata magis ambigat †, vt tardius adepta plus diligat; eo flagrantius animaduerteretur veritas, quo diutius deſideratur, vel laborioſius quæritur, vel tardius inuenitur. Hinc factum, vt Philoſophi quoque excellentibus ingeniis

† ambiat

longi ſeculi de veritate quærentes abvſque Pitagora Italico, vel Ionico Talete ſemper extiterint, qui diſſidentibus aliis, vel in parte operis aliud dignum tanta indage ſenſerunt. Vnde etiam doctor gentium non tam ignaros veri Philoſophos, quàm cognitionis contemptores accuſat, inquiens, *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea que facta ſunt intellecta &c.* Hinc etiam illud eſt Auguſtini de ciuitate dei lib. VIII. Homo Chriſtianus literis tantum Eccleſiaſticis eruditus cauet eos, qui ſecundum elementa huius mundi philoſophantur. Admonetur enim Apoſtolico præcepto. *Cauete ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem ſeductionem ſecundum elementa mundi*, Deinde ne omnes tales arbitretur, aliud audit ab eodem Apoſtolo de quibuſdam, *quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis &c.* Et vbi Athenienſibus loquens, cum rem magnam de Deo dixiſſet, & quæ à paucis poſſet intelligi, *Quod in illo viuimus, mouemur, & ſumus*, adiecit, *ſicut & veſtri quidam dixerunt.* Idem in lib. de ſpiritu & litera. Vita ſapiens quæ fecit mundum, contemplato mundo intelligitur. Interroga mundum & ornatū cœli, terram fructificantem herbis, & lignis, & animalibus plenam, mare quantis natantibus plenum eſt, aerem quantis volatilibus, interroga omnia & vide ſi non omnia ſpecie ſua tanquam voce tibi reſpondeant, Deus nos fecit. Hæc Philoſophi nobiles quæſierunt, & ex arte artificem cognouerunt. Iſidorus de ſummo bono lib. I. cap. IV. ſicut laus operis in artificem retorquet laudem, ita & rerum creator per creaturam ſuam laudatur, & quanto ſit excellentior ex ipſa operis conditione monſtratur. Item collaudant Deum & inſenſibilia per nos, dum ea conſiderātes Deum laudamus. Dixerunt antiqui quia nihil fit quod non ſenſum habeat in Deum, nemo itaque miretur, ſi ab ipſis quoque Philoſophis, qui tot ſanctorum aſſertionibus ad diuinitatis notitiam ipſo etiam Domino reuelante conſcenderunt, teſtimonia inducamus. Licet eorum plurimi ab ipſo quoque Apoſtolo grauiter arguantur, eo quod iuxta illud quod ipſemet ait, *ſcientia inflat*, ex ipſa diuinæ notitiæ prærogatiua ſuperbiendo reprobi facti ſunt: non enim eos in exēplo viuendi hoc loco aſſumimus, ſed docendi ſiue credendi, ſicut & Salomonem frequenter. Cuius tamen ſapientiæ excellentia ipſius etiam Domini teſtimonio omnibus præferēda, per concupiſcentiā carnaleſque volupta-

tes deuicta idolatriæ consensit, diuino cultu derelicto, quem in scripturis suis & docebat & prædicabat. Ad quē etiam cultū Dei magnificandum ipse iussu Dei templum ædificauit, à quo pater eius iustus inhibitus fuit. Deus autē reprobis & infidelibus nonnumquam maxima dona distribuit, quæ aliorū doctrinæ vel vsui necessaria fore videt. Nec nō & per reprobos multa miracula operatur, de quibus veritas in Euāgelio: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia non noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Deus autē cū per reprobos aut miracula ostēdit, aut prophetias loquitur, aut quęlibet magna operatur, non hoc ad vtilitatem ipsorum agere quibus vtitur tanquam ministris, sed potius aliorum, quos instruere per istos intendit. Qui & per indignos ministros gratiæ suæ dona non deserens, quotidie sacramenta Ecclesiæ ad inuocationem sui nominis spiritualiter conficit in salutem credentium. Benè autem & per indignos siue infideles maxima Deus operatur, qui verbis Asini Prophetam docuit, ne si per magnos tantum magna operaretur, virtutibus meritisque hominum magis quàm diuinæ gratiæ hæc tribuerentur. Nequando tamen de salute omnium desperet Philosophorum, aut omnium vitam existimet reprobā, qui dominicam incarnationem præcesserunt, beatum audiat Hieronymum, Euangeliū Mathæi exponentem. Ait quippe sic inter cætera. Ex eo quod malus seruus ausus sit dicere, *Metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti*, intelligamus etiam gentilium Philosophorum bonam vitam recipere Deum, aliter habere eos qui iustè & aliter eos qui iniustè agunt. Si enim supra positam ab Apostolo causam discutiamus, qua videlicet quosdam eorum post diuinam quam assecuti sunt notitiam, in reprobum sensum tradi meminerit, cum in suis scilicet euanescerent cogitationibus, dicentes se esse sapientes, id est suam sapientiam proprio studio vel ingenio ascribentes, non diuinæ gratiæ dono tribuentes, reperiemus eos qui præcipui habentur, omnem præcipuè philosophiam diuinæ tribuere gratiæ, veluti Socratem siue Platonem. Socratem quidem lib. ix. de ciuit. Dei beatus August. talibus effert præconijs. Socrates magister Platonis, vniuersam philosophiam ad corrigendos componendosque mores

exegiſſe commemoratur. Hic animum intendit ad hoc quod eſſet beatæ vitæ neceſſarium, per quam vnam omnium philoſophorum inuigilaſſe ac laboraſſe videtur induſtria. Nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos ſe in diuina conari, quandoquidem ab eis cauſas rerum videbat inquiri, quas primas atque ſummas, non niſi in vnius vim ac ſummi Dei voluntate eſſe credebat. Vnde & non eas putabat niſi mundata mẽte poſſe comprehendi, & ideo purgandis bonis moribus vitæ cenſebat inſtandum, vt deprimentib. libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna ſe attolleret, naturamque incorporalem atque incommutabilis luminis, vbi cauſæ omnium factarum naturarum ſtabiliter vniuntur, intelligentiæ puritate conſpiceret. A Platone quoque in primo de republica perſonam Socratis & Thimæi inducente ſcriptum eſt ita. Socrates. Ergo agè, Thimæe, deliba cœptum, vocata, vt mos eſt, in auxilium diuinitate. Thimæus. Verè mi Socrates. Nam cum omnibus mos ſit, & quaſi quædam religio, qui de maximis vel minimis rebus aliquid ſunt acturi, precari auxilium diuinitatis, quantò nos æquius eſt, qui vniuerſitatis naturæ ſubſtantiæ quæ rationem præſtaturi ſumus, inuocare diuinam opem, niſi planè ſæuo quodam furore atque implacabili raptemur amentia? Ecce apertè ex his verbis Platonis aſſeritur morem hunc eſſe Philoſophis, vt tàm in maximis quàm minimis quæ agenda ſunt diuinum inuocent auxilium, & pro ſummo furore atque implacabili amẽtia id ſi dimittatur apud eos haberi. Quod itaque ait Apoſtolus, quoſdam philoſophorum & gentilium ſapientum, hoc quod de Deo vel cæteris intelligebant, ſibi potius quàm Deo aſcripſiſſe, atque hinc excæcari meruiſſe, paucis potius quàm multis imputandum videtur, ſicut & ipſa turpitudinis pœna quam conſequenter adiungit dicens. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Et rurſum. *Maſculi*, inquit, *in maſculos turpitudinem operantes, &c.* Conſtat quippè philoſophos maximè continenter vixiſſe, atque ad continentiã tàm ſcriptis quàm exemplis multas nobis exhortationes reliquiſſe. Sed ſi quis ſine fide venturi eos ſaluari poſſe contradicat, quomodo id comprobare poterit, quod in eum ſcilicet non crediderint, quem etiam per gentilem fœminam, id eſt Sibyllam multo ferè apertius, quàm per omnes prophetas vaticinatũ viderint? Neque enim ideò

aſtruendum eſt eos incarnationem Domini futurã non expectaſſe, aut nõ credidiſſe, quia hoc in ſcripturis eorum minimè reperitur, cum nec fortaſſe in omnibus eorum prophetarum ſcriptis ipſa ſatis ſit expreſſa, diuino id diſponente conſilio, vt non quibuſlibet, aut per quoslibet, tantum reuelaretur arcanum, cum etiam prouida diſpenſatione ſeptuaginta interpretes in multis ſcripturarum locis quas transferebant ſcriptũ Dei filium reperientes, hoc penitus præteriſſe ac reticuiſſe dicuntur, ne ſcandalum ſcilicet infidelibus auditoribus magis commouerent, quàm fidem aſtruerent. Scimus quippè Philoſophos cum de dijs, quos populus venerabatur, diuerſa à cæteris ſentirent, & ideo à populo in fide diſſentirent, metu tamen compulſos, communia cum illis templa tenere, & cærimoniis eorũ intereſſe, ac ſe patiter idolatras ſimulaſſe. Vnde Auguſt. de vera Relig. Sapientes, inquit, quos philoſophos vocant, ſcholas habebant diſſidentes, & templa communia, non enim vel populos vel ſacerdotes latebat de ipſorum natura Deorum quam diuerſa ſentirent. Omnes tamen cùm ſectatoribus ſuis diuerſa & aduerſa ſentientibus ad ſacra communia nullo prohibente veniebant. Sed certè illud ſatis quantum mihi videtur, oportet aliud eos in religione ſuſcepiſſe cum populo, & aliud eoſdem ipſo populo audiente deffendiſſe priuatim. Socrates tamen audatior cæteris fuiſſe perhibetur, iurando per canem quemlibet aut lapidem, & quicquid iuraturo quaſi ad manum occurriſſet. Credo intelligebat qualiacumque opera naturæ, quæ adminiſtrante diuina prouidentia generentur, multo quam hominum meliora, & ideo diuinis honoribus digniora quàm ea quæ in templis colebantur. Non quòd verè canis aut lapis eſſent colenda ſapientibus, ſed vt hoc modo intelligerent, quod poſſent tanta ſuperſtitione euerſos eſſe homines, vt eſſet tam turpis demonſtrandus gradus, ad quem venire ſi puderet, viderent quanto magis pudendum eſſet in turpiore conſiſtere. Similiter & illos qui mundum iſtũ viſibilem ſummũ Deum eſſe opinantur, admonebat turpitudinis ſuæ, docens eſſe conſequens, vt quilibet lapis tamquam ſummi Dei particula iurè coleretur. Item, Socrates cum populo ſimulachra venerabatur, & poſt eius damnationem mortemque nemo auſus eſt iurare per canẽ, nec appellare quemcumque Iouem, ſed hoc tantũmodo memoriæ literiſque má-

Digitized by Google

dare. Quod vtrum timore an aliqua cognitione fecerint; iudicare non eſt meũ. Ex his itaque verbis apertè docemur quod ſcholæ id eſt doctrinæ Philoſophorum longè in fide diſſentirent à vulgo, eum quo tamen habebant Templa communia, cum eos omnes à ſe in fide diſſidere tàm populus quàm ſacerdotes ſentirent. Nec ſolùm diuerſos à fide, ſed aduerſos etiam exiſtere. Qui cum manifeſtè cum populo exteriorem religionem Templis exhiberent. *Stultorum* ſcilicet, quorũ *infinitus eſt numerus*, multitudinem metuentes, priuatim tamen,& quaſi ſapientiam loquentes inter perfectos, ipſo etiam nonnunquam populo audiente, ſectam fidei contrariam profitebantur atque defendebant. Quorumquidem Socrates maximus idololatriæ deriſor, in tantũ plures Deos, id eſt idola, contemptũ adduxit, vt eis canẽ præferre auderet, per quem ad hanc irriſionem iuſiurandum ſuſceperat, vnde & antiquorum nominum gloriam ipſis abſtulit Idolis. Supereſt nunc vt propoſita quoque Philoſophorum proferamus de fide teſtimonia, vt vtrumque populum infidelem ex ipſis ſuis doctoribus confutemus: Iudæos ſcilicet ex Prophetis, Gentiles ex Philoſophis.

XVII. PRIMVS autem nunc ille antiquiſſimus Philoſophorum, & magni nominis occurrat Mercurius, quem pro excellentia ſua Deum quoque appellauerunt. Cuius quidem teſtimonium de generatione verbi Auguſt. contra quinque hæreſes diſputans inducit, dicẽs: Hermes, qui Mercuri° Latinè dicitur, ſcripſit lib. qui appellatur λόγος τέλειος, id eſt verbum perfectum. Audiamus quid loquatur de verbo perfecto. Dominus, inquit, & factor omnium deorum ſecundum fecit dominum, hunc fecit primum, & ſolum & verum. Bonus autem ei viſus eſt, & pleniſſimus omnium bonorum: lætatus eſt, & valde dilexit eum tanquam vnigenitum ſuum. Item alio loco. Filius benedicti Dei atque bonæ voluntatis, cuius nomen non poteſt humano ore narrari. Auguſtinus quem primo factum dixit, poſtea vnigenitum appellauit. Quantum pleniſſimus ſit Ioannes Euangeliſta ait. *De plenitudine eius omnes accepimus*. Deos autem, hoc eſt animalia rationalia immortalia, Philoſophi planetas, ſeu etiam mundum ipſum vocare conſueuerunt, vnde & Prophetа ſolem & lunam & cætera, miliciam cœli vocat, morem gentilium ſecutus, qui eis tanquam rectoribus & protectori-

bus ſuis immolabant. Horum autem Deorum excellentiores, iuxta Platonem, ſummus Deus, cum de creatione hominis facienda alloquitur, quaſi omnia quæ in terris deorſum fiunt à ſuperioribus, per occultas planetarum ac ſyderum naturas adminiſtrentur. Ita enim dicit, Dum Deorum quæritur opifex idem paterque ego: opera ſiquidem mea diſſolubilia natura, me tamen ita volente indiſſolubilia &c. Ad hoc & illud pertinet, quod in octauo de Ciuit. Dei de Platonicis dicitur. Omnium, inquiunt, animalium in quib. eſt anima rationalis, tripartita diuiſio eſt, in Deos, homines, dæmones. Deorum ſedes eſt in cœlo, hominum in terra, in aere dæmonum. Et Boëtius ſuper Porphyrium. Quandocumque, inquit, ſupponimus Deum animali, ſecundum eam opinionem facimus, quæ cœlum ſtellaſque atque hunc mundum totum animatum eſſe confirmat, quos etiam Deorum nomine appellauerunt. Beatus verò Auguſt. quod dicitur de ſole & cæteris cœleſtibus luminaribus, nequaquam refellere audet, ſed ſibi incertum eſſe profitetur; vtrum videlicet quidam rectores ſpiritus illis inſint, per quos etiam viuificentur, & quod mirabile dictu videtur, dicit etiam ſe ignorare, vtrum hæc quoque pertineant ad ſocietatem eorum quos nos Chriſtiani Angelos vel cœleſtes ſpiritus dicimus. Vnde in Enchiridion ita dicit: Vtrum Archangeli appellentur virtutes, & quid intra ſe diſtent ſedes ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicũt. Ego me iſta ignorare profiteor. Sed nec iſtud certum habeo, vtrum ad eandem ſocietatem pertineant ſol & luna, & cætera ſydera, quamuis nonnullis lucida eſſe corpora non conſenſu vel intelligentia videantur. Nequis fortè ſacris eruditus litteris abhorreat Hermetis Philoſophi verba, quibus videlicet ait de Deo patre, qui ſecundum fecerit Dominum, hoc eſt genuerit filium; cùm profectò Deus filius à Deo patre nec factus nec creatus, ſed tantum ſit genitus. Sciat etiam à Catholicis & ſanctis doctoribus multa de eadem generatione ſimiliter abuſiuè prolata, cum nonnumquam patrem auctorem filij, vel eum procreaſſe, vel filium à patre formatum, ipſius patris eſſe effectum abuſiuè pronuncient. Vnde Hilarius de Trinitate lib. III. Secundum Apoſtolum quia in *Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, ſed incomprehenſibiliter

liter,inenarabiliter ante omne tẽpus& ſecula,vnigenitũ ex his quæ ingenita in ſe erant procreauit, omne quod Deus eſt per charitatẽ atq; virtutẽ,natiuitati eius impartiens,ac ſi ingenito, perfecto,æternoq; patri,vnigenitus,& perfectus,& æternus eſt filius. Ea autẽ quę ei ſunt ſecũdũ corpus quod aſſumpſit,bonitati eius ad ſalutẽ noſtrã voluntas eſt. Idẽ in XI. *Verba quæ loquor vobis,non à me loquor.* Nã dũ nõà ſe loquitur, Auctori eũ neceſſe eſſe eſt debere quod loquitur. Itẽ ad id quod agit ſecundũ natiuitatẽ ſibi pater auctor eſt. Rurſus Idẽ in 12. de non nato Deo patre,& nato ab eo filio loquẽs ait: Neque ipſum non natũ atque naſci, quia illud ab altero, hoc verò à nemine eſt,& aliud eſt ſine auctore eſſe ſemper æternũ,aliud quod patri, id eſt auctori,eſt æternũ. Vbi enim pater auctor eſt, ibi & natiuitas eſt; at verò vbi auctor eſt æternus, ibi & natiuitatis æternitas eſt, quia ſicut natiuitas ab auctore eſt, ita & ab æterno auctore æterna natiuitas. Item quod ex ęterno natũ eſt,idſi non ęternũ, natũ iam non erit,& pater auctor æternus. Si quid igitur ei qui ab æterno patre natus eſt, ex æternitate defuerit, id ipſum auctori quidẽ pater eſt,nõ eſt ambiguũ defuiſſe quod gignenti eſt infinitũ,infinitũ eſt etiam naſcẽti. Itẽ ex ęterno nil aliud quã ęternũ,quod ſi non ęternũ, iam non pater, qui generationis eſt auctor,ęternus eſt. Itẽ ex te natus oſtẽditur, vt nil aliud quàm te ſibi ſignificet auctorẽ. Idẽ in Pſal.137. *Tu formaſti me & poſuiſti ſuper me manũ tuã*, vtrũque ſignificat, vt quod formauit antiquũ ſit,quod ſuperpoſuit manũ nouiſſimũ ſit. Quod enim ſecundũ naturã diuinitatis formatus ſit, Apoſtolus docet dicens, *Qui cum in forma Dei eſſet.* Quod enim in forma eſt,formatur. In forma & ei pater naturæ& diuinitatis eſt,vt referripoſſit ad patrem,& formatus ab ipſo ſit, Auguſt. Quæſt. veteris & nouæ legis cap. LVII. Deus pater Deum filium generauit, in quo ipſe videtur qui nil ab eo diſtaret vt magnitudini ſuæ cõgruus reſponderet affectus. Item ſimillimum itaque filium ſuum creans addidit, ex ſe quaſi alterum ſe. Idem in eodem. Habuit itaque ante mundum creatæ ſobolis principatum, vt pater rerum futurus ante eſſe debuerit pater proprius, hoc eſt proprij ſui fœtus. In Eccleſiaſtico etiam ipſa Dei ſapientia quæ filius eius dicitur, tàm ab ipſo creata, quàm genita commemoratur. *Sapientiam*, inquit, *Dei præcedentem omnia quis inueſtigabit? Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* Et iterum, *vnus eſt*

Altiſſimus creator omnipotens & dominus Deus, ipſe creauit illam in Spiritu ſancto, & effudit illam ſuper omnia opera ſua. Item infra, *Sapientia inter benedictos benedicetur dicens. Ego ex ore altiſſimi prodij primogenita ante omnem creaturam. Girum cœli circuiui ſola &c.* & rurſum. *Ab initio & ante ſecula creata ſum, & vſque ad futurum ſeculum non deſinam &c.* Quid itaque mirum cum in verbis quoque Eccleſiaſticorum ac ſanctorum doctorum nonnulla tàm abuſiuè proferantur, ad generationem verbi demonſtrandam, vt Deus pater auctor eſſe filii ſui, & eum procreaſſe, vel filius ab eo procreatus, vel eius dicatur effectus eſſe, ſecundum id videlicet quod ab eo eſt genitus potius quàm creatus vel factus, & ille tantum genitor potius quàm creator vel auctor. Quid, inquã, mirum ſi prædictus Philoſophus Hermes, videlicet in illis Eccleſiaſticis imbutus diſciplinis, abuſionem verborum non curauerit, dicendo ſcilicet feciſſe, pro genuiſſe? Quid etiam cum ſecundum à patre filium dixerit, à verbis quoque ſanctorum alienus non exiſtit? Vnde Hilarius de Trinitate in XII. Filius ex te Deo patre Deus verus & à te genitus, poſt te ita confitendus vt tecum; quia æternæ originis, ſiue æternus auctor es. Nam dum ex te eſt, ſecundus à te eſt. Secundus, inquam, ex modo exiſtendi, non ex differentia dignitatis. Hic quippè à Deo patre quaſi primo loco ſubſiſtit, cum ſpiritus tanquam tertio loco ab vtriſque ſit. Vnde & patrem Hieronymus principalem ſpiritum ad filium nominat, opere videlicet illo ſuo de tribus virtutibus. Ita loquens Dauid in Pſalmo tres ſpiritus poſtulat dicens. *Spiritu principali confirma me, Spiritum rectum innoua in viſceribus meis, Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Qui ſunt iſti tres ſpiritus? Spiritus principalis pater eſt, rectus ſpiritus Chriſtus eſt, Spiritus ſanctus, Spiritus ſanctus eſt. Auguſtinus veteris & nouæ legis cap. LVIII. Spiritum ſanctum qui tertius ſit à patre, ſecundus autem à Chriſto ſecundum numeri ordinem, ac ſi diceret, ſecundum ordinatam ac congruam computationis ordinationem, iuxta videlicet ipſam exiſtentiæ ſeriem, quæ in ipſis eſt perſonis, non ſecundum aliquos earum dignitatis gradus. Pater quippè à nullo eſt, filius à patre ſolo eſt, Spiritus ſanctus ab vtriſque ſimul eſſe contrahit.

XVII. REVOLVATVR & ille maximus Philoſophorum Plato, eiuſque ſequaces, qui teſtimonio ſanctorum Patrum præcete-

ris gentium Philoſophis fidei Chriſtianæ accedentes, totius Trinitatis ſummam poſt Prophetas patenter addiderũt, vbi videlicet mentem quam νοῦν vocant, ex Deo natam, atque ipſi coæternam eſſe perhibent, id eſt filium, quem ſapientiam Dei dicimus, ex Deo patre æternaliter genitum, qui nec Spiritus ſancti perſonam prætermiſiſſe videntur, cùm animam mundi eſſe aſtruxerunt tertiam à Deo νοῦν, perſonam. Quod verò Plato ſanctæ Trinitatis fidem non ſolum docuerit, ſed & ita eſſe conuicerit, Claudianus Præfectorio patricio, de ſtatu animarum ſcribens, his aſtruit verbis. Plato, inquit, procedat in medium, qui tantis equidem ſæculis ante puerperium virginis, ante incarnationem Dei, ante prædictam ſummæ Trinitatis in gentibus veritatem, ineffabiliter vnum, tres in diuinitate perſonas, mirabili ingenio, immutabili eloquio quæſiuit, inuenit, prodidit: patrem Deum, paternamque mentem actionem ſiue conſilium, & vtriuſque horum amorem mutuum, vnam ſummam æque ternam indiuiſam diuinitatem, non ſolum ita credi oportere docuit, ſed ita eſſe conuincit. Quod autem Claudianus mutuum amorem adinuicẽ patris & filij dixerit, non incongruè animam mundi, id eſt vniuerſorum fidelium vitam, atque ſalutem, Plato nominauit. In quo videlicet amore Dei, quælibet anima mortua iacet. De qua quidem anima mundi ea diligenter conſideremus quæ à Platone dicta ſunt, à quo cæteri quoque Philoſophi quod de anima ipſa dixerint habuiſſe credũtur. Hanc itaque videlicet mundi animã, quaſi tertiam à Deo, & νοῦν perſonam diſtinguens, prolixiori ac diligentiori deſcriptione proſequens, eam tam in ſeipſam quam in effectis ſuis integerrima deſignatione declarat, iuxta quam & nos Spiritum ſanctum modo ſecundũ effecta operum ſuorum dicere ſolemus, modo ſecundum naturalem bonitatis eius affectum, quem in ſeipſo ab æterno habuit, ſicut diligentiùs poſtmodum diſtinguemus. Nunc autẽ illa Platonis verba de anima mundi diligenter excutiamus, vt in eis Spiritum ſanctum integerrimè deſignatũ eſſe agnoſcamus. Dicit itaque Plato hanc ante mundi conſtitutionẽ factã ſiue genitam à Deo eſſe, in quo Spiritus ſancti perpetuam proceſſionem, qua ex Deo patre eſt, nobis, ni fallor, inſinuat. Solent quippè philoſophi factum ex Deo ſiue genitum dicere, omne quod à Deo habet eſſe. Vnde & Hermes ſuperiùs, filiũ

Dei factum à Deo dixit, secundum hoc quod ab ipso habet esse tamquam æternaliter genitus, non tẽporaliter ab ipso factus aut creatus. Plato quoque omne quod à Deo habet esse, genitum dicit ex ipso, non tamen ideo omne quod à Deo est filium eius esse, velut ipsum mundũ & cætera eius opera. Ait autem sic, cùm de mundo anteà locutus ad animam veniſſet mundi, Nec tamẽ, inquit, eo quod nos ad præsens loquimur, eo ordine ortum animæ Deus annuit, minoremque ac posteriorem corporibus fecit eam: neque enim docebat rem antiquiorem à posteriorem regi. Itemque, Deus tàm ab antiquitate quam virtutibus præire animam naturæ corporis iussit, dominamque eam & principali iure voluit esse: circa id quod tueretur. In quo etiam notandum est, quod dum eam præesse regimini mundi vt dominam dicit, profectò eam omni præfert creaturæ, & Deum esse astruit, quam postmodum his verbis animam mundi vocauit. Hoc dicit, Et demum reliquias prioris concretionis, ex qua animam mundi commiscuerat, &c. Benè autem Spiritum sanctum animam mundi quasi vitam vniuersitatis posuit, cum in bonitate Dei omnia quodammodo viuere habeant, & vniuersa tamquã viua sint apud Deum, & nulla mortua, hoc est nulla inutilia, nec etiam ipsa mala, quæ optimè per bonitatem ipsius disponũtur. Iuxta quod tàm apud Euangelistas quàm apud Platonicos, scriptum esse meminimus. *Quod factum est in ipso vita erat.* Ac si diceret, Omnia temporaliter facta per ipsum, hoc est per ipsam Dei bonitatem condita, in ipsa Dei bonitate quodã modo perenniter viuebant, cùm apud diuinam prouidentiã omnia ab æterno per eius bonitatem optimè essent ordinata, vt tàm benè singula procederevellet, quãtùm oporteret. Hinc nõ incõgruè illud Apostoli cõsonare videtur, quod perhibet philosophorũ quosdam dixisse, Quod *in Deo viuimus, mouemur & sumus*, ac si hanc animam mundi ipsum intelligerent Deum. Quod verò dicit Deum excogitasse tertium animæ genus, quod animam mundi dicimus, tale est ac si tertiam à Deo & τοῦ personam astruat esse Spiritum sanctum in illa spirituali diuina substantia. Excogitare Deus dicitur, hoc est ex integro percipere vnius personæ discretionem, quam nos dignè cogitare, atque ab ipso patre & filio plenè distinguere non sufficimus. Soli quippè sibi Trinitas diuina verè cognita est. Tantumdem

etiam videt aliud ex deo excogitari aliquo modo, quantum illud ſe habere illo modo, hoc eſt ita veraciter eſſe. Deinde ſtatim huius tertiæ perſonæ, quam animam mundi collocat, diligentem adhibet deſcriptionem, cùm animam ipſam ex indiuidua & immutabili ſubſtantia conſiſtere perhibet, ac rurſum ex diuidua, ſecundum quod ſcilicet ſeipſam anima ſcindere putatur per corpora. Tale quippè eſt quòd dicit animam ex hoc & illo conſtare, tanquam ſi diceret ipſam ſic tàm hoc quàm illud in ſe habere, vt ipſa animæ ſubſtantia & indiuidua & quodammodo diuidua ſit. Nam & Spiritus ſanctus & in ſeipſo ſimplex omnino ſubſtantia eſt, & ex natura diuinitatis omnis inuariabilis atque incommutabilis in ſeipſo perſeuerat. Atque idem ſpiritus per effecta multiplex quodammodo vocatur, & ſeptem ſpiritus nonnum quam dicitur, ſecundum ſeptiformis gratiæ ſuæ efficientiam. Vnde & in laude diuinæ ſapientiæ ſpiritus & vnicus, & multiplex, & diſcurrens, & ſtabilis eſſe deſcribitur. Dicit itaque Philoſophus animam ipſam eſſe ex indiuiſdua ſemperque in ſuo ſtatu perſeuerante ſubſtantia. Itẽque alia quæ inſeparabilis comes corporum per eadem corpora ſe ſcindere putatur, quia Spiritus ſanctus & huiuſmodi eſt qui ex ſuo ſtatu, quem in ſeipſo non in effectis ſuis habet, omnino ſimplex eſſe, atque incommutabilis, & quodammodo multiplex eſſe ſecundum effecta putatur, quod eſt ſeipſum in corpora ſcindere, ſecundum quod ipſa videlicet anima inſeparabilis comes eſt corporum, cum hanc ſcilicet multiplicitatis ſciſſuram nullomodo quantum ad ſeipſam habere poſſit, ſed, vt dictum eſt, quantum ad effecta ſuorum videlicet diſtributione donorum, cum etiam iſti gratiam, aliam illi tribuat, & ſeipſum ſingulis non æqualiter vel eodem modo conferat: vt hinc quoque alium ſpiritum iſte, alium ille habere dicatur. Egregiè quoque putari dictum eſt & non eſſe, quia ſi verè ac propriè loquamur, non eſt hæc multiplicitas ſpiritus, ſed effectorum ipſius, cum eum videlicet in hoc vno multiplicem dicamus, quia multiplicia facit: quod eſt effecta eius magis eſſe diuerſa quàm ipſum. Cum itaque in ipſa anima mundi indiuidua & diuidua, ſiue, vt dictum eſt, eadẽ & diuerſa cõcurrat ſubſtãtia; addidit his duobus in ipſa anima concurrẽtibus quandã mixturam effici ex indiuiduo & diuiduo ſcilicet ſiue ex eodem & diuerſo, hoc eſt incommutabili & mutabili.

In quaquidem, vt ita dicam, mixtura Spiritus ſancti proprietas diſtinguitur, & integrè videtur expreſſa tàm in ſeipſo quàm in effectis, vt dictum eſt, ſuis. Dicit itaque, quia Deus hoc tertium ſubſtantiæ genus, ita vt dictum eſt, mixtum, locauit medium inter vtramque ſubſtantiam, indiuiduam ſcilicet atque diuiduam, quia cum ſit ipſe ſpiritus ex Deo, tamquam ab ipſo procedens, vtrumque eorum ab ipſo habet agi à quo eſſe habet. Et hoc eſt dicere, quod Deus locauit hoc ipſum animæ genus inter vtraque ſupra dicta quaſi medium horum hoc eſt mixtum ex eis: ac ſi diceret, quod ab ipſo Deo à quo eſt ipſa anima tam hoc quàm illud habet, vt videlicet & indiuidua ſit vt ſubſtantia ſua & diuidua ſecundum effecta. Quod autem dictum eſt locauit, congruè dictum eſt iuxta metaphoram locutionis qua dictum eſt medium quaſi inter aliqua circonſtantia collocandum. Poſtquam autem aſſignauit mixturã animæ ex indiuiduo & diuiduo, tranſit ad mixturam ex eodem & diuerſo, dicens animam eandem eodem modo ex eodẽ & diuerſo conſiſtere, ſicut ex indiuiduo & diuiduo cõſiſtit. Cuius, inquit, pars idem par diuerſum vocetur, cum videlicet ſpiritus ille & idem ſit in ſubſtantia cum Deo & ꝛcũ, id eſt cum patre & filio, & diuerſus in proprietate perſonæ. Poſſumus & eundem hoc eſt incommutabilem eum in ſe dicere, & diuerſum quodammodo per effecta eſſe, cum non ſolum ipſe quæ diuerſa ſunt, fecerit; ſecundum quod ſuperiùs dictum eſt ex diuidua conſtare ſubſtantia, verumetiam ea per temporum ſucceſſionem mutat, & narrat prout oportunum eſſe indicat, iuxta illud Boëtij,

---Stabiliſque manens dat cuncta moueri.

Et iam quidem ſuperius eum incommutabilem eſſe aſſignauerat cum ait. Semperque in ſuo ſtatu perſeuerante ſubſtantia. Sed quod variabilis per effectum & ſuorum mutationem eſſet, nondum addiderat quod nunc facit. Benè itaque dicit animam ipſam quoddam medium eſſe, id eſt mixtum ex indiuidua in ſe ſubſtãtia, & diuidua per coniunctionẽ corpoream, id eſt coniunctionem ipſius ad corpora, quando ſcilicet ipſa ad rem quamlibet creandam vel regendam atque diſponendam ſe applicat, ſicut animalis anima corpori ſuo ſua impertiens beneficia, cui etiam philoſophus totam vim & concordiam proportionalem numerorum tribuit, vt diuinæ gratiæ bonita-

Digitized by Google

tevniuerſarũ rerũ concordiã conſiſtere doceat. Omnis quippè ordo naturæ & concinna diſpoſitio numerorũ proportionibus veſtigatur atque aſſignatur, & omniũ perfectiſſimũ exemplar numerus occurrit, qui rebus congruit vniuerſis. Quiquidem eos non latet qui philoſophiæ rimantur arcana. Hinc eſt etiam quod Arithmetica, quæ tota circa proportiones numerorum conſiſtit, mater & magiſtra cęterarum artium dicitur: quod ſcilicet ex diſſectione numerorum, cæterarum rerum veſtigatio doctrinaque pendeat. Cuius etiam vt ineffabilem exprimerent benignitatis eius dulcedinem, totam ei muſicarum conſonantiarum adſcribunt harmoniam, qua & ipſum iugiter reſonare firmamentum, & ſuperiores mundi partes repleri perhibent. Nihil quippè eſt quod ita oblectet, & nimia ſuauitate ſui alliciat animos, ſicut melodia; nihil ita pronum ad eos componendos vel commouendos vel pacandos, vt iuxta illud primi capituli Boetianæ muſicæ ſcirent philoſophi, quod noſtræ tota animæ corporiſque compago muſica coaptatione coniuncta ſit. Adeo quidem vt iracundiam inſaniamque melodia ſedari, & grauiſſimarum infirmitatum dolores curari animaduerterent atque efficerent. Quod qui ignorat, nec experimento didicit, adhuc legat dictum muſicæ capitulum & inueniet quomodo Pythagoras Ebrum adoleſcentem ſub Phrigij modiſono incitatũ, ſpõdeo ſuccinente reddit duriorem & ſui compotem. Nam cum ſcortum inquit, in riualis domo eſſet clauſum, atque ille furens domum vellet comburere, eumque Pythagoras ſtellarum curſus (vt ei mos erat) nocturnus inſpiceret, vbi intellexit ſono Phrigij modi incitatũ multis amicorum admonitionibus à facinoribus noluiſſe deſiſtere, mutari modum præcepit, atque ita furentis animum adoleſcentis ad ſtatum mentis pacatiſſimæ temperauit. Inueniet etiam ibidem, quod cum vinolenti adoleſcentes tibiarum etiam cantu, vt fit, inſtructi in literis pudicè fores frangerent, admonuiſſe tibicinem vt ſpondeum caneret dicitur Pythagoras. Quod cum illa feciſſet tarditate modorum & grauitate canentis, illorum petulantiam conſedaſſe. Videbit iterum & quomodo Terpander atque Arion Lesbios atque Iones grauiſſimis morbis cantus eripuere præſidio. Necnon & qualiter Iſmenias Thebanus, Boetiorũ pluribus, quos inficiati doloris tormenta vexabant, modis ferunt cunctas abſter-

ſiſſe moleſtias. Vbi etiam Empedocles cum eius hoſpitem in vitis patrum quidam gladio furibundus inuaderet inflexiſſe modum canendi, itaque adoleſcentis iracundiam temperaſſe. In tantum verò, inquit Boetius, priſcę philoſophiæ ſtudiis vis muſicæ artis innotuit, vt pythagorici, cum diurnas in ſomno reſoluerent curas, quibuſdam cantilenis vterentur, vt eos lenis & quietus ſopor reciperet, itaque expergefacti alijs quibuſdam modis ſtuporem ſomni confuſionemque purgarent. Id nimirum ſcientes, quod tota noſtra animæ compago corporiſque muſica coaptatione coniuncta ſit, nam vt ſeſe corporis affectus habet, ita etiã pulſus cordis motibus incitantur. Quod ſcilicet Democritus Hypocrati medico tradidiſſe fertur, cum eum quaſi inſanum cunctis Democriti ciuibus id opinantibus in cuſtodia medendi cauſa viſeret. Sed quorſum iſthæc? Quia non poteſt dubitari quin noſtræ animæ & corporis ſtatus eiſdem quodammodo proportionibus videatur eſſe compoſitus, quibus harmonicas modulationes poſterior diſputatio coniungi copulatique demonſtrabit. Quod ſi parua fidelibus videantur, quæ iuxta Philoſophos de virtute diximus harmonica, niſi & ſactæ ſcripturæ teſtimonio id confirmemus, occurrat memoriæ qualiter ſpiritu malo in Saũl irruente, actum eſt prudentiũ virorum conſilio vim harmonicæ ſuauitatis non ignorantium, vt veſaniæ tantæ ſtimuls Dauidici moduli mederentur. Vnde & poſtmodum vir Deo plenus cum ad diuini cultus religionem amplificandam Templum ædificare diſponeret, Pſalmos qui decantarentur, cõpoſuit, & omnium muſicorum inſtrumentorum genera congregauit, vt tam vocum quam ſonorum conſonantijs rudem alliceret populum, per quæ antea diabolicum in reprobo rege mitigauit tormentum. Ex quo præcipuè traditur quàm naturalis ſit harmonica modulatio, quæ ita naturam eius ſuauitate ſui componere ac reparare valet, vt maligni quoque ſpiritus tormenta eam perturbare non queant. Legimus & quorumdam ſanctorum animas ne quid doloris in exitu ſuo paterentur, ad melodiæ dulcedinem ſpontè hinc egreſſas fuiſſe. Vnde & in vitis patrem ſcriptum eſſe meminimus, quod dum quidam frater videre vellet, animam peccatoris & iuſti quomodo abſtrahatur à corpore, & non vellet Deus contriſtare eum in deſiderio eius, inuenit hominem peregrinum iacentẽ in pla-

in platea ægrotum, non habentem qui ei curam adhiberet. Et cum veniſſet hora dormitionis eius, conſpicit frater ille Michaelem & Gabrielem deſcendentes propter animam eius. Et ſedens vnus à dextris, & alius à ſiniſtris eius, rogabant animam eius vt egrederetur, & non exibat quaſi nolens relinquere corpus ſuum. Dixit autem Gabriel ad Michaelem, Aſſume iam animam iſtã vt exeamus. Cui Michael reſpondit, Iuſſi ſumus à Domino vt ſine dolore eijciatur, ideoque non poſſumus cum vi auellere eam. Exclamauit ergo Michael magna voce dicens. Domine quid vis de anima hac, quia non acquieſcit nobis vt egrediebatur? Venit autem ei vox; Ecce mitto Dauid cum cythara, & omnes pſallentes Hieruſalem, vt audiens pſalmum ad vocem ipſorum egrediatur. Cumque deſcendiſſent omnes in circuitu animæ illius cãtantes hymnis, ſic exiliens anima illa ſedit in manibus Michaelis, & aſſumpta eſt cum gaudio. Benè itaque Philoſophi, imo Dominus per eos id forſitan ignorantes, tàm ipſi animæ mundi, quàm ſuperioribus firmamenti partibus nimiam ac ſummam modulationis ſuauitatem aſſignant, vt quanta pace, quanta fruantur concordia, quàm diligentius poſſent exprimerent, & quàm concorditer cuncta in mundo diuina diſponit bonitas, quam illi animam mundi, veritas Spiritum ſanctum, vt dictum eſt, nominat. Quis etiam ſi diligenter attenderit, non animaduertet quid de cœleſti dixerint harmonia, quæ in ſuperioribus firmamenti partibus inceſſanter reſonat? cum cœleſtes videlicet Spiritus ex aſſidua diuinæ maieſtatis viſione, & ſumma inuicem concordia ligentur, & in eius quem conſpiciunt laudes iugi & ineffabili exultatione illud decantent. Quod iuxta Eſaiam Seraphin die ac nocte conclamare non ceſſant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, *&c.* Superiores itaque cœli vel firmamenti partes, beatos hos Spiritus vel eorum manſionem intelligimus, quos etiam ſeptem planetarum nomine propter excellentiam claritatis ipſorum, quos ſpiritualiter diuina gratia, quæ ſeptiformis dicitur, illuminat, non incongruè de ſignaſſe videntur. Qui & benè apud Eſaiam Seraphin id eſt incendium ex hac ſpirituali illuminatione gratiæ in amorem Dei maximè ſuccenſa nuncupatur.

Superior autem eorum manſio tàm dignitate quàm poſitione dicenda videtur, à qua hi qui ſuperbierint in hunc caliginoſum & denſum aerem detruſi dicuntur, qui loci quoque poſitione inferior, ſicut inhabitatione deterior, inferni nomine non incenuenienter accipi poteſt. Benè & beati Spiritus illi ſiue ſuperna eorum manſio firmamento comparatur, qui cæteris per ſuperbiam cernẽtibus, hoc in ſuæ fidelitatis & humilitatis remunerationem acceperunt, vt ſic in contemplatione diuinæ maieſtatis firmarentur, vt vlterius omnino labi non queant. Vnde Gregorius in Iob. lib. xxvi. Prius, inquit, cœlũ factum dicitur, & hoc idem poſt modum firmamentum vocatur, quia naturâ Angelica, & prius ſubtilis eſt in ſuperioribus condita, & poſt, ne vnquam cadere potuiſſet, mirabilius confirmata. Idem ſuper Ezechielem Homilia, *Creauit Deus cælum, quod poſtmodum vocauit firmamentum.* Cœlum ergo fuerunt, hi, qui primò benè ſunt conditi, ſed poſtmodum firmamentum appellati ſunt, quia ne omnino iam caderent virtutem immutabilitatis acceperunt. Illud quoque quod ait Plato, animam locatam eſſe à Deo in medietate mundi, eamque per omnem globum teretis orbis æqualiter porrigi: pulchrè deſignat gratiam Dei omnibus communiter oblatam, cuncta proût ſalubre vel æquum eſt, benignè in hac magna domo ſua ſeu templo diſponere. His autem illud libri Sapientiæ apertè cõcinit. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c.* Atque illud Pſalmiſtæ. *Spiritu oris omnis virtus eorum.* Quod verò totũ, mundum vnum animal Plato dicit, maximam concordiam vniuerſorum operum Dei demonſtrat, quaſi diuerſorum membrorum in vno corpore animalis, quibus omnibus vna præeſt anima ſingulis tota præſens, & in diuerſis vna, & eadem operans diuerſa. Sic & Apoſtolus totius Eccleſiæ concordiam vnitatemque demonſtrans, eam vnum corpus Chriſti appellat, per quoſdam nexus, & compagem fidei, & charitatis, ex diuerſis fidelibus coniunctum, ſibi ita inuicem ſeruientibus & adminiſtrantibus, quaſi diuerſa membra in vno corpore, ex quibus alterum alterius eget obſequio, vno omnibus ſpiritu præſidente, & diuerſa in diuerſis operante, ſicut anima in diuerſis totius corporis membris. *Hæc enim*, inquit, *omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis proût vult.* Quam patenter ſimilitudinem Beatus Ambroſius in prima

Digitized by Google

Pauli Epiſtola ad Corinthios ad mundani quoque corporis inſtitutionem patenter applicauit dicens. Multa membra cum inuicem ſui egeant, non diſcrepant in vnitate naturæ, quamuis diuerſa ſint: quia diuerſitas hoc in vnum concurrit, vt corporis vnitas expleatur: ſicut & ea quibus mundus conſtat, cum ſint diuerſa non ſolùm officijs, ſed & naturis, ad vnius tamen mundi proficiunt perfectionem, & ex omnibus his naſcitur temperies quædam. Huic etiam inuolucro, de poſitione ſcilicet animæ in medio mundi locatæ, hoc eſt de diuina gratia omnibus communiter oblata, ipſa etiam diuina facta ſecundum allegoriæ miniſterium, manifeſte concordant: cùm videlicet doctrinam ſuam, & veræ religionis cultum propagaturus Dominus in mundo, Hieruſalem, quæ in medio eſt terræ, elegit, quam quaſi caput conſtituit Regni ſui, in qua primum ad magnificandum cultum ſuum ædificare ſibi templum, quaſi regale palatium voluit, & ibi etiam vberrimam Spiritus ſancti gratiam Apoſtolis infudit, per quam per eos totus ſpiritualiter mundus vegetaretur. Vnde ſcriptum eſt. *Deus autem Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Et rurſus, *De Syon exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Medium autem mundi, & quaſi vmbilicum terræ, ſuper illum Ezechielis locum, quo ſcriptum eſt. *Hæc dicit Dominus. Iſta eſt Hieruſalem in medio gentium poſita, & in circuitu eius terra.* Hieronymus his aſſerit verbis, Hieruſalem in medio mundi ſitam. Hic idem Propheta teſtatur, vmbilicum terræ eam eſſe demonſtrans. Et Pſalmiſta Domini exprimens paſſionem, *Operatus eſt*, ait, *ſalutem in medio terræ.* Hinc plantata eſt vinea, quæ *extendit palmites ſuos vſque ad mare*, cum hîc vitis vera Chriſtus, Apoſtolis ſuis quaſi palmitibus per vniuerſum orbem directis, vniuerſum mundum vbertate doctrinæ ſpiritualis inebriauit. De hac autem vegetatione ac viuificatione Spiritus ſancti, Sanctus Saluianus Epiſcopus, ad Sanctum Salonium Epiſcopum, lib. 1. de gubernatione Dei, Pythagoricum teſtimonium induxit dicens.

XVIII. PYTHAGORAS Philoſophus, quem quaſi Magiſtrum ſuum ipſa Philoſophia ſuſcepit, de natura ac beneficijs Dei diſſerens ſic locutus eſt. Animus per omnes mundi partes commeans atque diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia vitam

Digitized by Google

capiunt. Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipſo ſatis diligit, quod ipſum ſemper totum mundi corpus intendit? De Saluiano autem ipſo Maſſilienſis Eccleſiæ Epiſcopo,& de libro eius ad Salonium Epiſcopum, & alijs operibus ipſius, Gennadius Maſſilienſis Preſbyter de illuſtrib.viris ſcribens, inter illuſtres viros & eorum opera mentionem facit. Qui etiam poſt Pythagoræ teſtimonium, Tullium inducens Deum ipſum, quem Pythagoras animum vocat, mentem à Tullio appellari commemorat,dicens.

XIX. TVLLIVS quoque: Nec verò Deus ipſe, inquit, qui intelligitur à nobis,aliò modo intelligi poteſt quàm mens ſoluta quædam & libera & ſegregata ab omni congregatione mortali, omnia ſentiens & mouens. Alibi quoque. Nihil eſt,inquit,præſtantius Deo, ab eo igitur mundum regi neceſſe eſt. Nulli igitur naturæ obediens aut ſubiectus eſt: Omnem igitur ipſe regit naturam. Auguſtinus quoque lib. XII. de Ciuit. Dei. cap. XXXII. de Varrone loquens,ait. Dicit etiam idem auctor acutiſſimus atque doctiſſimus, quod hi ſoli & videantur animaduertiſſe quid eſſet Deus, qui crediderunt eſſe animam, motu ac ratione mundum gubernantem. Mentem itaque,id eſt animum ſiue animam, Deum dixerunt, ſecundum quod totius mundi regimini quaſi anima corpori præeſt. Vnde & per ſapientem quendam adhortantem non dignè Deum excolere, niſi mente ſcilicet à vitijs purgata, & virtutibus adornata,pulchrè in ipſo ſuæ adhortationis & diſciplinæ exordio dictum eſt.

Si Deus eſt animus nobis vt carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Ac ſi appertè filium inſtruens dicat: Cum Deus ſit animus, nobis hoc eſt vera & ſpiritualis vita, ſicut & ipſa perhibet ſcriptura Poetarum, velut illa Virgilij verba, quæ ſuper hoc ipſum Macrobius inducit, ſicut poſtmodum oſtendemus, hunc præcipuè, ſcilicet Deum, benè viuendo glorifica. Benè etiam cum animal eſſe Plato mundum dixerit, ipſum quoque intelligentem, hoc eſt rationale animal eſſe perhibuit, ſecundum hoc ſcilicet quod eius anima quanto cæteris præſtantior extitit, tanto rationabilius in ipſo cuncta agit atque diſponit. De cuius quidem ſummæ rationis ordinatione cum ſubditur, quod hæc videlicet ipſa mundi anima cauſas om-

Digitized by Google

nium quæ proueniunt prouidet, diuinam & omnium naturarum prouidentiam assignat & diuinæ plenitudinem scientiæ, ex quo etiam ipsa Deus esse innuitur, metiri ac deliberare ea quæ futura sunt ex præsentibus dicitur, quia iuxta ea quæ iam sunt oportet præparari, vt eis congrua ordinatione cohærere possint atque aptari. Quod autem subditur ex reliquijs concretionis mundanæ animæ, nostras, id est mundanas animas esse confectas, tale est ac si diceret eam animam mundi in potentijs ac virtutibus imitari, sed longè hoc ipso à dignitate eius abscedere, vt videlicet quemadmodum anima illa totiùs mundi administrationi præest, sic singulis corporibus singulæ animæ suæ vitam eis animalem non spiritalem præbentes. Et benè hæ quasi reliquiæ mundanæ animæ dicuntur, quæ scilicet ad animalem pertinent vitam, quia hæc inferioribus ipsa relinquit animabus quæ per eam expleri dignum non est. Vnde & eorum hæresis confutatur, qui Dominum Iesum non aliam animam quam sanctum spiritum habere profitentur. Reliquias etiam mundanæ animæ non incongruè dicit ea quæ ad operationem, eius quam in nobis habet, pertinent; secundum quod in corporibus ipsa degenerare dicitur, sicut suo loco exponemus. Sicut enim reliquiæ his quibus supersunt inferiora quidem & indigniora videntur, ita hæc quæ non ad æternitatem spiritus, sed ad temporales eius operationes attinent, posteriora dignitate censentur. Congruè etiam dicit animam mundi non alicuius rei in mundo, sicut & animam hominis dicimus, non alicuius membri humani. Anima quippè ab animando dicta est, nec aliud propriè animari dicitur nisi id in quo tota vis vegetationis ita consummatur, vt nil corpori illi vegetato adhærere extrinsecus necesse sit ad vegetationem quam habet in ipso conseruandam. Cùm itaque mundus iuxta philosophos vniuersa concludat, vt nil extra ipsum diuinitùs disponendum relinquatur, rectè anima mundi sicut & anima hominis dicta est, cum vniuersa vis animæ in eo consummetur: adeo vt nec ipsum mundum oculos vel cætera sensuum instrumenta habere oportuit, sicut & ipse perhibet Plato, cum nulla extra ipsum remaneant, ad quæ ista aliquam oportunitatem habeant. His ex Platone breuiter collectis, atque ad nostræ fidei testimonium satis, vt arbitror, diligenter expositis, consequens

exiſtimo ad ſequaces eius commeare, vt ea quæ ab ipſis quoque de anima mundi ſunt dicta, nulla ratione conuenienter accipi poſſe monſtremus, niſi Spiritu ſancto per pulcherrimam inuolucri figuram aſſignentur. Hoc quippè loquendi genus Philoſophis quoque ſicut & Prophetis familiariſſimum eſt, vt videlicet ad arcana philoſophiæ cùm veniunt, nil vulgaribus verbis efferant, ſed comparationibus ſimilitudinum lectorem magis alliciunt. Quæ enim quaſi fabuloſa antea videbantur, & ab omni vtilitate remota, ſecundum literæ ſuperficiem gratiora ſunt, cum magnis plena myſterijs poſtmodum reperta, magnam in ſe doctrinæ continent ædificationem. Ob hoc enim, teſte Auguſtino, teguntur ne vileſcant, qui ſecundo quidem Libro de doctrina Chriſtiana, cum cauſas difficultatis vel facilitatis ſacræ Scripturæ aperiret, ait. Obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt, quod totum prouiſum eſſe diuinitùs non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerumque vileſcunt. Item qui prorſus non inueniunt quod quærunt fame laborant: qui autem non quærunt, quia in promptu habent, faſtidio ſæpè marceſcunt. Igitur ſalubriter Spiritus ſanctus ita ſcripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Quaſi ergo in latebris Dominus quieſcere gaudet, vt quo magis ſe occultat, gratior ſit illis quibus ſe manifeſtat. Ex quo magis ex difficultate ſcripurę laboratur, meritũ lectorum augeatur, de quo Pſalmiſta. *Poſuit*, inquit, *tenebras latibulum ſuum*, Et turſum: *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*, Quia inquit Gregorius, obſcurata eſt ſententia in prophetis, de quo ſcriptum eſt in lege, *Acceſſit Moyſes ad caliginem in qua erat Deus.* Et Salomon in Paralipomenon ait, *Dominus pollicitus eſt vt habitaret in caligine*, Idem in Prouerbijs. *Gloria eſt Dei celare verbum, & gloria Regum inueſtigare ſermonem.* Qui etiã ad ſcripturarum obſcuritatẽ quaſi ad latebras in quibus nunciatur Deus, perſcrutandas, inuitat nos in Prouerbijs dicens, *Sapiens cum aduertet parabolam & interpretationẽ, verba ſapientiũ & anigmata eorũ*, Quæquidem tanto cariora ſunt intellecta, quanto in his intelligendis maior operæ facta eſt impenſa. Hinc eſt illud Hieronymi ad Magnum Oratorem ſcribentis, ſuper hoc ipſum quod in exordio Prouerbiorum Salomon commonet vt intelliga-

Digitized by Google

mus, *Sermones prudentiæ, verſutiaſque verborum, parabolas & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum & ænigmata*, quæ propriè Dialecticorum ſunt & Philoſophorum. Quantum etiam ſemper Philophia arcana ſua rudis publicare verbis dedignata ſit, & maximè de anima, de Diis, per fabuloſa quædam inuolucra loqui conſueuerint, ille non mediocris Philoſophus, & magni Ciceronis expoſitor Macrobius, diligentiſſimè docet. Remotis enim generibus figmentorum ſiue fabuloſorum, quæ philoſophos non decet, ſuppoſuit illud quod honeſtiſſimè aſſumunt.

XX. Aiunt namque, quod quando ſacrarum rerum notio ſub pio velamine figmentorum honeſtis & tecta rebus, & veſtita nominibus enuntiant, hoc eſt figmenti genus quod cautio de diuinis rebus philoſophantis admittit. Idem poſt pauca. Sciẽdum eſt, inquit, in omnem diſputationem Philoſophos admittere fabuloſa, ſed his vti ſolent, cum vel de anima, vel de æthereis poteſtatibus loquuntur. Ceterùm autem cum ad ſummum Deum & principem omnium, qui apud Græcos τὸ ἀγαθὸν, qui & ὑπερπάτιον nũcupatur, tractatus ſe audet attollere, vel ad mentem, quàm Græci νοῦν appellant, originales rerum ſpecies, quæ Ideæ dictæ ſunt, continentem, ex ſummo natam & perfectam Deo: cum de his, inquam, loquuntur ſummo deo & mente, nil fabuloſum penitus attingunt. Sed ſi quid de his aſſignare conantur, quæ non ſermonem tantummodo, ſed cogitationem quoque ſuperant humanam, ad ſimilitudines & exempla confugiunt. Sic Plato cum de τῷ ἀγαθῷ loqui eſſet animatus d, icere quid ſit non auſus eſt, hoc ſolùm de eo ſentiens, quod ſciri qualis ſit ab hominibus non poſſit. Solum verò ei ſimillimum ſolem de viſibilibus reperit, & per eius ſimilitudinem, viam ſermoni ſuo attollendi ſe ad non comprehenſibilia patefecit, ideo & nullum eius ſimulachrum cum Dijs alijs conſtitueretur finxit antiquitas. Quia ſummus Deus & nata ex eo mens: ſicut vltra animum, ita ſunt ſupra naturam, quò nil fas eſt fabuloſum peruenire. De dijs autem, vt dixi, ceteris, & de anima, non fruſtra ſe, nec vt oblectent, ad fabuloſa conuertunt; ſed quia ſciunt inimicam eſſe naturæ apertam nudamque expoſitionem ſui, quæ ſicut vulgaribus hominum ſenſibus intellectum ſui vario rerum tegmine operimentoque ſubtraxit, ita à pru-

Digitized by Google

dentibus arcana ſua voluit per fabuloſa tractari. Sic ipſa myſteria figurarum cuniculis operiuntur, ne vel his adeptis nudum rerum talium natura ſe præbeat, ſed ſummatibus tantum viris ſapientia interprete, ſui arcani conſcijs contenti ſint reliqui ad venerationem figuris defendentibus à vilitate ſecretum. Iuxta quod & Veritas ipſa de integumento parabolarum ſuarum Apoſtolis loquitur dicens: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis; vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ex hac itaque Macrobij traditione clarum eſt quæ à Philoſophis de anima mundi dicuntur, per inuolucrum accipienda eſſe. Alioquin ſummum Philoſophorum Platonem, ſummum ſtultorum deprehenderemus. Quid enim magis ridiculoſum quàm mundum totum arbitrari vnum animal eſſe rationale, niſi per hoc integumentum ſic prolatum? animal quippè eſſe non poteſt niſi ſenſibile ſit, cùm ſit nota diffinitio, animalis ſubſtantia animata ſenſibilis. Quis autem ex quinque ſenſibus mundo ineſſe poterit, niſi forte tactus, qui omnibus eſt communis animalibus. Deſunt ei quippè cęterorum ſenſuum inſtrumenta, ipſo atteſtante Platone, vbi videlicet oſtendit quare ei oculi, aut nares, aut cæteræ partes humani corporis neceſſariæ non fuiſſent. Atque eſt pars corporis mundi qua ipſe ſi tangatur, ſentire queat magis quàm arbores vel plantæ, quæ terræ radicitus affixæ, eadem anima viuificari dicuntur. Nunquid ex effoſſione terræ potius ſentiret mundus quàm arbores ex frondium auulſione vel totius corporis ſui abſciſione? Arbores tamen & quaſlibet plantas inſenſibiles eſſe conſtat, ideoque ad excluſionem earum in diffinitione animalis poſt animatum ponitur ſenſibile. Præterea cum dicant animam mundi ſingulis infuſam corporibus ea animare quæ ad animandum apta reperit, quid opus erat creatione noſtrarum animarum quas poſtea factas Plato eſſe commemorat? aut quid opus eſt animã mundi his corporib. noſtris ineſſe quæ non animat? Quid enim euidentius quàm corpora noſtra ex propriis animabus humanis magis quàm ex anima mundi vitam animalem habere? His quippè animabus præſentibus ſtatim animata ſunt & iiſdem abſentibus inanimata, licet vt aiunt, in eis anima mundi etiam poſt mortem perſeueret, quæ in omnibus tota eſt corporibus, & in his in quibus vacat. Quid etiam eſt quod

abſentibus

abſentibus humanis animabus, anima mundi corpora noſtra, licet eis inſit, animare non ſufficit, cum ipſa, teſtante Platone, cunctis inuiſibilibus præſtantior à præſtantiſſimo auctore facta ſit? Nunquid minoris efficaciæ eſt in nobis quàm cæteræ animæ, aut cum iam corpora noſtra defuncta ſunt, non ſunt idonea ad animandum, ſicut antea erant præſentibus humanis animabus? Poſſunt ex vno corpore innumeros vermes viuificare, cùm iam ipſum corpus non valet animare? Quæ deeſt aptitudo defuncto corpori, nec item quo animetur, niſi tantum præſentia humanæ animæ, quæ & præſens corpus viuificat, & recedens ipſum mortificat? Quod ſi ad inuolucrum iſta deflectamus, quæ de anima mundi à Philoſophis dicta ſunt, facilè eſt rationabiliter cuncta accipi, nec à ſacræ fidei tenore exorbitare Conferant animæ humanæ corporibus noſtris animalem vitam, conferat anima mundi. Niſi fallor Spiritum ſanctum intellexerunt Philoſophi ipſis animabus noſtris vitam ſpiritalem, diſtributione ſcilicet ſuorum donorum, vt ſicut ſingulæ animæ vita corporum, Spiritus autem ſanctus vita animarum, quas vegetando ad profectum bonorum operum promouet. Quod itaque modo animæ noſtræ corpora Sancti ſpiritus dicendæ ſunt, quas ipſe per aliquod gratiæ ſuæ donum quaſi templum inhabitat, & virtutib. viuificat. Vnde & illud eſt Auguſtini ſermone VI. de verbis Domini. Sicut enim vita corporis anima eſt, ſic vita animæ Deus: ſicut expirat corpus cum animam emittit, ita anima cum Deũ amittit. Deus amiſſus mors animæ, anima amiſſa mors corporis. Mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria. Sed & illud quod aiunt, animam totam ſingulis corporibus infuſam omnia viuificare, atque animæ quæ ad viuificandum idonea reperit, nulla illorum duritia vel diuerſitas, natura impediente, pulchrum inuolucrum eſt, quia charitas Dei quam Spiritum ſanctum dicimus, cordibus humanis per fidei ſiue rationis donum primitus infuſa, quædam viuificat ad bonorum operum fructum non promouendo, vt vitã aſſequamur æternam, & in quibuſdam ipſe Spiritus vacare dicitur prauitatis eorum duritia repugnante. Hanc autem animæ videlicet mundanæ doctrinam præcipuè diligentiſſimus Philoſophorum in expoſitione Macrobius reliquit. Cuius quidẽ verba ſi diligenter inſpiciamus, totam fidem ferè noſtram de

Spiritu ſancto in ipſis expreſſam inueniremus, cum hanc ipſam animam & Creatorem nominet, atque ex Deo patre & νοῦ, hoc eſt Deo filio aſtruat eſſe. Quam dum quandoque mentem nominat, mentem pro anima vel ſpirituali natura generaliter ponit. Aliter itaquæ filium νοῦν, id eſt mentem dicit, aliter animam ipſam mentem appellat. Mens quippè patris filius dicitur, ſecundum quod ſapientia ipſius vel ratio dicitur. Animam quoquè cùm mentem nominat, ſpiritualis eam eſſe naturæ, non corporeæ inſinuat. Quod quidem & per ſemetipſum aperiens dum quædam Virgilij verba exponeret, ait, Vt puritati eius atteſtaretur, mentem nominauit. Item, vt illius mundanæ animæ aſſereret dignitatem, mentem eſſe teſtatus eſt. Ac ſi apertè doceat ob hoc eam mentem vocari, vt ſinceritas naturæ ſpiritualis & dignitas in ea demonſtretur. Sic enim & cum Dominum Ieſum mentem humanam habuiſſe dicimus, mentis vocabulo ipſam eius animam nominamus. Hæc autem ſunt illa quæ propoſuimus Macrobij verba. Anima ergo, inquit, creans ſibi & condens corpora. Nam ideò ab anima natura incipit, quam ſapientes de Deo & νοῦ, mente nominant, ex illo puriſſimo fonte, quem naſcendo de originis ſuæ hauſerat copia, corpora cœli, & ſiderum quæ condidit, prima animauit, Et poſt aliqua cum ipſe ipſius animæ vires diſtingueret, quas in corporibùs exercet, ſecundum quas omnium animatorum ordinata eſt natura, vt alia ſcilicet alijs præſint, adiecit dicens. Hunc ordinem rerum, & Virgilius expreſſit, nam & mundo animam dedit, & vt puritati eius atteſtaretur, mentem vocauit. Cœlum enim, ait, terras & maria & ſidera Spiritus intus alit, id eſt anima: & vt illius mundanæ animæ aſſereret dignitatem, mentem eſſe teſtatus eſt. Mens agitat molem. Nec non vt ipſe oſtenderet per ipſam animam conſtare & animalia vniuerſa quæ viuunt, addidit.

Hinc hominum pecudumque genus, &c.

Vtque aſſeueraret eumdem eſſe in anima ſemper vigorem, ſed vſum eius hebeſcere in animabus corporis denſitate, adiecit.

--- Quantum non noxia corpora tardant.

Hæc quidem omnia tam Virgilij quàm Macrobij verba, facilè eſt iuxta propoſitum noſtrum ad noſtræ fidei tenorem accommodare, nec aliter ea exponi. Quod itaque ait vſum animæ

hebeſcere in animalibus corporis denſitate, tale eſt Spiritus ſancti gratiam ſuorum beneficiorum efficaciam minus haberein carnalibus, ſcilicet deditis voluptatibus, vt ipſam denſitatem corporis carnalium illecebrarum magnitudinem intelligamus. Qui etiam vbi ait ipſam animam creare ſibi corpora & condere, eam creatorem rerum, & per hoc Deum aſtruit eſſe, & creatarum rerum ordinationem & præparationem ad bona opera donorum ſuorum diſtributione, vt ſibi eas dignũ habitaculum efficiat. Ab anima naturam dicit incipere, quia per gratiam Spiritus ſancti naſcimur ſpiritualiter, ac ſumus filij Dei magis quàm ſerui. Sicut enim ſubſtracta gratia hac moreremur in vitijs: ita & eadem collata naſcimur in veram virtutum vitam. Quamquidem per naturam habemus, & contra naturam vitia, cùm ſit vitium corruptio naturæ. De Deo & & mente anima nominatur, quia tam patris & filii idem eſt Spiritus cum ab vtroque procedat. Vnde etiam vt ait Auguſtinus in xv. de Trinitate, cap. xix. quia ipſe Spiritus communis eſt ambobus, id vocatur ipſe propriè quod ambo communiter, cum videlicet tàm pater ipſe quàm etiam filius Spiritus ſit & Sanctus. Cum autem de Deo vel νοῦ naſci, aut creari ſiue fieri anima quandoque à Philpſophis dicitur, abuſio eſt verborum magis quam ſententiæ. Creari nãque vel fieri neceſſariò non dicitur niſi in his quæ cœperunt, hoc eſt æterna non ſunt. Naſci verò, hoc eſt de ſubſtantia ipſa patris exiſtere, propriùm eſt filii, de quo ſuo loco poſtmodum ſerius diſſeremus. Creari tamen ſiue naſci ſeu fieri pro eſſe aliquo Philoſophi nonnũquã ponunt, vt ſuprà meminimus. Vnde & Macrobius eam νοῦν ipſam à Deo, quam animam à νοῦ creatam dicit, hoc eſt ex ipſo eſſe. In eadem quoque ſignificatione naſci, hoc loco abutimur. Hermes quoque ſuperius cum dixerit quod Deus ſecundum fecit Dei filium, ipſum ex Deo patre eſſe oſtendit; fontem ſapientiæ puriſſimũ ipſam νοῦν appellat, hoc eſt ſapientiam patris, quam nihil quantumcumque ſit obſcurum latere poteſt. De copia huius fontis ipſa Dei bonitas animauit priùs cœli corpora ac ſiderũ, hoc eſt ipſos angelos vel cæleſtes ſpiritus, qui ante hominẽ conditi ſunt, ſecundum quod ſcriptum eſt. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Cœli ac ſiderum dictum eſt ſecundum dignitatis differentiam, cùm alios Spiritus aliis prælatos ac ſuperiores credamus, vnde & Angelos & Ar-

changelos dicimus ſeu Dominationes. Corpora ſummi ſpiritus dici poſſunt etiam angeli, ab eo vt dictum eſt ſpiritualiter viuificati, vel etiam corpora dicit, ſecundum quod omnem creaturam corpoream dicimus, hoc eſt circumſcriptam. Vnde Gennadius in lib. de Orthodoxa fide, cap. x. Nihil, inquit, incorporeum & inuiſibile in natura credendum eſt niſi Deum ſolum. Qui ex eo incorporeus creditur, quia vbique eſt, & omnia complet, & ideo inuiſibilis omnibus creaturis, quia incorporeus eſt. Creatura omnis corporea, angeli & omnes cœleſtes corporeæ, licet non carne ſubſiſtant. Ex eo autem corporeas credimus eſſe intellectuales naturas, quòd localiter circumſcribuntur, ſicut & anima humana quæ carne clauditur, & demones qui per ſubſtantiam angelicæ naturæ ſunt corporei. Benè autem dictum eſt ex ipſa ſapientia eos eſſe aminatos, quia hæc eſt vita æterna, vt cognoſcamus ſicut & cogniti ſumus, facie ad faciem Deum videntes. Haurit ſpiritus de fonte illo, cum nos de diuinæ Sapientiæ intelligentia imbuit, ſecundum quod dictum eſt. *De meo accipiet & & annunciabit vobis.* Vnde & ſpiritus ſapientiæ ſiue intellectus, ſiue ſcientiæ dictus eſt. Quod verò dictum eſt, Mens agitat molem, hoc eſt totius mundanæ fabricæ quantitatem quaſi cuncta in mundo viuificet aut moueat, ſuperius expoſitam Platonis ſententiam proſequitur de ſpiritu Dei, quod ſcilicet cuncta optimè diſponit,

--- *Stabiliſque manens dat cuncta moueri.*

Quamquidem agitationem animæ Salomon quoque in Eccleſiaſte diligenter exprimens ait. *Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, illuſtrans vniuerſa. In circuitu pergit ſpiritus, & in circulo ſuo reuertitur.* Quis eſt ille circulus, niſi ambitus globoſi & teretis orbis, de quo ſcriptum eſt, quia *Spiritus Domini replenit orbem terrarum*? Diuinæ quippè bonitatis gratia ſic omnia replet, vt nihil penitus ab operationis ſuæ adminiſtratione vacet, quæ ſicut ſolem viſibus noſtris oriri facit ſeu occidere, ſic & cætera quæquæ diſponit optimè. Adeo autem prædicta Virgilij verba de anima mundi, veritate plena videntur, vt ea quoque quaſi in auctoritatem aſſumere doctores ſancti non abhorruerint. Vnde & Hieronymus cùm illum Ezechielis locum exponeret, vbi ſcriptum eſt. *Introduxit in atrium interius per viam orientalem*, ait. Si autem

Digitized by Google

exterius & interius accipimus atrium, ſic intelligendum, quod Deus & circumfuſus ſit & infuſus, dicens per Prophetam, Qui tenet cœlum palma, & terram pugillo, vt videantur omnia ab illo concludi, & rurſum, Cœlum autem thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, vt intra omnia eſſe credendum ſit, iuxta illud Virgilianum.

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Idem in Epiſtola Pauli ad Epheſios lib. 11. Diuerſitas autem propoſitionum, in quibus dicitur vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnia, & per omnes, & in omnibus diuerſam intelligentiam ſapit. Super omnia enim eſt Deus pater qui auctor eſt omnium. Per omnes filius qui cuncta tranſcurrit, vaditque per omnia. In omnibus Spiritus ſanctus, quia nil abſque eo eſt. Tale quid de creaturis & de Deo etiam Zeno cum Stoicis ſuſpicatur, quem ſequitur Virgilius. Deum namque,

——— *ire per omnes*
terraſque inanis ——— & reliqua

Et

Principio cœlum & terram, camposque liquentes.
Lucemtemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit. &c.

Viuere quippè in Deo cuncta dicuntur, vt ſupra meminimus, ſecundum hoc quod in ipſo nulla ſunt mortua, hoc eſt inutilia, ſed omnia vtiliter, aut conuenienter facta ſeu ordinata, vnde ſcriptum eſt, *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, hoc eſt in ipſa antequam fierent prouidentia diuinæ Sapientiæ commodiſſimè erant ordinata. Hinc rurſum dicitur, *Deus cui omnia viuunt.* Et Apoſtolus. *In quo*, inquit, *viuimus, mouemur, & ſumus*, tàm homines quàm pecudes viuificat. Cuius dona aliqua ad vitam tam ſapientiſſimi quàm ſimplices atque idiotæ habent; vnde & in Eccleſiaſte dicitur, *Quis nouit ſpiritus filiorum Adam, & ſi aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum*, hoc eſt qui ſint prædeſtinati ad

vitam, qui deputati ad mortem de ſapientiſſimis & idiotis. Hæc de Macrobio dicta ſufficiant. Si quis autem me quaſi importunum ac violentum expoſitorem cauſetur, eo quod minùs propria expoſitione ad fidem noſtram verba philoſophorum detorqueam, & hoc eis imponam quod nequaquam ipſi ſenſerunt, attendat illam Caiphæ prophetiam, quam Spiritus ſanctus per eum protulit, longe ad alium ſenſum eam accommodans, quam prolator ipſe ſenſerit. Nam & ſancti Prophetæ cum aliqua Spiritus ſanctus per eos loquatur, non omnes ſententias ad quas ſe habent verba ſua intelligunt, ſed ſæpè vnam tantum in eis habent, cum ſpiritus ipſe, qui per eos loquitur, multas ibi prouideat, quatenus poſtmodum alias alijs expoſitionibus, & alias alijs inſpirat. Vnde Gregorius in regiſtro ad Ianuarium Epiſcopum Calaguritanũ ſcribens ait. In intellectu ſacræ Scripturæ reſpui nõ debet quicquid ſacræ fidei non reſiſtit. Sicut enim ex vno auro alij murenulas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt: ita ex vna Scripturæ ſactæ ſententia expoſitiones etiam per innumeros intellectus, quaſi varia ornamenta componunt; quæ tamen omnia ad decorem cœleſtis ſponſæ proficiunt. Ipſe prȩterea Macrobius, ea quæ de anima mundi à philoſophis dicta ſunt, myſticè interpretanda eſſe meminit. Quod etiam iuxta literam exponi veraciter aut conuenienter nullatenus queant, vt ſupra meminimus, ipſa nos litera ad expoſitionem myſticam compellit. Pluribus quoque teſtimonijs ſanctorum didicimus Platonicam ſectam Catholicæ fidei plurimum concordare. Vnde non ſine cauſa maximus Plato Philoſophorum præ cæteris commendatur ab omnibus, non ſolùm à peritis ſecularium artium, verum etiam à Sanctis. De quo pater Auguſtinus in lib. 9. de Ciuit. Dei. Mirantur, inquit, quidam nobis in Chriſti gratia ſociati, cum audiunt vel legunt Platonem, eum de Deo iſta ſenſiſſe quæ multum congruere veritati noſtræ religionis agnoſcuntur. Vnde nonnulli putauerunt eum quando perrexit in Ægyptum, Hieremiam audiſſe, vel Scripturas propheticas in eadem peregrinatione legiſſe. Si diligenter computetur temporum ratio, quæ chronica hiſtoria continetur, Platonem indicat à tempore quo prophetauit Hieremias, centum ferè annos poſtea natum fuiſſe. Qui cum octoginta & vnum vixiſſet ab anno mortis

eius vſquequo Ptolomeus Rex Ægypti ſcripturas Propheticas per ſeptuaginta Hæbreos, qui Græcam linguam nouerant, interpretandas habendas curauit, anni reperiuntur fermè nouem. Quapropter in illa peregrinatione ſua Plato nec Hieremiam videre potuit, tanto ante defunctum, nec eaſdem ſcripturas legit in Græco, quæ nondum fuerant in Græcum tranſlatæ; niſi quia fuit acerrimi ſtudij, ſicut Ægyptiacas, ita & iſtas per interpretem didicit. Adeo autem ipſa Platonis dicta verbis Domini atque prædicationi eius conſonare videntur, vt ſicut idem prædictus doctor in ſecundo de doctrina Chriſtiana profitetur, quidam lectores & dilectores Platonis auſi ſunt in tantam prorumpere inſaniam, quod dicerent Domini noſtri Ieſu Chriſti ſententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didiciſſe. Hinc etiam Ptolomæus Rex in Platonis dogma eadem videri, ni fallor, dictus eſt, quod Deum & mentem, id eſt patrem & verbum, ex Platonicis ſcriptis didicerat. Vnde ſeptuaginta Interpretes cum ei legem transferrent, Arcanum diuinæ generationis prudenti, vt videri dicunt conſilio penitus tacuerunt, ne ſi id quoque apud Hebræos prædicari audiret, duplicẽ diuinitatem eſſe deprehenderet, quod antea tantum vnius Dei cultor extiterat, ne propter Platonicum dogma ab vnitate Deitatis deuiauerat, licet ibi plures diſtingui perſonas audierit, vnius tamen Deitatis ſingularitate ſeruata. Hinc Hieronymus in Prologo Penthatenci meminit dicens, à prædictis ſeptuaginta multa huiuſmodi reticeri, vt eſt illud: *Ex Ægypto vocaui filium meum &c.* Ex quo liquidum eſt Platonicam ſectam fidei ſanctæ Trinitatis plurimum ſemper aſſentiri, & eam diligentius cæteris omnibus Philoſophis à Platone, & ſequacibus eius diſtingui ac deſcribi. Vnde & non immeritò in eius laudem Valerius Maximus his prorumpit verbis. Sed Platone paruulo dormiente in cunis, mel apes inſeruerunt eius labijs. Qua re audita prodigiorum Interpretes ſingularẽ eloquij ſuauitatem ore eius emanaturam dixerunt. Excellentius autem & conuenientius ad interpretandum eſſe non dubito, ſi ad diuinæ deitatis gloriam hoc miraculum referatur, vt hoc ei Deus inſigne præſagii conferret, qui diuinitatis ſuæ per eum diligentius arcana reuelaturus eſſet. Orportebat quippè, vt ſummæ Sophię, quæ Chriſtus eſt, verbum videlicet & ſapientia Dei Patris,

ſummus Philoſophus eiuſque ſequaces plurimum atteſtarentur. Vnde & iuxta Auguſtinum Apoſtolus Athenienſibus loquens, vt ſupra meminimus, cum rem magnam dixiſſet, & quæ à paucis poſſet intelligi, quod *in illo* ſcilicet, *viuimus, mouemur, & ſumus*, adiecit, *ſicut & veſtri quidam dixerunt.* Platonem quippè Athenienſem fuiſſe conſtat. Illud autem in quo non mediocriter erraſſe Plato & videtur & dicitur. Illud inquam quod animam mundi factam eſſe dicit, hoc eſt initium habuiſſe, & quod ſupra Macrobius, cum de anima mundi loqueretur, aſſeruit Deum & νοῦν vltra animam eſſe, quaſi ſuperiores dignitate, cum conſtat inter Catholicos tres perſonas in diuinitate per omnia ſibi coæquales & coæternas ſibi eſſe, ſi diligentius attendant à veritate nõ exhorbitat; ſicut poſtmodũ oſtendemus de proceſſione Spiritus ſancti diſſentire. Non enim ſine cauſa hic Philoſophus præ ceteris commendatur ab omnibus tã fidelibus, vt ſupra meminimus, quàm infidelibus. Cum itaque in omni doctrina Philoſophiæ Platonica ſecta enituerit, iuuat etiam aliquorum Platonicorum teſtimonia inferre, quæ idem pater Auguſtinus in v.11. Confeſſionum cõmemorat in ſcriptis ſe eorum reperiſſe. In quibusquidẽ ferè tota fidei noſtræ ſumma circa diuinitatem verbi apertiſſima continetur, ſicut ipſa poſtmodum tradita eſt à ſummis ſcriptoribus noui teſtamenti, Ioanne ſcilicet & Paulo Apoſtolis. Ait quippè Auguſtinus ibidem ad eundem ſermonem intendens.

XXI. PROCVRASTI mihi per quendam hominem immaniſſimo typo turgidum, quoſdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam verſos, & ibi legi non quidem iſtis verbis, ſed hoc idem omnino multis & multiplicibus ſuaderi rationibus, quod *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et quia omnis anima, quamuis teſtimonium perhibeat de lumine, non eſt tamen ipſa lumen, ſed verbum Deus lumen eſt verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Quia verò in ſua propria venit, & ſui eum non

recèperunt

Digitized by Google

receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius, non ibi legi. Item legi ibi. Quia verbum Deus non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo natum eſt. Sed quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, non ibi legi. Indagaui in literis illis, multis modis dictum, quod ſit filius in forma patris non rapinam arbitratus eſſe coæqualis Deo, quia naturaliter idipſum eſt. Sed quia *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit eum à mortuis, & donauit ei nomẽ quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris*, non habent illi Libri. Quod enim ante omnia tempora, & ſuper omnia tempora incommutabiliter manet vnigenitus filius tuus coeternus tibi, & quia de plenitudine eius accipiunt animæ, vt beatæ ſint, & quia participatione manentis in ſe ſapientiæ renouantur vt ſapientes ſint, eſt ibi. Quod autẽ pro impijs mortuus eſt, non eſt ibi. At verò ne aliquis ſexus inter homines ſapientiæ fama cæteris præſtantes, fidei noſtræ teſtimonijs deſit, illa etiam famoſa Sibylla inducatur, quæ nec diuinitatem verbi, nec humanitatem, nec vtrumque aduentum, nec vtrumque iudicium verbi ſcribendo prætermiſit. Primum quidem iudicium quo iniuſtè Chriſtus eſt iudicatus in paſſione, & ſecundum quod iuſtè iudicaturus eſt mundum maieſtate, de qua Auguſt. contra quinque hereſes. Audiamus quid etiam Sibylla vates eorum de eodem dicat. Alium, inquit, dedit Dominus hominibus fidelibus colendum. Item, Ipſe tuum cognoſce Dominum Dei filium eſſe. Alio loco filium Dei, Σύμβολον appellat, id eſt Conſiliarium, vel conſilium. Et propheta dicit, *Vocabitur nomen eius admirabilis, Conſiliarius.* De qua rurſum idem Pater Auguſtinus in VIII. de Ciuit. Dei. Eo inquit, tempore nonnulli Sibyllam Eritream vaticinatam ferunt, quam quidam magis credunt eſſe Cumanam, & ſunt eius XXVIII. verſus, qui (ſicut eos quidam Latinis verſibus eſt interpretatus) hoc continent.

Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet,
Et cœlo Rex adueniet per ſecla futurus,
Scilicet in carne præſens vt vinceret, &c.

Quorum verſuum quidem primæ literæ Græco iunctæ id ſonant. IESVS CHRISTVS FILIVS DEI SALVATOR. Infert etiam Lactantius quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ.

In manus, inquit, *infidelium poſtea veniet,*
Dabunt Deo alapas manibus inceſtis,
Et impurato ore inſpuent venenatos ſputos,
Dabit verò ad verbera Sanctum dorſum,
Suppliciter, & colaphos accipiet, ne quis agnoſcat,
Quod verbum vel vnde venit, vt inferis loquatur
Et ſpinea corona coronetur.
Ad cibum autem fel, ad ſitim acetum dederunt,
Inhoſpitalitatem hanc monſtrabunt menſam,
Ipſa enim inſipiens gens tuum Deum non intellexiſti.
Ludentem mortalium mentibus, ſed ſpinis
Coronaſti, fel miſcuiſti.
Templi velum ſcindetur, & in medio die
Nox erit tribus diebus ſomno ſuſcepto,
Et tunc ab inferis regreſſus ad lucem veniet
Primus reſurrectionis principio oſtenſus.

Hoc profectò Sibyllæ vaticinium, ni fallor, maximus ille Poetarum noſtrorum Virgilius audierat atque intellexerat, cùm in quarta Ecloga futurum in proximo ſub Auguſto Cæſare, tempore conſulatus Pollionis, mirabilem cuiuſdam pueri de cælo ad terras mittendi, qui etiam peccata mundi tolleret, & quaſi ſecundum nouum in mundo mirabiliter ordinaret, præcineret ortum, admonitus vt ipſemet ait Cumæi carminis vaticinio: hoc eſt Sibyllæ, quæ Cumæa ſiue Cumana dicitur. Ait quippè ſic quaſi adhortans quoſlibet ad congratulandum ſibi, & concinendum ſeu conſcribendum de hoc tanto puero naſcituro, in comparatione cuius omnes alias materias quaſi infimas & viles reputat dicens,

Sicelides muſæ paulò maiora canamus,
Non omnes arbuſta iuuant humileſque myricæ,
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo,

Digitized by Google

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia Regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Et poſt pauca.

Teque adeò decus hoc te Conſule inibit
Pollio, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Item de puero.

Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Quæ apertiſſimam de Incarnatione filij Dei continent prophetiam, ipſo fortaſſis Poeta ignorante, quæ in Sibylla vel in eo Spiritus ſanctus loqueretur, ſicut de Caipha contigit, dicente, quia *expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, vbi & ſubditur. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit.* Facillimè autem ex ſubſequentibus cõuinci poteſt hanc Eclogam de nullo veraciter aut conuenienter accipi poſſe niſi de incarnato vnigenito Dei typicè more prophetico dicantur, cum apertiſſimè falſa & impoſſibilia deprehendantur eſſe, ſi ad literam exponantur, nec ſaltem commodè in adulationẽ vt quibuſdam videtur afferri, quæ ſtatim iudicio omnium tãquam incredibilia reſpuuntur: vt magis contra poetam commoueant ad indignitatem quàm ad beniuolentiam trahant. Sed hæc diligentius alibi nobis oſtendenda ſiue exponẽda occurrent, cum de incarnatione ſcilicet Verbi, magis quàm de diuinitate eius teſtimonia conferemus. Qui & poſtmodum in alia Ecloga diuinam Trinitatem non mediocriter innuens, ex cuiuſdam ad alium perſona dicit,

Trina tibi hæc primum triplici diuerſa colore
Licia circundo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero Deus impare gaudet.

Vota quippè hîc quidem ſortilegi ritus oſtendens, quæ maximam vim habeant ad conſtringendum rebellem, minatur dicens: Tria fila eiuſdem ſubſtantiæ, id eſt de lana, ſed diuerſa triplici colore tibi in effigie videlicet tua circundo, ad te videlicet & conſtringendum & capiendum, quaſi illud Salomonis attendens, *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Et tunc inquit, effigiem tui ſic ligatam duco ter circum altaria. Denique cur & terna licia dixerit, vel triplicem colorem, ſiue ternum circuitum altaris, quaſi in omnibus ternarij numeri magnam vim attenderet ad celebrationem diuino-

rum ſacrorum, adiecit, quia Deus gaudet impare numero. Ac ſi diceret, Quia Deus hoc numero ſecundum perſonarum Trinitatem deſcribi vult ſuam perfectionem. Quæquidem perſonæ ſunt eiuſdem ſubſtantiæ, ſed proprietatibus diuerſæ, vnde tribus laneis filis diuerſorum colorum expreſſæ videntur.

XXII. NVNC itaque ad propoſita de diuinitate verbi teſtimonia reuertamur, & cum Dauid & Salomone Regibus Iſrael, tertium adhibeamus gentium regem ad ſummi vaticinum regis. Quid enim apertiùs illo teſtimonio Nabugodonoſor, de filio Dei? *Ecce*, inquit, *video cælos ſolutos, quatuor ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Iuuat autem & Didimi regis Bragmanorum inferre teſtimonium, vt in quatuor Regũ auctoritate, noſtræ aſſertio fidei præmineat. Duorum quidem Iudæorum, & duorum gentilium, Dauid ſcilicet & Salomonis, Nabugodonoſor & Didimi, ſintque hi quatuor Reges quaſi quatuor rotę nobilis quadrigæ ſummi Regis, per quas videlicet fides quatuor Euangeliſtarum de ſancta Trinitate per vniuerſum deferatur mundum, & tanto Regum auctoritas ſit firmior, quanto poteſtas ſimilior, & qui edicta populis legeſque proferunt, ſacræ quoque fidei teſtimonia tradant.

XXIII. AIT itaque Didimus in prima ad Alexandrum Epiſtola, ait, inquam ſic; Inter cætera religionis vel fidei ſuæ gentis inſignia. Non ſuſcipit Deus ſacra ſanguinea, cultum diligit incruentum, ſpernit funeſta libamina, verbo propitiatur orantibus, quod ſolum ei cum homine eſt, ſuaque numinis ſimilitudine delectatur. Nam verbum Deus eſt, mundum creauit, hoc regit atque alit omnia, hoc nos veneramur, hoc diligimus, ex hoc ſpiritum trahimus, ſi quidem Deus ipſe ſpiritus atque mens eſt, atque ideo non terrenis diuitijs nec largitate munifica, ſed religioſis operibus, & gratiarum actione placatur. Ex his liquidè verbis traditur, tàm verbum ipſum Dei, quàm ſpiritum ab ipſo fidelibus infuſum eſſe Deum, quem Rex ille non ſolum credebat, verumetiam alteri magno Regi ſcribendo prædicat. Quantæ autem religionis ſeu abſtinentiæ populus Bragmanorum fuerit, vt illis Deus ſupra vniuerſas nationes fidei ſacræ intelligentiam inſpirare deberet, Epiſtolæ ipſe Didimi ad Alexandrum continent. Quibuſqui-

Digitized by Google

dem Epistolis, si fides exhibẽda sit, nulla hominum vita quantumcunque religiosorum innocentię atque abstinentiæ Bragmanorum æquiparanda videtur. Vnde & hæc in exemplum abstinentiæ Beatus quoque Hieronymus nobis proposuit, de quibus inter cætera in secundo contra Iouinianum meminit dicens. Bardesenes vir Babilonius in duo dogmata apud Indos gimnosophistas diuidit, quorum vnum appellat Bragmanas, alterum Samoneos, qui tantæ continentiæ sint, vt vel pomis arborum iuxta Gangem fluuium, vel publico ozizæ & farinæ alantur cibo; & cum Rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque prouinciæ suæ in illorum precibus arbitrari sitam. Ad quos etiam diuina gratia prædicationem Euangelij directam esse, ipsa eiusdem Epistola ad Magnum Oratorem perhibet, his verbis. Pantenus Stoicæ sectæ Philosophus ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetrio Alexandriæ Episcopo missus est Indiam, vt Christum apud Bragmanas & illius gentis Philosophos prædicaret.

SENECA quoque inter vniuersos Philosophos, tàm moralis doctrinæ quàm vitæ gratiam adeptus, Spiritum sanctum bonorum omnium distributorem patenter profitetur, ita de ipso ad Paulum Apostolum in quarta scribens Epistola: Profiteor me benè acceptum lectionem literarum tuarũ quas Galathis, Corinthijs, Achijs misisti. Spiritus enim sanctus in te supra excelsos sublimior, satis venerabiles sensus exprimit. XXIIII.

RESTAT denique ad maximum illum Latinorum Philosophorum, Boetium scilicet, descendere: qui omnes ferè liberalium artium disciplinas, scribendo vel transferendo, seu etiam exponendo Latinè tradidit, ac diligenter sanctæ Trinitatis fidẽ Simmacho socero ac Patricio scribendo edisserens, de vnitate quoque personæ Christi ac diuersitate naturarum quæ in Christo sunt, diuinæ scilicet & humanæ, ad Ioannem Diaconum (qui postea Papa effectus est) scribendo contra Euticem & Nestorium, optimè disputauit, fidemque nostram, & suam ne in aliquo vacillaret, tàm de diuinitate, quàm de diuinitatis incarnatione tractando inexpugnabiliter astruxit. Constat hunc egregium Senatorem Romanum quoque & Consulem atque Patritium tempore prædicti Ioannis Papæ floruisse, à Siluestro Papa viceſimi, & eum in XXV.

illa perſecutione Chriſtianorum qua in Ioannem Papam cæteroſque Chriſtianos Theodericus ſæuijt, vnà cum prædicto Simmacho occubuiſſe. De quo in geſtis Pontificum, necnon & in libro miraculorum B. Benedicti ſcriptum eſt, qualiter videlicet ambos Theodericus rex Gothorũ interfecerit. In geſtis quidem ita ſcriptum reperies: Rex hęreticus Theodoricus duos Senatores & Conſules & Patritios gladio interfecit, Boetium & Simmachum, quorum etiam abſcondi corpora fecit & præcepit. In libro autem miraculorum prædicti ſancti ita continetur. Theodericus poſt Odoacrem Gothorum principatum cum regio nomine ſuſcipiens, homo peſtilens Arrianæ ſectæ, denique inter cætera facinora Ioannem Papam corporali inedia maceratum necauit: duoſque Senatorij ordinis viros & exconſules Simmachum videlicet atque Boetium in carcere gladio tranſuerberauit. Cum itaque Dominus & per Prophetas Iudæis, & per præſtantes Philoſophos ſeu vates Gentibus Catholicę fidei tenorem annuntiauerit, inexcuſabiles redduntur tàm Iudæi quàm gentes, ſi cum hos in cæteris doctores habeant, in ſalutem animæ cuius eſt fundamentum fides ipſos non audiant. Et quidem multi ex gentibus, nonnulli ex Iudæis in hoc quoque à doctoribus populi ſui inſtructi, fidem ſanctę Trinitatis recognouerunt in vno corpore Eccleſiæ quaſi duo parietes coniuncti. Ex gentibus quidem primò Græci, ex quibus prædicti Philoſophi fuerunt; poſt Græcos Latini, qui ſicut in diſciplinis ſecularium artium imitati ſunt Græcos, ita & in vera fidei doctrina ab ipſis exempla ſumpſerunt. Cùm eos ſcilicet Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe audiſſent, quos ingeniorum ſubtilitate præditos, omnibus Philoſophiæ rationibus armatos eſſe cognouerant.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

PER IS Parte ſuperioris, teſtimonia quædam tàm Prophetarum, quàm Philoſophorum collegimus, quibus ſanctæ Trinitatis fidem aſtrueremus, vbi quidem dum Philoſophorum infidelium aſſertiones, ſicut & ſanctorum Patrum, quaſi in auctoritatem induximus, multorum nos detractionibus corrodendos parere præſenſimus, atque à nonnullis nobis id improperandum, quod B. Hieronymo à multis olim legimus obiectum, cùm non ſolum ille & Ethnicorum, verumetiam hæreticorum teſtimonia ſuis inſereret ſcriptis. Vnde & aduerſus calumnias Magni Oratoris vrbis Romæ Epiſtolam ſcribens, ita exorſus ait: Quid quæris quod in opuſculis noſtris ſecularium literarum interdum ponamus exempla, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus polluamus, num quam hoc quæreres ſi ſcripturas ſacras legeres, ſi Interpretes earum reuolueres. Quis enim neſciat, & in Moyſe ac Prophetarum voluminibus, quædam aſſumpta de gentilium libris, & Salomonem Philoſophari & propoſuiſſe nonnulla & aliqua reſpondiſſe? Vnde in exordio prouerbiorum commonet, vt intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiaſque verborum, parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientium & enigmata, quæ propriè ſunt dialecticorum & Philoſophorum. Sed & Paulus Apoſtolus Epimenidis Poetæ abuſus verſiculo eſt, ſcribens ad Titum.

I.

Contra eos qui prohibent fideles ab infidelibus teſtimonia ſumere.

Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

In alia quoque Epiſtola Menandri ponit ſenarium.

Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ.

Et apud Athenienſes in Martis curia diſputans Aratum teſtem vocat. *Ipſius enim & genus ſumus.* Pater hoc eſt Doctor Chriſtiani exercitus, & orator inuictus pro Chriſto cauſam agens, etiam Inſcriptionem fortuitam arte torquet in argumẽtum fidei. DIDICERAT enim à vero Dauid, extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare. Legant in Deuteronomio mulieris ca-

Digitized by Google

ptiuæ radendum caput, ſupercilia, omnes pilos & vngues corporis amputandos, & ſic eam habendam coniugio. Quid ergo mirum, ſi & ego ſapientiam ſecularem propter eloquij venuſtatem, membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Iſraëlitam facere cupio? Si quid in ea mortuum eſt, Idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido vel rado, & mixtus puriſſimo corpori, vernaculos ex ea genero Domino. Item Cyprianus vir eloquentiæ pollens, & Martirio Formano narrante mordetur, cur aduerſus Demetrianum ſcribens teſtimoniis vſus ſit Prophetarum & Apoſtolorum, quæ illa ficta & commentitia eſſe ducebat, & non potiùs philoſophorum & poetarum, quorum auctoritati vt Ethnicus contraire non poterat? Item Ioſephus duos Libros ſcribit contra Apionem Alexandrinum, & tanta ſecularium profert teſtimonia, vt mihi miraculum ſubeat, quomodo vir Hebræus ab infantia ſacris litteris eruditus, cunctam Græcorum Bibliothecam euoluerit. Item extant & Iuliani Africani Libri & Theodorici, viri Apoſtolicorum ſignorum, ac virtutum; & Dionyſij Alexandrini Epiſcopi, Anatholii quoque, Pamphilii, Pierii, Luciani, Malchionis, Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi &c. qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos referſerunt Libros, vt neſcias quid in iſtis primùm admirari debeas, eruditionem an ſcientiam literarum. Idem ad Vigilantium presbiterum. Eadem abſenti ſignifico, quæ præſenti quoque locutus ſum, me ita Origenem legiſſe vel legere, aut Apolinarem, aut cæteros tractatores, quorum in quibuſdam libros Eccleſia non recipit, quia operis mei & ſtudii eſt multos legere, vt ex plurimis multos flores carpam, tàm probaturus omnia, quàm quæ bona ſunt electurus. Aſſumo multos in manu, vt ex multis multa cognoſcam, ſecundum quod ſcriptum eſt. *Omnia legentes, quod bonum eſt retinentes.* Vnde ſatis miror te voluiſſe Origenis mihi obiicere dogmata. Origenes hæreticus quid ad me, qui illum in pleriſque hereticum non nego? Errauit de reſurrectione corporis, de ſtatu animarum, de Diaboli pœnitentia & quod his maius eſt, filium & Spiritum ſanctum in Commentariis Iſaiæ Seraphim conteſtatus eſt. Item, Neque enim debemus bona eius recipere, vt mala quoque recipere cogamur. Si ergo quæ bona ſunt, tranſtuli; & mala quæ amputaui

vel tacui

vel tacui, vel correxi, arguendus ſum, cur non per me Latini bona eius habeant, & ignorent mala? Si hoc crimen eſt, arguatur Hilarius confeſſor, qui pſalmorum, interpretationem & Homelias in Iob ex libris eius tranſtulit. Sit in culpa Vercellenſis Euſebius, qui omnium pſalmorum commentarios hæretici hominis vertit in noſtrum eloquium, licet hæretica prætermittens. Hoc quidem & Hieronymus aduerſus eorum calumnias reddidit, qui ob id Catholicos tractatores reprehendendos autumant, quod ſuis ſcriptis infidelium teſtimonia vel dicta inſerere præſumant, quaſi eis auctoritatem tribuant, qui nulla digni ſunt auctoritate, & quaſi maculare ſacras ſententias poſſit veritas per infideles prolata. Nouerat certè vt diſcretiſſimus grana à paleis, & Margaritam cæteris quandoque prætioſiorem in ſterquilinio deprehendere, quã in ornamento Regio tanquam ſapiens aurifaber valeat componere. Tenebat certiſſimè, & dona Dei per quemcumque malum contaminari non poſſe, nec diuina ſacramenta contractu prauorum inquinari, cùm aut in nomine Trinitatis infideles baptiſant, aut peſſimi quique diuina verba prædicant, aut prophetias loquuntur, & nonnunquam miracula faciunt. Quæcumque enim bona ſunt, à Deo eſſe neceſſe eſt, nec ea quorumlibet malicia contaminare poteſt. Vnde nec prophetiam Balaam gentilis, neque Arioli ſacra improbauit auctoritas, qua poſtmodum magi primitiæ gentium incitati creduntur, vt noua apparente ſtella nouum ſtatim regem quærerent, nec Sibyllę vel Virgilij vaticinia ſpiritualis doctor Auguſtinus ſanctorum prophetijs inſerere timuit, attendens illud Apoſtoli. *Et nemo dicere poteſt Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*, nec prophetiam Caiphæ commendare Euãgeliſta veritus eſt dicens. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit.* Nec ipſorum dæmonum teſtimonia Euangelium reticuit, cum ad eorum expulſionem Domino veniente, eum Ieſum Chriſtum, ſeu filium Dei inclamarent ac confiterentur. Quippe cuius virtutem, ſiue naſcentis, ſeu morientis, ſiue reſurgentis vel aſcendentis & miracula facientis, ipſa etiam inſenſibilia quodam modo ſenſiſſe, vt ei teſtimonium ſuo modo præberent, beatus perhibet Gregorius, Angelis quidem & ſtella ſtatim in ortu ipſius apparentibus, in morte verò ſole obſcurato, petris & ve-

lo templi ſciſſis, & monumentis ſanctorum apertis reſurgen gentium, multiſque apparentiũ, in reſurrectione terræ motu facto cum viſione Angelorum, in aſcenſione nube eum ſuſcipiente. Cuius quoque potentiam atque ſapientiam vniuerſus mundi ornatus annunciare non ceſſat ac prędicare,& ſuo modo laudare,& commendare,ex ipſa ſui mirabili compoſitione ac diſpoſitione. Vnde Apoſtolus, *Inuiſibilia*, inquit, *ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque virtus & diuinitas*, *&c.* Hinc Pſalmiſta inſenſibilium quoque creaturarum laudibus applaudens, omnes pariter ad laudes Dei creaturas inuitat, quaſi ex omnibus optimè conditis laudes Dei a nobis exigat, qui pro nobis in mundo condidit vniuerſa. Vnde & à ſummitate cœli, & ſolemnitate Angelorũ exorſus vſque ad dracones & ſerpentes atque omnes abyſſos, diuinas extendit laudes, cùm dixerit; *Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi.* Et iterum. *Serpentes & volucres pennatæ.* Qui nec aliqua reptilia prætermiſit dicens. *Laudabunt illum cœli & terra, mare & omnia reptilia in eis.* Legimus etiam in vita Pauli heremitę à beato ſcripta Hieronymo, Satyrum Beato apparuiſſe Anthonio,qui aduentum Saluatoris proteſtans ait ſancto viro, Legatione fungor mei gregis, precamur vt pro nobis communem Deum depreceris, quem in ſalutem mundi olim veniſſe cognouimus, & in vniuerſam terram exiit ſonus eius. Cuius quidem Satyri videlicet confeſſionem ac teſtimonium de Chriſto, longæuus viator admirans & gauiſus, quod etiam monſtra Chriſtum prædicarent, & vehementer indignatus ſuper duritia & cæcitate Alexandriæ,baculo ſtatim humum percutiens,aiebat. Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Quid nunc dicturi eſtis? Beſtiæ loquuntur Chriſtum. Ac ſi apertè clamet dicens, Conteret impudentiam veſtram ſaltem confeſſio monſtrorũ. Quæquidẽ confeſſio tanto fortaſſe gloriam mirabilius atque potentiam Dei prædicat, quanto maiori miraculo eſt habenda,& tanto verior eius aſſertio videtur,quanto à doctrina hominum remotior eſt, & tota ſuggeſtioni ſancti Spiritus imputanda. Vnde & verba Aſinæ Bálaam, & voces in aere factæ ſicut de baptiſato vel transfigurato Domino legimus, cum aliquid aſtantibus annuntiauerunt, tanto facilius ad fidem auditores commouebant, quanto mirabiliores omnibus appare-

Digitized by Google

bant. Quod de Philoſophis quoque & quibuſdam gentilibus quantumuis infidelibus, ſeu noſtræ fidei inimicis, manifeſta docetur ratione. Quo enim fidei noſtræ magis eſſent aduerſi, minùs in laude eius inuenirentur ſuſpecti, & probabilius in laude cuiuſlibet eſt teſtimonium inimici, quàm amici, ſicut è conuerſo in crimine. Vnde & cum Ioſephi Iudęi teſtimoniũ de Chriſto vel de Sanctis eius legimus, plurimum ad fidem in eo commouemur, & cum audimus Philonem Iudæum vitam Monachorum Ægypti probaſſe atque commendaſſe, plus nobis ſatisfacit, quàm ſi quis noſtrum eam commendaret. Ex quo vtrique inter illuſtres viros à B. Hieronymo connumerari & aſcribi meruerunt. Quid etiam magis neceſſarium ad defenſionem fidei noſtræ, quàm vt aduerſus omnium infideliũ importunitatẽ, ex ipſis habeamus per quod ipſos refellamus? vt ſi nos impetunt Philoſophi, per ipſos cõuincantur doctores ſui atque Philoſophi, & ſi nos impetunt hæretici à quibus ſacræ paginæ teſtimonijs refellantur. Atque ita iuxta Apoſtolum. *Omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Quis etiam hæreticos longè deteriores eſſe gentibus, & quibuſdam Philoſophis ignoret? Iuxta namque Petri Apoſtoli aſſertionem, melius eſſet his non noſſe veritatis viam, quàm poſt agnitam retrò ire. Si ergo propter infidelitatem gentilium, hi qui aliquibus eorum teſtimoniis vel dictis vtantur, arguendi ſunt: multo amplius illi qui Origenis tot & tantis hæreſibus irretiti expoſitiones atque ſententias tàm ſtudiosè ad noſtram tranſtulerunt atque induxerunt ædificationem, cum ex infidelitate damnabiliores omnibus, vt dictum eſt, conſtet eſſe hæreticos. Cuius quidem innumeras ac ſupramodum abhominandas hæreſes ſilentio deperire non ſuſtinuerunt, quaſi & in his retractandis aliquam præuiderent vtilitatem, ac ſi ab eis deſignatis, atque damnatis, cæteri ſibi facilius prouiderẽt, aut quibus eas rationibus diſſoluerent, ſi quis in eis illos illaquearet addiſcerent. Vnde & B. Hieronymus Epiſtolam ad Auctum Presbyterum direxit, vt hæretica illa quæ in libris Periarchon Origines minima poſuerat, ex parte manifeſtaret. Quis etiã me teſtimonijs Philoſophorum inductis ratione arguat, niſi & in culpam mecum ſanctos doctores in hoc ipſo trahat? Quæ enim ſuperius ex Philoſophis collegi teſtimonia, non ex eorũ ſcriptis, quorum pauca noui, imo ex libris ſanctorum patrum

collegi. Nunquid & Apoſtolum arguere præſumeret, qui (vt ait B. Auguſtinus in viii. de Ciuit. Dei) Athenienſibus loquens, cum rem magnam de Deo dixiſſet, & quæ à paucis poſſet intelligi, Quod *in illo* ſcilicet, *viuimus, mouemur, & ſumus*, adiecit, *ſicut & benè quidam dixerunt*, Philoſophorum videlicet ipſorum, quorum ſtudijs glorioſa illa ciuitas extiterat, teſtimonium ad perſuaſionem inducens, de quibus vt in eodem ipſe Auguſtinus præmiſit ad Romanos ſcribens ait, quia *quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis reuelauit &c.* Ex quibus apertè Apoſtolus docet eis quoque myſterium Trinitatis fuiſſe reuelatum. Sed hîc quædam verba Apoſtoli nobis in ſequentibus exponenda occurrunt. Nunc autem aduerſus tàm hæreticorum quam Philoſophorum obiectiones, pluribus de fide ſanctæ Trinitatis collectis atque expoſitis teſtimonijs, ſupereſt aperire, quibus rationibus deffendi poſſit quod teſtimonijs confirmatum eſt. Omnis quippè controuerſia (vt in Rethoricis ſuis Tullius meminit) aut in ſcripto, aut ratione verſatur, & Beato atteſtante Auguſtino, In omnibus auctoritatem humanæ anteponi rationi conuenit; maximè autem in his quæ ad Deum pertinent, tutius auctoritate quam humano nitimur iudicio. Hinc eſt illud quod ait c. 1. lib. de moribus Eccleſiæ contra Manichæos. Naturæ quidē ordo ita ſe habet, vt cum aliud dicimus, rationem præcedat auctoritas: nam infirma ratio videri poteſt, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem poſtea, per quam formetur, non aſſumit. Reſtat itaque nunc nobis poſt auctoritatum fundamentum, fulcimenta ſuperinducere rationum, maximè ideo ne verboſitas inimicorum Chriſti noſtræ inſultet ſimplicitati, qui cum aliquos idiotas aut minus eruditos Chriſtianos inductionum ſuarum laqueis præpedierint, ſummæ id ſibi gloriæ aſcribunt. Quibus quidem non ſufficit vt ſoli moriantur, niſi alios compellant ſuis erroribus, illo videlicet Iudæorum more, quo eos veritas dicit *mare & aridam circuire, vt faciant proſolitum vnum.*

II. Omnivm autem bonorum quaſi fundamentum fidem ſanctæ Trinitatis ponimus, vt ab ipſa diuinæ naturæ cognitione omnium bonorum ducatur exordium. Quiſquis itaque hoc fundamētum labefactare poterit, nihil fructuoſum nobis de his quæ ſuperædificanda ſunt relinquit. Vnde & nos pri-

Digitized by

mum huic tanto periculo tàm auctoritatum quàm rationum elipeum opponere curauimus, in eo quidem confisi, qui suos confortat, dicens, *Cum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare &c.* Cuiusquidem fretus auxilio, paruulus Dauid immensum Goliam & tumidum proprio ipsius gladio iugulauit. Et nos ergo humanarum gladio rationum, quibus nos tàm Philosophi quàm hæretici impetunt, in eos conuerso, eorum robur acies que argumentorum suorum in domino dissipemus, vt iam minus simplicitatem fidelium aggredi præsumant, cum de his confutati fuerint, de quibus præcipuè impossibile eis videtur responderi de diuersitate personarum in vna & indiuidua penitus ac simplici diuina substantia, & de generatione verbi seu processione spiritus. De quoquidē nos docere veritatem non promittimus, ad quam neque nos neque mortalium aliquem sufficere credimus: sed saltem aliquid verisimile atque humanæ rationi vicinum, nec sacræ fidei contrarium proponere libet, aduersus eos qui humanis rationibus fidem se impugnare gloriantur, nec nisi humanas curant rationes quas nouerunt, multosque facilè assentatores inueniunt, cum ferè omnes animales sint homines, ac pauciss. spirituales. Sufficit autem nobis quocumque modo summorum inimicorum robur dissipare, præsertim cum alio modo non possumus nisi has quas nouerunt rationes ex ipsorum artibus afferamus. Absit enim hoc vt credamus Deum, qui malis quoque ipsis benè vtitur, non benè etiam omnes artes, (quæ eius dona sunt) ordinare, vt hæc quoque eius maiestati deseruiant, quantumcumque malè his abutuntur peruersi. Vnde & B. Augustinus, cæteri quoque doctores Ecclesiastici, seculares quoque artes, atque ipsam quoque Dialecticam præcipuè sacræ Scripturę admodum necessariam perhibent. Adeo namque prædictus Doctor lib. 11. de ordine, Dialecticam commendare ausus est, vt eam solam scientiam esse profiteri videatur, cum eam solam posse facere dicat scientes. Disciplinam, inquit, disciplinarum, quam Dialecticam vocant, hoc docet docere, hoc docet discere. In hac seipsa ratio demonstrat, atque aperit quæ sit quid velit, scit scire: sola scientes facere non solùm vult, sed etiam potest. Idem in secundo de doctrina Christiana. Cum inter omnes artes præcipuè Dialecticam & Arithmeticam sacræ paginæ

neceſſarias eſſe profitentur, illam quidem ad diſſoluendas quęſtiones, hanc ad allegoriarũ myſteria diſcutienda, quæ frequenter in naturis numerorum inueſtigamus, tanto amplius Dialecticam extulit, quantò ampliùs eam neceſſariam aſſignauit, ad omnes videlicet quæſtionum dubitationes terminandas, ait autem ſic. Reſtant ea quæ non ad corporis ſenſus, ſed ad rationem pertinent, vbi diſciplinam diſputationis regunt & numeri. Sed diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum quę in ſanctis libris continentur plurimum valet. Tamen ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium. Sunt enim quidem multa quæ appellantur ſophiſmata, ſicut concluſiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, vt non ſolùm tardos, ſed ingenioſos etiam minùs attentos decipiant. Quod genus captioſarum concluſionum Scriptura, quantum exiſtimo, deteſtatur illo loco vbi dictum eſt, *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt.* Qui rurſum in eodem, cum in ipſis Philoſophorũ dictis magnam morum ædificationem, & nullam de fide & cultu vnius Dei doctrinam conſideraret, adiecit atque ait. Philoſophi qui vocantur ſi qua forte & fidei noſtræ accommodata dixerunt, maximè Platonici; non ſolum formidanda non ſunt, ſed etiam ab eis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum vendicanda. Sicut enim Ægyptus non tantùm Idola habebat quæ populus Iſrael deteſtaretur, ſed etiã vaſa atque ornamenta de auro & argento, & veſtem quæ ipſe populus exiens de Ægypto ſibi potius tamquam ad vſum meliorem clanculo vendicauit præcepto Dei, ipſis Ægyptijs neſcienter accommodantibus ea quibus non benè vtebantur. Sic doctrinæ omnes gentilium & liberales diſciplinæ vſui veritatis aptiores, etiam morũ quædã præcepta continent, deque ipſo Deo colendo nonnulla vera apud eos inueniũtur. Item in eodem de Philoſophis. Dederunt aurum, & argentum, & veſtem ſuam exeunti de Ægypto populo Dei, neſcientes; quemadmodũ illa quę dabant in Chriſti obſequium redderentur. Nouerat itaque iſte Eccleſiaſticorũ maximus Doctor, à Philoſophia olim gẽtili ad verã, quæ Chriſtus eſt, ſophiam conuerſus, quæ in Philoſophicis de Deo legerat ſcriptis, & quã indignum Philoſophicas quoque diſciplinas, quæ inter maxima dona Dei ſemper in terris efflоruerunt, authorem ſuum atque om-

Digitized by Google

nium non agnoſcere, & ei quoque cui obtemperant omnia, non deſeruire. At non deerat & illud quod in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta Prouerbiorum exquiret, & in abſconditis parabolorum conuerſabitur.* Iuxta quod & Salomon ipſe Beato, vt ſupra meminimus, teſtante Hieronymo inipſo ſtatim Prouerbiorum exordio commonet vt intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiaſque parabolarum, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum & enigmata. Quæ propriè, vt ait Hieronymus, Dialecticorum ſunt & Philoſophorum, vndè & à ſanctis poſtmodum Patribus, non incongruè liberalium artium ſtudia tamquam ſacræ paginæ admodum neceſſaria plurimum commendantur, cum omnino poetica figmenta Chriſtianis interdicantur, non ſolùm quia fallacitate referta ſunt, & os quod mentitur occidit animam, verum etiamquia inaniumfabularum cogitationibus, ad deſideria turpitudinum quæ finguntur alliciunt animam, atque à ſacræ lectionis ſtudio nos abducunt. De vtriſque autem in promptu ſunt ſanctorum teſtimonia nobis. Synodus Eugenii papæ tempore Ludouici. De quibuſdem, inquit, locis, ad nos refertur non Magiſtros neque curam inueniri pro ſtudio literarum. Id circo vniuerſis Epiſcopis ſubiectiſque plebibus & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omnino cura & diligentia adhibeatur, vt Magiſtri & Doctores conſtituantur, qui ſtudia literarũ libeliũque artiũ habentes, dogmata doceãt, quia in his maximè diuina manifeſtantur atque declarantur mandata. De Poeticis autem figmentis, quos nonnulli Libros Grammaticæ vocare conſueuerunt, eo quod paruuli ad eruditionem Grammaticæ lectionis eos legere ſoliti ſint, talia ſanctorum ſanxit auctoritas. Hieronymus ad Damaſium Papam de filio prodigo. Dæmonum cibus eſt carmina Poetarum ſecularium, ſcientia Rethoricorum, pompa verborum. Et poſt aliqua tamquam Exodi illud ad mentem recurreret, Per nomen externorum Deorum non iurabis, neque audietur ex ore veſtro. Abſit, inquit, vt de ore Chriſtiani ſonet Iupiter omnipotens, & Mehercle, me Caſtor, & cetera magis omnipotentia quàm numina. At nunc etiam Sacerdotes Dei omiſſis Euangeliis & Prophetis, videmus Comedias legere, ama-

Digitized by Google

toria Bucolicorum verſuum verba cantare, tenere Virgilium; & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluntatis. Idem ſuper Epiſtolam ad Epheſios. Educate, ait Apoſtolus, filios in diſciplina & correctione Dei, legant Epiſcopi atque Presbyteri, qui filios ſuos ſecularibus literis erudiunt, & faciunt Comedias legere, & amorum turpia ſcripta cantare. De Eccleſiaſticis quoque ſumptibus eruditos, & quod in corbonam pro peccato quilibet pauper totam ſubſtantiam effundens obtulerat, hæc in Saturnalium ſportulam & Mineruæ, aut in ſumptus domeſticos, aut in ſordida ſcorta conuertit. Item idem in Epiſtola ad Euſtochium Virginem. Quæ communio lucis ad tenebras? Quis conſenſus Chriſti ad Belial? Quid facit cum Pſalterio Horatius, cum Euangelio Maro, cum Apoſtolo Cicero? Quod verò de Poeticis figmentis, non de Philoſophicis documentis, aut liberalium artium ſtudijs, hæc ſunt dicta, apertè Iſidorus de ſummo bono libro---cap. XIII. inſinuat dicens: Ideo prohibetur Chriſtianis legere figmenta Poetarum, quia per oblectamenta innaium fabularum excitant mentem ad incentiua libidinum. Non enim ſolùm thura offerendo dæmonibus immolatur, ſed etiam eorum dicta libentius capiendo. Item, cauendi ſunt libri gentilium, & propter amorem ſacrarum ſcripturarum vitandi. Simplicioribus literis non eſt præponendus ſuccus Grammaticæ artis, meliores enim ſunt communes literæ & ſimpliciores ad ſolam vtilitatem pertinentes: illæ verò nequiores ſunt quæ ingerunt mentis elocutionem. Meliores ſunt Grammatiti quàm hæretici. Grammaticorum doctrina poteſt etiam proficere ad vitam, dum fuerint in meliores vſus aſſumpti. Ex Concilio quarto Carthaginenſi cap. IX. Epiſcopus gentilium libros non legat; hæreticorum autem pro neceſſitate & tempore. Gregorius Deſiderio Epiſcopo. Peruenit ad nos fraternitatem tuam Grammaticam quibuſdam exponere, quam tunc ita moleſtè ſuſcepimus, ac ſumus vehementius aſpernati, vt ea quæ prius dicta fuerant in gemitum & triſtitiam verteremus, quia vno ſe ore cum Iouis laudibus Chriſti laudes non capiunt, & quod graue nephandiumque ſit Epiſcopum canere, quæ nec laïco religioſe conueniant, ipſe conſidera. Vnde & Plato ipſe, cum ciuitatis nouæ ordinandæ traderet inſtitutionem, poetas à Ciuitate eſſe deiiciendos decreuit, ſicut in

ſecundo

ſecundo de Ciuit. lib. B. Auguſtinus his verbis commemorat. An forte, inquit, Platoni potius danda eſt palma, qui cum ratione formaret, qualis eſſe ciuitas debeat, tamquam aduerſarios ciuitatis Poetas cenſuit vrbe pellendos? Item poſt aliqua. Qui ſcilicet Plato Poetas ipſos, vel pro arbitrio mentientes, vel hominibus miſeris, quaſi Deorum facta peſſima imitanda proponentes, omnino in ciuitate benè inſtituta viuere noluit, ac ſi apertè Sanctis ipſis iam illud prædicaret. *Os quod mentitur occidit animam.* Atque illud Apoſtoli. *Fornicatio & omnis immundicia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas quæ ad rem non pertinet, &c.* Quid etiam de philoſophicis vel de poeticis exiſtimet, muſis, & quantum indignetur aliquem alumnum ſuum ad meretriculas illas vnquam diuertere, in ipſo aditu libri Boetij de conſolatione Philoſophiæ diligenter exprimitur, vbi de ipſa ad conſolandum Philoſophum accedente, & inſpiciente, muſa, Philoſopho ipſi aſſiſtente, ipſemet ait Philoſophus. Quæ vbi poeticas muſas vidit aſſiſtentes, noſtro thoro fletibuſque meis verba dicantes, commota pauliſper ac ternis inflammata luminibus: Quis, inquit, has ſcenicas meretriculas ad hunc ægrum permiſit accedere, quæ dolores eius non modo nullis remedijs fouerent, verùm inſuper dulcibus alerent venenis? Hæ ſunt enim quæ infructuoſis affectuum ſpinis vberem fructibus rationis ſegetem necant, hominumque mentes aſſuefaciunt morbo, non liberant. At ſi quem profanum, vt vulgo ſolitum, nobis blanditiæ veſtræ detraherent, minus moleſtè ferrem dum putarem. Nihil quippè in eo noſtro opere lęderentur. Hunc verò Eleaticis atque Academicis ſtudijs innutritum. Sed abite potius, ô Sirenes vſque in exilium dulces, meiſque eum muſis curandum ſanandumque relinquite. His ille chorus increpitus deiecit humi mœſtior vultum, confeſſuſque rubore verecundiam limen triſtis exceſſit. At fortaſſe inquies, non ſolùm poetarum, verum etiam liberalium artium lectiones Chriſtianis interdicendas, cum B. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium ſe grauiter correctum ac verberatum à Domino pro lectione Philoſophorum librorum aſſeuerat. At iam profectò nec Grammaticam à Chriſtiano legi conuenit, ſine documentis

cuius nec diuina poteſt intelligi pagina, nec ſcriptura aliqua. Sic nec Rethoricã, quæ omnis eloquentiæ tradit ornamenta, quibus maximè ſacra ſcriptura eſt referta, nec eius decor niſi his diligenter aſſignatis elucere poterit. Quare igitur inquies propter Ciceronis libros prædictus doctor tàm grauiter flagellatus & correctus eſt, vt ſub oſtentatione ſacramenti cogeretur omnino ſæcularium librorum lectioni abrenuntiare? profecto quia non pro vtilitate aliqua, ſed pro oblectatione eloquentiæ illius intendebat, neglecto ſacræ ſcripturæ ſtudio, cuius quidem vt ipſemet ait, incultus ei ſermo horrebat. Ego autem nullius artis lectionem cuicumque religioſo interdicendam arbitror, niſi fortè per hoc maior eius aliqua vtilitas præpediatur, ſicut in cæteris literis faciendũ ſcimus, vt videlicet minora pro maioribus aut intermittantur, vel penitus omittantur. Quippè cum nulla ſit in doctrina falſitas, nulla in verbis turpitudo, nonnulla de ſcientia vtilitas? quis hoc dicendo aut docendo culpari mereatur, niſi cauſa venerit ſupradicta potiori videlicet bono neglecto aut dimiſſo? Nemo etenim ſcientiam aliquam malam eſſe dixerit, etiam illam quæ de malo eſt, quæ iuſto homini deeſſe non poteſt. Non vt malum agat, ſed vt à malo præcogitato ſibi prouideat, quod niſi cognitum teſte Boetio vitare non poſſet. Non eſt enim malum ſcire decipere vel adulterari, ſed iſta committere, quia eius rei bona eſt cognitio, cuius peſſima eſt actio: & nemo peccat cognoſcendo peccatum, ſed committendo. Si quæ autem ſcientia malum eſſet, vtique & malum eſſet quædam cognoſcere. At iam abſolui à malicia Deus non poſſet, quia omnia nouit. In ipſo enim ſolo omnium eſt plenitudo ſcientiarum, cuius donum eſt omnis ſcientia. Scientia quippè eſt comprehenſio omnium rerum quæ ſunt, atque his veraciter cuncta diſcernit, cui ea quoque quæ non ſunt quaſi præſentia aſſiſtunt. Vnde & enumeratis donis Spiritus eius, ipſe *Spiritus ſcientiæ* eſſe dicitur Sicut autem mali quoque ſcientia bona eſt, ad euitandum ſcilicet malum neceſſaria, ita poteſtatem etiam mali bonam eſſe conſtat ad promerendum neceſſariam. Si enim peccare non poſſemus, nihil non peccando promereremur, & ei qui liberum non habet arbitrium, nullum ex his quæ coactus agit debetur præmium. At verò contra, vt ait Propheta, *Qui*

Digitized by Google

potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino. Ex his itaque liquidum eſt nullam aut ſcientiam vel poteſtatem malam eſſe, quantumcumque mala ſint exercitia eorum, cum & Deus tribuat omnem ſcientiam, & omnem ordinet poteſtatem. Qui etiam de poteſtate iniquiſſimi Pilati aduerſus ſe ait. *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum eſſet tibi de ſuper.* Scientias itaque approbamus, ſed fallacijs abutentium reſiſtimus. Non enim teſte Tullio mediocriter errant, qui ex vitio hominis ſcientiam culpant. Sic enim cum de reprehenſione argumentationum in Rethorica doceret, ait inter cætera. Non ad id ad quod inſtituitur accommodabitur aliqua pars argumentationis, ſi res ex vitio hominis vituperabitur: vt ſi quis doctrinam ex alicuius docti vitijs reprehendat. Nullos autem ſacris literis eruditos ignorare arbitror plus in ſacra doctrina ſpirituales viros ex ipſo ſcientiæ ſtudio, quàm ex religionis merito profeciſſe, & quo quiſque ſanctior ante conuerſionem ſuam amplius eum in ſancta eruditione ſua valuiſſe. Paulus quippè Apoſtolus licet non maior merito quàm Petrus videatur, vel Confeſſor Auguſtinus quàm Martinus, tanto tamen vterque altero maiorem in doctrina gratiam poſt conuerſionem habuit, quanto antea maiore literarum ſcientia pollebat. Ex quo præcipuè ſæcularium quoque literarum ſtudium diuina diſpenſatione commendari arbitror, non ſolum propter vtilitatem quam continent, verum ne à donis eius alienæ viderentur, ſi ad nullum eis commodum vteretur. Nouimus tamen & ab Apoſtolo dictum, quia *ſcientia inflat*, id eſt ſuperbiam generat. Sed ex hoc præcipuè bona eſſe conuincitur quia in malum ſuperbiæ conſcium ſui trahit; ſicut enim nonnulla ſunt bona, quę non niſi ex malo proueniunt, ita & nonnulla ſunt mala quæ ex bono originem trahunt. Pœnitentia quippè, ſiue corrections ſatisfactio, cum bona ſint ita malum factum comitantur, vt non niſi ab eo naſci poſſint. E contrario inuidia ſiue ſuperbia cum ſint peſſimę à bonis, initium habent. Nemo quippè inuidia alterius attenuatur, niſi pro bonis eius, & nemo niſi ex bonis quæ ſe habere cognoſcit, in ſuperbiam extollitur. Vnde & Lucifer ille qui manè oriebatur, tanto ad ſuperbiendum pronior extitit, quanto cæteris An-

gelicis ſpiritibus per ſapientiæ vel ſcientiæ claritatem ſuperior fuit, nec tamen ideo ſapientiam eius vel ſcientiam de naturis rerum cognoſcendis quam à Deo acceperat, malam dici conuenit, ſed ille ſuperbiendo illa malè vſus ſit. Sic & cum quilibet de Philoſophia ſua vel doctrina ſuperbit, nõ ipſam ſcientiam culpare debemus propter adiunctum vitium, ſed vnumquodque ſecundum ſeipſum penſari conuenit, ne fortè indiſcretè agentes, propheticam illã maledictionem incurramus. *Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Hæc aduerſus illos dicta ſufficiant qui ſuæ imperitiæ ſolatium quærentes, cum nos aliqua de Philoſophicis documẽtis exempla, vel ſimilitudines inducere viderint, quibus planius quã volumus fiat, ſtatim obſtrepunt, quaſi ſacræ fidei & diuinis rationibus ipſæ naturę rerum à Deo conditarum inimicæ videntur, quarum videlicet naturarum maximam à Deo peritiam ipſi ſunt à Deo Philoſophi conſecuti, vt cum ſancti doctores Allegoriarũ myſteria in ipſis animaliũ, vel quarũlibet naturis rerum inueſtigent, iuxta ipſorum Philoſophorum dicta, has aſſignant, dicentes quidem hanc huius vel illius naturam eſſe rei, ſicut Phyſicę ſcriptores tradiderunt. In tantum verò in ipſa factura delectatur Deus, vt frequenter ipſis rerum naturis quas creauit, ſe figurari magis quàm verbis noſtris, quæ nos confinximus aut inuenimus, exprimi velit, vt magis ipſa rerum ſimilitudine, quàm verborum noſtrorum gaudeat proprietate, vt ad eloquentię venuſtatem ipſis rerum naturis, iuxta aliquam ſimilitudinem, pro verbis ſcriptura malit vti, quàm propriæ locutionis integritatem ſequi. Nemo itaque me culpare præſumat, ſi ad propoſitum noſtrum oſtendendum, aliquas vel ex nobis vel ex Philoſophis ſimilitudines induxero, quibus faciliùs aperire quod deſidero, poſsim. Scriptum quippè eſt. Fas eſt ab hoſte doceri, & cum intelligentiæ deſeruimus modis omnibus curandũ eſt, vt quoad poſſumus id facilè facere ſtudeamus. Vnde eſt illud Beati conſiliũ Auguſtini, in quarto de doctrina Chriſtiana, vbi quidẽ Chriſtianæ doctrinæ modos exequitur ac docet. Non curante illo, inquit, qui docet quanta eloquentia doceat, ſed quanta euidentia. Diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, vnde ait quidã, cum de genere tali elocutionis ageret, eſſe in eo quandam diligentiam negligentem. Item, quid enim pro-

Digitized by

deſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligunt, propter quos vt intelligant, loquimur. Qui ergo docet, vitabit verba omnia quæ non decent. Item: inſignis eſt indolis in verbis verum amare, non verba.

III. QVID enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt; quando nil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? Sed incaſſum, inquies, laboramus, ſi id aperire quærimus, aut quod iam per alios eſt apertum, vt noſtro vlterius labore opus non ſit, aut omnino aperiri non poteſt, vt illud videlicet ineffabile Trinitatis myſterium. Et profectò nihil hoc veriùs. Sed ſi hoc aperiri non poteſt ab homine, quid egerunt ſancti Patres, qui tot nobis de Trinitate tractatus reliquerunt? Si verò qui de ea tractauerunt, docere quod intendebant potuerunt, & quod clauſum erat aperire, quid opus erat vnum poſt alium ſcribere, & quod ille iam aperuerat, hunc poſtea referare? Quicquid horum quiſlibet conſtituat, miror qua me fronte aliquis arguat, ſi cæterorum de his ſcribentium prouidentiam laudet, niſi forte in hoc noſtrum iam penitus ſuperfluere tractatum dicat, quod & illorum documenta ſufficiant, & nullæ iam vlterius quibus reſiſtendum ſit pullulent hæreſes, vel nullæ de noſtra fide ſuperſint dubitationes, quæ aliquibus rationibus vel ad documentum vel ad defenſionem eius egere videantur, atque vtinam ita ſit. At verò vt innumeram multitudinem infidelium, quæ extra Eccleſiam eſt, tàm Iudæorum ſcilicet quàm Ethnicorum, præteream, quis ita omnes hæreſes repreſſas profiteri audeat, vt iam nulla apud nos fidei ſint ſchiſmata, nullæ vlterius futuræ ſint diſſentiones? Quouſque enim paleas cum granis præſens Eccleſia indiferenter continebit, nec meſſi Domini inimicus homo ſuperſeminare Zizania ceſſabit? donec videlicet in fine ſeculi meſſores Angeli Dei Zizania colligãt in faſciculos, & in ignẽ arſuros mittant. Non poſſunt ſchiſmatici, nõ poſſunt deeſſe hęretici, nec inter ſcorpiones & ſerpẽtes tutũ patebit iter, ſed ſemper ad probationẽ vel excitationẽ fideliũ habebit mater Eccleſia ſub Chriſti nomine multos quos coleret Anti-Chriſtos, pro quibus ingemiſcens quotidie dicat, *Ex nobis exierunt, ſed ex nobis non erant*, & affectu materno per ſingulos annos pro eis vt redeãt, immolet

Digitized by Google

publicas orationum hostias. Nam *oportet*, inquit Apostolus, *hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiãt.* Quod maximè in nouissimis temporibus Anti-Christi regno appropinquante, futurum expectamus, quando iuxta Dominicam & Apostolicam sententiam grauiora semper imminere atque excrescere constat pericula, & refrigescente charitate, mala omnia amplius pullulare. Vnde & idem Apostolus ad Timotheum. *Hoc autem scito quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine pace, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Qui & alibi. *Nos*, inquit, *sumus in quos fines seculorum deuenerunt.* Et Petrus in secunda Epistola. *Hoc primum*, inquit, *scientes quod venient in nouissimis diebus deceptione illusores &c.* Et Ioannes. *Filioli*, inquit, *nouissima hora est. Et sicut audistis quia Anti-Christus venit, nunc autem Anti-Christi multi facti sunt. Vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis enim prodierunt, sed ex nobis non erant.* Hinc & in Epistola Iudæ Scriptum est. *Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, hi sunt qui segregant semeti: psos & hos quidem arguite iudicatos.* Ac si apertè nos hortaretur dicens, Prouidete vt tales diiudicare ac rationibus conuincere valeatis, *parati semper*, vt beatus Petrus meminit, *ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe & fide, vt in eo quod detrahunt de vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam conuersationem in Christo.* Idem & coapostolus eius Paulus admonens, *Sermo*, inquit, *vester in gratia conditus sit sale, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* Quæquidem Apostolorum dicta Beatus diligenter attendens Augustinus, ad Valerium Comitem in libro de nuptijs, & concupiscentia, his scribit verbis. Quod licet fide robustissima irriseris, bonum est tamen vt etiam noueris defendendo adiuuare quod credimus. Et Apostolus Petrus paratos nos esse præcepit, *ad satisfactionem omni poscenti nos rationẽ de fide & spe nostra.* Et Apostolus Paulus: *Sermo*, inquit, *sit in gratia sale conditus, vt sciatis quomodo oporteat vnicuique respondere.* Item in Tractatu de misericordia, nos ad ea quæ nondum capere intelligendo sufficimus adhortatur dicens, Petite orando, quærite disputando, pulsate rogãdo. Ratione quippè magis hęretici sunt quàm potesta-

re coercendi, cum iuxta ſanctorum Patrum auctoritatem, fideles quoque quibus *omnia cooperantur in bonum*, eorum diſputationibus excercitati, vigilantiores atque cautiores reddantur. Vnde Hieronymus ſuper Hieremiam lib. II. Ad tempus, inquit, valet hæreſis, vt electi quique manifeſti fiant, & probati ſint. Auguſtinus contra Epiſtolam Parmeniani. Hæretici ſi in Eccleſia eſſent, nihilominus errarent: cum autem foris ſunt, plurimum proſunt, non verum dicendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum accipiendum ſpirituales Catholicos excitando. Vtamur ergo hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt Catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes vigilantiores & cautiores ſimus, etſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus. Iſidorus de ſummo bono lib. I. cap. XVI. Sancta Eccleſia exercetur ſapientia, cùm tentatur verbis, exercetur patientia, cum tentatur gladiis, cum prauitatis hereticæ doctrina eſt propagata Eccleſiæ, nam antea ſimplici tantum fide vigebat. Hæreticorum ergo occaſione propagati ſunt Doctores in fide, & per acumen hæreſum hodie creuerunt magiſtri. Vnde & ſancti Doctores cum ad exercitationem vt dictum eſt fidelium adeò neceſſarias eſſe hæreticorum diſputationes vel inquiſitiones attenderent, ratione potius quàm poteſtate eos coerceri ſanxerunt, & nos quaſi tantæ victoriæ deſiderio ad ſacræ ſtudium eruditionis ſunt potiſſimum adhortati. Quale eſt illud Hieronymi ad Nepotianum. Diſce inquit, quid doceas, vt poſſis adhortari in doctrina ſacra, & contradicentes reuincere, paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationẽ de ea quæ in te eſt ſpe. Gregorius Bonifacio. Si ita, vt audieram, magnitudo veſtra intentione ſollicita, de animæ ſuæ vita cogitaret, nequaquam mihi de fide ſua per Epiſtolas, ſed per ſemet ipſam poſceret reſpondere, vt & vos de noſtra ratione, & nos de veſtra credulitate gauderemus. Nam nos licet in omnibus cauſis, in his præcipuè quæ Dei ſint, ratione magis conſtringere homines quàm auctoritate feſtinamus. Idẽ Dominico Epiſopo. Quanquam deſideremus omnes hæreticos à Catholicis Sacerdotibus vigore ſemper rationeque compeſci. Idem in paſtorali cap. xxx. Aliter admonendi ſunt huius ſeculi ſapientes, atque aliter hebetes. Illos plerumque rationis argumenta, iſtos nonnunquam melius exẽpla conuertunt.

Illis nimirum prodeſt vt in ſuis allegationibus iuncti permaneant, iſtis verò aliquondo ſufficit vt laudabilia aliorum facta cognoſcant. Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum capit. XLI. De eis qui Chriſtianitatis bonum ſuſcipere renuunt, non aliud poſſumus ſcribere vobis, niſi vt ad fidem neceſſariis monitis, & exhrtationibus, & ratione eos potius quàm vi conuincatis. Iſidorus de ſummo bono lib. II. Fides nequaquam vi extorquetur, ſed ratione atque exemplis ſuadetur, à quibus autem exigitur violenter, perſeuerare in eis non poſſunt exemplo, vt ait quidã, nouellæ arboris, cuius ſi quis cacumẽ violẽter impreſſerit, denuò dum laxatur in id quod fuerat confeſtim reuertitur. Hilarius de Trinitate in XII. Oportet eos qui Chriſtum prædicant mundo, irreligioſis mundi imperfectiſque doctrinis per ſcientiam omnipotentiæ contraire, iuxta illud Apoſtoli, *Noſtra enim arma non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum rationis, deſtruentia & omnem altitudinem eleuatam aduerſus cogitationem Dei*, fidem non nudam Apoſtolis atque inopem rationis reliquit. Quæ quamuis potentiſſima ad ſalutem ſit, tamen niſi per doctrinam inſtruatur, habebit quidem inter aduerſa tutum diffugiendi receſſum, non etiam retinebit conſtantem obſtudendi, ſecuritatem, eritque vt infirmioribus ſunt poſt fugam caſtra, non etiam vt caſtra habentibus adeſt interrita fortitudo. Conſtituendæ ergo ſunt inſolentes aduerſus Deum diſputationes, & deſtruenda rationum fallacium munimenta, & eleuata ad impietatem ingenia conterenda; nec carnalibus armis, ſed ſpiritualibus, nec terrena doctrina, ſed celeſti ſapientia, vt quanta rerum diuinarum humanarumque diſcretio eſt, tantò vltra terrena ſtudia ratio cœleſtis excedat. Quomodo ergo audiendi ſunt, qui fidem rationibus vel aſtruendam vel defendendam eſſe denegant? præſertim cum ipſi Sancti quoque de his quæ ad fidem pertinent ratiocinantes multis exemplorum vel ſimilitudinum rationibus rebelles arguere vel reprimere ſoleant? Si enim cum perſuadetur aliud vt credatur, nil eſt ratione diſcutiendum, vtrum ita ſcilicet credi oporteat vel non: quid reſtat niſi vt æquè tàm falſa quàm vera prædicantibus acquieſcamus, & illam Fauſti hæretici defenſionem prætendamus, qua ſe ab impugnatione fidelium protegere, & ipſo per Prophetam ac eorum ſententiam nititur confutare? Sic

quippè

quippè aiebat, ſicut in primo contra Fauſtum libro Beatus meminit Auguſtinus, & hæc eneruis fidei confeſſio in Chriſto ſine teſte. Et argumento non credere. Nempè vos ipſi dicere ſoletis, Idcirco nil eſſe curioſius exquirendum, quia ſimplex ſit & abſoluta Chriſtiana credulitas. Quomodo ergo nunc fidei ſimplicitatem deſtruitis, iudiciis ac teſtibus eam fulciendo? Similem à B. Siluestro oppoſitionem à Iudeis fieri in vita eius legimus, cum videlicet eos de fide Chriſti rationibus coarctaret. Ita quippè ſcriptum eſt: Ioaſi rabi dixit. Rationi humanæ non eſt committenda fides, quæ Deum hunc ſuadeat credi, quem tu vnum Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum confiteris. Vnum denique ſimile dictũ Beati Gregorij dicitur, quod hi qui ſuæ ſolatium imperitiæ quęrunt, cum ea de fide interrogantur ad quæ reſpondere non ſufficiunt, ſtatim obiiciunt illud inquam quod in Homelia Euangeliorum xx. cum de reſurrectione corporum loqueretur, ait. Sciendũ nobis eſt quod diuina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Ex qua profectò ſententia, ne videlicet inutilis ſit fides & expers meriti, patenter aſſerunt nil ad Catholicæ fidei miſteria pertinens ratione inueſtigandum eſſe, ſed de omnibus auctoritati ſtatim credendum eſſe, quantumcumque hæc ab humana ratione remota eſſe videatur. Quodquidem ſi recipiatur, ipſum quoque Gregorium in his quæ antea de dictis eius collegeramus ſibimetipſi contrarium reperiemus. Nec ſibi tantum ſed cæteris omnibus ferè Doctoribus ſanctis, qui nos pariter cum ipſo ad rationes fidei noſtræ perquirendas ſeu reddendas adhortantur. Alioquin vt ſupra quoque meminimus, cuiuſque populi fides, quantamcumque aſtruat falſitatem refelli non poterit, & ſi in tantam deuoluta ſit cæcitatẽ vt idolum quod libet Deum eſſe ac cœli ac terræ creatorẽ fateatur. Statim quippè qui hoc receperit, cum hinc pulſare eum cœperimus, ſicut olim Martyres faciebant, cum Idololatriæ cultum Gentilibus improperarent, reſpondere poterit, ſecundum noſipſos etiam de fide ratiocinandum non eſſe, nec à nobis alios impeti debere, vnde nos ab aliis cenſemus impetendos non eſſe. Nouimus quippè ipſum beatum Gregorium ſæpius in ſcriptis ſuis eos qui de reſurrectione dubitant congruis rerum exemplis vel ſimilitudinibus ratiocinando ipſam

Digitized by Google

aſtruere, pro qua tamen ſuperius dixit, fidem non habere meritum cui humana ratio præbet experimentum. Nunquã hic quos rationibus ſuis in fide reſurrectionis ædificare volebat, has eius rationes ſecundũ ipſius ſententiam refellere poterat, ſecundum quam ſcilicet aſtruere dicitur, nequaquam de fide humanis rationibus diſſerendum eſſe, qui nec hoc aſtruere dicitur, ipſe propriè exhibuit factis. Qui nec etiam dixit, non eſſe ratiocinandum de fide, nec humana ratione ipſam apud Deum habere meritum, ad quam non tàm diuinæ auctoritatis inducit teſtimonium, quàm humanæ rationis cogit argumentum. Nec quia Deus id dixerat creditur, ſed quia hoc ſic eſſe conuincitur, recipitur. Diſtinguitur itaque fides talis à fide Abrahæ, qui contra ſpem in ſpem credidit: nec naturæ poſſibilitatem, ſed promittentis attendit veritatem. At numquam ſi fidei noſtræ primordia ſtatim meritũ non habent, ideo ipſa prorſus inutilis eſt iudicanda, quam poſtmodum charitas ſubſecuta, obtinet quod illi defuerat. Numquã multi, cum his quæ prædicabãtur non crederent, ipſarum exhibitione rerum & magnitudine miraculorum credere ſunt compulſi. Quod de Apoſtolo etiam Thoma, cum de reſurrectione Domini dubitaret, factum eſſe cognoſcimus. Sic & in Pauli conuerſione geſtum videmus, qui cum ſuperari ratione non poſſet, factis ipſis conſtrictus ad fidem eſt compulſus, & quanto grauior ipſe ante conuerſionem fuerit, tanto poſtmodũ fides eius fortior extitit, vix enim qui loquitur leuiter, credit; firmus in fide permanſit. Nec quod leuitate geritur, ſtabilitate firmabitur. Vnde & in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt. *Qui credit citò, leuis eſt corde, & minorabitur.* Citò autem ſiue facilè credit, qui indiſcretè atque improuidè his quæ dicunt prius acquieſcit, quàm hoc ei quod perſuadetur ignota ratione quantum valet diſcutiat, an ſcilicet adhiberi ei fidem conueniat. Quod etiã diligenter Beatus penſans Hieronymus, cum ſanctæ Marcellæ ſtudium & diſcretionem commendaret, lib. 1. in Epiſtolam Pauli ad Galatas ita meminit. Scio equidem ardorem eius, ſcio fidem, quam flammam habeat in pectore ſuperare ſexum, obliuiſci homines, & diuinorum voluminum tympano concrepante, rubrum huius ſæculi mare transfretare. Certè cum Romæ eſſem, numquam tam feſtina me vidit, vt non de ſcripturis aliquid interrogaret. Neque enim

Hoc reprehendit Bernard. Clareuallen. Abb. quia ſ non de fide in Deum ibi agitur, ſed de mutua credulitate.

Digitized by Google

more Pythagorico quicquid reſpondebam rectum putabat, nec ſine ratione præiudicata apud eam valebat auctorita, ſed examinabat omnia, & ſagaci mente vniuerſa penſabat, vt me ſentirem non tàm diſcipulam habere, quàm iudicẽ. Nunc verò è contra plurimi ſolatium ſuæ imperitiæ querunt, vt cum ea de fide docere nituntur, quæ vt etiam intelligi poſſint, diſſerere non ſufficiunt, illum maximè fidei feruorem commendent qui ea quæ dicantur antequam intelligat credit, & prius his aſſentit ac recipit, quàm quæ ipſa ſint videat, & an recipienda ſint agnoſcat, ſeu pro captu ſuo diſcutiat. Maximè verò id profitentur, cum ea predicantur quæ ad diuinitàtis naturam, & ad ſanctæ Trinitatis pertinent diſcretionem, quæ penitus in hac vita non poſſe intelligi aſſeuerant, ſed hoc ipſum intelligi vitam dicunt æternã. Iuxta illud veritatis. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et iterum. *Manifeſtabo eis meipſum.* Sed profectò aliud eſt intelligere ſeu credere, aliud cognoſcere ſeu manifeſtare. Fides quippè dicitur exiſtimatio non apparentium, cognitio verò ipſarum rerum experientia per ipſam earum præſentiam. Quæquidem duo B. Gregorius diſtinguit Homelia VI. lib. II. in Euangelia. Liquet, inquit, quia fides illarum rerum eſt argumentum quæ apparere non poſſunt, quæ enim ſunt apparentia fidem non habent, ſed agnitionem; propriè quoque de inuiſibilibus intellectus dicitur, ſecundum quodquidem intellectuales & viſibiles naturæ diſtinguntur. Quiſquis etiam in hac vita, ea quæ de Trinitate dicuntur, non poſſe intelligi arbitratur, profecto in illum Montani heretici labitur errorem, quem Beatus damnans Hieronimus in prologo commentariorum Eſayæ ſic ait. Neque verè, vt Montanus ſomniat Prophetæ in extaſi ſunt locuti, vt neſcirent quid loquerentur, & quod alijs eruditent, ipſi ignorarunt quid dicerent. Sed iuxta Salomonem qui loquitur in Prouerbijs, *Sapiens intelligit quæ loquitur de corde ſuo, & in labijs ſuis portabit ſcientiam*, & ipſi ſciebant quid dicerent. Item quomodo ſapienter prophetæ ad inſtar brutorum animalum, quid dicerent ignorabant? Hinc eſt & illud Origenis, Epiſtolam Pauli ad Rom. exponentis. Secundum reuelationem myſterij æternis temporibus taciti, &c. Sed requirendum eſt, vtrum id dicam in ſilentio habitum, vt

omnino nullus agnouerit neque ipſi quidem qui annuntiabant Prophetæ. Mihi quidem valde abſurdum videtur, vt dicamus Prophetas ita ſcripſiſſe de ſacramentis diuinis, vt non intellexerint quæ dicebant, cùm ſcriptura dicat. *Sapiens intelligit quæ de ore eius procedunt, & in labijs portat intellectum.* Si verò non intellexerint quæ de ore proprio proferebant, non erant ſapientes. Vnde ſi ſtultum eſt Prophetas negare ſapientes fuiſſe, reſtat vt intellexerint quæ proferebant. Paulus dicit audiuiſſe *verba quæ non licet homini loqui*, non quod ipſe ignoret quod audierit, ſed quod alijs pandere quæ ſibi ſunt indicata non liceret. Ita ergo poteſt & hoc loco dictum videri ſacramentum in ſilentio habitum, quod ſcirent quidē Prophetæ, ſed hominibus id eſt vulgo non manifeſtauerint, ſed texerint, ſecundum præceptum Dei, vſquequo tempus adeſſet, & Verbum caro fieret. Adeo quoque quęcunque prædicantur, ita dici vt intelligi poſſint Apoſtolus iubet, vt omnino à prædicatione quieſcendum eſſe præcipiat, ſi in his quæ prædicanda ſunt deſit qui prophetare valeat, hoc eſt ea quæ dicuntur exponere, & eorum intelligentiam aperire. Vnde ipſe nos ad ſpiritualium donorum deſiderium exhortans in prima ad Corinth. Epiſtola, dicit. *Emulamini ſpirituàlia, magis autē vt prophetetis*, hoc eſt ſuper cætera Spiritus ſancti dona, hoc maxime deſiderate, vt quæ lingua proferuntur, hoc eſt in verbis ſonant, per intelligentiam videri faciatis, & exponere poſſitis. Quia etenim Prophetæ *videntes* antiquitus dicebantur, hoc loco Apoſtolus prophetare dicit, viſum intelligentiæ miniſtrare. Qui etiam ſtatim proſequens quanta ſit vtilitas prophetandi, & quàm excellentius ſit prophetare quàm loqui lingua ſola, id eſt verba exponere magis quàm formare, Qui enim loquitur lingua, inquit, nō hominibus loquitur, ſed Deo. Nemo enim audit, hoc eſt intelligit. Quem etiam auditum Dominus requirit dicens. *Qui habet aures audiendi audiat.* Item Apoſtolus de vtilitate prophetandi, ſubiecit *Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem*, Et iterum. *Qui loquitur lingua ſemetipſum ædificat, qui autem prophetat Eccleſiam ædificat, volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Nam maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi forte interpretetur vt Eccleſia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero?* De quoquidem & congruam

ſtatim ſimilitudinem inducens ait. *Quæ ſine anima ſunt vocem dantia ſiue tibia, ſiue cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur quod canitur, aut citharizatur? Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum? Ita ergo & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.* Quaſi inutiliter aerem ſolum exterius lingua verberantes, non cor interius per intelligentiam contingentes. Et rurſus. *Ego ſi neſciero virtutem vocis, Deo cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus, ſic & vos & omnis qui loquitur lingua oret vt interpretetur.* Quid quæſo virtutem vocis dicit, niſi eius intelligentiam propter qnam eſt reperta? Quod etiam beatus (vt ſupra meminimus) attendens Auguſtinus, Quid prodeſt, inquit, locutionis integritas quam non ſequitur intellectus audientis, cùm loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligunt propter quos vt intelligant loquimur? Qui etiam tam verborum intelligentiam in Eccleſia neceſſariam dicit, vt cum ibi aliquæ benedictiones fiunt, non debeat amen reſponderi niſi ab intelligentibus, qui videlicet diſcernere poſſint an benedictionis verba ſint, an maledictionis. *Quomodo*, inquit, *dicet Amen ſuper tuam benedictionem, quando quæ dicas neſcit?* Et rurſum. *Gratias ago Deo meo, quoniam omnium veſtrum lingua loquor. Sed in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quàm decem verborũ millia in lingua.* Et ſtatim ad perfectionem intelligentiæ ſacrorum verborum nos adhortans, *Fratres*, inquit, *nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti.* Qui etiam eos qui quæ prædicant exponere non ſufficiunt, quantæ irriſioni ſunt habendi, non reticet dicens. *Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod inſanitis?* Vnde & poſt aliqua de illo qui prædicat, adiecit, *Si autem non fuerit interpres taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur & Deo.* Ac ſi apertè dicat. Non præſumat loqui hominibus, qui ad exponendum quæ dicit, non ſufficit; ſed magis ad Deum qui expoſitione non indiget, in ſuæ fidei confeſſione verba conuertat, quàm ad hominum doctrinam verba quę non intelligantur, fruſtra proferat. Si autem eos qui prædicant, cum illa quæ dicuntur exponere non ſufficiunt, ceſſare

conuenit à prædicatione, quantomagis cum nec ipſi intelligunt ea quæ proferũt, & tota eorum fides in ore potius quàm in corde conſiſtat, cùm è contrario dicat Apoſtolus. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutẽ?* Qui enim quod dicit non intelligit, profectò quod dicit ipſe, neſcit; & docere imprudenter præſumit. Quæ ipſe adhuc ignorat inter eos merito computandus, quibus veritas improperans ait. *Cæci ſunt duces cæcorum.* Et Apoſtolus, *Neſcientes*, inquit, *quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Adhuc quoque poſt Euangelicam reuelationem, poſt tot ſanctorum patrum reuela---- velamen Moiſi ſuper cor habentes, nec adhuc cum Apoſtolo, *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes*, hoc illi audiãt qui ſacræ Scripturæ magiſtri reſidentes, verba magis pueros proferre, quàm intelligere docent. Nec ad ſalutem illius ſapientis prouerbium quod pueri didicerunt, eorum conterit impudentiam, legere enim & non intelligere, negligere eſt. Qui cum in his cæci ſunt, quæ de Deo dicuntur, tanto hic eorum error eſt periculoſior, quãto eſt huius rei doctrina magis neceſſaria, quæ tanquam omnium bonorum fundamentum collocatur. Quod niſi diligenter fuerit inſpectum, nihil ſecuritatis afferet quod fuerit ſuperædificatum. Quid denique magis ridiculoſum quam ſi aliquis alium docere volens, cum requiſitus fuerit de his quæ dicit vtrum intelligat, neget ſeipſum intelligere quæ dicit vel ſe neſcire de quibus loquitur? Quantum cachinnum Philoſophis & Græcis ſapientiam quærentibus Apoſtoli mouiſſent, filiũ Dei prædicantes, ſi in ipſo ſtatim prædicationis exordio ſic confutari poſſent, vt qui eos primum prædicare ac docere oportebat ipſi ſe neſcire faterentur? Quod nec fortè de ipſis præſumamus, quibus veritas Spiritum ſanctum promittẽs ait, *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixerim vobis.* Audiamus & quantam eis fiduciam de tanto magiſtro veritas ipſa reliquerit dicens. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* De quo & alibi ſcriptum eſt. *Et non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur.* Si qua igitur myſteria de Deo anteà diſſeruimus, hic potius in nobis quàm nos ipſi, hoc agit, & quod nobis eſt impoſſibile, ipſi eſt facile. In quo adeò cuncta conſiſtunt, quæ ſalubriter profitemur, vt *nemo poſsit dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Hoc igitur docente intelligimus, hoc ſuggerente diſſeri-

Digitized by

rimus quæ nos ipſi non poſſumus, ipſa etiam Dei & Trinitatis myſteria. Quæ diligenter beatus diſtinguens Hieronymus, ipſam verbi generationem, & à nobis diſſeri non poſſe, & per nos diſſeri poſſe profitetur. Vnde ipſe ſuper Eccleſiaſtem, vt iam ſupra meminimus, vbi ſcriptum eſt, *quis ſit ſpiritus filiorum hominum, ſi aſcendat ſurſum, & ſpiritus pecoris deſcendat deorſum in terra*, an ſic. Adiiciendo *quis* difficultatem voluit demonſtrare. Pronomen enim quis inſcripturis ſanctis non pro impoſſibili, ſed difficili ponitur, vt in *Generationem eius* id eſt Chriſti, *quis enarrabit*? Idem ſuper Mathæum cùm illud exponeret, *Liber generationis Ieſu Chriſti*: In Eſaia, inquit, legimus, *Generationem eius quis enarrabit?* Non ergo putemus Euangelium prophetæ eſſe contrarium, vt quod ille impoſſibile dicit effatu, hic narrare incipiat, & ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione dictum eſt. Et beatus Auguſtinus hanc ipſam verbi generationem profitens, fruſtra legi vel exponi, ſiue intelligi à multis etiam antequam exponatur, intelligi poſſe aſſeuerat. Vnde ipſe cum ad hanc exponendam veniens, verba illa Ioannis præmiſiſſet, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, ſtatim exorſus ait (vt ſupra quoque meminimus) *hoc animalis homo non percipit.* Quid ergo fratres, ſilebimus hinc? Quare ergo legitur non ſiletur, aut quare auditur ſi non exponitur? Sed vt quid exponitur, ſi non intelligitur? Itaque quoniam rurſus eſſe non dubito in numero noſtro quoſdam à quibus non ſolum poſſit expoſitum capi, ſed & antequam exponatur intelligi, non fraudabo eos qui poſſunt capere dum timeo ſuperfluum eſſe auribus eorum qui non poſſunt capere. Quid enim hoc mirum à fidelibus Chriſtianis, poſt tot documenta intelligi poſſe, quæ reuelante Deo à gentilibus quoque reprobis (vt etiam ſupra dictum eſt) Paulus intelligi & cognoſci manifeſtè teſtatur dicens, Quia *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis reuelauit &c.* Et rurſum. *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt &c.* Sed fortaſſis inquies, quid ergo profuerunt tot ſanctorum patrum de fide tractatus, ſi adhuc aliquæ ſupersint dubitationes, quibus nondum ſatiffactum ſit? Audi illud Poetæ dictum,

Eſt quoddam prodire tenus ſi non datur vltra.

Sufficiebat eis quæſtiones quas audiebant, diſſoluere, & ſui

temporis dubitationes terminare, posterisque exemplum relinquere, cum similibus si forte acciderint, operam dare, benè inquies, si acciderint, & tunc arma sumenda cum hostis imminerit. Annuo tunc quidem esse sumenda, sed ante fabricanda ac præparanda. Quid si hostis esset semper, numquid satis debemus nobis esse nostra obtinere quietè, & non acquisitis aliis amplificare? Atque vtinam illud saltem possemus, si istud maximum assequi non possumus! Sed attende obsecro illud quoque poeticum.

--- Nondum tibi defuit hostis.

Prætermitto Iudæos & Ethnicos.

IV. Ad hereticos venio qui quanto domestitiores, tanto peiores, ciuilibus bellis inquietare Ecclesiam non cessant. Atque vt ad nostra veniamus tempora, quibus iam aiunt adeò repressas esse vt iam nullo fidei fundamento sit opus: nullos in tantam olim insaniam prorupisse hereticos quisquam audierit, quanta nonnulli contemporaneorum nostrorum debacchati sunt. Tanquelmus quidam laïcus nuper in Flandria, Petrus presbyter nuper in Prouincia, vt ex multis aliquos in medium producamus. Quorumquidem alter, Tanquelmus scilicet, in tantam se erexerit dementiam, vt se Dei filium vocitari atque decantari, & à seducto populo, vt dicitur, templum ædificari sibi faceret. Alter verò ita ferè omnem diuinorum, sacrorum & Ecclesiasticæ doctrinæ institutionem eneruarat, vt multos rebaptisari cogeret, & venerabile Dominicæ signum crucis remouendum penitus censeret, atque altaris sacramentum nullatenus celebrandum esse amplius astrueret.

V. Sed nec magistros diuinorum librorum, qui nunc maximè circa nos pestilentiæ cathedras tenent, prætereundos arbitramur, quorum vnus in Francia, alter in Burgundia, tertius in pago Andegauensi, quartus in Bituricensi, multa Catholicæ fidei, vel sanctis doctrinis aduersa non solùm tenēt, verum etiam docent.

VI. Primvs quidem ille quem diximus, sine fide venturi multos qui ante incarnationem eius extiterunt, saluandos asserit, Dominum nostrum Iesum Christum in aperto vtero virginis fuisse natum, sicut & cæteros homines, nisi quod ipse solus sine virili semine sit conceptus. In ipsa quidem Diuinitatis natura, ac diuinarum personarum distinctione, ita presumptuosus

præſumptuoſus aſſertor inuenitur, vt quia Deus pater genera-
uit filium, profiteatur Deum genuiſſe ſeipſum. Quem aper-
tè errorem, imò hæreſim B. Auguſt. in primo de Trinit. refel-
lit dicens, Qui putat eius potentiæ Deum vt ſeipſum ipſe ge-
nu erit, eo plus errat, quod non ſolum ita Deus non eſt, ſed
nec ſpiritualis creatura nec corporalis, nulla enim res eſt om-
nino quæ ſeipſam gignat.

ALTER quoque totidem erroribus inuolutus, tres in Deo VII.
proprietates, ſecundum quas tres diſtinguntur perſonæ, tres
eſſentias diuerſas ab ipſis perſonis, & ab ipſa diuinitatis natu-
ra conſtituit, vt ſcilicet paternitas Dei, vel filiatio ſiue proceſ-
ſio, res quædam ſint tàm ab ipſis perſonis, quàm ab ipſo Deo
diuerſæ, qui etiam Dominum Ieſum in corpore, more alio-
rum hominum creuiſſe denegat, & eius longitudinis corpus
in vtero matris, vel in cunis extitiſſe, cuius poſtmodum fuit in
cruce. Monachos autem atque moniales, poſt publicum etiam
ſuæ profeſſionis votum, & benedictionis vel conſecrationis
vinculum, poſſe matrimonium contrahere, vbi licet ſit voti
tranſgreſſio, nulla tamen fiet initæ copulæ ſeparatio: ſed in
ipſo permanentes matrimonio de tranſgreſſione pœnitentiã
agunt.

TERTIVS verò prædictorum, non ſolùm prædictarum VIII.
perſonarum proprietates res diuerſas à Deo conſtituit, verum-
etiam potentiam Dei, iuſtitiam, miſericordiam, iram, &c. hu-
iuſmodi quæ iuxta humani ſermonis conſuetudinem in Deo
ſignificantur, res quaſdam & qualitates ab ipſo diuerſas, ſicut
& in nobis concedit, vt quot ferè vocabula de Deo dicuntur,
tot in Deo res diuerſas conſtituat.

QVARTVS autem in tantam prorupit inſaniam, vt quia IX.
res aliter euenire poſſunt quàm Deus prouiderat, Deum poſſe
falli concedat. Hoc illi attendant qui de fide amplius mimìnè
ſcribendum autumant, cum mille, vt aiunt, hoc tempore hæ-
reſes pullulent, quaſi ipſi omnium conſcientias & fidem co-
gnouerint.

NVNC ad propoſitum redeamus, qualiter videlicet in X.
tanta diuinæ ſubſtantiæ vnitate, tres perſonæ intelligi ac diſ-
ſeri queant, vt quæ pronuntiant verba, non abhorreat in-
telligentia, Tantam quippè diuinæ vnitatem ſubſtantiæ ac
ſimplicitatem ſeu identitatem profitemur, vt ſicut à partibus

Digitized by Google

ita ab accidentibus immunis omnino perſeueret, nec in nullo penitus variari queat, nec in ipſa quicquam eſſe poſſit, quod ipſa non ſit. Eadem itaque ſubſtãtia ſimplex omninò atque indiuidua quæ pater eſt tàm filius quàm Spiritus ſanctus; eadem etiam tota eſt Trinitas, id eſt tres ſimul hæ perſonæ, non vt minus ipſa Trinitas quàm ſingulæ perſonæ indiuidua ſit prædicanda, nec ſit maior totius Trinitatis eſſentia, id eſt trium ſimul perſonarum quàm ſingularum, hoc eſt omnium ſimul quàm cuiuſlibet vnius earum per ſe. Vnde Auguſtinus de Trinit. lib. VII. cap. VII. Non quoniam Deus eſt Trinitas, ideo triplex putandus eſt, alioquin minor eſſet in ſingulis, quàm in tribus pariter. Item cum dicimus tres perſonas, vnam eſſentiam, neque vt genus de ſpeciebus, neque vt ſpecies de indiuiduis prędicamus. Videtur poſſe dici, vt tres homines vna natura, ſed plus ſunt tres homines quàm vnus, ſed non eſt maior eſſentia, pater & filius quàm ſolus pater aut ſolus filius. Item nõ tantùm vnus homo, quantũ tres homines ſimul, & plus aliud ſunt duo homines quàm vnus homo, ac in Deo non eſt ita: non enim maior eſt eſſentia pater & filius, quã ſolus pater aut ſolus filius, ſed tres ſimul perſonæ æquales ſunt ſingulis. Exẽpla ſanctorũ Auguſtini & Alpij ad Maximũ medicũ Cemitanũ. Trinitas vnius eiuſdẽque naturæ atque ſubſtantiæ non minor in ſingulis quàm in omnibus, nec maior in omnibus quàm in ſingulis, ſed in ſolo patre, vel in ſolo filio tanta eſt, quanta eſt in patre & in filio ſimul, & tanta in Spiritu ſancto, quanta in patre & filio. Cum itaque non ſit maior eſſentia totius Trinitatis, quàm ſingularum perſonarum, conſtat quoque ipſam Trinitatem ſicut ſingulas, indiuiduam eſſe, hoc eſt nullas penitus in quantitate ſuæ eſſentiæ partes habere. Omne quippe quod partibus conſtat, ipſis partibus ex quibus, ſuum eſſe contrahit, naturaliter poſterius dicitur. Summa verò illa Trinitas, quæ vniuerſorum ſupremum principium eſt, qua ratione poſterius aliquo dici poteſt? Amplius. Omne, inquit Plato, quod iunctum eſt natura, diſſolubile eſt. Et B. Hilarius in Pſal. CXXIX. Quiſquis ita valet credere, vt Deus corporalis ſit, quia ad imaginem eius homo factus compoſitum Deum ſtatuet eſſe. Quicquid autem compoſitum eſt, neceſſe eſt non fuerit æternum, quia compoſitio habet initium, quo compoſitum maneat. De ſinceritate autem ac puritate diui-

næ ſubſtantiæ, vt nulla videlicet penitus accidentia, nullas habeat formas, ſicut nec partes, Boetius de Trinitate lib. 1. cum ſummam eius vnitatem aſſeueraret, ait. Quocirca hoc verè vnum in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id quod eſt, neque ſubſtantiuum fieri poteſt: forma enim eſt, formæ verò ſubeſſe non poſſunt. Formam itaque Boëtius loco hoc appellauit diuinam ſubſtantiam ſecundum hoc quod nullarum formarum fundamentum eſt. Sanctus quoque Auguſtinus diuinæ naturæ ſinceritatem aſtruens, lib. xi. de Ciuit. Dei ait. Non propter hoc naturam illam boni ſimplicem dicimus, quia eſt pater in ea ſolus, aut filius ſolus, aut Spiritus ſanctus: id eſt, aut ſola eſt iſta nominis Trinitas ſine ſubſtantia perſonarum, ſicut Sabelliani putauerunt, ſed ideo ſimplex dicitur quia eſt hoc quod habet, excepto quod relatiuè quoque perſona ad alteram dicitur. Nam vtique pater habet filium, nec tamen ipſe eſt filius, & filius patrem, nec tamen eſt pater, in quo verò ad ſemetipſum dicitur non ad alterum, hoc eſt quod habet, ſicut ad ſemetipſum dicitur vnius habendo vitam, & eadem vita Chriſtus eſt, propter hoc vtique natura hæc dicitur ſimplex quod non ſit aliud habens, aliud quod habet ſicut in cæteris rebus. Neque enim vas habens liquorem, nec corpus color, nec aer lux ſiue feruor, nec anima eſt ſapientia. Hinc eſt etiam quod priuari poſſunt rebus quas habent, & in alios habitus verti atque commutari. Idem in vii. Confeſſionum ad Deum loquens ait. Nec cogeris inuitus ad aliquid, quia voluntas tua non eſt maior quàm potentia, eſſet autem maior ſi teipſo tuipſe maior eſſes. Item voluntas & potentia Dei Deus eſt. De incommutabilitate autem atque inuariabilitate diuinæ ſubſtãtiæ, de qua ipſemet per Prophetam loquitur, *qui eſt miſit me ad vos.* Et alibi. *Ego ſum Deus & non mutor*, ipſos Philoſophos conſulat qui ſcripturarum ſacrarum documentis contentus non eſt. Vnde Macrobius cum iuxta Plotinum quatuor virtutes Deo aſſignaret: Fortitudo, inquit, illi eſt, quod sẽper idẽ eſt, nec aliquãdo mutatur, hoc eſt quod ſupra memoratus Doctor, & Max. Latinorum Philoſophorũ Boetius, in lib. 3. de cõſolatione Philoſophię aſtruit his verbis.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cælique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, ſtabiliſque manens, das cuncta moueri.

Omne quippè quod variatur, siue per alterationem,& quamlibet rei mutationem motum esse constat. Quamquidem incommutabilitatem Dei, immortalitatem ipsius appellamus. Vnde Augustin. de natura summi boni. Vera, inquit, immortalitas, hoc est summa illa incommutabilitas quam Deus habet solus, qui mutari omnino non potest. Idem supra, naturę corruptibiles iam non incommutabiles sunt, quia nil est vnde factæ sunt. Omnis enim mutatio facit non esse quod erat; verè ergo ille est qui incommutabilis est. Cum sit itaque tanta diuinæ substantiæ vnitas, simplicitas, puritas, atque identitas, vt in ea videlicet nulla sit partium aut accidentium seu quarumlibet formarum diuersitas, nulla vnquam variatio, quomodo tres personæ in ea assignari, siue intelligi queant? cum nulla ibi sit rerum multitudo, vbi tantum est vna atque indiuidua penitus substantia: nullus ibi rerum numerus, vt vel tria vel multa dicere possumus, sed eadem penitus substantia simplex omnino atque indiuidua sit, singulæ personæ siue omnes simul, hoc est vnaquæque trium personarum, siue ipsa vt dictum est, Trinitas. Quippè vbi nulla est multitudo rerum, imo penitus nulla multitudo, nulla pluralitas, nulla diuersitas, quomodo multitudo personarum, aut vlla earum diuersitas erit? Qua ratione altera personna ab altera diuersa est, sine etiam ab ipsa Trinitate, cum eadem penitus, vt dictum est trium personarum substantia sit, nec vlla abinuicem vel essentiæ diuersitate vel accidentium, siue formarum proprietate disiunctæ sunt. Difficile fortasse, imo impossibile est homini hoc differere, & ei maximè qui in omnibus quæ astruit per humanas rationes satisfacere contendit, & cum de re aliqua singulariter quicquam discutit, quod ad eius proprietatem pertinet, aliarum id rerum multitudine nititur confirmare, cum videlicet vnaquæque res proprium quiddam habeat, per quod à ceteris omnibus differt, nec facilè sit dissimilitudinem in ceteris assignare. Quanto autem excellentia diuinæ naturæ à ceteris quas condidit naturis, longius abscedit, tanto minus congruas similitudines in illis reperimus, quibus satisfacere de ista valeamus. Quam etiam naturam Philosophi Deum ignotum profitentes, in tantam eius excellentiam, omnium mortalium cogitationem excedentem, veriti sunt attingere, vt nec quid ipsa sit diffinire ausi sint, cum summus ille,

Digitized by Google

vt ſupra meminimus, Philoſophorum Plato, vix quid ſit dicere auſus ſit: hoc ſolum de eo ſciens, quod ſciri qualis ſit ab hominibus non poſſit. Hermes quoquè de filio Dei, Cuius, inquit, nomen non poteſt humano ore narrari. Ecce ille negat ab homine hunc poſſe ſciri, iſte verò poſſe ediſſeri. Vnde ipſum penitus cum rerum omnium naturas Philoſophi diſtinguerent, prætermittentes, quem nec ore diſſeri, nec mente concipi profitentur, ſic eum à numero rerum excluſerunt, quaſi eum nihil eſſe aſtruerent. Cum enim omnem rem aut ſubſtantiæ, aut alicui aliorum generaliſſimorum ſubijciant, vtique & Deum ſi inter res ipſas comprehenderent, aut ſubſtantijs aut quantitatibus, aut cæterorum predicamentorum melius connumerarent, qui nil omnino eſſe ex ipſis conuincitur. Omnes quippè res præter ſubſtantias, per ſe ſubſiſtere non poſſunt, niſi ſcilicet ſubiectis ſuſtententur ſubſtantijs, vt albedo nulla ratione eſſe poteſt niſi in ſubiecto corpore, aut pietas niſi in anima, aut quælibet res nouem predicamentorum, niſi in ſubiectis ſubſtantijs inſint. Subſtantiæ verò in propria natura per ſeipſas exiſtere aut perſeuerare poſſunt, omnibus & alijs rebus deſtructis. Vnde & ſubſtantiæ quaſi ſubſiſtentiæ eſſe dictæ ſunt, & cæteris rebus, quæ ei aſſiſtunt, non per ſe ſubſiſtunt, naturaliter priores ſunt. Ex quo liquidum eſt Deum, qui omnium rerum eſt initium, & ſingulare principium, nullo modo in eo rerum numero contineri quæ ſubſtantiæ non ſunt. Sed nec ſubſtantiæ ſecundum eos ſupponitur Deus, licet ipſe maximè ſit res per ſe exiſtens, & verum & incommutabilem eſſe ipſe ſolus à ſe habeat à quo ſunt omnia. De cuius quidem veritate ac ſimplicitate ſiue incommutabilitate ſubſtantiæ, Auguſt. in lib. de Trinitate ait. Sic intelligamus Deum ſi poſſumus quantum poſſumus ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla mutatione ſui mutabilia facientem, nihilque patientem. Quiſquis Deum ita cogitat, etſinondum poteſt inuenire omnino quid ſit, piè tamen caueat quantum poteſt, aliud de eo ſentire quod non ſit. Eſt tamen ſine dubitatione ſubſtantia, vel ſi melius hoc ap-

pellatur essentia, quam Græci οὐσίαν vocant. Quod autem nec iuxta Philosophos ipse Deus substantia sit dicendus, facilè conuinci potest ex ipsis scripturis omnium Dialecticam tractantium, quam nunc latinitas Porphirij scilicet, Aristotelis & Boetij. Ait quippè Porphirius in Isagogis, quas ad Cathegorias Aristotelis perscripsit. Ait, inquam, vnamquamque substantiam vna specie participare, pluribus verò accidentibus & separabilibus & inseparabilibus. Aristoteles quoque in Cathegorijs propriũ substantiæ assignans ait. Maximè autem proprium substantiæ videtur esse, quod cum sit vnum & idem numero contrariorum est susceptibile. Item, idem de eodem. Quare proprium erit substantiæ quod cum sit vnum & idem numero, susceptibile est contrariorum. Cum itaque Deo ista omnia coaptari non possunt, cuius substantia nec accidentibus variari, nullis omnino formis subiacere potest; liquet nec inter substantias eum Philosopos recepisse. Ea profecto ratione qua Plato, inter nullam & aliquam substantiam ὑλὴν collocauit, quam omnino adhuc informem conceperit. Neque enim substantia non est Deus si verè subsistere naturam & incommutabilem esse, in ipso attendamus. Nec rursus substantia est, si vsitatã nominis substantiæ appellationem sequamur, cùm videlicet accidentibus subiectus esse non possit. Vnde & in illo argumento Deus non esse substantia ostenditur apertè, quo Boetius quamuis Christianus, opinionem Philosophorum secutus, cùm de Philosophia tractaret, Themistium scilicet & Tullium in Topicis suis vestigans, probat in quinto Topicorum ipsorum, albedinem non esse substantiã, his verbis: Substantia est, quæ omnibus accidentibus possit esse subiectum, albedo autem nullis accidentibus subiecta est, albedo igitur substantia non est. Ipse quoque Augustinus hanc vsitatam & propriam significationem substantiæ apertè profitetur in VII. de Trinit. lib. cap. IV. & V. his quidem verbis de Deo disputans. Sicut enim ab eo qui est appellatur esse essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem vt substantia relatiuè dicatur. Omnis enim res ad se ipsum subsistit; quanto magis Deus? si tamen dignum est vt dicatur subsistere. De his enim rebus intelligi ratione in quibus subiectis sunt ea quæ in aliquo subiecto esse dicũtur, sicut color in corpore. Item, Res ergo mutabiles neque simpli-

ees propriè dicuntur ſubſtantia. Item, nephas eſt autem dicere vt ſubſiſtat, & ſubſiſtit bonitati ſuæ, atqui illa bonitas non ſubſtantia ſit, vel potius eſſentia, neque ipſe Deus ſit bonitas ſua, ſed in illo ſit, tamquam in ſubiecto. Vnde manifeſtum eſt Deum abuſiuè vocari ſubſtantiam, vt nomine vſitatiori intelligatur eſſentia, quæ verè ac propriè dicitur, itaut fortaſſe Deũ ſolam dici oporteat eſſentiam. Eſt enim verè ſolus quia incommutabilis eſt, idque ſuum nomen Moiſi enunciauit, cum ait. *Ego ſum qui ſum*, Et *dices ad eos, Qui eſt miſit me ad vos*, Sed tamen ſiue eſſentia dicatur, quæ propriè dicitur, ſiue ſubſtantia quod abuſiuè, vtrumque ad ſe nõ relatiuè dicitur, vnde hoc eſt Deo eſſe quod ſubſiſtere, & ideo ſi vna eſſentia Trinitas, vna etiam ſubſtantia. De quo etiam Iob laquitur. Ipſe enim ſolus eſt & nemo aduertere poteſt cogitationes eius. Ex his itaque liquet, nec etiam iuxta ſanctos propriè, nec iuxta Philoſophos vllomodo Deum ſubſtantiam dici. Patet itaque à tractatu Philoſophorum, rerum omnium naturas in decem prædicamenta diſtribuentium, illam ſummam maieſtatem eſſe excluſam omnino, nec vllo modo regulas aut traditiones eorum ad illam ſummam atque ineffabilem celſitudinem conſcendere, ſed creaturarum naturis inquirendis eos eſſe contentos ſecundum quod ſcriptum eſt. *Qui de terra eſt, de terra loquitur*, quas nec adhuc comprehendere ac ratione diſcutere ad illud ſufficiunt. Quod ſummus ille ſapientum Salomon conſiderans ait. *Cuncta res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone, & alta profunditas, quis inueniet eam* Et per ſemet ipſam ſapientia. Cogitationes inquit mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ, *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, et deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem.* Et difficile æſtimabimus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inueniemus cum labore quæ in cœlis ſunt; aut quis inueſtigabit? quod etiam omnis hæc locutio ad creaturarum ſtatus maximè accommodata ſit, ex ea præcipuè parte orationis appareret, ſine qua nulla dicitur conſtare perfectio orationis, ex ea ſcilicet quæ verbum appellatur. Hæc quippè dictio temporis deſignatiua, quæ incepit a mundo. Vnde ſi huius partis ſignificationem attendamus, per eam cuiuſque conſtructionis ſenſum infra ambitum contineri vel coerceri temporis, hoc eſt ad eas res tantum temporaliter inclinari, quas demonſtrare,

Digitized by Google

Volumus temporaliter contingere, nec æternaliter ſubſiſtere. Vnde cum dicimus Deum priorem eſſe mundo, ſiue exiſtere ante tempora, quis ſenſus in his verbis verus eſſe poteſt de proceſſione Dei & ſucceſſione iſtorum, ſi hæc verba ad hominum inſtitutionem accipiamus, ſecundum ipſam temporis ſignificationem, ſecundum tempus priorem eſſe mundo vel extitiſſe, hoc eſt in tempore præterito fuiſſe antequam tempus eſſet aliquid? Oportet itaque cum ad ſingularem diuinitatis naturam quaſcumque dictiones transferimus, eas in quãdam ſingularem ſignificationem ſeu etiam inſtitutionem contrahere. Atque per hoc quod omnia etiam excedit, neceſſario propriã inſtitutionem excedere. Conſtat quippè iuxta Boetium ac Platonẽ cognatos de quibus loquuntur rebus oportere eſſe ſermones. Quod rectè Gregorius attendens in prologo Moraliũ, ait. Indignum vehementer exiſtimo, vt verba cœleſtis oraculi reſtingam ſub regulis Donati. Sed nec proprium & vſitatum nomen Dei ad illam vnicam diuinitatis maieſtatem, quæ excogitari non valet, nec dum diſſeri, ipſi magni Philoſophi nouerunt accommodare, qui cum Deum cum Marte nominant, quem animali rationi ſupponunt, de mundo & cœleſtibus corporibus illud, vt ſupra meminimus, accipiunt. Quid itaque mirum, ſi cum omnia ineffabiliter tranſcendat Deus, omnem quoque inſtitutionis humanæ ſermonem excedat? Et cum eius excellentia omnem longè exſuperet intellectum, propter intellectus autem, voces ſunt inſtitutæ, quid mirum ſi intellectus tranſcendat, qui tranſcendit cauſas? multo quippè facilius res excogitari, quàm diſſeri valet. quid etiam mirum ſi in ſeipſo Deus Philoſophorum infringat regulas aut exempla, quæ in factis ſuis frequenter caſſat? Cum videlicet aliqua noua contra naturam facit, ſiue ſupra naturam, hoc eſt ſuper hoc quod prima inſtructio rerum poteſt. Numquid enim illuminatione cæci, nota illa Philoſophorum regula infringitur qua ab Ariſtotele dictũ eſt, Ab habitu quidẽ in priuationem fit mutatio, in habitu verò à priuatione impoſſibile eſt. Neque enim cæcus factus rurſum videt &c. Numquid & virginis partus onmino illi præiudicat propoſitioni quæ frequenter à Philoſophis in exemplum neceſſariæ conſequentiæ ſeu argumentationis affertur? Si peperit, cum viro concubuit? Vt hinc quoque appareat quod ait Apoſtolus, *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi.* Quod ſi vt Philoſophos ſalues

ea quæ

Digitized by Google

ea quæ per miracula fiunt à diſciplinis vel regulis illorum excipias, aut in his vocabula propriam ſignificationem non obſeruare dicas, vt videlicet propriè dicatur viſio vel partus qui per miracula fiunt, quantomagis in ipſo auctore miraculorum id concedi oporteat, vt illius excellentiæ ſingularitas aliquid habeat proprium, quod ſicut humanas cogitationes ita & humanarum diſciplinarum tranſcendat traditiones? de quibus rectè Apoſtolus admonet dicens. *Videte ne quis vos decipiat per prophetiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Ecce enim ſecundum ipſius Domini documentum, vt ſupra meminimus, teſtimonium Iob eum ſolũ propriè eſſe profiteri cogimur, quem penitus nihil eſſe conſtat, ſecundum illam ſæcularium diſciplinam doctorũ, quæ omnium rerum, vt dictum eſt, naturas in decem prædicamenta diſtribuit. Attendite fratres & verboſi amici quantum ab inuicem diſſonent diuinæ & humanæ traditiones, ſpirituales & animales Philoſophi ſacrarum & ſecularium literarum diſciplinæ: nec tamquã temerarij iudices arguatis, cum talia fides verba protulerit, quorum intelligentia veſtris incognita ſit diſciplinis. Certum quippè eſt, quoniam vnaquæque ſcientia atque cuiuſlibet artis tractatus proprijs vtitur verbis, & vnaquæque doctrina proprijs locutionibus gaudet, & ſæpè eiuſdem artis tractatores verba variare delectat, quia ſemper in omnibus, teſte Tullio, identitas mater eſt ſatietatis, hoc eſt faſtidium generans, atque in tantum etiam variatè, vt ſæpè vocem eandem de vna ſignificatione ſic ad aliam transferant, vt ſi vocis identitatem magis quam ſenſuum diuerſitatem ſequamur, ipſos ſibi contrarios reperiamus. Quantomagis ergo illius ſingularis, & sũmi boni tractatores ſingularia verba quædã habere oportuit, aut ad quandam illa detorquere ſignificationem, quibus id quod ſingulare eſt ſingulariter profertur, nec publicis & vulgaribus locutionibus illud ineffabile, illud incomprehenſibile coerceetur. De quo ſi quid de aliqua ſimilitudine de creaturis ad creatorẽ vocabula transferimus, quæquidem vocabula homines inſtituerunt ad creaturas deſignandas quas intelligere potuerunt, cum videlicet per illa ſuos intellectus manifeſtare vellẽt. Cũ itaque homo vocẽ inuenerit ad manifeſtãdos intellectus ſuos, Deũ autẽ minime intelligere ſufficiat, rectè illud

ineffabile bonum effati nomine non eſt auſus. Vnde in Deo nullum propriam inuentionem vocabulum ſeruare videtur. Sed omnia quæ de Deo dicuntur, tranſlationibus & paraboli-cis ænigmatibus inuoluta ſunt, & per ſimilitudinem veſtigã-tur, ex parte aliqua inductam, vt aliud de ineffabili maieſta-te credendo, nunc magis quàm intelligendo deguſtemus. Et quoniam minus plenarias ſimilitudines inuenimus ad illud quod ſingulare eſt inducendas, minus de eo ſatisfacere poſſu-mus per ſimilitudines. Quod diligenter Beatus attendens Au-guſtinus in libro contra Felicianum Arrianum, de hoc ipſo quærentem, ita ſcripſit. Felicianus. Neſcio quo pacto vna cre-ditur eſſe ſubſtantia, cum non dicatur vna eſſe perſona, velim quæſo exemplo mihi faciliore dicta dilucides. Auguſt. In re-bus quidem incõprehenſibilibus exempla non ſuppetunt diſ-putandi. Tamen in quantum fieri poteſt, etiam in hac parte non deero. Ecce homo pater habet hominem filium, eſt cõ-mune vtriſque quod homo eſt, vni tamen quod filius, alteri proprium videtur eſſe quod pater eſt. Item patrem ingẽnitũ, filium genitum dico. Eò tantum docens ingenitum patrem, quod non proceſſit ex altero, eò genitum filium, quod etiam exiſtit ex ſemetipſo. Itaque ſi proprium patri quærimus, ſuffi-cit, quia ſolus non habet patrem, ſi filij ſatis eſt, quia non ha-bet prolem. Quas tamen vt poſſumus aggrediamur, maximè vt pſeudodiã lecticorum importunitatem refellamus, quorũ diſciplinas & nos pauhulum attingimus, atque adeo in ſtudijs eorum profecimus, vt Domino adiuuante ipſis in hac re per humanas rationes quas ſolas deſiderant ſatisfacere nos poſſe confidamus. Habet enim humanas rationes etiam condi-tor rationis ipſe, quibus animalium hominum ora obſtruere poſſit, qui nos per Sapientiam admonet dicens: *Reſponde ſtul-to iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi eſſe ſapiens videatur.* De cuius etiam ſapientia in ipſo Sapientiæ libro, inter cæteras etiam laudes ipſius, dicitur, *Scit verſutias ſermonum & diſpoſitiones argumentorum.* Tunc verò probabiliores illis afferimus ſimi-litudines, ſi de ipſis artibus quas frequentant, eas ſumere poterimus, & ad ſingula quæ obijciunt, illas applicuerimus.

XI. QVÆRVNT autem quomodo in Deo vna penitus per-manente ſubſtantia vel eſſentia aliqua, ibi proprietatum ſit

diuersitas, secundum quas Trinitas personarum constat. Vel quomodo potest esse, vt cum vnaquęque ibi persona sit Deus, nec tamen vna persona sit alia, non etiam plures dij, sicut & plures personæ sint dicendi. Aut quæ sit denique generatio filij de patre, vel processio Spiritus ab vtroque. Quodquidem vt diligentius fiat, præmittendum est quot modis. Idem, & quot modis diuersum, accipiatur.

XII. TRIBVS autem modis vtrumque, & fortasse pluribus dici solet. Idem namquè similitudine, idem essentialiter sine numero, idem proprietate dicimus. Idem similitudine, cum easdem res apud omnes esse, sicut & intellectus, Aristoteles asserit, & nos easdem merces in hac & in illa ciuitate reperiri dicimus. Tàm numero autem quàm essentialiter idem sunt, cum sit eadem essentia tàm hoc est quàm illud, vt numerum in se rerum non habeant, nec res plures numero dici queant, vt in Socrate homo, & animal, vel homo & risibile. Proprietate autem seu diffinitione idem sunt, quæ non solum numero sunt eadem, verumetiã nec proprietatibus vllis, nec proprijs discrepant similitudinibus, vt ensis & mucro, vel album & candidum. Quamquidem maximam identitatem iuxta proprium & expressum esse rei Boetius attendens in primo Topicorum, ait. Rursum potest de eo quod est idem, fieri certamen, vt an idem sit vtile quod honestum est. Sed hæc quomodo diffinitioni est aggreganda? quarum enim rerum diffinitio est eadem, ipsæ quidem eædem sunt. Quarum verò diuersa ratio substantiæ est, diuersæ etiam ipsæ sunt. Tribus etiam modis solet diuersum sumi essentialiter, scilicet numero, proprietate, seu diffinitione. Diuersa namque essentialiter dicimus, si eadem essentia quæ est hoc, non sit illud, & si homo est nullius essentia tamquam pars includatur, vt manus & homo. Tunc verò etiam numero sunt diuersa, cum ita tota quantitate suæ essentiæ sunt discreta, vt in computatione sibi queant admisceri, cum videlicet dicitur vnus, duo, tres, &c. Quod tunc quidem fieri potest cũ non solùm hoc nõ est illud, verumetiam nec ipsum, nec aliud de ipso est de substantia alterius, vt hic homo & ille, & etiam in eadẽ manu hic digitus & ille. Proprietate verò seu diffinitione diuersa sunt, quę licet habeant de se prædicari, cum essentialiter idem sunt, secundũ proprios tamen status, aliud est huius proprium, & aliud

illius,& ſingula proprijs diffinitionibus& in ſenſu diuerſis ſunt terminanda. Proprias verò diffinitiones eorum eſſe dicimus, quorum, ex integro exprimunt eſſe, vt ſubſtantia corporea corporis, vel aptum ad ridendum riſibilis, vel habens albedinem albi, quamquam differentiam proprietatis ſcilicet ſeu diffinitionis Boetius in libro diuiſionum diligenter attendens rationale & bipes, quæ idem numero contingit eſſe, differre tamen his verbis aſſerit. Quoniam verò quædam ſunt quæ differunt quæ contra ſe in diuiſionibus poni non debent, vt in animali rationale & bipes. Nullus enim dicit animalium, alia ſunt rationalia, alia duos pedes habentia; ideirco quod rationale & bipes licet differant, nulla tamen à ſe oppoſitione diſtinguntur &c. Idem in primo Topicorum cum propoſitionem,& quæſtionem,& concluſionem definiſſet,& ſuis ſingula proprietatibus diſtinxiſſet; oſtendendo ſcilicet quod vnumquodque & quantum ex vi & natura propria requireret, idem numero hæc tria eſſe monſtraret, nihilominus tamen ea dicuntur differre ſecundũ proprietates quas aſſignauerat, oſtẽdit dicens. Idem igitur eſt propoſitio quomodo concluſio, ſed differunt ſupradicto modo. Quamquidem differentiam & B. Greg. diligenter conſiderans lib. Moralium xxi. ait. Hoc inter peccatum diſtat & crimen, quod omne crimen peccatum eſt, ſed non omne peccatum crimen. Rurſus Boetius in prædicto libro Topicorum, vt iam ſupra meminimus, cum illam quæſtionem, vtrum idem ſit vtile quod honeſtum, de diffinitione eſſe docet dicens, ſecundũ hæc quomodo diffinitioni eſt aggreganda. Quarum enim rerum eadem diffinitio eſt, ipſæ quidem eædem ſunt, quarum verò diuerſa ſubſtãtię ratio eſt, ipſæ etiam ſunt diuerſæ, patenter oſtendit quæcũque diffinitionibus proprijs diſcrepant, etſi eadẽ numero illa eſſe contingat, vt eadem videlicet res aliqua hoc ſit & illud, nihilominus tamẽ illa dici diuerſa. Quod & Porphyrius ante in Iſagogis ſuis docuerat dicens: Quorum termini ſunt differentes, ipſa quoque ſunt differentia. Qui etiam cum ait, Differentiarum aliæ quidem ſunt ſecundum quas diuidimus genera in ſpecies, aliæ ſecundum quas ea quæ diuerſa ſunt ſpecificantur: hoc eſt aliæ ſunt diuiſiuæ generum, aliæ conſtitutiuæ ſpecierum; quomodo has ab illis alias dixit, cum omnis diuiſiua ſit conſtitutiua, & è contrario niſi ſecundum proprietatem

Digitized by Google

diuidendi & conſtituendi quæ diuerſæ ſunt. Aliud quippè exigit ex eo quod eſt diuiſiua, & aliud ex eo quod eſt conſtitutiua, licet modis omnibus eadem ſit numero diuiſiua & conſtitutiua differentia. Tale igitur eſt dicere aliam eſſe differentiam diuiſiuam, & aliam conſtitutiuam, ac ſi dicamus alterius proprietatis eſſe diuiſiuam, alterius conſtitutiuam, licet penitus ea ſit diuiſiua quæ conſtitutiua, & è conuerſo. Hoc autem modo facilè in ſingulis rebus aſſignari poteſt, & vnam numero atque eſſentialiter rem permanere, & ipſi plures ineſſe proprietates, ſecundum quas aliqua diuerſa ſunt diffinitione, non numero, & eædem res diuerſa in ſenſu vocabula ſortiantur. Verbi gratia. Hic homo & ſubſtantia eſt & corpus, & animatum & ſenſibile, quod eſt alias rationale, & mortale quod eſt homo. Et fortaſſis albus & criſpus, & alijs accidentibus ſubiectus quæ recipit, & cum ipſo idem ſit numero, vel eſſentialiter ſubſtantia, quod corpus vel animatum & c. Nihilominus tamen hæc abinuicem proprietatibus ſuis diuerſa ſunt, ſecundum quas ſcilicet ipſa diuerſis terminanda ſit diffinitionibus: aliud quippè ſubſtantiæ eſt proprium, & aliud corporis; alius cæterorum & alius ſubſtãtiæ ſtatus dicitur, alius corporis, alius cæterorum. Ad hunc igitur modum cum in ſingulis rebus vna permanente ſubſtantia poſſint innumerabilia aſſignari, ſecundum proprietates ſuas ab inuicem diuerſa, quid mirum ſi vna permanente diuina eſſentia, diuerſæ quæ in illo ſint proprietates, ſecundum quas diſtingui tres perſonæ queant? Sicut enim in vno homine qui ſimul ſubſtantia eſt & corpus, vel cætera ſingula quæ prædicta ſunt, & fortaſſis quantùm ad diuerſos pater & filius, alia eſt proprietas ſubſtantiæ, alia corporis, & cæterorum, & alia eſt patris & filij: ita & in Deo licet eadem eſſentia ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, alia tamen eſt proprietas patris ſecundum quod ſcilicet generat, alia filij ſecundum quod generatur, alia Spiritus ſancti ſecundum quod procedit. Quas quidem proprietates plenius exponemus. Si quis forte id quod de rerum identitate, vel proprietatum diuerſitate monſtramus, non ſatis ad rem quam propoſuimus pertinere dicat, niſi etiam in aliquibus rebus vna permanente eſſentia, plures quoquo modo perſonas ineſſe demonſtremus, agnoſcat nullam ex toto ſimilitudinem, ſed ex parte aliquam induci. Alioquin identitas potius quàm ſimilitudo

diceretur, vt tamen & in hoc ſatisfacere valeamus, diuina nobis ex ipſorum artibus gratia prouidit. Nam & Grammatici cum tres diſtingunt perſonas, primam videlicet quæ loquitur, ſecundam ad quam loquitur, tertiam de qua tanquam ab vtriſque diuerſa loquuntur perſonarum, iuxta quarum proprietates diuerſitatem intelligunt, vt eidem rei ſic tres iſtas perſonas ineſſe fateantur, vt idem homo & prima ſit perſona ſecundum quod loquitur, & ſecunda ſecundum quod ad eum aliquis loquitur, & tertia ſecundum quod de ipſo inter aliquas ſermo eſt. Et prima quidem perſona, cæterarum principium eſt quoddam & origo ſeu cauſa. Et rurſum prima & ſecunda tertiæ, niſi enim prima ſit perſona, quæ ſcilicet loquitur, quomodo erit ſecunda, ad quam videlicet ſermo loquentis dirigatur? aut quomodo tertia erit, de qua ſcilicet inuicem loquuntur, niſi inuicem illis loquentibus. Vndè & benè quantum ad ipſum exiſtentiæ gradum ſeu modos, illa prima dicitur, ex qua ceteræ habent eſſe, & illa ſecunda poſt primam, ex qua ſimul & ex prima tertia eſſe habet.

XIII. QVAM etiam ſimilitudinem, ſi quis ad diuinæ Trinitatis perſonas inducere velit, non incongruè fortaſſis aptare poterit, cùm videlicet ex Deo patre tàm filius quàm Spiritus ſanctus, & ex Patre ſimul & Filio ſimul Spiritus ſanctus habeat eſſe. Secundum quos etiam exiſtentiæ modos beatus quoque Auguſtinus, vt iam olim meminimus, ſuprà, ſecundum à Patre dicit Filium, & Spiritum ſanctum nominat tertium. Sicut autem iuxta Grammaticos perſona ſub diſiunctione facilius deſcribitur hoc modo, Perſona eſt qui loquitur ſiue ad quem loquitur, vel de quo tanquam diuerſo loquitur, ita & diuinæ perſonæ ſub diſiunctione patentius deſcribi hoc modo videntur. Perſona eſt in illa ſumma Trinitate Deus Pater vel eius Filius, ſiue amborum Spiritus ſanctus. Sicut etiam ibi nemo Grammaticorum dicit primam perſonam eſſe ſecundam aut tertiam, cum ſint earum diuerſæ proprietates. Licet eadem res, vt diximus, quæ eſt prima perſona ſit ſecunda vel tertia, ita & in Deo cum eadem eſſentia quæ eſt Pater, ſit Filius & Spiritus ſanctus, nemo orthodoxus dicit vnam perſonam eſſe alteram. Quod ſi poſt grammaticam quaſi puerilem diſciplinam ad Philoſophicam perfectionem conſcendere iuuat, vt ſcilicet tantum aliquam ad propoſitum noſtrum idoneam ſu-

Digitized by Google

mamus ſimilitudinem, nec ibi nobis diuinæ gratiæ ſuffragium deerit, maximè cum de ipſis Apoſtolus Philoſophis loquens, aſſerat illos, *à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Vbi quidem cum ait, inuiſibilia ipſius, id eſt Dei, quia etiam ipſo nomine ſpiritus, inuiſibilis natura declaratur. Et pluraliter vt dictum eſt inuiſibilia ſeptiformem eius ſpiritum, hoc eſt Spiritum ſanctum intelligi arbitror, qui nonnunquam etiam pro diuerſitate donorum ſeptem ſpiritus appellant. Sempiterna autem virtus Dei filius intelligi, iuxta quod alibi ait idem Apoſtolus, *Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Cum verò ait inuiſibilia ipſius vel eius virtus, per hoc quod ipſius & eius Patrem dixerit, ipſum expreſſit, cuius videlicet tàm ipſe ſpiritus quàm filius eſſe dicitur. Cum autem ſubdit, & diuinitas, ſubaudis ſimiliter, intellecta conſpicitur, vnitatem diuinitatis in tribus illis perſonis aſſignari, ſin autem intelligatur vt dicatur diuinitas ipſius vel eius, ſicut Dei inuiſibilia ipſius vel virtus eius, rectè quoque cum dicitur diuinitas ipſius, id eſt, ipſe Deus cuius ſunt illa inuiſibilia, & illa virtus, Deus pater intelligitur. Quomodo autem Philoſophi hanc perſonarum diſtinctionem in vna diuinitatis eſſentia per ſimilitudinem alicuius mundanæ creaturæ, & eorum quæ in ipſa ſunt creaturæ veſtigare poterunt atque inuenire? facilè credo poterit aſſignari in his quæ ex materia & forma, vel ad ſimilitudinem materiæ & formę dixerunt conſiſtere, verbi cauſa. Æs quidem eſt inter creaturas, in quo artifex operans, & imaginis regiæ formam exprimens, regium facit ſigillum, quod ſcilicet ad ſigillandas literas, cùm opus fuerit, ceræ imprimatur. Eſt igitur in ſigillo illo ipſum æs materia, ex quo factum eſt: figura verò ipſa imaginis regiæ, forma eius: ipſum verò ſigillum ex his duobus materiatum atque formatum dicitur, quibus videlicet ſibi conuenientibus ipſum eſt compoſitum atque perfectum. Nil quippè eſt ſigillum quàm æs ita formatum. Id itaque eſſentialiter eſt ipſum æs, quod eſt materia ærei ſigilli, & ſigillum ipſum cuius eſt materia, cum tamen in ſuis proprietatibus ita ſint diſtincta, vt aliud ſit proprium æris, aliud ærei ſigilli, & quamuis idem ſint eſſentialiter, ſigillum tamen eſt æreum ex ære, non æs ex æreo ſigillo, & æs eſt materia ærei ſigilli, non ſigillum æris. Nec vlle modo æs materia ſui ipſius

Contra hanc ſimilitudinẽ ſe ipſit S. Bernardus Ep. 190.

esse potest, quamuis sit materia sigilli, quod est ipsum æs, non enim æs ex ære fit, sicut sigillum ex ære est constitutum, & quãuis idem sit materia ipsa quod est materiatum, nequaquam tamen in sigillo illo materiatum est materia, vel materia est materiata. Facto autem ex ere sigillo, iam sigillabile est, hoc est aptum ad sigillandum, etsi nondum sit actualiter sigillans. Cum autem per illum sigillari ceram contingit, iam in vna æris substantia tria sunt proprietate diuersa, æs videlicet ipsum, sigillabile, & sigillans. Quæquidem inter se sic se habent, vt ex ære sit factum sigillabile, hoc est sigillum, & ex ære simul & sigillabili contingat fieri sigillans. Et ex ære quippè quod erat primitus ad hoc productum, est ipsum æs vt sigillabile esset, deinde vt quod æs sigillabile iam erat, sigillans fieret. Sic igitur cum eadem sit essentia æris & sigillabilis, & sigillantis, quæ tria proprietate diuersa sunt; ita hæc tria inuicem sibi sunt coniuncta, vt ex ære sigillabile, & ex ære & sigillabili simul, sigillans habeat suum esse. Quæquidem omnia si ad diuinæ Trinitatis doctrinam congruis proportionibus reducantur, facilè est nobis ex ipsis Philosophorum documentis, pseudo-Philosophos (qui nos infestant) refellere. Sicut enim ex ære sigillum est æreum, & ex ipso quodammodo generatur, ita ex ipsa Dei patris substantia filius habet esse, & secundum hoc ex ipso dicitur genitus. Vt enim ex suprapositis iamdudum ostẽdimus specialiter nomine patris diuina potentia declaratur, sicut nomine filii diuina sapientia significatur. Est autem diuina sapientia, quædam, vt ita dicam, ipsius Dei potentia, qua videlicet ab omni sibi fallacia vel errore prouidere potest, & ita veraciter cum ista diiiudicare, & scrutando penetrare, vt in nullo decipi vel errare possit. Sapientia itaque diuina potentia est illa facultas differendi, per quam *Omnia oculis eius nuda sunt & aperta*, nec quicquam ignorantiæ illi possit inesse. Sicut enim sanatiuum aut durum ex potentiis quibusdam dici Aristoteles astruit, quod videlicet ipsa incommodis suis resistere valent, ita sapientia ratione quadam potentia dicitur, quia fallaciæ scilicet vel ignorantiæ resistitur, nec in aliquo per errorem mens cæcata labatur. Sic & visionem potentiam quãdam, sicut è contra cæcitatem impotentiam nominamus. Idem quoque de scientia qualibet, quæ visio quædam mentis est, & de ignorantia dici conuenit. Cum igitur sapiẽtia quędã,

vt dictum

vt dictum eſt, ſit potentia: ſicut enim æreum ſigillum eſt quoddam æs, liquet profectò diuinam ſapientiam ex diuina potentia eſſe ſuum habere, ad eam ſcilicet ſimilitudinem qua ſigillũ æreũ ex ære dicitur eſſe, quod eſt eius materia vel ſpecies ex genere, quod quaſi materia ſpeciei dicitur eſſe, vt animal hominis. Sicut enim ex eo quod eſt æreum ſigillum exigit neceſſario vt æs ſit, & ex eo quod homo vt animal ſit, ſed nõ è cõtrario. Ita diuina ſapientia, quæ eſt potentia diſcernendi, exigit quod ſit diuina potentia, non è contrariò. Quippè vt æs tàm ad æreum ſigillũ quàm alia ſe habet, & animal ad hominem quàm ad alia ſit, & potentia diuina tàm ad diſcernendũ quàm ad operandum ſe habet: & ſicut æreum ſigillum de ipſa æris ſubſtantia vel eſſentia dicitur eſſe, cum eſſe videlicet æreũ ſigillum ſit eſſe æs quoddam, & eſſe hominem, id eſt animal rationale ---- ſit eſſe animal quoddam, ita & diuina ſapientia de diuinæ potentiæ dicitur eſſe ſubſtantia, cum videlicet eſſe ſapientiam, id eſt potentiam diſcernendi, ſit eſſe potentiam quandam, quod eſt filium de ſubſtantia patris eſſe, vel ab ipſo genitum eſſe. Nam & ſpecies ex genere quaſi gigni vel creari Philoſophi dicunt, ſecundum hoc ſcilicet, quod ex ipſo, vt dictum eſt, eſſe contrahunt. Boetius in libro diuiſionũ, genus in ſpecies quaſi in quaſdam à ſe quodammodo procreationes diuidi aſſerit. Cum autem ſpecies ex genere creari ſeu gigni dicãtur, non tamen ideo neceſſe eſt genus ſpecies ſuas tempore, vel per exiſtentiam prȩcedere, vt videlicet ipſum priũs eſſe cõtigerit quàm illas. Numquam etenim genus niſi per aliquam ſpeciem ſuam eſſe contingit, vel vllatenus animal fuit, antequam rationale vel irrationale fuerit, & ita quædam ſpecies cum ſuis generibus ſimul naturaliter exiſtunt, vt nullatenus genus ſine illis, ſicut nec ipſæ ſine genere eſſe potuerint, ſicut quantitas & vnitas, vel numerus & binarius. Sic & diuina ſapientia, licet vt dictum eſt ex diuina potentia omne habeat, quod eſt filium ex patre gigni, non tamen hanc illa præceſſerit, cum nullatenus ſine ſapientia Deus eſſe potuerit. Sic & innumerabilia ex alijs gigni vel eſſe videntur, à quibus tamen tempore nullatenus præceduntur, vt ex Sole ſplendor aut calor, quæ ad ſimilitudinem Trinitatis nonnulli afferre conſueuerunt, vt ſit videlicet filius ex patre, ſicut ſplendor ex Sole, & rurſus Spiritus ex ipſo, ſicut ex Sole calor.

B. Bernard. Epiſt. 190. hunc refutat locum.

Digitized by Google

Splendor quippè ad ſapientiam, quæ tamen eſt animæ rectè videtur pertinere, & de ipſa Dei ſapientia quæ filius eius intelligitur, ſcriptum eſt ab Euangeliſta. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et ab ipſo dictum eſt filio. *Ego ſum lux mundi.* Et Apoſtolus inquit. *Splendor gloriæ eius.* Spiritus verò ſanctus, qui amor Dei dicitur, rectè per calorem intelligi videtur, cum in omnibus ipſis amor quo calere pectora dicuntur, frequenter calor ſiue ignis appelletur. De quo & ipſe filius ait. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Hoc eſt amore potius quàm timore corda terrena implere. Et Pſalmiſta neminem abſque aliquo diuinæ gratiæ dono conſpiciens. *Non eſt*, inquit, *qui ſe abſcondat à calore eius.* Et hanc profectò de ſole ſimilitudinem illam eſſe exiſtimo, qua in diuinæ Trinitatis aſſignatione Platonem vſum eſſe commemorat, vt iam ſupra meminimus dudum. Sed quia nec ſecundum Philoſophos, id eſt ipſa Solis ſubſtantia, quod eſt eius ſplendor aut calor, ſicut eadem eſt eſſentia patris & filij: nec calor ſimul de Sole & ſplendore eſt, ſicut Spiritus ſimul ex patre & filio, à quibus ipſe procedit, magiſque de ſubſtantia eius calor eſſe videtur qui ſubſtantialis eſt igni, ac per hoc ipſe magis ad filium qui de ipſa ſubſtantia patris eſt quàm ad Spiritũ pertinere, minus fortaſſe quàm volumus, hæc inducta de Sole ſimilitudo ad propoſiti noſtri demonſtrationem ſufficit. Quod & quidam noſtrum attendentes, cum trium perſonarum eandem eſſentiam aſſignare conarentur, & ſicut filium ex patre eſſe, ſic Spiritum ab vtriſque, de fonte, & riuo, & ſtagno familiariorem videntur excogitaſſe ſimilitudinem. Eadem quippè aqua fontis & riuus primò fit, & poſt modum ſtagnum, & ſicut riuus ex fonte, ſic ſtagnum ex riuo ſimul & fonte contrahit eſſe. Patrẽ itaque fonti, filium riuo, Spiritum ſanctum comparant ſtagno. Quod ad incarnationem verbi demonſtrandam ſic attendunt riuum in fiſtula, quaſi filium in carne humana, ac ſi riuum in fiſtula cũ dicamus verbum incarnatum. Cuius quidem, ni fallor, ſimilitudinis fundamentum Anſelmus Cantuarienſis à Beato ſumpſit Auguſtino ſcribente ad Laurentium Papam de hoc ipſo, & fontem & eius riuum, quorum eſt eadem ſubſtantia, ac diuinæ generationis exemplum. Vbi eadem ſubſtantia generãtis & geniti inducitur. Sed hæc quoque ſimilitudo ad identi-

Digitized by Google

tatem ſubſtantiæ trium perſonarum in hoc minus ſufficere videtur, quod eadem aqua non eſt ſimul fontis, & riui, & ſtagni, ſed per temporis vt dictum eſt, ſucceſſionem; ſicut eſt eadẽ ſimul eſſentia patris & filij & Spiritus ſancti. Imo eodẽ tempore alia eſt eſſentialiter aqua fontis quàm riui ſeu ſtagni, vnde fortaſſis hæc ſimilitudo illi potius ſuffragatur hæreſi, quæ ita per tempora proprietates perſonarum commiſcet, vt eandẽ perſonã dicat quando vult eſſe patrem, quando vult eſſe filiũ vel Spiritum ſanctum. Quod & nos prouidentes, alias quaſdam ſimilitudines, tàm ſecundum Grammaticos, quàm ſecundum Philoſophos ſuperiùs induximus, quas propoſito noſtro magis conuenire credamus, ſed eam præcipuè quæ ſumpta eſt de Philoſophis maiori ratione præditis, ac per hoc à doctrina veræ Philoſophiæ (quæ Chriſtus eſt) minùs remotis.

XIV.

SVPEREST nunc poſt generationem filij, de proceſſione Spiritus ſancti diſſerere, in quo præcipuè de ipſo confidentes, quem Apoſtolis Dominus promittens. *Ille vos docebit*, inquit, *omnia*, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis, tanto ampliorem gratiam ab ipſo in hoc ſperamus, quantum id amplius ad ipſum pertinet quod diſſerere cupimus. Spiritus ſpirãdo quaſi Spiritus dictus eſt, vnde veritas, *Spiritus*, inquit, *vbi vult ſpirat*. Et propheta conuenienti metaphora Spiritum Domini diſtinguens, Spiritum oris eius ipſum appellat. Ideoque ipſo ſuo nomine procedere ex Deo patre vel filio potius, quàm gigni declaratur. Benignitas quippè ipſa quæ hoc nomine demonſtratur, non eſt aliqua in Deo potentia ſiue ſapientia, cum videlicet ipſum benignum eſſe non ſit in aliquo eſſe ſapientem aut potentem, Sed hæc eius bonitas magis ſecundum ipſum charitatis effectum ſiue effectus accipienda eſt. Charitas autem teſte Gregorio, minus quàm inter duos haberi non poteſt. Nemò enim inquit ad ſemetipſum charitatem dicitur habere, ſed dilectionem in alterũ extendit, vt eſſe charitas poſſit. Procedere itaque Dei eſt, ſeſe ad aliquã rem per affectum charitatis quodammodo extendere, vt eam videlicet diligat ac ei per amorem ſe coniungat. Cum itaque tàm filius quam Spiritus ſanctus ex patre ſit, hic quidem genitus, ille procedens, differt in eo generatio ipſa à proceſſione, quod is qui generatur, ex ipſa patris ſubſtantia eſt, cum ipſa, vt dictum eſt, ſapientia, hoc eſt ipſum eſſe habeat, vt ſit quæ-

Locus productus à B Bernard. Epiſt. 190. poſt medium.

Digitized by Google

dam potentia. Ipſe verò charitatis affectus, magis ad benignitatem animi quàm ad potentiam attineat, vnde benè filius ex patre gigni dicitur, hoc eſt ex ipſa patris ſubſtantia propriè dicitur eſſe. Hinc Nicena Synodus quaſi exponens hanc generationem filij ex patre ait. Credimus & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei, natum ex patre vnigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia patris Deum ex Deo, lumen ex lumine. Non ignorans nonnullos Eccleſiaſticorum doctorum aſtruere Spiritum quoque ſanctum ex ſubſtantia patris eſſe, hoc eſt ab eo ſic eſſe, vt etiam ipſe vnius ſit ſubſtantiæ cum patre, propriè tamen non dicimus ex ſubſtantia patris eſſe : ſolus filius dicendus eſt. Spiritus verò quamuis eiuſdem ſubſtantiæ ſit cum patre & filio, vnde etiam Trinitas Omouſios, id eſt vnius ſubſtantiæ prædicatur, minimè tamen ex ſubſtantia patris aut filij, ſi propriè loquimur, eſſe dicendus eſt, quod oportet ipſum ex patre vel filio gigni : ſed magis ex ipſis habet procedere, quod eſt Deum ſe per charitatem ad alterum extendere: quodammodo etenim per amorem vnuſquiſque à ſeipſo ad alterum procedit, cum propriè, vt dictum eſt, nemo ad ſeipſum charitatem habere dicatur, aut ſibi ipſi benignus eſſe, ſed alteri Maximè autem Deus cùm nullius indiget erga ipſum benignitatis affectum commoueri non poteſt, vt ſibi aliud ex benignitate impendat, ſed erga creaturas tantum, quæ diuinæ gratiæ beneficijs indigent, non ſolum vt ſint, ſed vt benè ſint. Quo itaque modo Deus à ſeipſo ad creaturas exire dicitur per benignitatis affectum ſiue effectum, cum hoc ipſum quod benignus eſt, aut benignè aliquid ex charitate agit, ſecundum affectum vel effectum quem in creaturis habeat, dicatur. Tunc verò in ſe per benignitatem remaneret ſi ſibi benignus eſſe poſſet, aliquam in ſe beneficentiam exercendo, & aliquod ſibi beneficium impendendo. Ex patre autem ſimul & filio ſpiritus procedere habet, quia bonus ipſe affectus ſiue effectus aliud faciendi vel diſponendi ex potentia ipſius, & ſapientia prouenit : cum ideo ſcilicet velit Deus aliud & faciat, quia & poteſt illud adimplere & ſolerter efficere, niſi enim poſſet aliud fruſtra illud vellet, quia efficacia careret. Et niſi ſolerter ſciret illud efficere, non haberet egregium effectum. Nonnullos autem aliud velle contingit, quod non ſufficiunt adimplere, quod etiam ſi poſſunt,

Digitized by

non ita vt oportet perficere ſciunt, quorumquidem voluntatem tàm impotentia ipſorum quàm inſcientia irrationabilem facit. Vt igitur bona Dei voluntas erga quælibet facienda vel diſponenda omnino ratione prædicta demonſtretur, ex patre & filio, ſicut prædictum eſt, procedere Spiritus ſanctus perhibetur. Sicut igitur ex ære ſigillum æreum habet eſſe, & rurſum ex ære ſimul & ſigillo, id eſt, ſigillabili ſigillans habet eſſe, ſic ex patre ſolo filius habet eſſe, & ex patre & filio Spiritus ſanctus, vt expoſuimus. Et ſicut ſigillum in forma impreſſæ ſibi imaginis conſiſtit, ſic ſolus in forma Dei eſſe dicitur, & figura ſubſtantiæ eius, ſiue ipſa patris imago, id eſt expreſſa eius ſimilitudo nuncupatur: cum ipſe filius tanta patri cognatione, vt ita dicam, ſit vnitus, vt non ſolùm ipſe ſit vnius cum patre ſubſtantiæ, ſed inſuper, vt dictum, eſt ex ipſa patris ſubſtantia. Ad hanc fortaſſis ſimilitudinem, æris ſcilicet & ærei ſigilli, quaſi videlicet informis & formati, Hilarius reſpexit cum, vt dudum ſupra meminimus, filiũ à patre formatum dixit, id eſt eo modo eſſe ſuum habere de patre quo res formata ex ipſa ſuæ materiæ ſubſtãtia dicitur eſſe. Non tamen vllomodo materiã vel materiatum in Deo concedimus eſſe, ſed in creaturis tantum vel mutabilibus rebus quæ ſunt accidentium ſuſceptibiles. Sicut ergo ſigillans eo ipſo quo ſigillans eſt in alterum quiddam mollius cui imprimitur procedit, vt videlicet eius imaginis, quæ in ipſa eius ſubſtantia iam erat, formam illi tribuat: ſic Spiritus ſanctus donorum ſuorum diſtributione nobis infuſus imaginem Dei deletam in nobis reformat, vt iuxta Apoſtolum conformes efficiamur imaginis filij Dei, id eſt Chriſto, *vt ſequamur veſtigia eius qui peccatum non fecit*, & de veteri homine in nouum tranſeamus. Sicut autem æs & ſigillum ſeu ſigillans in ſuis proprietatibus diuerſa ſunt ſecundum modos exiſtentiæ quos adinuicem habent, ita ſcilicet vt nullus ipſorum proprietatem alterius communicet, ſic & Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Verbi gratia, Sigillum æreum ex ære eſt tanquam ex materia materiatum, & æs materia eſt ærei ſigilli, & æreum ſigillum materiatum ex ære, & iſtæ quidem æris & ærei ſigilli proprietates ita intermixtæ ſunt, vt neque æs ſit materiatum ex ære, neque eorum ſigillum materia ſit æris, cum tamen eadem res ſit hoc quod eſt materia ærei ſigilli, vel materiatum ex ære, hoc eſt æs ipſum,

& æreum ſigillum. Sic & in diuinis contingit perſonis. Secundum id quippè, quod diuina ſapientia, vt diximus, ex diuina potentia eſſe habet, illa pater huius, & hæc filius illius dicitur, & in Deo tantumdem eſt dicere patrem, quantum ſi dicamus ſapientiam ex patre genitam. Si ergo dicamus ibi filium eſſe patrem, tale eſt ac ſi dicamus ipſam Dei patris ſapientiam eſſe genitorem ipſius ſapientiæ patris, hoc eſt ſuiipſius, vt ipſa ſcilicet Dei ſapientia ex ſeipſa ſit genita, & ex ſeipſa habeat eſſe. Similiter ſi dicamus in patrem eſſe filium videlicet ſuiipſius tale eſt ac ſi dicamus diuinam potentiam ſeipſam genuiſſe, Quamuis enim idem eſſentialiter ſit æs, quod æreum ſigillum, non tamen ideo quia æreum ſigillum ex ære eſt, æs ex ſeipſo eſſe dicitur, vel quia ipſum poſterius eſt ex ære, ideo poſterius ſeipſo dicitur. Non enim hoc pronomen quod eſt ſui, relationem facere poteſt rectè, niſi vbi res eadem non eſſentialitate tãtum, ſed etiam proprietate nititur. Diuerſa autem proprietate ſunt æs, & æreum ſigillum, vnde non eſt conſequens vt ſi æreum ſigillum ſit ex ære, ideo aliud ſit ex ſeipſo. Sic & quamuis idem ſit pater quod & filius, quia tamen, vt dictum eſt, proprietatibus ſuis adinuicem diſtant, nullatenus procedunt. Quod ſi filius ex patre ſit genitus, vel ex patre habeat, vt dictum eſt, eſſe, ideo concedatur filius ex ſeipſo genitus eſſe vel ex ſeipſo hãbere eſſe. Quod diligenter Beatus attendens Auguſtinus in primo de Trinit. his confirmat verbis. Qui putat eius potentiæ Deum eſſe, vt ſeipſum genuerit, eo plus errat quod non ſolum Deus ita non eſt, ſed nec ſpiritualis creatura, nec corporalis. Nulla enim res omnino eſt, quæ ſeipſam gignat. Sicut igitur in ære & æreo ſigillo abſoluta eorum nomina ſibi per prædicationem coniungũtur, quando videlicet eorum eandem ſubſtantiam eſſe demonſtramus: veluti cum dicimus, æs eſt æreum ſigillum, vel è contrario, & ſimilia, nec tamen eorum relatiua nomina quæ propietates eorum prædicant, ſecundum quas hoc ex illo habet eſſe, ſibi coniungi poſſunt, ſicut materia ærei ſigilli, & materiatum ex ære. Nemo etenim dicit, materia ærei ſigilli eſt materia ex ære, vel materiatum ex ære eſt materia ærei ſigilli, ſicut & in diuinis contingit perſonis. Ipſe etenim omnipotens eſt ſapiẽs ſiue benignus & è contrario, ſed nõ ipſe pater eſt filius, ſcilicet ſui, vel eſt Spiritus ſanctus, cum ipſe videlicet pater non pro-

cedat ex patre hoc eſt ex ſeipſo, vel filio, ſicut & ſpiritus ex patre procedit ſiue filio, non enim quemadmodum bonus Dei affectus ex potentia eius & ſapientia, vt dictum eſt, procedit, ita potentia ipſa ſiue ſapientia ex ſeipſis procedere poſſunt, quod eſſet patrem vel filium eſſe Spiritum ſanctum.

GRÆCI tamen ex patre ſolo, non etiam filio Spiritum ſanctum procedere profitentur, eo ſcilicet quod veritas in Euangelio integrè continente de proceſſione ſpiritus loquens, ſolum patrem commemorat dicens. *Spiritus qui à patre procedit.* Qui etiam ſuper hoc quod à filio eum quoque procedere dicimus, non vehementer, arguunt atque reos anathematis teneri aſſerunt, quod in principalibus Conciliis quæ apud eos celebrata ſunt, ita ſymbola eorum ſubiunctis anathematibus ſancita ſunt, vt nulli de fide Trinitatis aliud dicere, vel aliud prędicare, quàm ibi contineatur, liceat; In quibus quidem ſymbolis cum in proceſſione ſpiritus de ſolo patre commemoretur, quicunque, inquiunt, filium addunt anathema incurrunt. Addunt etiam ad exaggerationem impudentiæ, noſtrę teſtimonium damnationis fidei, quod iuxta traditionẽ prędictorũ Cõciliorũ Leo tertius Romę tranſciptũ in Tabula argentea poſteris reliquit, pro amore, vt ipſemet dicit, & cautela orthodoxæ fidei. In quoquidem ſymbolo ipſe quoque in proceſſione ſpiritus ſolum cõmemorat patrem, his quidẽ verbis. Et in Spiritum ſanctum Dominũ & viuificatorẽ ex patre procedentẽ, cum patre & filio coadorandũ & conglorificandũ &c. In quanta autem reuerẽtia illa principalia Cõcilia tenẽda ſint Beatus diligenter aperit Gregorius, qui ſe ea tanquam quatuor Euãgelia ſuſcipere & venerari profitetur, vnde & eorum verbis, non magis quàm Euangelicis, vel addere aliud vel ſubſtrahere permittit; ita Conſtantino Epiſcopo Mediolanenſi de vno eorum ſcribens. Nos auctore veritate, & teſte conſcientia fatemur fidem Calcedonenſis ſymboli illibatam per omnia cuſtodire, nihilque eius diffinitioni addere, nihil ſubſtrahere audere. Sed ſi quis contra eam eiuſdem ſcilicet modi fidem, ſiue plus minuſue ad ſapiendum vſurpare appetit, eum omni dilatione poſtpoſita anathematizamus, atque à ſinu Eccleſiæ matris alienum eſſe decreuimus. Sed profectò cum interdicitur, ne quis aliter doceat aut prędicet Catholi-

cam fidem quam in prędictis cõtinetur Conciliis, aliter dictum puto non ſecundum verborum diuerſitatem, ſed ſecundum fidei diuerſitatem, Ac ſi dicatur. Aliter; hoc eſt contrario modo, non diuerſo verborum ſono, quia & nos Latinè dicimus quod illi græcè. Sicut ergo diuerſum pro oppoſito dicitur, ita diuerſo modo quod eſt aliter pro oppoſito modo non incõgruè ſumitur. Alioquin cum vnumquodque illorum Conciliorum proprium compoſuerit atque inſtituerit ſymbolũ, ſintque ipſa ſymbola ab inuicem verbis diuerſa, ac fortaſſe quibuſdam ſententiis, cum vnum nonnumquam contineat quod alterum non habeat, profectò anathematis reus eſſet, qui vno recepto cętera ſymbola confitendo recitaret vel reciperet. Eadem ratione rei teneremur ex ſupplemento Euangelii additi, cum in Deuteronomio Moyſes dicat. *Quod præcipio tibi hoc tantum Domino facias, nec quicquam addas vel minuas.* Addi itaque prohibuit contrarium aliquid, non quod perfectioni deeſſet, ſuppleri. Quamuis etiam poſſit intelligi, vt omnino prohibeatur homo ex ſe ipſo verbis aliquid ſupplere. Tunc verò homo ex ſe aliud adderet, ſi hoc ex ſenſu ſuo, non ex inſpiratione ſpiritus præſumeret, de quoquidem ſpiritu eſt ſcriptũ. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Multa etiam de miraculis ſanctorum, & de his quæ ſancti Patres poſt Apoſtolos ſcripſerunt prędicamus. Cum tamen Apoſtolus dicit ad Galathas ſcribens. *Licet nos aut Angelus de cælo Euangelizaret vobis præter id quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit, ſicut prædixi, & nunc iterum dico, Si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Quod autem opponunt græci Euangelicam traditionem ad integram fidei diſciplinam ſufficere, nec quicquam vlterius addendum eſſe, præter ea quę in verbis continentur Euangelicis, in ſe etiam ipſos ſententiam proferunt. Cum autem ſpiritum à ſolo patre procedere, (non enim Euangelium cum à patre procedere ſpiritum dicat ſolo adiungit quod ipſi apponunt, ſed tantumodo à patre dicit,) quærimus etiam & interrogamus eos cum credant Spiritum ſanctum à parte procedere, vtrum credant ipſum à ſolo patre procedere, vel non. Quod ſi ſic, & vera ſit hæc fides, vtique ita eſt quod videlicet à ſolo patre ipſe procedit, & quod ipſi ſuper hoc ſentiunt ſalubriter doceri ſeu confiteri, non eſt incongruum, quod non credi ſit periculoſum

periculoſum, præſertim cum dicat Apoſtolus. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* Sin autem non à ſolo patre ſpiritum procedere credant, cum eum à patre procedere non dubitant, oportet quod tàm à patre quàm filio ſeu ab alio ipſum procedere aſſentiant, & quod neceſſe eſt credi, ſalubre ſit confiteri, ſicut & cætera omnia quæ ad fidem pertinent catholicam. Nec rectæ confeſſioni officit, ſi nonnulla confeſſionis verba in canonicis minimè reperiantur ſcripturis. Ob hoc enim maximè ſymbola conciliorum ſcripturis illis ſunt ſuperaddita, vt illa doceant vel differant quæ ibi apertè non habentur. Quis enim Trinitatem, vel tres perſonas in ea ſibi coæternas & coæquales, quarum vnaquæque ſit Deus in illis ſcripturis dici meminerit, aut Pilatum Pontium appellari, aut ad inferos animam deſcendiſſe Chriſti, & alia quædam quæ in verbis non continentur canonicis? Multa profecto fidei neceſſaria poſt Euangelium ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris addita ſunt, quæ ex verbis Euangelicis minimè comprobantur, ſicut eſt illud de virginitate Matris Domini etiam poſt partum iugiter conſeruata, & de alijs fortaſſe multis. His autem aduerſus Græcorũ obiectionem ſpiritus reſponſis, libet etiam ex ipſorum doctoribus teſtimonia proferre quibus à filio quoquè Spiritum ſanctum procedere doceant. Athanaſius in ſymbolo fidei, Spiritus, inquit, ſanctus, à patre & filio non factus, non creatus, nec genitus, ſed procedens: vbi quidem cum præmiſerit Spiritum ſanctum à patre & filio eſſe atque ſubiunxerit, procedens, manifeſtè docuit eum ab vtroque procedere, cum ad vtrumque procedere ſicut & eſſe retulerit, præſertim cum non aliter à patre ſpiritus eſſe habeat, quàm procedendo. Didimus etiam eorum maximus doctor, in libro de Spiritu ſancto, à filio quoque procedere patenter profitetur dicens, Saluator, qui & veritas, ait: *Non enim loquetur à ſemetipſo*, loquetur, hoc eſt, non ſine me, non ſine meo & patris arbitrio, quia inſeparabilis eſt à mea & patris voluntate, quia ex ſe non eſt, ſed ex patre & à me eſt. Hoc enim ipſum quod ſubſtitit & loquitur à patre & à me eſt illi. *Ego veritatem loquor*, id eſt inſpiro quæ loquor. Siquidem ſpiritus veritatis dicere, & loqui in Trinitate non ſecundum conſuetudinam noſtram accipiendum, ſed iuxta formam incorporalium naturarum & maximè Trinitatis, qua

Digitized by Google

voluntatem ſuam ingerit in corda credentium. Item, Spiritus ſanctus qui eſt Spiritus veritatis, ſpirituſque ſapientiæ, non poteſt audire filio loquente quæ neſcit, cum hoc ipſum ſit quod profertur à filio, id eſt procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens à veritate, conſolator manens de conſolatore. Quæquidem veritas quæ ſit, à qua ipſe procedit, Symbolum Epheſini Concilij (quod etiam Græcorum fuiſſe conſtat) manifeſtè his verbis determinat, Quamuis in ſua ſubſtantia ſit Spiritus filij, & intelligatur in perſona proprietas, iuxta id quod Spiritus eſt, & non filius, non eſt tamen alienus ab ipſo: nam Spiritus appellatur veritatis, & veritas Chriſtus eſt. Itē Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus in Epiſt. VIII. Neſtorio directa, quæ ſic incipit. Reuerendiſſimo & Domino Amantiſſimo, &c. Si eſt inquit, in ſubſtantia Spiritus ſpeciali, vel certè &---- per ſe ſecundum quod Spiritus eſt, & non filius, ſed tamen eſt non alienus ab eo. Spiritus enim veritatis nominatur & profluit ab eo, ſicut denique ex Deo patre. Ioannes Chryſoſtomus Homilia xxvii. de expoſitione ſymboli quæ ſic incipit. Vniuerſalis Eccleſia congaudet. Iſte eſt ſpiritus procedens de patre & filio, qui diuidit propria dona vt vult. Idem Homilia xxviii. in alia expoſitione eius ſymboli quæ ſic incipit. Super fabricam totius Eccleſiæ. Itaque credendum eſt Spiritum ſanctum patris eſſe & filij. Item, Iſtum Spiritum ſanctum dicimus Patri & filio eſſe coæqualem, & procedentem de patre & filio. Hoc credite ne colloquia mala corrumpant mores veſtros bonos. Item, Videte vbique ſacramentum Trinitaris, ecce & in Spiritum ſanctum credimus, qui Spiritus procedens de patre & filio charitate coniungitur. Auguſtinus libro quæſtionum ad Oroſium cap. 11. Spiritus Dominus noſter ille Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, vt oſtenderet à ſe procedere Spiritum ſanctum ſicut à patre, inflans in diſcipulos ſuos ait. *Accipite Spiritum ſanctum.* Idem lib. IV. de Trinit. Nec poſſumus dicere, quod Spiritus ſanctus à filio non procedat, nec enim fruſtra idem ſpiritus & patris & filij & ſpiritus dicitur, nec video quid aliud ſignificare voluerit cum ſufflans ait. *Accipite Spiritum ſanctum.* Neque enim flatus ille corporeus ſubſtantia ſpiritus ſancti fuit, ſed demōſtratio, & à filio procedere ſpiritum ſanctum. Item in libro de Trinit. Sicut vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine ſapientiæ, cum

Digitized by Google

ſit vniuerſaliter, & Spiritus ſanctus, & pater ipſa ſapientia, ita ſpiritus propriè vocatur vocabulo charitatis, cum ſit & pater & filius vniuerſaliter charitas. De vtroque autẽ procedere ſic docetur, quia ipſe filius ait *de patre procedit*, & diſcipulis ſuis inſufflauit, & ait. *Accipite Spiritum ſanctum*, vt eum etiã de ſe procedere oſtẽderet, & ipſa eſt *virtus quæ de illo exibat & ſanabat omnes*, ſicut legitur in Euangelio. Quippè cũ ſpiritus quaſi ſpiramen à ſpirando dictus ſit, & æquè ipſe tàm patris quàm filij ſpiritus appelletur, quis rectè abneget ab ambobus eum procedere, à quibus tamquam amborum ſpiritus eſſe habet, atque ſpirare? Propriè tamen ſeu principaliter eum à patre procedere non negamus. Vnde Hieronymus diffinitionem Catholicæ fidei Nicenique ſimboli exponens ait, Credimus & in ſpiritum ſanctum qui de patre procedit propriè. Item, Spiritum ſanctum verum Deum inuenimus in ſcriptura, & de patre propriè eſſe. Et iterum, De patre & filio & ſpiritus propriè & verè procedit. Primum igitur accipe quod de patre eſt propriè Spiritus ſanctus, dicente ſcriptura. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, Et ſpiritu eius omnis virtus eorum.* Et Saluator ait. *Spiritus veritatis qui à patre procedit.* Et B. Auguſt. in xv. de Trinit. cap. xviii. Non fruſtra in hac Trinitate dicitur, verbum Dei niſi filius, nec donum Dei niſi Spiritus ſanctus. Nec de quo genitum eſt verbum, & de quo procedit principaliter ſpiritus ſanctus, niſi Deus pater. Idem de verbis Domini, ſermone ix. Et Spiritus sãctus principaliter de illo procedit de quo natus eſt filius. Ideo autẽ addidi principaliter, quia & de filio ſpiritus sãctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi dedit non iam exiſtenti, licet nondum habenti. Sed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo bonum cõmune procederet. Ac ſi apertè Auguſtinus his verbis determinet per hoc ſpiritum ſanctum principaliter ex patre, & non principaliter ex filio, quia ſic ex patre procedit, quaſi primo loco, cum eum pater ab alio non habeat, ſed à ſeipſo ſicut & à ſe ipſo eſt, hoc eſt non ab alio. Filius verò cum à ſe non ſit, ſed à patre, etiam ipſum ſpiritum à patre, habet, à quo per generationem eſſe habet. Sed quid eſt quod dictũ eſt, propriè ſpiritum ex patre procedere? Nũquid propriè ibi dictum ſicut hoc loco principaliter? Et fortaſſe eodem modo dici videri poſſet, niſi quod ibi interſeritur, quod

& filius ex patre natus ſit propriè, ſicut & ſpiritus ex patre propriè dicitur eſſe. Dictum quippè ibidem eſt, Filius non ex ſemetipſo natus eſt, ſed ex patre natus eſt propriè: non in tempore, ſed ſemper: non aliundè, ſed de vna ſubſtantia, non de aliena, ſed de ſua propria. At verò ſi eodem modo tàm in filio quàm in Spiritu ſancto accipitur propriè, cùm hîc ſcilicet propriè naſci ex patre, & ille procedere dicitur propriè ex patre, & tale ſit dicere propriè ac ſi diceretur principaliter, quomodo filium ex patre principaliter naſci dicemus, cum ex eo ſolo natus ſit? Niſi forte cum ibidem ſtatim additum, ſit non in tempore, ſed per reſpectum temporalis generationis eiuſdem filij ex matre, id dictum eſt, vt videlicet hæc principalis & prima ſit, quæ eſt æterna, per quam ab æqualitate patris non receditur; illa verò quaſi poſterior & temporalis, ſecundum quam minor patre ipſe filius dicitur. Poſſumus etiam dicere in eo filium ex patre propriè natum eſſe ſiue genitum, quod naturalis ſit eius filius, non adoptiuus, ſicut & ſtatim determinatur, cum ſubditur non aliundè, ſed ex ſua ſubſtantia. Sed & ſecũdum hoc quod iuxta Philoſophos nata ſiue genita omnia dicuntur, quæ ab aliquo habent eſſe, propriè filius ſolus ex patre natus eſt, quia ſolus ipſe naſcendo ex ipſa patris ſubſtantia eſt. Spiritus verò ſanctus ſecundum hoc ex patre ſolo procedere propriè dicitur, quod ab eo ſic procedit, quaſi à ſummo principio, qui videlicet ab alio non eſt. Inde enim aliquid propriè procedere dicitur, vnde primo venire ac moueri cœpit, ſicut locus ex fonte, nõ ex riuo, ſed per riuum procedere dicitur, in quem ſcilicet riuum aqua ipſius lacus de fonte prodiens per eum tranſit ac peruenit in ſtagnum. Sic & Spiritus ſanctus ex patre propriè procedere dicitur, quaſi à ſumma origine, quæ ſcilicet aliundè non ſit, & ab ipſo in filiũ, quaſi in riuum, quia & quod habet filius ab ipſo habet à quo. & hoc ipſum habet quod ipſe eſt, & per filium ad nos tandem quaſi in ſtagnum huius ſeculi. Quippè qui omnia in ſapientia facit ac diſponit, in hac ipſa ſapiẽtia ſua Spiritum tribuit ſuorum diſtributorem donorum, non improuidè vel inconſideratè. Vnde & B. Hilarius ſpiritum à patre per filium magis quàm à patre & filio procedere ſeu eſſe, ſicut & mitti perhibet, ita & ad Deum patrem de Spiritu ſancto & filio loquens in XII. de Trinit. libro. In ſancto ſpiritu tuo ex te profecto

Digitized by Google

& per eum missо. Item, Ex te per eum sanctus Spiritus tuus est. Item, Filium tuum vnà tecum adorem, sanctum Spiritum tuum qui ex te per vnigenitum tuum est, promereat. Et hoc fortasse modo, si à solo patre procedere spiritum Græci intelligant, eo scilicet quod sic ab ipso sit, quasi à summo & non existente ab alio, nulla est sententiæ controuersia, sed verborum diuersitas. Certum quippè est & solam personam patris hoc modo summam debere prædicari, & spiritum quoque ab ipso esse sicut à filio, qui ipsius quoque sicut & filij spiritus dicitur. Quod verò nonnulli mouentur, ex eo quod dicimus filium à patre per generationem esse, & spiritum à patre & à filio per processionem, nec tamen ideo patrem per existentiam priorem esse filio, vel patrem & filium Spiritu sancto, potest ex multorum similitudine exemplorum refelli. Solis quippè substantia est & splendida & illuminabilis, id est potens illuminare aliquid, & cùm sit splendor ex sole, & illuminabilitas ex sole simul & splendore, nunquam tamen ex his tribus aliquod per existentiam aliquod illorum præcesserit.

SED & si quis illam Philosophicam Platonicæ rationis considerationem altius inspiciat, quæ videlicet de Deo opifice ad similitudinem quandam solertis opifeis vel artificis agit, præmeditantis scilicet & deliberantis ea quæ facturus est, ne quid inconuenienter componat, & prius singula ratione, quam opere formantis. Ad hunc quippè modum formas Plato & exemplares in mente diuina considerat; quas ideas appellat, & quas postmodum quasi ad exemplar quoddam summi artificis prouidentia operata est, videlicet Spiritum sanctum ex filio quoque siue per filium rectè procedere, cum ex ratione sapientiæ, vniuersa Dei opera administrentur, & ita quodammodo conceptus diuinæ mentis in effectum per operationem prodeat. Effectus autem ad spiritum pertinent, qui ex bonitate conditoris eueniunt, quia spiritus ipse bonitas est. Dicamus itaque Spiritum ex filio quoque procedere, cum ratio diuinæ prouidentiæ ad effectum benignitatis perducitur, & quod ab æterno faciendum præuiderit temporaliter quando vult facit. Hanc autem conceptionem qua scilicet conceptus mentis in effectum operando prodit, Priscianus in primo constructionum diligenter aperit, dicens; generales & specia- XVI.

Digitized by Google

les formas rerũ intelligibiliter in mente diuina cõstitiſſe, antequã in corpora prodirẽt, hoc eſt in effecta per operationem, quod eſt dicere, ante prouidit Deus quid & qualiter ageret, quàm illud opere compleret. Ac ſi diceret. Nil impręmeditatè ſiue indiſcretè egit.

XVII. MACROBIVS quoque ipſam animam mundi, etiam quam putamus Spiritum ſanctum intelligi ex Noũ, hoc eſt filio præcipuè eſſe declarat, cum apertè eam à Nῶ creatam ſiue natam, ſicut & ipſam Noym à Deo patre eſſe profitetur, ita generaliter de origine animæ exorſus. Deus qui prima cauſa & eſt, & vocatur; vnus omnium quæ ſunt quæque videntur eſſe, princeps & origo eſt. Hic ſuperabundantis maieſtatis fœcunditate de ſe mentem creauit. Hæc mens quæ Noũς vocatur qua patrem incipit, plenam ſimilitudinem ſeruat auctoris. Animam verò de ſe creat, poſteriora reſpiciens. Rurſum anima qua patrem intuetur, ac paulatim redigente reſpectu in fabricã corporũ incorporea ipſa degenerat. Creari autẽ ſiue naſci hoc loco Macrobius abuſiuè protulit, ſicut & in primo lib. determinauimus, cũ videlicet tàm mentẽ ipſam quàm animã ipſam creatam dixit. Mentem quidẽ ex Deo, hoc eſt filium ex patre, & animam ex mente, hoc eſt ſpiritum ex filio, vbi & vtram natã eſſe inſinuat, cum vtrique patrem aſſignat, Deum quidem menti, & rurſum mentem ipſam animæ. Creari itaque ſiue naſci eſſe ex aliquo intelligitur, vt tale ſit quod ait, hoc ex illo naſci ſiue creari, quaſi ſimpliciter diceret hoc ex illo eſſe. Sufficit autem Philoſopho ad oſtendendam animã ipſam tam ex patre quam ex filio, memoraſſe ſolum hoc loco filium, quia cum filius ex ipſo patre ſit, & ſpiritus ipſe, hoc eſt anima ipſa ex filio eſſe aſſignatur, liquet profectò ipſam quoque ex patre eſſe, ſcilicet quod & ipſa eam Philoſophus à Deo & Nῶ iuxta ſapientes nominari ſupra inductus aſſerit. Quod verò ait mentem eſſe ex fœcunditate maieſtatis, tale eſt ac ſi diceret, ſapientiam ex ipſa omnipotentia eſſe natam. Propriè namque maieſtas ac reuerentia potentiæ aſcribi ſolet. Quod verò dicit, Mens, qua patrem inſpicit, ſimilitudinem ſeruat auctoris, ita dictum puto, ac ſi apertè dicat filium ipſum in omni re in qua ſimilis eſt patri, æqualem omnino illi eſſe. Potens quippè eſt ſicut & pater, & tantumdem potens bonus eſt ſicut & pater & ęquè bonus. Sic & in cęteris, in quibus habet

Digitized by Google

ſimilitudinem cum patre, & æqualitatem habet; non autem in omnibus ſimilitudinem habet cum patre, cum ipſe ſolus ſit genitus, & ipſe pater ſit genitor. Quodquidem ad diſtinctionem perſonarum attinet, ſecundum proprietates earum ſecũdum nos etiam qui ſolum filium incarnatum credimus, in hoc vno filio minorem patre, non æqualem dicemus. Noũs poſteriora reſpiciens, animam creat, quia Spiritus ſanctus qui ex filio eſt, ſiue quæcumque anima ab ipſo conditore ſuo ducens exordium, hoc ipſum quod anima eſt, hoc eſt vita creatarum rerum ex reſpectu quod ipſius creatoris habet, hoc eſt ex beneficio diuinæ ſapientiæ cuncta diſponentis, vt in ipſo reſpectu Dei diuinum intelligatur beneficium. Anima quippè ab animando, hoc eſt viuificando dicta eſt. Spiritus quidem ſanctus (vt in primo libro diſtinximus) quaſi anima eſt, hoc eſt animarum noſtrarum, & noſtræ animæ quaſi quædam eius corpora ſunt ab ipſo ſcilicet donis ſuæ gratiæ vegetata. Quas rurſus animalem vitam nobis certum eſt impertire patrem ſuũ id eſt Noũν dicit animam indui in ea ſua qua intuetur, hoc eſt ratione vtitur, quia ex ratione quam habent maximam ſimilitudinem cum diuina ſapientia tenet, cum ratio maximè ſit aſcribenda ſapientiæ, paulatim anima in corpora reſpicit, quia ad comparationem plenitudinis illius ſummi boni, modicum eſt quicquid habemus, quantacumque dona virtutum ab ipſo ſuſcepimus. Poſſumus etiam in eo paulatim intelligere dictum eſſe, quod quibuſdam gradibus per interualla temporum, animus ad maxima ſpiritus ſuos fideles promoueat, nec ſua ſimul conferat dona: degenerare dicitur anima in ipſo ſuę operationis effectu, ex quo anima dicta eſt, cum non ſit hoc æternum, ſed temporale quod operatur. De quo ni fallor, illud facille eſt abſolui, quod Plato animam mundi incępiſſe voluerit, nec coęternam Deo & menti. Cũ enim Spiritũ ſanctũ animam magis quàm ſpiritum appellauerit, quaſi ab animando, hoc eſt viuificando nos donis ſuæ gratiæ per incrementa virtutum, non ſemper ille ſpiritus anima fuit, ideſt viuificans; quia dum nondum creaturæ eſſent, quibus dona ſua diſtribueret, in illas bonorum ſuorum diſtributionem non exercebat. Sicut ergo Spiritum ſanctum (qui in ſe eſt omnino ſimplex,) multiplicem tamen dicimus, & ſeptem ſpiritus appellamus, ſecundum diuerſitatem donorum, ita & philoſophus

eundem qui in eſſentia propria æternaliter ſubſiſtit, incœpiſſe quantum ad effecta ſua voluit, ex quibus eum animam magis quam ſpiritum appellauit. Spiritus quippè nomen eſt naturæ, anima verò officij, ab animando ſcilicet. Sicut ergo ipſos cœleſtes ſpiritus ſemper quidem ſpiritus, ſed non ſemper Angelos eſſe profitemur, eo quod Angelus nomen ſit officij, non naturæ, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſecundum humanitatem incœpiſſe, ſecundum verò diuinitatem, æternum eſſe prædicamus: ita & Spiritum ſanctum ſecundum ſubſtantiam eſſentiæ ſuæ æternum, ſecundum effecta verò incœpiſſe dicamus, quod eſt dicere effecta potius quàm ipſum incœpiſſe. Et hunc quidem Philoſophi ſenſum eſſe arbitror, ſub illo animæ typo, quod eam creaturam eſſe, id eſt incæpiſſe perhibet, & quaſi temporalem eſſe, non æternam. Iuxta quod & Macrobius animæ ipſi tam Deum quam Νοῦν proferre non abhorreret. Vocet itaque Plato Spiritum ſanctum animam ſecundum effectum operum. Nos verò dicamus Spiritum ſecũdum naturalem ſuæ bonitatis affectum, quem ita ab æterno habuerit, vt ex opere eum impleret quando eum implendum eſſe prouidit. Dicat ille animam incœpiſſe ſecundum effecta, nos verò ſpiritum in affectu ſuæ bonitatis æternaliter perſeuerare. Dicat ille animam incœpiſſe, nos ſpiritum omnino æternum eſſe. Sit proceſſio ſpiritus ſecundum affectum æterna, quia ſcilicet ab æterno ſic voluit. Sit proceſſio animæ ſecundum affectum temporalem. Vtramque ſpiritus proceſſionem, tam ſecundum efficaciã ſcilicet, quàm ſecundum effectũ à ſanctis Patribus diſtinctam eſſe cognouimus. De proceſſione quidem efficaciæ, Beda in Homilia Dominicæ primæ poſt Aſcenſionem, ita loquitur. Cùm ſpiritus gratia datur hominibus, profectò ſpiritus mittitur à patre, mittitur & à filio: procedit à Patre, procedit & à filio, quia & eius miſſio, ipſa proceſſio eſt, quia ex patre procedit & filio. Ipſe autem Auguſtinus vtrumque proceſſionis modum diligenter diſtinguit, cum eum procedere perhibet, tàm ſecundum hoc quod datur, quã ſecundũ hoc quod dabilis eſt. Vnde lib. v. de Trin. Cum ad proceſſionem ſpiritus peruenisſet, ait, procedit non quomodo natus, ſed quomodo datus. Quod autem datum eſt, & ad eum qui dedit, refertur, & ad eos quibus dedit. Sed ſi non procedit, niſi cum datur, nec procederet vtique prius quàm

quàm eſſet cui daretur. Nam donum poteſt eſſe & antequam detur, donatum autem niſi datum fuerit, nullo modo dici poteſt. Quid itaque mirum cum duobus modis ſpiritũ procedere dicamus, ſi ſecundum alterum proceſſionis modum dicatur ſpiritus à nobis, & ſecundum alterum vocatur anima à Philoſophis? Illud ergo ſpiritus æternaliter, hoc temporaliter habet, vnde & ſtatim in eodem idem annectit dicens. Nec moueat quidem ſpiritus ſcilicet cum ſit coæternus patri & filio. Dicatur tamen aliud ex tempore, veluti hoc ipſum quod donatum, nam ſempiternè ſpiritus donum, temporaliter autem donatum. Nam & ſi Dominus non dicitur, niſi cum habere incipit ſeruum, etiam iſta appellatio relatiua ex tempore eſt Deo. Non enim ſempiterna creatura eſt, cui eſt ille dominus. Item ecce dominum, ecce non ſempiternum habet, ne cogamur etiam dicere creaturam ſempiternam, quia ille ſempiternè non dominaretur, niſi etiam iſta ſempiternè famularetur, qui etiam in eodem hoc in ſuperiori, c. Spiritum etiam ſanctum effecta manifeſtè vocat, cum ei principium aſſignat, Ait autem ſic. Quod datum eſt, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit. Ita Spiritus ſanctus dicitur & Dei qui dedit, & noſtri qui accipimus. Vnde ſcriptum eſt de Ioanne, quod *in ſpiritu Heliæ veniet.* Hoc & de Moiſe intelligendum eſt, cum ait ei Dominus. *Tollam de ſpiritu tuo, & dabo eis*, hoc eſt de Spiritu ſancto quem tibi dedi. Si ergo & quod datur principium habet eum à quo datur, quia non aliundè accepit illud quod ab ipſo procedit, fatendum eſt patrem & filium principium eſſe Spiritus ſancti, tamen non duo principia, ſed vnum principium. Liquet itaque Auguſtinum hoc loco ſpiritum accepiſſe ſecundum effecta cum dicit, Datum magis quam ſecundum naturalem ſuæ bonitatis affectum vel benignitatis. Vnde benè ſecundum effecta pater & filius priores ſpiritu dicuntur, & quaſi principium eius, quia ex potentia moderante ſapientia effectus gratiæ deſcendit, ex quo etiam ſpiritus hoc loco appellatur, & prius potentiam & ſapientiam eſſe oportet, vt poſtea aliud in effectum ducatur. Talè eſt ergo patrem & filium eſſe principium Spiritus ſancti, ac ſi dicamus ſpiritum ex ambobus per effectum procedere, hoc eſt potentia Dei moderante eius ratione ad auctum perducti. Et hoc quidem modo

ſi quis nomen ſpiritus accipiat, ſecundum ſcilicet ſuæ gratiæ effecta, non rectè dicitur ſpiritus æternus, ſicut nec Dominus aut creator, quia vt diximus, non ſemper ſpiritus ſecundum effecta extitit, vnde & benè Euangeliſta Ioannes ab æternitate Dei inchoans, cum verbum apud Deum æternaliter oſtenderet dicens. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Et, *Omnia per ipſum facta ſunt*, nullam ſpiritus mentionem habuiſſe videtur, qua eum eſſe æternum aſtrueret, cum de Deo & verbo eius loquens; patri & verbo ſolummodo æternitatem aſcribit, dicens. *Hoc erat in principio apud Deum.* Qui in eo fortaſſe quod ſubiunxit de effectu operum dicens. *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſpiritum deſignaſſe videtur ſecundum effecta ipſa quæ ſua Deus condidit bonitate, ſecundum quæ, vt diximus, æternus non eſt ſpiritus, id eſt datus, ſicut nec anima mundi quam Plato dicit. Nec mirum locum Euangeliſtæ maximè cum Platone conuenire, cum totam verborum iſtorum ſententiam in libris Platonicorum, Auguſtinus, vt ſupra meminimus, inuenerit. Sunt autem nonnulli qui charitatem Dei non ſolùm ad creaturas porrigi, verum etiam ab vna perſona in alteram, vt videlicet amor patris in filium, vel filij in patrem ſpiritus ipſe ſit. Quod apertè Auguſtinus in xv. de Trinit. aſtruit his verbis. Deniquè ſi in donis Dei nil maius eſt charitate, & nullum maius donum Dei eſt quam Spiritus ſanctus, quid conſequentius quam ipſe ſit charitas quæ dicitur Deus, & ex Deo? Et ſi charitas qua pater diligit filium, & patrem diligit filius ineffabiliter, communionem amborum demonſtrat, quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur charitas, qui ſpiritus eſt communis ambobus? Hinc eſt & illud Hieronymi ſuper ſeptimũ Pſalmum. Spiritus ſanctus nec pater eſt, nec filius eſt, ſed dilectio quam habet pater in filio & filius in patre. Quod fortaſſis ideo maximè dicendum videtur & tenendum, vt videlicet amor quoquè patris in filium vel filij in patrem, dicatur Spiritus ſanctus, & non tantum amor ad creaturas, quod fortaſſis aliter videretur Spiritus ſanctus poſſe non eſſe, ac per hoc non neceſſario eſſe ipſam Trinitatem. Poſſet quippè eſſe vt nulla creatura vnquam eſſet, cum nulla ex neceſſitate ſit, ac per hoc conſequens videretur, vt iam nec effectus ipſius quẽ videlicet erga creaturas habet ex neceſſitate ſit, ac per hoc ſpiritus ipſe ex

Digitized by Google

neceſſitate non ſit quem dicimus Dei ipſum affectum eſſe ſiue amorem. At verò ſi amorem Dei non ſolũ erga creaturas, verũ etiam vnius perſonæ erga alteram accipiamus, hoc inconueniens euitamus apertè. Ac fortaſſe cum creaturæ ipſæ ex neceſſitate non ſint, quia ſcilicet quantum ad propriam naturam non eſſe poſſunt, amor tamen Dei erga illas ita neceſſario habet eſſe, vt abſque illo Deus eſſe non poſſit omnino, cum videlicet ipſe ex propria natura tàm hunc amorem ſuum quàm quodlibet bonum ita habeat, vt eo carere nullatenus poſſit, quem nullatenus aut minus bonum quàm eſt, aut maius bonũ poſſe eſſe conſtat. Sed de hoc plenius tractandum poſtmodũ reſeruamus, cum de diuina potentia principale tractandi ſe obſtulerit negotiũ. Donum tamen patris quantum ad filium, vel filij quantum ad patrem nequaquam dicendum eſſe arbitror ſpiritum, quia nequaquam dari ei poteſt, cui abeſſe non poteſt, hoc eſt cui neceſſariò ineſt, qui neceſſariò vtriuſque eſt ſpiritus.

XVIII. Non arbitror autem hoc quoque ab hac quæſtione alienum eſſe, Quomodo ſcilicet hanc fidem Trinitatis ſoli Chriſtiani teneant, & non etiam vel Iudęi vel Gentiles. Cum enim Deum eſſe patrem & filium & Spiritum ſanctum tale ſit, vt diximus Deum eſſe potentiam, vt dictum eſt, generantem, & ſapientiam genitam, & benignitatem procedentem, cum iſtud nemo diſcretus ambigat, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis, nemini hæc fides deeſſe videtur, quod & nos quidem concedimus, ſequentes Apoſtolum qui ait. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, ac ſi diceret, Quod ad diuinitatem pertinet, ratione perceperunt, quia hoc de Deo ratio naturaliter vnumquemque edoceat. Vnde & ſuperius cum Platonicorum ſententias de verbo Dei Auguſtinus præſentaret, ſolum quæ ad diuinitatem verbi pertinent ſe in eis reperiſſe confirmauit, & nil de incarnationis myſterio, in quo totam ſalutis humanæ ſummam conſiſtere certum eſt, ſine quo cætera fruſtra creduntur. Facilè autem conuinci poterit eos quoque qui noſtra de fide verba abhorrent, cum videlicet audiunt Deum patrem, & Deum filium, in ſenſum verborum nobis eſſe coniunctos. Interrogemus enim eos ſi ſapientiam Dei credant, de qua ſcriptum eſt. *Omnia in ſapientia feciſti*, & ſtatim reſpondebunt ſe credere. Infetamus deindè conue-

nienter eos in hoc ipso filium Dei sicut & nos credere, cum nos videlicet idem intelligamus per verbum siue per filium Dei, quod illi per sapientiam Dei. Quisquis autem filium esse recipit, vtique & eum cuius est filius, esse non dubitat, hoc est patrem. Spiritum quoque simili ratione eos credere conuincemus, si eis quid in hoc nomine intelligamus exposuerimus, ipsam scilicet diuinæ gratiæ bonitatẽ. Hinc autem facilè occasionem sumi arbitror, conuertendi ad fidem nostram quoslibet alienos, si huiusmodi inductionibus eos iam communem nobis sensum fidei habere conuicerimus. Quam licet ore non confiteantur, sicut nos, propter ignoratam scilicet verborum nostrorum significationem: corde tamen iam tenent, sicut scriptum est, *Corde creditur ad iustitiam.*

LIBER TERTIVS.

EXPEDITIS his quæ ad singularem Christianæ fidei professionem attinere videntur, de discretione videlicet trium personarum in vna eademque penitus ac simplici diuinitatis substantia, iuuat in huius summi boni perfectione contemplanda mentis aciem altius imprimere, ac diligentius singula replicando quæcumque aliquid quæstionis habere videntur, verisimilibus & honestissimis rationibus diffinire, vt quo amplius innotuerit huius summi boni perfectio, maiori vnumquemque ad se trahat desiderio. Ac primo de vnitate diuinæ substantiæ, postmodum de personarum recapitulandum est Trinitate. In superioribus itaque Libellis ad nostræ fidei professionis defensionem elaboratum est, hîc verò ad ipsius amplificationem elaborandum.

PRIMA igitur sit de ratione credendi vnum Deum discussio, & quod vnum magis quàm plures attineat credi, vbi & prima se ingerit quæstio, an humana etiam ratione diuina celsitudo indagari potuerit, ac per hanc à creatura sua creator recognosci, an potius ipse Deus signo aliquo sensibili suam ei notitiam primum exhibuerit, velut in angelo vel in quocũ- I.

Digitized by Google

que ei Spiritu primitus apparens, ſicut de primis legitur parentibus, quibus in Paradiſo locutus fuiſſe perhibetur. Et fortaſſis ita primo factum eſt, vt in aliqua ſcilicet viſibili ſpecie inuiſibilis creator ipſe homini ſe reuelaret. Si tamen vim ipſam rationis diligentius attendamus (cuius proprium eſt omnem tranſcẽdere ſenſum, & ea veſtigare quæ ſenſus non valet attingere) profectò quantocumque res ſubtilioris eſt naturæ, & à ſenſu remotior, tanto rectiùs ſe rationis iudicio, & magis in ſe rationis ſtudium prouocare debet. Vnde etiam cum per inſigne rationis imaginis Dei ſpecialiter homo comparetur, in nihil aliud homo proniùs eam figere debuerat, quàm in ipſum, cuius imaginem, hoc eſt expreſſiorem ſimilitudinem per hanc obtinebat, & in nullã fortaſſe rem percipiẽdam pronior eſſe credenda eſt, quam in eam cuius ipſa amplius adepta ſit ſimilitudinem. Facilè quippè eſt ex ſimilibus ſimilia conijci, & quo quiſque alteri ſimilior, facilius ex ſeipſo ad eius notitiam pertingere valet, cui eſt ipſe per naturam vicinior. Quod ſi & in hæc ipſa quoque ſenſuum experimenta neceſſaria videntur, vt videlicet à ſenſibilibus ad intelligibilia duceretur, facilè etiam erat, vt omnium optimus conditor atque diſpenſator Deus, per ea quæ tàm mirabiliter & facit & ordinat, ex ipſis ſuis quantus ſit operibus indicaret, quia & per qualitatem operum quæ videntur, abſentis artificis induſtriam diiudicamus. Hoc quidẽ modo & ipſe perhibet Apoſtolus, Deum ſui notitiam reprobis quoque contuliſſe, iuxta quod ad Romanos ſcribens, inexcuſabilem omnẽ hominem eſſe conuincit, & de contemptu ſui conditoris eſſe arguendum, cùm eius notitiam lex ipſa naturalis (quæ in ratione conſiſtit) etiam ſine ſcripto ex ipſa operum eius exhibitione omnibus afferret. Ait quippè ſic. *Reuelatur ira Dei de cœla ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorm qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis reuelauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, itaut ſint inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Et poſt aliqua. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas*, hoc eſt, qui rationis veteris iudicio in bonis & malis diſcernendis, atque in ipſis creatoris & creaturarum diſcutiendis naturis. Vnde &

Salomon nonnullos mundi ſapientes ſe vehementer admirari inſinuat, quomodo ſcilicet mundum ratione veſtigauerunt, naturamque ipſius per ſingulas ipſius partes diſſerere conati ſunt, nondum creatorem ipſius animaduertentes, quem faciliùs ratione percipere poterant. Si enim, inquit, ratione tantum potuerunt ſcire vt poſſent exiſtimare ſeculum, quomodo ipſius mundi Deum & creatorem non faciliùs inuenerunt? Hoc & ille maximus Latinorum Philoſophorum Tullius diligenter intuitus, cum non ſolùm optimè factum, verumetiam optimè diſponi mundum conſpiceret, prouidentia id potius agi, quam fortuitu confirmans, tàm ſuam in hoc, quàm cæterorum rationem expoſuit Philoſophorum. Vnde eſt illud in primo Rethoricæ: Melius, inquit, accurantur ea quæ conſilio geruntur quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Domus ea quæ ratione geritur, omnibus eſt inſtructior rebus, & apparatior quàm ea quæ temerè & nullo conſilio adminiſtrãtur. Exercitus is cui eſt præpoſitus ſapiens & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quàm is qui temeritate vel ſtultitia alicuius adminiſtratur. Eadem nauigij ratio eſt. Hoc itaque propoſito & collatione ſimilitudinum conuenienter aſtructo, aſſumptionem ſtatim aggregans ſyllogiſmi. Nil autem, inquit, omnium rerum melius quàm omnis mundus adminiſtratur. Nam & ſignorum, inquit, ortus & obitus definitum quemdam ordinem ſeruant, & animæ commutationes non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, verum ad vtilitates quoque rerum omnium ſunt accõmodatæ, & diurnæ nocturnæque viciſſitudines nulla in re mutatæ vmquam nocuerunt, quæ ſigno ſunt omnia non mediocri quodã conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quod ſi melius, inquit, geruntur ea quæ conſilio, quã quæ ſine cõſilio adminiſtrantur, nil autem omnium rerum melius quàm omnis mundus adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur. Quanta autem ratione cuncta in mundo fiant ac diſponantur, maximus omniũ Philoſophorum Plato diligenter attendens ait. Nihil fit cuius ortũ non legitima cauſa & ratio præcedat, quæ enim quantũ ad nos fortuita dicũtur atq; inopinatè prouenientia, certis in Deo rationis legibus fixa ſunt, atque optimo quoque fiunt conſilio. Hæc verò quæ optimè cuncta fiunt ac diſponuntur, conſilium, alij Deum,

Digitized by Google

alij natutam ipſam rerum, alij mentem ſeu animam mundi vocare conſueuerunt. Omnes autem id ſummum bonum eſſe intellexerunt. Quod profeſſus eſt Socrates. primus autem omnium Anaxagoras, inter vniuerſos Philoſophos diuinum animum omnium effectorem naturarum ſenſiſſe perhibetur, ſicut in VIII. de Ciuit. Dei Beatus commemorat Auguſtinus. Vnde & illud eſt in Epiſtolis eiuſdem ad Macedonium. Non propterea veritas chara eſſe debet quia non latuit Anaxagoram, ſed quia veritas eſt, & ſi nullus eorum cognouiſſet, facilè autem illud quoque ratione conuinci poterat, mundum ipſum etiam & quæ in eo ſunt à ſe ipſo non eſſe, nec per ſe ſubſiſtere: ſed ab alio quocumque longè cunctis excellentiore, cuncta optimè tàm fieri quam regi. Quippè quod à ſe ipſo eſt, natura dignius eſſe conſtat quàm quod ab alio eſt. Et omne quod rationis atque intelligentiæ capax eſt, vniuerſis alijs excellentius eſſe inuenitur. Non enim oportet rationalem ſubſtantiam ab alio eſſe concedi, ſi ratione carentem à ſe eſſe ponamus, nemo enim noſtrum eſt qui ſe ipſum ignoret à ſe minimè eſſe, ſed ab alio gigni. Quomodo igitur ea quę ratione carent, ab alio eſſe negabimus? Partes itaque mundi quæ naturaliter priores ſunt, factas eſſe conuenit, ac per hoc ab alio mundum exordium ducere atque factum eſſe. Quippè quem etiam propter hominem factum eſſe conſtat, cui ſingulis ſuis partibus deſeruit, longè indigniorem eo eſſe conuenit, ac per hoc minimè concedi oportet hunc non eſſe factum, cum ille factus ſit, multominus etiam conuenit vt ſuo regimine rationalia quàm nõ rationalia nitantur. Hominem autem (quamuis rationalis ſit) nequaquam ſuo regimini ſufficere cõſtat, cum ſeipſum quomodo vult in huius vitæ pelago regere non valet. Multo igitur minus regimini proprio committi cõuenit quę quaſe regere poſſint ratione carere certum eſt. Id verò eſt mundus ſiue ſingulæ particulæ, & his quidem vel conſimilibus rationibus omnia quæ in mundo ſunt conditorem ſiue rectorem habere manifeſtum arbitror, quem nos Deum dicimus.

II. De cuius nunc vnitate ſupereſt diſputare, vt magis videlicet vnum conditorem ac rectorem mundo præeſſe conueniat quàm plures: atque vnum potius Deum ac dominum omnium, quàm plures credi oporteat. Certum quippè eſt omnia

tanto maiori concordia regi, quanto paucioribus cura regiminis eorum commissa est. Nihil autem melius aut maiori cõcordia regi quàm mundum constat vniuersum, sicut supra Tulliana exposuit ratio. Vni igitur rigimini subiectum est. Nihil quippè, vt dictum est, maiori concordia quàm mundus regitur, nec etiam res ea quelibet cui vnus tantum prefidet rector. Nullo itaque modo pluribus rectoribus mundus subiacet, sed vni tantũ. Tanto quippè maior in omnibus custoditur concordia, quanto maior tenetur identitas: & tanto amplius à concordia receditur, quanto ab vnitate magis receditur. Vt ergo summa sit concordia, summa teneatur identitas, ac precipua conseruetur vnitas. Nil autem cum aliquo ita vt secum idem vel vnum potest, nec ita alij concordare, vt sibi cum à seipso nihil dissimile sit. Ad vnum itaque cuncta spectare ac referri conuenit, vt quod rerum diuersitate agitur, vna ratione concorditer administretur, modo (quem in omnibus oportet) seruato. Sed nec plures ad rerum creationem magis quàm ad generale earum regimen conuenire credendum est, sed ab vno naturas omnes fieri, vt & regi oportunè creditur, vt tanto cõcordiùs regi valeant, quanto maiori connexæ sunt concordia. Tanto autem maior est earum concordia, quanto amplius vno eodemque penitus semper principio manant, & earum artifex à multiplicitate ac diuersitate recedit. Facta autem sunt primitus, vt optimè postea regerentur, & quæ fiebãt vt regerentur, ad regendum vtique dum fierent, præparabantur. Vt ergo optimè regerentur, facta optimè dum fierent, ad regendum erant præparanda. Quomodo autem optimè præpararentur dum fierent, vt facta postmodum optimè regerẽtur, nisi summa inuicem concordia, & ipsa sui creatione colligentur, vt eo amplius concorditer atque melius regantur, quãto concordius in ipsa eorum conditione naturæ ipsorum sunt inuicem colligatæ? Ad quam etiam conditionis concordiam, sicut & regiminis, vnitas ipsa atque identitas maxima conditoris proficit, vt hinc quoque vnum eundemque penitus conditorem sicut & rectorem omnium esse constet, quem nos Deum dicimus, ac summum iure profitemur bonum. Qui quomodo summum diceretur, nisi cæteris omnibus præcelleret bonis? Quod verò omnibus alijs præcellit, vnum profectò & vnicum esse conuenit, & quod in se perfectum esse conceditur,

ditur, atque ad omnia quæ facienda ſunt ex propria voluntate per ſe ſufficiens, ex quo & omnipotens dicitur, cum pars aliquod bonum habere non poteſt. Neque enim bonum eſſe poterit, quod ſuperfluum ſit. Superfluus autem alius vel creator eſſet vel rector, ſi vnus ad omnia æquè ſufficiat vt plures. Sufficit autem cum ſit ſummum ac perfectum, atque ad omnia ſufficiens, vt dictum eſt, bonum. Nullo itaque modo plures deos eſſe, ſiue credi conuenit. Sed fortaſſis, inquies, quia quo melius eſt quodlibet bonum eius, multiplicatio eius melior eſſet, atque ita illud ſummum bonum quod dicitur Deus, melius fore multiplicatum quam vnicum, & ſi ipſum extollere cupimus ac magnificare, magis ipſum multiplex quàm ſimplex prædicandum eſſe. Sed ad hoc primò reſpondendum eſſe arbitror, quod iuxta hanc rationem, quãto plures prædicauerimus deos, tanto amplius diuinæ gloriam excellentiæ amplificabimus. Infinitos itaque prędicari oportet deos, vt infinitam eius gloriam magnificemus, præſertim cum nulla ſit ratio, qua ad certum numerum aliquem ea reduci queat. Quam iuxta prædictam rationẽ tantomagis amplificabimus, quanto amplius numerum eius extenderimus. Atque ita plura eſſe ſumma bona quàm inferiora conueniret, imò omnino infinita eſſe, vt nec earum ſcientia eſſe poſſit quorum nullus in natura terminus occurrerit, nec ipſe etiam Deus eam per ſcientiam comprehenderet, quę nullo naturæ termino cõprehenderetur. Præterea ſi plures ſunt dij, quomodo Dominũ quemcumque ſummum bonum dicemus, cum aliud ſit maius ipſo, ipſa ſcilicet donorum multitudo, quàm quiſlibet vnus ex ea multitudine. Sed nec bonum dicendum eſſet, quod vt iam oſtendimus, ſuperfluum eſſet. Denique omnis multitudo totum quidem eſt, & omne totum proprijs partibus poſterius eſſe naturaliter conſtat, atque omne quod ſimpliciius eſt, tanto firmius eſſe neceſſe eſt, cum omne compoſitum natura diſſolubile ſit, & tanto infirmius, quanto diſſolutioni magis obnoxium. Quis etiam quodlibet bonum tanto pretioſius eſſe deneget, quanto rarius; & eo magis glorioſum, quo magis eſt vnicũ? Vnde & plerumque ea quæ minus ſunt neceſſaria alijs, raritate tamen ſui eis omnino præferuntur, vt aurum ferro, piper frumento. Commendat itaque diuinæ gloriam excellẽtiæ ipſa quoque eius ſingularitas, quæ operum quoque ipſius

maxima eſt commendatio, tàm in his faciendis, quàm in eis diſponendis atque regendis. Nulla propriè tanta fieri concordia vel regi poſſunt, quanta illa quæ vnus tantum & condit & regit. Hæc quidem ad aſtruendam diuinæ ſingularitatem excellentiæ pro rationibus induci ſatis eſſe arbitror, quibus & facilè aſſentiri quemcumque bonum exiſtimo, qui nulli inuidus, omnium rerum commendationi plurimum congaudet. Magis autẽ honeſtis quàm neceſſarijs rationibus vtimur, quoniam apud bonos id ſemper prę̃cipuum ſtatuitur, quod ex honeſtate amplius commendatur, & ea ſemper potior eſt ratio quæ ad honeſtatem amplius quàm ad neceſſitatem vergit, præſertim cum quæ honeſta ſunt per ſe placeant, atque nos ſtatim ſua vi quadam alliciant. Quàm honeſtum verò ſit ac ſalubre, omnia ad vnum optimum tàm rectorem quàm conditorem ſpectare, & cuncta potius ratione quàm caſu ſeu fieri, ſeu regi, nullus eſt cui propriæ ratio non ſuggerat conſcientiæ. Quæ enim ſollicitudo bonorum nobis operum ineſſet, ſi quẽ nunc amore vel timore veneremur, Deũ penitus ignoremus? Quæ ſpes aut malitiam refrenaret potentum, vel ad bona eos alliceret opera, ſi omnium iuſtiſſimus ac potentiſſimus fruſtra crederetur? Ponamus itaque vt dum bonis prodeſſe ac placere quærimus, obſtinatos cogere non poſſimus, cum ora eorũ non neceſſarijs obſtruamus argumentis, ponamus inquã hoc ſi volunt: ſed opponamus quod nolunt, ſummam eorum impudentiam arguentes, ſi hoc calumnientur quod refellere nullo modo poſſunt, & quod plurima tàm honeſtate quàm vtilitate commendatur. Inquiramus eos qua ratione malint eligere Deum non eſſe, quàm eſſe, & cum ad neutrum cogi neceſſariò poſſint, & alterum multis commendetur rationibus, alterum nullis, iniquiſſimam eorum confundamus impudentiã, qui id quod optimũ eſſe non dubitent, omnibuſque etiam tàm rationibus quàm auctoritatibus conſentaneum ſequi reſpuãt, & contrarium amplectantur. Quod ſi de occultis rerum naturis, ac de ipſo quoque rerum cæleſtium ſtatu, quas experimentis non poſſunt diſcutere, vt certi indè valeant eſſe auctoritatibus hominum credunt, cur de auctore omnium Deo eiſdem non acquieſcunt? Sed hæc hactenus aduerſus hanc primam & maximam infidelium obſtinationem.

NVNC autem ab vnitate diuinæ ſubſtantiæ, quam quaſi

III.

fundamentum ſubiecimus, ad diſcretionem trium perſonarũ, quæ eidem inſunt ſubſtantiæ, ordo eſt commeare, & de diuina potentia ſeu ſapientia vel benignitate, iuxta quæ, vt dictum eſt, tres diſtinguntur perſonæ ad perfectam & integram ſummi boni commendationem, ſupereſt diligenti examinatione diſſerere: vt quo amplius, vt ſupra meminimus, huius boni perfectio cognita fuerit, magis ad amorem ſui quemque alliciat, præſertim cum nullæ ſuper his fidelium quoque animos difficiles mouere poſſint quæſtiones, & tantò facilius minus eruditos ad maxima trahere ſcandala atque infideles iuuare, quanto difficiliores ad ſoluendum videntur. Ac prima nobis de omnipotentia Dei conſideratio ſit.

IIII.

QVÆRENDVM itaque primo videtur, quomodo verè dicatur omnipotens, ſi non poſſit omnia efficere, aut quomodo omnia poſſit, ſi quędam nos poſſumus quæ ipſe non poſſit: poſſumus autem quædam, vt ambulare, loqui, ſentire, quæ à natura diuinitatis penitus aliena ſunt, cum neceſſaria iſtorum inſtrumenta habere nullatenus incorporea queat ſubſtantia. Quibus quidem obiectis id prædicendum arbitror, quod iuxta ipſos quoque Philoſophos, & communis ſermonis vſum, numquam potentia cuiuſque rei accipitur, niſi in his quæ ad commodum vel dignitatem ipſius rei ſpectant. Nemo enim hoc potentiæ hominis deputat, quod ille ſuperari facilè poteſt, imo impotentiæ & debilitati eius, quod minimè reſiſtere ſuo poteſt incommodo, & quicquid ad vitium hominis vergit, magiſque perſonam improbat quàm commendet, impotentię potius quàm potentiæ aſcribendum eſt. Vnde & Ariſtoteles in ſecundo qualitatis genere, vbi ſcilicet de potentia naturali & impotentia agitur, ſanatiuum & durum ad potentiam reducit, & ægrotatiuum & molle ad impotentiam, cum tamen ægrotatiuum dicamus, qui facilè ægrôtare poteſt, hoc eſt non facilè valet huic paſſioni reſiſtere, & molle quod leuiter ſecari aut diſſipari poteſt. Sanatiuum verò & durum è contra ad potentiam reducit, cum tamen ſanatiuum dicatur, quod non poteſt facilè infirmari, & durum quod non poteſt leuiter ſecari. Sicut ergo in ſupra poſitis, id eſt ægrotatiuo & molli illa poſſe quæ ad incommodum vel debilitatem rei attinent, impotentiæ eſt potius quàm potentiæ, ita & eadem non poſſe è contrario potentiæ eſt aſcribendum. Alioquin è

conuerſo impotentiam diceremus potentiam, & potentiam impotentiam. Nemo itaque Deum impotentem in aliquo dicere præſumat ſi non poſſit peccare ſicut nos poſſumus, quia nec in nobis ipſis hoc potentiæ tribuendum eſt, ſed infirmitati. Vnde & Aug. lib. de Trinit. xv. Magna, inquit, eius potentia eſt non poſſe mentiri. Sunt & quædam quæ in alijs rebus potentiæ deputanda ſunt, in alijs verò minimè, & quæ in aliis laudabilia ſunt, in aliis reprehenſibilia ſunt. cum eadem ſæpè aliarum rerum dignitatem commendent, aliarum verò minimè; veluti ſi quis hominum vſum viribus ſuperare poſsit, hoc magnæ hominis potentiæ aſcribendum eſt. Vnde ipſe ceteris hominibus præcelleret, & commendabilior eſſet, quod in leone tamen & in elephante pro magno nullus haberet. Inde enim hominem potentem comparatione aliorum hominum diceremus, ſed non ita leonem vel elephantem. Sic & in homine quod ambulare valet potentiæ eſt aſcribendum, quoniam eius neceſſitudini congruit, nec in aliquo eius minuit dignitatem. In Deo verò (qui ſola voluntate omnia complet) hoc omnino ſuperfluum eſſet, quod in nobis neceſſarium eſt, atque ideo non potentiæ, ſed vitio potius tribuendum eſſet in eo, præſertim cum hoc in multis excellentiæ ipſius derogaret, vt ambulare videlicet poſſet. Ex quo etiam moueri localiter poſſet, & compoſitionem pedum admittere, & vt mobilis & diſſolubilis eſſet eius corporea & compacta ſubſtantia, non abſurdè tamen & de his omnibus quæ efficere poſſumus, Deum potentē prædicabimus, & omnia quæ agimus eius potentiæ tribuimus, *in quo viuimus, mouemur, & ſumus*, & qui *omnia operatur in omnibus*. Vtitur enim nobis ad efficiendum quæ vult, quaſi inſtrumentis, & id quoque facere aliquo modo dicitur quæ nos facere facit, ſicut dives aliquis turrem cōponere per opifices quos adhibet, & poſſe omnia efficere dicitur qui ſiue per ſe, ſiue per ſubiectam creaturam omnia quæ vult & quomodo vult operatur Nam etſi non poteſt ambulare, tamen facere poteſt vt ambuletur, hoc eſt vt alius ambulet, cum ipſe ad hoc ſui creatione quemque aptum præparet, & in ipſo etiam actu ipſum conſeruet & ſuſtentet, & hunc ille actum expleat. Poſſe itaque Deus omnia dicitur, non quod omnes ſuſcipere poſsit actiones, ſed quod in omnibus quæ fieri velit, nihil eius voluntati reſiſtere queat. Hinc

Digitized by Google

illud eſt quod in Enchiridion beatus commemorat Auguſtinus. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult, poteſt; nec voluntate cuiuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Idem in libro de Spiritu & litera. Non poteſt facere iniuſta, quia eſt ſumma iuſtitia & bonitas. Omnipotens vero eſt, non quod poſſit omnia facere, ſed quia poteſt efficere quicquid vult, ita vt nil valeat reſiſtere eius voluntati, quin compleatur, vel aliquomodo impedire eam. Ioannes Chryſoſtomus Homilia XXVIII. de expoſitione Symboli, quæ ſic incipit, Super fabricam totius Eccleſiæ. Credo in Deum Patrem omnipotentem. Omnipotens dicitur, quia poſſe illius non poteſt inueniri non poſſe, dicente Propheta. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Ipſe eſt ergo omnipotentia, vt totum quod vult, poſsit, vnde & Apoſtolus. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Et Pſalmiſta. *Quæcumque voluit fecit.* Sed & cum alibi dicat Apoſtolus, *Deus vult omnes ſaluos fieri, & neminem perire*, iuxta illud quidem Prophetæ. *Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat.* Et per ſemetipſam veritas obſtinatæ & damnandæ dicat ciuitati. *Quoties volui congregare filios tuos, quaſi gallina pullos ſuos, &c.* Patet itaque diuinæ voluntatis vocabulum duobus modis eſſe ſumendū. Alioquin cum Deus omnia quæcumque voluit faciat, & omnes ſaluos fieri velit, cogemur vtique profiteri omnes quandoque ſaluādos eſſe. Velle itaque Deus duobus modis dicitur, aut ſecundum ſcilicet prouidentiæ ſuæ ordinationē, ſecundū quod ſcilicet aliquid diſponit apud ſe ac deliberat ſtatuitque in ſua prouidentia, vt ſic poſtmodum compleat, aut ſecūdum conſilij adhortationē vel approbationē qua vnumquemque ad hoc admonet, quod per gratiam ſuā remunerare paratus eſſet. Et iuxta priorem quidē modum, quo Deus velle aliud dicitur, hoc eſt ex gratia ſua ordinare, atque apud ſe ſtatuere vt fiāt aliqua, tàm nos quàm Apoſtolos in his quæ fieri vult, nil eius voluntati reſiſtere poſſe dicimus, nec eam, aliquo impediri caſu, cui omnia neceſſe ſit obedire. Secundum autem poſteriorem modum multa dicitur velle fieri quæ non fiunt, hoc eſt multa adhortari quæ certum eſt ex gratia eius remunerari ſi fierent, quæ minimè fiunt. Sic quippè vnicuique homini conſulit de ſalute ſua, & ad hanc

eam hortatur, cum obediant pauci. Vult itaque Deus peccatorem conuerti, quia ei id consulit, quod esset benignè remuneraturus, quemadmodum ei gratum dicitur in quo eius gratiam experturi essemus, sicut è contrario nolle illa dicitur quæ dissuadet, aut quæcumque punire magis debet, quam dono aliquo remunerare, & in quibus iram ipsius potius quàm gratiam sentiremus, hoc est vindictam potius quàm præmiũ.

V. QVÆRENDVM arbitror vtrum plura facere possit Deus vel meliora quàm faciat, aut ab his etiam quæ facit, vllo modo cessare posset, nec ea vnquam videlicet faceret, quod siue concedamus, siue negemus, multas fortasse inconuenientium anxietates incurremus. Si enim ponamus vt plura vel pauciora facere possit, vel ab his quæ facit cessare, profectò multùm summæ eius bonitati derogabimus. Constat quippè eam non nisi bona facere posse, si autem bona cum possit, non faciat; & ab aliquibus quæ faciẽda essent se retrahat, quis eum tanquam æmulum vel iniquũ nõ arguat? Præsertim cum nullus eum labor in faciendo aliquid grauet, cuius æquè omnia voluntati sunt subiecta, secundum quod scriptum est. *Dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt.* Hinc est illa Platonis verissima ratio, qua scilicet probat Deum nullatenus mundum meliorem potuisse facere, quàm fecerit, sic quippè in Timæo suo ait. Dicendum, inquit, cur conditor fabricatorque genituræ omne hoc instituendum putauerit. Optimus erat. Ab optimo porro inuidia longè relegata est, itaque consequenter sui similia cuncta prout cuiusque natura cãpax beatitudinis esse potuerit, effici voluit. Quamquidem voluntatem Dei originem rerum certissimam si quis ponat, rectè eum putare consentiam. Volens siquidem Deus bona quidem omnia prouenire, mali porro nullius prout eorũ quæ nascuntur natura fert reliquit propaginẽ. Et hæc quidem Platonis verba planè omnia à Deo tàm bona fieri perhibere videntur, quantum fieri bona possunt, vel quantum ipse ea bona facere potest. Quam etiam rationem sancti secuti videntur, cum Deum patrẽ probarent filium tàm bonũ genuisse quantũ potuit, vt ei æqualis esset. Vnde Aug. lib. quæstionũ LXXXIII. c. LXIII. Deus inquit, quẽ genuit, quoniã meliorẽ se generare non potuit. Nil enim Deo melius debuit æqualẽ. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est; si potuit & noluit, inuidus est. Ad hoc & illud pertinet

Niceni cõcilij quod ſicut in primo libro præfati ſumus, beatus cõmemorat Hieronymus dicens. Abſit ergo in filio Dei aliud plus minuſue aut in loco, aut in tẽpore, aut in potentia, aut in ſcientia, aut in æqualitate, aut in ſubiectione, cũ dicitur hoc vt Deitati eius, nõ carni aſcribantur. Si enim plus minuſue aliud inuenitur, excepto hoc quod genuit pater filium, & excepto quod filius non ex ſemetipſo natus eſt, ſed de patre, aut inuidens aut impotens pater, inſuper etiam temporalis agnoſcitur. Hac itaque ratione qua conuincitur, quia Deus pater tàm bonum genuerat filium quantum potuit, cum videlicet aliter reus eſſet inuidiæ, clarum eſt omnia quæ facit, quantum poteſt egregia facere nec, vllum commodum quod conferre poſſit, ſubſtrahere velle. Nihil quippè eſt quod aut faciat aut dimittat, niſi optima & rationabili cauſa, licet illa nobis occulta ſit. Vnde & illud eſt Platonicum: Omne quod gignitur, ex aliqua cauſa neceſſaria gignitur, nil enim fit cuius ortum non legitima cauſa & ratio præcedat. Hinc & illud eſt Auguſtini, Cùm omnia in mundo fieri vel diſponi diuina prouidentia conuinceret, & nihil caſu, nihil fortuitu euenire, ſed omnia ex diuino prouenire conſilio. Ait quippè ſic prædicto quęſtionum lib. cap. xxvi. Quicquid caſu fit, temere fit. Quicquid temere fit, non fit prouidentia. Si ergo caſu aliqua fiunt in mundo, non prouidentia vniuerſus mundus adminiſtratur. Item. Illud bonum cuius participatione ſunt bona cętera, non per aliud, ſed per ſemetipſum bonum eſt. Quod diuinam etiam prouidentiam vocamus. Nihil igitur caſu fit in mundo. In tantum autem in omnibus quæ Deus facit, quod bonum eſt attendit, vt ipſo boni pretio potius quàm voluntatis ſuæ libito, ad ſingula facienda inclinari dicatur. Hinc eſt illud Hieronymi ſuper Danielem in expoſitione viſionis tertiæ, vbi de Deo ſic Nabugodonoſor loquitur. Iuxta voluntatem enim ſuam fecit, tàm in cœlo quàm in terra, & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat, Quare feciſti? Et hoc inquit Hieronymus loquitur, quaſi homo ſeculi, non enim quod vult non facit: ſed quod bonum eſt, hoc vult Deus. Nabugodonoſor ſic locutus eſt, vt dum potentiam Dei prædicat, iuſtitiã eius videatur arguere, quod in merito pœnas ſuſtinuerit. Tale ergo eſt quod ait Hieronymus. Non enim quod vult hoc facit, ſed quod bonum eſt, hoc vult Deus. Ac ſi di-

ceret. Non ita vt æstimat Nabugodonosor operatur Deus, more videlicet eorum qui in his quæ faciunt, non tàm quod bonum est attendunt, quàm vt suæ satisfaciant voluntati, qualiscumque ipsa sit. De qualibus scriptum est. Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Sed magis velle dicendus est singula vt fiant quia bonum esse vt fierent, vidit. Hoc autem modo vnusquisque voluntatem suam sequi prohibetur. Et Christus etiam ipse non sibi placuisse dicitur, quia nihil hoc fine vel intentione agere debemus, quia id volumus, vel quia nobis in hoc placemus, id est quia in hoc delectamur, sed potius quia id à nobis fieri bonum esse censemus. Patet itaque quicquid Deus faciat ac dimittat, iustam ac rationabilem causam subesse, vt sola faciat aut dimittat, quæ fieri vel dimitti oporteat atque ipsum deceat. Quod si quicquid facit, eum facere oportet, iustum est vbique vt faciat quicquid facit, ac sine dubio quicquid facit facere debet. Omne quippè quod iustum est fieri, iniustum est dimitti, & quisquis non facit id quod ratio exigit, æquè delinquit ac si id faciat, quod rationi minimè cõcordat, Sed fortassis, inquies, quod iustum iustum est aliud bonum seu rationabile id * quod modo facit, ita bonum esset atque æquum bonum si illud faceret, hoc dimitteret. Atqui si illud æquè bonum esset quod dimisit facere quando istud elegit, nulla ratio profectò fuit cur illud dimitteret, atque istud eligeret. Fuit autem, inquies, quia cum non vtrumque fieri oporteret & æquè hoc vel illud fieri bonum esset, quodcumque eorum fieret, rationabiliter factum esset. Sed vix habeat profero rationem, æquè fieri oportebat quod factum non est, sicut quod factum est, & æquè bonum etiam illud fieri sicut hic. Cùm verò quid fieri bonum est, & rationabilem hanc causam qua faciendum sit, irrationabiliter profectò agit, qui quod à se fieri debere non ignorat, prætermittit, atque ita iam in suprapositum inconueniens relabemur. Sin autem dicas de altero quod factum non est, quia non erat bonum vt fieret, nisi ita vt alterum cessaret; profectò eadem ratione de altero quod factum est, non erit simpliciter concedendum, vt bonum esset illud fieri, cum æquè concessum sit tàm hoc quàm illud fieri bonum esse. Fecit itaque Deus quod nouerat bonum fieri? Absit. quod si illud solum quod facit fieri ab eo bonum est, profecto illud solum quod facit, facere potest, qui

nihil

nihil facere poteſt quod non ab eo fieri bonum eſt. Hac itaque ratione id ſolum poſſe facere videtur Deus quod facit, vel illud ſolum dimittere poſſe quod dimittit. Cùm videlicet in ſingulis faciendis vel dimittendis rationabilem habeat cauſam, cur ab ipſo fiant vel dimittantur: nec ipſe quicquam, qui ſumma ratio eſt, contra id quod ratio congruit, aut velle aut agere queat. Nemo quippè quod à ratione diſſidet, velle vel agere rationabiliter poteſt. Quod diligenter beatus Hieronymus attendere viſus eſt, cùm Euſtochium virginem ad obſeruandum ſanctæ virginitatis propoſitum adhortans ait: Virgo Iſrael cecidit, & non eſt qui ſuſcitet eam: Audacter loquar, cùm omnia poſſit Deus, virginem poſt ruinam ſuſcitare non poteſt. Quæquidem verba Hieronymi contra calomniatores quidam defendens, inter cętera quæ de vita eius ſcribebat, ait: Sanctus Hieronymus Euſtochio ad meliora ſtuduit hortando mandare. Cùm omnia poſſit Deus, virginem poſt ruinam ſuſcitare non poteſt. Quod non poſſe Dei non velle aliomodo omnimodo dici poterat verbo. Per quendam namque ſapientem dicitur Deo: *Tu autem Dominator virtutis cum tranquilitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis. Subeſt enim cum volueris tibi poſſe.* Ergo vbi non eſt velle Dei, deeſt poſſe. Deus quippe immutabilis naturæ, ita immutabilis eſt voluntatis. Ex his itaque tam de ratione quàm de ſcripto collatis, conſtat id ſolum poſſe facere Deum quod aliquando facit. At verò ſi ponamus id ſolum quod facit Deus eum facere poſſe, multa è contrario tam rationi quàm auctoritati contraria videmur incurrere. Quis enim neſciat hunc hominem, qui damnandus eſt, poſſe ſaluari? Aut hunc hominem, qui bonus eſt, poſſe meliorem fieri quàm vnquam futurus ſit? cùm tamen vtrumque nonniſi per Deum contingere queat? Si enim hic damnandus omnino ſaluari non poſſet, nec ea facere per quæ à Deo ſaluaretur; vtique arguendus non eſſet, nec reus conſtituendus, quòd ea non faceret quæ facere non poſſet. Sed nec ea benè illi præciperentur à Domino, per quæ ſaluaretur, cùm ea nullatenus facere poſſit. Si autem per opera quæ faceret ſaluari à Deo poſſet, quis ambigat quin Deus eum ſaluare poſſit, qui tamen numquam ſaluandus eſt? Quomodo enim à Deo ſaluari poſſit, niſi & Deus eum ſaluare poſſit? Quippe quid aliud eſt eum ſaluari à Deo,

quàm Deum ſaluare eum? Si ergo poſsibile eſt eum ſaluari à Deo, quomodo non ſit poſsibile Deum ſaluare eum? Cùm enim antecedens poſsibile eſt, & conſequens: quia ex poſsibili non ſequitur impoſſibile, cùm ſi conſtet impoſsibile eſſe, ex eo impoſsibile ſequitur. Saluari autem à Deo hunc quis neget antecedens ad Deum ſaluare eum; cùm videlicet vt dixímus idẽ prorſus ſit, hunc qui damnãdus eſt, à Deo ſaluari, & Deũ ſaluare ipſum? Cùm itaq; poſsibile ſit hũc, qui dãnandus eſt, à Deo poſſe ſaluari, quis neget poſsibile eſſe & Deum ſaluare eum? Poteſt itaq; facere Deus quod nequaquã facturus eſt. Falſumque omnino eſſe liquet quod iam ſuprà aſtruximus, Deum videlicet ea tantũ facere poſſe quæ quandoque faciat. Alioquin nequaquã de eis quæ facit grates ei referendæ eſſent, cùm ea quæ dimittere non poteſt, neceſſitate magis quadam propriæ naturæ compulſus, quàm gratuita voluntate ad hæc facienda inductus agat. Multa etiam concurrunt teſtimonia, quæ manifeſtè Deum aſſerunt pluta poſſe, quæ tamẽ nunquam cõplet opere. Vnde & veritas ipſa ſecundum Mathæum, *An putas*, inquit, *quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit modo mihi plus quàm xii. legiones Angelorum*? Ex quibus profecto Domini Ieſu verbis patenter innuitur, quia poterat rogare illud tunc quando non rogabat, neque conueniens rogari erat; vel quia poterat tunc ei Pater exhibere legiones illas, per quas ab inimicis liberaretur, quod tunc minimè oportebat, cùm tunc ad patiendum oportunè veniret, ſicut antea prædictum fuerat, vel à Deo diſpoſitum. Vnde etiam conſequenter annectit, dicẽs: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri*? Si ergo vel ſic tunc oportebat fieri, quomodo poterat rogare tunc filius, vt non fieret illud; vel Pater diſturbare tunc ne fieret, quod tunc diſturbari minimè bonũ eſſet? imò tunc fieri oportebat, ſicut & diſpoſitum & prædictũ fuerat. Vt autem in verbis Domini ſententię veritas teneatur, nec quicquam à ratione diſſonum videatur, tale eſt quod dicitur: *An putas &c.* Ac ſi apertè diceretur, numquid ignoras quòd ſi rogarem Patrem de mea liberatione, non id obtinerẽ abſque dilatione, per tot etiam Angelorum legiones, quot vos eſtis homines mihi tanquam diſcipuli adhærentes, & in defenſionem meam ſi poſſetis parati? Summa inquam ſentẽtiæ eſt: Putas orationem meam in hoc quoque efficaciam non habe-

Digitized by Google

re, ſi hoc me à Patre oporteret poſtulare? Iuxta quam quidem expoſitionis ſententiam nequaquam concedendum eſt, quòd vel tunc Dominus orare poterat quod orandum non erat, vel pater ei in hoc ſubuenire in quo ſubueniendũ non eſſet. Conditionaliter quippè, vt expoſuimus, magis quàm abſolutè idẽ Domini dictum accipiendum eſt, non quòd videlicet rogare poterat vel impetrare, ſed quod impetraret ſi rogaret, cùm ſ. eius oratio nullatenus caſſa fieri poſsit. Non itaque ex hoc dominico dicto cogi poſſumus eum aliquid poſſe facere quod nunquam faciat de quo potius ſentiendum videtur id ſolummodo eum poſſe facere quod ab eo fieri oportet. Nihil autem ab eo fieri oportet, quod nunquam ab eo fiet. Alioquin optimè bonus non eſſet, ſi quid facere dimitteret, quod à ſe oportunè faciendum eſſe præſciret. Qui etiam ſi mala quę fiunt diſturbare, ne quid etiam niſi oportunè faceret, qui niſi importunè facere poſſet; profecto non video quomodo conſentiens peccatis non eſſet. Quis enim conſentire malo dicendus eſt, niſi is per quem illud oportunè diſturbari poteſt? Cùm autem, ſicut & beatus meminit Auguſtinus, mala etiam fieri bonum ſit, quæ Deus quoque optimè ordinat: nequaquam ab eo ea diſturbari conuenit, ne fiant quæ ipſo etiam atteſtante fieri neceſſe eſt, ac dicente: *Neceſſe eſt enim veniant ſcandala. Væ autem &c.* Cùm itaque ſcandala, quæ bonum eſt fieri, diſturbare oportunè non poſsit, aut omnino etiam non poſsit, qui nihil contra rationem poteſt, profecto nullatenus conſentire peccatis dicendus eſt. Primùm itaque atque oportunè de Deo dictum eſt, quòd ei ſubeſt poſſe cùm voluerit, vt ſ. in ſingulis faciendis ita eius poteſtas & voluntas ſe ſe comitentur, vt quod velit minimè * poſſit, nec poſſit etiam tunc facere, quando vt fiat non vult: veluti modo pluuiam facere nõ vult, qui hoc ideò fieri non vult modo, quia id modo fieri nõ conuenire, nec hoc tempus pluuiæ idoneum cenſet; quadam vtique rationabili de cauſa, licet nobis occulta. Si igitur pluuiam nunc facere poſſit aut velit, eo vtique tempore id facere poteſt, aut etiam vult, in quo id eum facere non oportet quod ab omni diſſonat ratione. Quantum igitur æſtimo, cùm id tantùm Deus facere poſſit quod eũ facere conuenit, nec eũ quicquã facere cõuenit quod facere prętermittat; profecto id

ſolum eum poſſe facere arbitror quod quandoque facit, licet hæc noſtra opinio * paucos aut nullos habeat aſſentatores, & plurimùm dictis Sanctorum, & aliquantulum à ratione diſſentire videatur. Hoc quippè, inquiunt æſtimare, multum derogat diuinæ excellentiæ, vt videlicet id ſolummodo facere poſſit quod quandoque facit, & id ſolum dimittere quod dimittit: cùm nos etiam ipſi, qui longè impotentiores ſumus, multa etiam facere & dimittere poſſumus, quę nequaquam facimus vel dimittimus. Quibus quidem reſpondeo, non ideò nos potentiores vel meliores æſtimari debere, quia quædam facere poſſumus quæ ille facere non poteſt, vt comedere, vel ambulare, vel denique peccare; quod à potentia diuinitatis penitus eſt remotum, & ab eius dignitate prorſus alienum. Quod denique attinet Deum illa etiam poſſe facere quæ nunquam faciat, vel quæ hunc facere minimè conueniat. Nam & quòd nos quædam facere poſſumus, quæ facere non debemus, infirmitati potiùs noſtræ quam dignitati aſcribendum eſt, qui omninò meliores eſſemus, ſi ea quæ tantum facere debemus, facere poſſemus, nec quicquam inhoneſtè à nobis fieri poſſet. Quod tamen malè faciendi vel peccandi poteſtatem haberemus, non abſque ratione hæc à Deo nobis poteſtas conceſſa eſt: vt ſi comparatione noſtræ infirmitatis ille glorioſior appareat, qui omnino peccare non poteſt: & cùm à peccato ceſſamus, non hoc naturæ noſtræ, ſed eius adiutrici gratiæ tribuamus, qui ad gloriam ſui non ſolum bona, ſed etiam mala diſponit. Sunt verò qui ideò Deum ęſtimant ea etiam poſſe facere quæ non facit, quòd certum ſit nihil ei poſſe reſiſtere, ſi ea etiam quæ non facit vellet facere, iuxta illud: *Voluntati enim eius quis reſiſtet?* Vnde & beatus meminit Auguſtinus, omnipotens Deus non quia omnia poteſt, ſed quia quæcumque vult poteſt, nec vllatenus voluntatis eius præpediri poteſt effectus. Ideóque quicquid vellet neceſſariò fieret cùm vellet, quia videlicet eius voluntas effectu carere nullatenus poſſet. Sed hac profectò eorum ratione, & quaſi ſub quadam voluntatis eius conditione eum etiam poſſe peccare, vel aliquid inhoneſtè agere, dicere poſſemus; cùm ſit certum nihil etiam ei in hoc reſiſtere poſſe, ſi & id facere vellet quod non oporteret. Præterea cùm dicunt indè eum omnipotentem dici, quia quicquid vult poteſt, manifeſtè ita

* Aduerſus eã ſcribit S. Bernard. ep. 190. & ipſe Abaelardus retractat in Confeſſione ſuę fidei, quæ habetur in calce Epiſtolarum eius ſuprà.

Digitized by Google

eius poteſtatem & voluntatem conſociant, vt vbi deeſt eius velle, deſit & poſſe. Quod autem ſuperiùs obiectum eſt, non poſſe aliquem ſaluari à Deo, niſi & Deus ſaluare eum poſſit; præſertim cùm idem ſit aliquem à Deo ſaluari, & Deum ſaluare eum, non ſatis nos conſtringit. Idem quippè eſt & loquentem tacere, & eum qui loquitur tacere: nec tamen fortaſſe ita poſſibile eſt loquentem tacere, ſicut poſſibile eſt eum qui loquitur tacere. Vel cùm idem ſit id quod eſt album eſſe nigrum, & albedinem & nigredinem eidem ſimul ineſſe: non tamen vt poſſibile eſt id quod eſt album eſſe nigrum, ita etiam poſsibile eſt albedinem & nigredinẽ ſimul eidem ineſſe. Quid ergo mirum, ſi ponamus idem eſſe aliquem, qui nõ eſt ſaluandus, à Deo ſaluari, & Deum ſaluare eum? nec tamen ideo recipiamus Deum poſſe ſaluare eum, ſicut cõcedimus eum poſſe ſaluari à Deo. Quippè cùm dicimus eum poſſe à Deo ſaluari, ad facilitatem humanæ nuturæ poſsibilitatem reducimus, acſi videlicet diceremus naturæ hominis non hoc repugnare, vt ipſe ſaluetur, qui in ſe ita mutabilis eſt, vt tàm ſaluationi ſuæ quàm damnationi conſentiat, & tàm hoc quàm in illo modo tractabilem ſe Deo præbeat. Cùm autem dicimus Deum illũ poſſe ſaluare qui minimè ſaluandus eſt, ad ipſam diuinitatis naturam poſsibilitatem reducimus; vt videlicet naturæ Dei nõ repugnet quin eum ſaluet. Quod omnino falſiſſimum eſt. Prorſus quippè naturæ diuinæ repugnat id eum facere quod eius derogat dignitati, & quod eum facere minimè conuenit. Hoc quidẽ modo & cùm vocem dicimus audibilẽ, id eſt potentem ab aliquo audiri, & aliquem poſſe audire vocem: & agrum poſſe excoli ab aliquo, & aliquẽ poſſe colere agrum, poſsibilitatem ad diuerſa referimus. Ibi quidem ad naturam vocis vel agri, hîc ad naturam rei vel aptitudinẽ audire vocem, vel colere agrum potentis. Vnde non neceſſe eſt, vt cùm vox audibilis ſit, hoc eſt apta ex ſe ad audiendum ab aliquo, aliquis ſit iam aptus ad audiẽdum eam. Omnibus quippè hominibus ſurdis exiſtentibus, vel prorſus etiã non exiſtentibus vox quælibet huius naturę eſſet, vt ſe audibilem homini præberet, nec quicquam in ea præparandum eſſet, vt ad audiendum idonea eſſet, quamuis homo nõdum exiſteret, qui eam audire poſſet, vel ad eam audiendã aptus eſſet. Denique illud quod ex Philoſophorum traditione obijcitur, quòd cùm antecedens poſ-

ſibile ſit,& cõſequens etiã impoſſibile eſſe, ex quo impoſſibile ſequitur,nil officit quẽadmodũ in præcedẽti libro diximus,ſi regularũ ſuarũ documẽta naturis creaturarũ intellegim⁹ fuiſſe cõtenta. Vnde cùm aliquid poſſibile vel impoſſibile dicũt,quãtũ ad creaturarũ naturas hoc intelligunt,vt videlicet id ſolum poſſibile dicant,quod nullius creaturæ repugnat naturæ.Cùm autẽ dicim⁹,poſſibile eſt hoc vel illud Deũ facere,ad naturãdiuinitatis potiùs quã creaturarũ poſſibile ſumim⁹. Sed & cũ idẽ ſit Iudicẽ punire iſtũ,& iſtũ puniri à Iudice,nõ tamẽ cõcedi oportet,vt ſi iuſtũ ſit Iudicẽ punire iſtũ,iuſtũ etiã ſit iuſtũ puniri à Iudice:cùm videlicet hoc nomẽ iuſtũ,ſicut & poſſibile,in talibus ſignificationẽ variet. Cùm enim dicitur,quia iuſtũ eſt vt Iudex puniat iſtũ,hoc inſtitutione legis eũ debere oſtẽdimus. Sin autẽ dicamus iſtum debere puniri à Iudice,hoc eũ meruiſſe dicimus vt puniatur. Sæpe itaque cõtigit vt ſecundum legis ſanctionẽ Iudex debeat aliquẽ punire,qui tamẽ nequaquã pro meritis ſuis debeat ab eo puniri. Veluti cùm aliqui falſi teſtes, qui tamẽ à Iudice refelli non poſſunt, cõtra innocentẽ aliquẽ ſurgũt,& ſecundũ leges eũ reum cõuincũt qui reus non eſt,& credi faciũt culpã quę non eſt. Vnde accidit vt, ſicut dictũ eſt, Iudex debeat eũ punire,qui tamẽ non debet puniri à Iudice,& hoc agere iuſtũ ſit Iudici:quod tamẽ pati non eſt iuſtũ illi, hoc eſt debitũ. Sicut ergo hîc quãuis idẽ ſit Iudicẽ punire iſtum, & iſtũ puniri à Iudice:non tamẽ ideo ſicut juſtũ eſt Iudicẽ punire iſtũ, quẽ iuſtè,vt dictũ eſt,ſecundũ legẽ punit; ita etiã juſtũ eſt illũ puniri à Iudice eadẽ ratione, quãuis idẽ ſit aliquẽ ſaluari à Deo & Deũ ſaluare eũ, mirandũ non eſt, ſi cùm hoc poſſibile eſt,illud nequaquã poſsibile eſſe cõcedatur. Puto & ex his quę dicta ſunt facilè refelli poſſe quod de prouidẽtia Dei vel eius volũtate circa creaturas obijci poſſe videtur, vt eũ ipſe videlicet ſine his,quæ ab ęterno in ſe habẽt,nõ eſſe potuerit,quia nõ cõuenerit:nõ tamẽ ponamus res quæ prouiſæ ſunt,vel quas eſſe voluit,ideò non potuiſſe non eſſe, hoc eſt ex neceſsitate eas contigiſſe. Et ſi enim ſine prouidẽtia fuiſſe nõ potuit, quia nõ oportuit,ipſamque prouidentiã rerũ euentũ conſequi neceſſe ſit,non tamẽ ideò res prouiſas cõcedi oportet non potuiſſe nõ eſſe. Et ſi eum ſine volũtate creandi mundũ, vel voluntate miſerẽdi ponamus non potuiſſe nõ eſſe,non ideò cogendi ſumus vel mundũ,vel ea quæ creata ſunt,nõ potuiſſe deeſſe. Ibi quippè,ſicut jam determinatũ eſt,ad naturã Dei:hîc ad naturã crea

Digitized by Google

turarũ poſsibile ſumitur. Vnde neceſſe nõ eſt, vt cùm Deus ex propria natura vel prouidẽtiã rerũ, vel bonã de eis volũtatẽ habere neceſſe ſit; quia hoc ei videlicet maximè cõuenit; non tamẽ naturæ earũ vt ipſæ ſint exigit, quæ omnino nõ eſſe poſsũt. Quod autem nouiſsimè opponebatur, nullas ſ. grates Deo referẽdas eſſe pro eis quæ facit, cùm ea nequaquã dimittere poſſit, & quadã neceſſitate id potiùs agat quã voluntate, omnino friuolũ eſt. Hic enim quædã naturæ vel bonitatis eius neceſsitas ab eius volũtate nõ eſt ſeparata, nec coactio dicẽda eſt, qua etiã nolẽs id facere cogatur. Nã & cũ ipſum neceſſe ſit immortalẽ eſſe, vel immortalis dicatur, nequaquã hinc diuinæ naturæ neceſsitas ab eius volũtate diſiuncta eſt, cùm & hoc ipſe velit eſſe quod neceſſe eſt ipsũ eſſe, id eſt quod nõ poteſt nõ eſſe. Si autẽ ita aliquid neceſſariò ageret, vt vellet nollet, id facere cogeretur; tunc ei profectò nullæ hinc gratiæ deberẽtur. Cùm verò eius tãta ſit bonitas atq; optima volũtas: vt ad id faciendũ non inuitũ eum, ſed ſponteneũ inclinẽt, tanto amplius ex propria natura diligẽdus eſt, atque hinc glorificandus, quãtò hæc bonitas eius nõ ei per accidẽs, ſed ſubſtãtialiter atq; incõmutabiliter ineſt. Tãtò quippè hinc melior exiſtit, quantò in ea firmius perſiſtit. Nunquid enim alicui ſubueniẽti nobis grates nõ haberemus, ſi tantæ is pietatis eſſet, vt cùm nos affligi violẽter videret, à ſubueniẽdo abſtinere non poſſet, ipſa eũ ſ. pietate ad hoc cõpellente. quid eſt enim nos alicui debere grates pro ſuſceptis beneficijs, niſi nos recognoſcere eum à nobis bene meruiſſe, vel laudandũ eſſe pro his, quæ nobis eius benignitas gratis exhibuit? Prędictis itaq; rationibus, vel obiectorũ ſolutionibus, liquêre omnibus reor, ea ſolũmodo Deũ poſſe facere vel dimittere, quæ quãdoq; facit vel dimittit, & eo modo tãtũ vel eo tẽpore quo facit, nõ alio. Quibuſdã tamẽ videtur, nonnulla ipsũ facere poſſe alio modo quã faciat, ſed eũ tamẽ sẽper eligere eũ modũ faciendi, qui conuenientior ſit. quod etiã penitus à ratione diſſidet, vt videlicet incõueniẽtiori modo poſſit facere quã faciat, vel incõueniẽtioré modũ eligere, & cõuenientiorẽ dimittere. Non enim perfectè bonus eſt, niſi in omnibus perficiẽdis à Deo volũtatẽ optimã haberet: vt ſingula eo modo fieri vellet, quo cõuenientiùs fierẽt, At fortaſſis inquies, quòd ſi eo tẽpore quo aliud facit, illud facere poſſit, & nõ videlicet in alio tẽpore, conſtat eum vno tempore poſſe quod alio non poteſt, nec ſemper eum æqualiter poſſe omnia, nec sempr æqualiter omnipotentẽ permanere; ſed modo eum quandã habere

potentiam, modo ipſam non habere. Sed ſi diligenter attendamus, ſemper ęquè omnipotens eſt, & nullo tempore habet aliquam potentiam quam ſemper non habeat. Sed dicis: Potuit incarnari olim, quod modò non poteſt: cùm nullatenus id fieri modo conueniat, & ſic potentiam habuit olim quam modo non habet. Ad quod reſpondeo, Cùm dicimus, Poteſt facere aliquo tempore quod alio facere non poteſt, duobus modis intelligi valet: vno quidem vt illa determinatio temporis ad facere applicetur, alio falſo, ſi ad poſſe ipſa coniungatur. Aliud quippè eſt dicere, poſſum modo id facere, id eſt habeo modo potentiam id faciendi, quandocumque aliud poſſum id facere modo, id eſt facere in hoc præſenti. Nam & determinatio localis relata ad diuerſa diuerſos efficit ſucceſſus. Cùm enim homo vbicumque ſit, ibi greſſibilis ſit, id eſt potentiam habeat ambulandi, etiam cùm in aquis natat: cùm tamē dicitur, potens eſt ambulare in aquis, ſi ad actum ambulandi potiùs quàm ad potentiam hæc determinatio referatur, vt videlicet intelligamus eum habere potentiam hunc actum exercendi etiam in vndas, falſum eſt: ſi autem ad potentiam ambulandi etiam inter aquas habitam, è contrario verū eſt. Si autem verum eſt eum hac potentia non carrere etiam inter aquas, licet hanc ibi potentiam exercere non poſſit: ita non eſt neceſſe vel Deum vel aliquem in aliquo tempore carere potentia aliquid faciendi, quamuis eo tempore exercere non poſſit illam potentiam. Nam & infantulus omninò adhuc debilis ad incedēdum, greſſibilis tamen iam eſt, & potentiam iam habet ambulandi quandoque, licet non adhuc in tam tenera ætate. Hac itaque ratione potentia incarnandi Deus priuatus non eſt quam olim exercuit, licet eam exercere modò ideò non poſſit, quia eam minimè nunc exerceri conuenit. Nec quiſquam vnquam aliqua potentia priuatus dicitur, quem certum ſit, ſi vellet, eam exercere poſſe, nec eius voluntati quenquam reſiſtere valere. Cùm autem indè omnipotens dicatur, vt ſuprà meminimus, quia ſemper quicquid velit poſſit, ſemper æquè omnipotens eſt, cùm ſemper quicquid velit, certum ſit eum complere poſſe, nec eius vnquam voluntatem aliquo impedimento diſturbari poſſe. Qui etiam ſicut omnia ſemper ſcit quæ aliquando ſcit, vel ſemper vult quæ aliquando vult, nec vnquam aliquam ſcientiam amittit, vel voluntatem

mutat,

Digitized by Google

mutat, quam vnquam habuit: ita ſemper omnia poteſt quæ aliquando poteſt, nec vnquam aliqua ſua potentia priuatur. Et ſi enim ſciuit olim me naſciturum eſſe, ne tamen ſciat me naſciturum eſſe *, non tamen ideò olim aliquid ſciuit quod modo non ſciat; ſed id de natiuitate mea nunc etiam ſcit, quod ſciebat antequam fieret, licet & tunc & nunc hanc eius ſcientiam diuerſis verbis exprimi oporteret. Quippè quod tunc futurum erat modo peractum eſt, ideóque verba commutata ſint ad ipſum deſignandum; ſicut diuerſis temporibus loquentes eamdem diem modo per hoc aduerbium cras deſignamus dum adhuc futura eſt, modo per hodie dum præſens eſt, modo per heri cùm præterita eſt. Antequam itaque naſcerer, cùm ſciret Deus me naſciturũ eſſe, eo quidem tempore quo naſciturus eram: nunc quoque nihilominus id ſcit, ſ. eodem tempore natum eſſe: ſic & idem de eadem natiuitate mea nunc quoque vult quod tunc voluit: vt videlicet tunc fieret, quando eam fieri ab æterno voluit & ſciuit. Et attende, quòd ſicuti cum dicimus, Deus ſcit modo id factum eſſe, vel vult modo id factum eſſe; illud modò, ad diuerſa coniunctum ſucceſſum enunciationis mutat: ita etiam vt ſuprà meminimus, cum dico, poteſt modo id facere, idem aduerbium coniunctum diuerſum ſucceſſum variat. Poteſt quippè quod dico, Deus ſcit modo id factũ eſſe, modo illud tam ad ſcit quàm ad factum eſſe referri. Ac ſi videlicet ita dicatur, quomodo ſcit hoc factum eſſe, id eſt modo habet hanc ſcientiam quòd hoc factum eſt, vel ſcit quod id modo factum eſt, quæ longè diuerſa ſunt. Sic & cum dicimus, quod ſic modo quia ſcit illud modo fieri quod non ſcit poſtea fieri, ſi tam modo quàm poſtea ad ſcit referantur, falſum eſt. Ex eo profectò concedendum eſſet, quòd illud quoque quandoque ſcit, quandoque etiam non ſcit. Si vero ad fieri vtráque coniungantur, verum eſt quod dicitur: nec indè annuendum eſt quòd aliud vno tempore ſciat quod alio neſciat. Id eſt cum huiuſmodi aduerbijs hæc verba faciunt, vult & poteſt, ſimiliter cum eis ſucceſſum variantia Si enim dicatur, poteſt Deus id modo facere, & ad verbum, poteſt, aduerbia referantur, falſiſſimum eſt: quia iam vno tempore quandam habet potentiam, quam alio non haberet. Si verò ad facere vtraque coniungantur, veriſſimum eſt. Et ſicut non oſtenduntur diuerſæ ſcientiæ cum di-

citur de ipso, quia sciuit olim incarnandum esse, ita & cùm dicitur, olim potuit incarnari, & modo potest incarnatus esse, possibilitas ostenditur. Non enim cùm dicitur per successionem temporis, Deus incarnatur, & Deus incarnatus est, diuersa quæ fecerit ostendimus, sed pro eodem quod semel fecerit, ista dicuntur. Sic & cum dicitur prius, quia possibile est Deum incarnari, & postmodum dicimus quia possibile est ipsum incarnatum esse; nec diuersum factum nec diuersa possibilitas monstratur, sed pro eodem quod prius erat futurum, & modo est præteritum, vtrumque verè dicitur. Liquet itaque Deum, sicut nec scientia vel voluntate mutari, ita nec etiam possibilitate. O ---- itaque quod semel scit, semper scit, & quod semel vult semper vult: ita & quam semel habet potentiam nunquam deponit. Denique, si more hominum dicamus eum aliud posse vno tempore quod alio non possit, propter hoc videlicet solum quod ei conuenit vno tempore id facere quod non conuenit alio; nulla eius in hoc impotentia vel potentiæ diminutio est intelligenda cum ad potentiam cuiuslibet minimè pertineat quod ei nullatenus conuenit, vt indè commendari possit, imò è contrario, eius derogaret dignitati.

VI. CVM autem ad potentiam seu firmitatem diuinæ naturæ ipsa eius incommutabilitas pertineat, de ipsa nunc nobis differendum occurrit, præcipuè cum ex quibusdam quæ ipse operatur, sicut & nos ipsi, variari videatur: cum videlicet aliqua modo faciat, modò ab eisdem completis quiescat. Vnde & de ipso scriptum est, quòd completis operibus suis, quæ sex diebus operatus est, septimò requieuit, hoc est ab operando cessauit. Sicut ergo nos faciendo aliud, & postmodum quiescendo, Physica ratio etiam alterari demonstrat: ita etiam ipse hanc alterationis mutationem videtur incurrere. Cui etiam localis motus videtur abesse, cum modo descendere aliquò, vel transire aliquà dicatur, vel egredi quoquam siue inde regredi describatur. Vnde & in Virginem tàm verbum Patris quàm Spiritum sanctum descendisse salubriter tradimus, & veraciter prædicamus. In qua etiam virgine Deus homo factus adeò mutari videtur, vt aliud quàm fuerit factus esse dicatur: quod ad illum substantiæ motum præcipuum, quæ à Philosophis generatio dicitur, pertinere vide-

Digitized by Google

tur. Non omnino igitur incommutabils videtur Deus, cum ipſe vt dictum eſt, tam alterationis quàm loci, ſeu etiam generationis motum ſuſcipere videatur. Sed ſi diligenter attendamus, nec in his nec alijs vllam mutationis variationem incurrit. Quippè cum dicimus eum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi ineſſe intelligimus, vel aliquam in laborando paſſionem: ſicut nobis accidere ſolet, ſed eius ſempiternæ voluntatis nouum aliquem ſignificamus effectum. Cum ergo dicimus eum aliquid facere, dicere eſt iuxta eius voluntatem aliquid contingere, vt in ipſo nihil noui contingat, ſed nouum aliquid ſicut in eius voluntate fixum permanet, fiat. Vnde benè eſt illud Philoſophicum,

---- *Stabiliſque manens dat cuncta moueri.*

Qui etiam cum ab operando quieſcere dicitur, conſummationem operis eius, non eum ab aliquo actionis motu ceſſare ſignificamus. Nos autem modo operando, modo ceſſando permutari dicimur, quia in hoc ſecundum quandam agitationem membrorum, vel paſſionem mentis aliter quàm prius noſmetipſos habemus, & in nobiſmetipſis variamur. Eum verò facere aliquid non aliter intelligimus, quàm eum quandam eſſe cauſam eorum quæ fiunt: quamuis ea nulla ſua agitatione faciat, vt actio propriè dici queat, cum videlicet omnis actio in motu conſiſtat. Ipſa quippè eius diſpoſitio, quam in mente habuit ab æterno, eius actio dicitur, cum ad effectum perducitur. Nec in ipſa noui aliquid accidit, cum per eam nouum aliquod opus contingit, nec ex ipſa variatur Deus, quam in mente ſemper æqualiter habet. Ita etiam poſt rei completionem, ſicut ante in eodem propoſito diſpoſitionis conſiſtens, vt ita id velit completum, ſicut ante voluerat complendum. Sicut ergo ſol, cum ex calore eius aliqua calefieri contingit, nulla hinc in ipſo vel in calore eius mutato fit, quamuis res inde calefacta ſit mutata: ita nec Deus cum aliqua eius noua fuerit diſponere, ideo mutari dicendus eſt, quamuis noui operis vel mutationis rerum quædam ipſe ſit cauſa vel auctor. Quod autem nec loco moueri poſsit, qui Spiritus eſt, tam Philoſophorum quàm ſanctorum aſſertione docemur, ſicut de quantitate tractantes oſtendimus cum Gramaticam * ſcriberemus. Id

* f. Dialecticã.

Digitized by Google

quippè ſolum quod locale eſt, localiter moueri poteſt, vel localiter alicubi teneri, ſicut eſt corpus. Nihil enim locale eſt, vel localiter contineri poteſt, niſi quod ſui interpoſitione circumſtantium rerum diſtantiam interualli poteſt facere: veluti ſi alicui continuo corpori ſtilus vel corpuſculum aliquod inſeratur, ſtatim per eius interpoſitionem neceſſe eſt aliquam interualli diſtantiam fieri inter particulas circumſtantes, quæ poſt adinuicem continuatæ fuerant. Si verò albedo vel aliquid incorporeum illis ineſſet particulis, nulla eorum continuatio ideò deperiret. Nullum igitur incorporeum localiter moueri poteſt, quia nec localiter alicubi eſſe poteſt. Maximè verò Deus, qui vbique per ſubſtantiam eſſe conceditur, non habet quo moueatur localiter, cum vbique ſit eſſentialiter. Moueri quippè localiter, id eſt de loco ad locum tranſire non poteſt, niſi vnum deſerendo locum migret ad alium. Nullum autem deſerit locum motu locali, qui ſemper ſubſtantiæ ſuæ præſentiâ in omnibus eſt locis. Cum itaque Deus in Virginem venire, aut aliquò dicitur deſcendere, ſecundũ æquam ſuæ operationis efficaciam, non ſecundum localem acceſſionem intelligi debet. Quid eſt enim aliud eum in virginem deſcendiſſe vt incarnaretur, niſi eum vt noſtram aſſumeret infirmitatem ſe humiliaſſe, vt hæc quidem humiliatio eius videlicet eius intelligatur deſcenſus? Sic & quotiẽs aliquò deſcendere vel venire dicitur Deus, non aliquis eius localis acceſſus, ſed aliquis nouæ operationis effectus oſtenditur: qui etiam cum in quoſdam venire, vel à quibuſdam recedere dicitur, iuxta donorum ſuorum collationem vel ſubſtractionem intelligitur id, non ſecundum localem eius aduentum vel receſſum; qui vbique, vt dictum eſt, per præſentiam ſuæ ſubſtantiæ ſemper exiſtens, non habet quo moueri localiter poſſit. Quod tamen vbique eſſe per ſubſtantian dicitur, iuxta eius potentiam vel operationem dici arbitror, ac ſi videlicet diceretur ita ei cuncta loco eſſe præſentia, vt in eis aliquid operari nunquam ceſſet, nec eius potentia ſit alicubi otioſa. Nam & ipſa loca, & quicquid eſt in eis, niſi per ipſum conſeruentur, manere non poſſunt: & per ſubſtantiam in eis eſſe dicitur, vbi per propriæ virtutem ſubſtantiæ aliquid nunquam operari ceſſet, vel ea ipſa, vt dictum eſt, ſeruando, vel aliquid in eis per ſeipſum miniſtrando. Nam etſi longas manus Reges

habere dicantur, eò quòd potentiam ſuã in longinquis exerceant locis; non tamen hoc per ſubſtantiam ſuam facere ſufficiunt quod per Vicarios agunt. Sicut ergo anima in corpore per ſubſtantiam ſuam, magis quàm per poſitionem localem dicitur eſſe, eò ſcilicet quòd per propriæ vigorem ſubſtantiæ ipſum viuificet ac moueat, ac ne in putredinẽ diſſoluatur cuſtodiat; ſicque per operationem vegetãdi ac ſentiendi ſingulis membris tota inſit vt ſingula vegetet, & in ſingulis ſentiat, ita Deus non ſolum in omnibus locis, verumetiam in rebus ſingulis per aliquam ſuæ potentiæ efficaciam ſemper eſſe dicendus eſt: & cùm vniuerſa moueat in quibus eſt, nec tamen in eis ipſe mouetur, ſicut nec anima in corpore, cum ſingula moueat membra, & ſingulis tota, vt dictum eſt, ſimul præſto ſit. Denique quod obiectum eſt Deum fuiſſe mutatum cum homo factus eſt, vt aliud fieret quàm prius eſſet, ac ſic motum illum maximum ſubſtantiæ iucurriſſet, quæ generatio dicitur, facile eũ refelli ſi ſenſum magis verborum quàm verba penſemus. Quid eſt enim dicere Deum fieri hominem, niſi diuinam ſubſtantiam, quæ ſpiritalis eſt, humanam, quæ corporea eſt, ſibi vnire perſonam in vnam? Non enim quod ſpiritale, corporeum fieri poteſt, ſed in illa vnione perſonæ Chriſti, in quo ſimul diuinitas verbi, & anima & caro, tres iſtæ naturæ conueniunt, ita vnaquæque harum trium ſubſtantiarum ibi propriam retinet naturam, vt nulla earum in aliam commutetur; vt nec diuinitas, quæ humanitati coniuncta eſt, aut anima fiat aut caro, ſicut nec anima vnquam poteſt fieri caro, quamuis in ſingulis hominibus vna perſona ſunt anima & caro. Anima quippè ſpiritualis quædam & ſimplex eſſentia eſt, caro autem humana res, corporea, & ex membris compoſita. Ideóque nequaquam hæc illa eſſe poteſt, quæ nullas omnino partes in quantitate ſui recipere poteſt. Quod & ipſe Dominus patenter apériens dicit: *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Sicut ergo anima & caro in vnam ad inuicem coniunctæ perſonam, in propriis naturis ſic diſcretæ permanent, vt nequaquam hæc in illam commutetur, alioquin duæ res nequaquam dicerentur: ita & diuinitas humanitati coniuncta, hoc eſt humanæ animæ ſimul & carni in vnam perſonam ſociata, nequaquam in eius naturam conuertitur; vt videlicet ſpiritualis illa ſubſtantia Dei,

quæ hominem assumpsit, in illam corpoream commutetur substantiam, cum hoc penitus ipsum permaneat ipsa quod priùs erat. Sic quippè assumpsit nostra, vt non dimitteret sua. Mutatio autem in aliud fieri non potest, nisi esse desinat quod priùs fuerat. Priùs autem spiritualis substantia erat, quæ corpore naturæ coniuncta est, & nunc quoque vt spititualis permanet non corporea facta est. Cum ergo & nunc sicut ante iuxta ipsam veritatis assertionem spiritus sit Deus, nec vmquam quod spiritus est corporeum fiat, aut partes recipiat, quomodo propriè vel Verbum dicitur fieri caro, vel Deus homo, cùm Verbum ipsum nunc etiam sit spiritus, quia est Deus, sicut & ante incarnationem fuerat? Homo quippe res corporea est, & membris composita ac dissolubilis. Deus verò nec corporea res est, nec partibus constat vt dissolui possit. Deus igitur nec caro, nec homo esse proprie dicendus est. Alioquin & homo è cõtrariò propriè dicẽdus esset Deus. Vnde aliquid creatum, vel quod non semper fuit concedi oportet Deum esse, cum videlicet constet hominem creaturam esse, atque initium habere. Absit autem vt aliquam rem Deum esse ponamus, quæ non semper extiterit, aut non semper Deus fuerit. Hoc quippè est Deum nouum vel recentem confiteri. A qua quidem peruersitate Deus nos inhibens, ait: *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens.* Vt igitur expositum est, cùm dicitur Deus fieri caro, vel Deus homo esse, sic accipiendum est, vt diuina substantia humanę sociari in personam vnam intelligatur, non illa effici cui sociatur; sicut nec anima hominis caro fit cui vnitur, nec in eius naturam conuertitur. Quod diligenter beatus aperiens Athanasius, cùm vnitatem personæ Christi in duabus consistentis naturis defenderet, ait de ipso: Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnẽ, sed humanitatis in Deum. Vnus omnino non cõfusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Tale est autem quod ait, Deus & homo sunt vnus Christus, non duo Christi sicut anima & caro vnus sunt homo, non duo homines. Quamuis enim diuersitas naturarum in Christo sit, diuinæ s. & humanæ; sicut in vno homine anima & caro corporeæ sũt & incorporeę naturæ, non tamen nece sse est duos ideò Christos

esse sicut nec duos homines, aut diuersitatem fieri personarum sicut est naturarum in vnam personam sibi coniunctarum: licet in suis proprietatibus ita discretarum, vt nequaquam altera substantia in alteram conuertatur propter hanc vnionem personæ. Quod consequenter aperit, dicens: Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, id est in humanitatẽ sed per assumptionem humanitatis à Deo factam. Alia quippè est substantia vel natura, quæ assumpta est, quàm assumens: licet non sit alia persona. Quod rursus exponens ait: Vnus omnino per vnionem personæ, non per confusionem substantię; hoc est non per commixtionem substantiarum in vnam naturam, vel per conuersionem alterius substantię in alteram. Sicut enim in vno Deo tres personæ sunt & vna substantia: ita ecõtrario in Christo duæ sunt substantiæ, humana s. ac diuina, sed vna in duabus substantiis vel naturis persona. Vnde & superius in eodem Symbolo fidei idem Doctor, cùm diuersitatem personarum in vna Dei substantia demonstraret, ait: Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, &c. neque confundentes personas, &c. Tunc autem personas confunderemus, id est inuicem permiserimus, si hanc esse illam poneremus, sicut ecõtrario substantiam Dei separaremus, si in eo diuersas esse substantias teneremus. Quod statim diligenter exponens subdit: Alia est enim persona patris, alia filii, &c. Sicut ergo in Deo vna est substantia, sed diuersæ personæ: ita ecõtrario in Christo vna est persona, sed diuersæ substantiæ, diuina vt dictum est, atque humana, quarũ nequaquã vna in alterã est mutata, sed vtraq; propriã naturã retinet in illa vnione personæ, & ambæ in naturis suis permanẽt impermixtæ. Nã & singulis totis sic diuersæ partes adcompositionem ipsorum conueniunt, vt tamen in suis naturis sint disiunctæ, quæ quadã aggregatione sunt coniunctæ, velut ossa & caro in humano corpore, vel ligna & lapides in vnius domus cõpositione. Sicut ergo ossa in vno homine carni adhęrentia, in naturã carnis non trãseunt, nec in vna domo lapides lignis aggregati propriã substantã mutant vt aliud fiant quàm priùs erãt, aut caro animę sociata aliud quàm caro fit, nec prioris substantiæ naturam - - - : ita nec diuinitas humanitati in vnã personã cõiuncta aliud sit quã priùs erat, quãuis aliud sibi in vnitate personę cõiungat. Secũdũ quã quidẽ vnionẽ perso-

næ, cùm Deus homo factus dicitur, aut aliud quàm primitus fuerit esse conceditur, non hoc ex mutatione substantiæ, sed vnitate personæ intelligendum: quia videlicet Deus hominem sibi in vnam personam coniunxerit, & rem alterius naturæ in hanc vnionem sibi sociauerit. Non est igitur Deus in aliud mutatus quàm fuerit, licet aliud sibi, vt dictũ est, in hanc vnionem coniunxerit. Nam nec animæ nostræ cum resumptis corporibus eis in vnam personam sociabuntur, ideo aliud quàm erant efficientur: quamuis ipsum corpus rursum animando viuificetur, & de inanimato ad animationem promoueatur: vt ex hoc corpus ipsum potiùs per eam quàm ipsa propter corpus mutari dicendum sit. Corpus quippè ex ipsa, non ipsa ex corpore in quendam proficit statum, ab ipso calorem & motum sucipiens, cùm ipsa in se ipsum persistat immobilis. Multo minus autem Deus homini vnitus, aliud ob hoc fieri dicendus est, cui nihil conferre creatura potest. Vnde ab omni mutabilitate Deum penitus immumem profitemur esse. Hæc in præsentiarum de diuina potentia, vel quę ad eam pertinent, dicta sufficere arbitror.

VII. NVNC de Sapientia ipsius prosequamur. Hanc alij Verbum, alij Rationem, seu Mentem dixerunt; quasi videlicet vim quandam discretionis ad omnia integrè cognoscenda; vt in nullo eius dispositio possit errare, nihil eam penitus possit latêre. Vnde & Dei filius, Dei virtus, & Dei sapientia, hoc est, ea vis diuinæ potentiæ, qua cuncta sapit, hoc est veraciter discernit, vt in nullo, vt dictum est, errare possit, nec quicquam eius obsistere queat cognitioni. Hęc quidem eius notitia siue scientia æque futura, sicut præsentia vel præterita cõprehendit; & æquè de his sicut de illis certa semper existit, & quæ ad huc naturæ incognita siue fortuita dicuntur, ei jam penitus certa sunt ac determinata. Nihil quippè nisi ex diuinæ dispositionis ordinatioene cõtingere potest. Sicut ergo Deus quod de futuro pręordinat ignorare non potest, ita nec eorũ euentum potest non præscire. Quæ igitur casu, quantum ad nostram certitudinem fieri dicuntur, & non ex libero prouenire arbitrio, quantum ad ipsum nec casue nec sine libero cõtingunt arbitrio. Cum enim casum Philosophi describentes dicunt, Casus est inopinatus rei euentus, ex confluẽtibus causis propter aliud incœptis proueniens; inopinatum quantum

ad

ad nos vel creaturarum naturam intelligunt, non quantũ ad diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem. Tale quippè eſt ac ſi diceretur: Quod caſu euenit, ita contingit, vt ex nulla inſtitutione naturæ prænoſcere poſſemus quod futurum eſſet. Nam & ſi ecclypſis ſolis vel Lunæ præter opinionem noſtram ſæpius accidant; naturaliter tamen hæc, non fortuitu fiunt: & in rerum præfixum eſt inſtitutione, vnde hæc ſcire poſſemus. At verò cùm quis agrum fodiens propter agriculturam theſaurum inuenit, & hæc inuentio fortuita dicitur. Hanc quippè ex diuerſis cauſis propter aliud incœptis contingere conſtat, & ita vt diximus inopinatè. Ex hoc enim quod theſaurus ibi reconditus fuit, & quod ille agrum fodiebat, cotingit theſaurũ inueniri. Ad hanc inuentionem hæ duæ cauſæ conuenerunt, licet propter aliud incœptæ. Neque enim qui theſaurum ibi recondidit hanc intentionem poſuit, vt ille eum inueniret; nec ille hac intentione fodiebat vt theſaurum quæreret, ſed vt agrum coleret. Vtræque itaque cauſæ, ex quibus illa inuentio contingit, ad illud ſpectabant; ideòque caſu potius ipſa quàm ex libero arbitrio prouenit. In libero quippè arbitrio, eius rei, quæ inde contingit, intentio præcedit; veluti ſi deliberem ire ad Eccleſiam, & ita exequar ex libertate arbitrij mei, id quod intendebam perficio. Ideòque id non tam caſuquàm ratione fieri dicendum eſt, neutrum tamen horum naturaliter contingit, ſed vtrumque pariter ex aliqua noſtra voluntate, non ex aliqua inſtitutione naturæ ad hoc nos compellente, vt magis hoc voluntarium quàm neceſſarium dicatur. Liberum autem arbitrium diffinientes Philoſophi dixerunt, liberum de voluntate iudicium. Arbitrium quippè eſt ipſa deliberatio ſiue diiudicatio animi, qua ſe aliquid facere vel dimittere quilibet proponit. Quæ tunc quidem diiudicatio libera eſt, cum ad hoc quod propoſuerit exequendum nulla vi naturæ compellitur, ſed æquè in ſua poteſtate habet tam illud facere quàm dimittere. Vbi ergo ratio animi non eſt, per quam aliud deliberari poſſit & diiudicari, an faciendum ſibi ſit vel dimittendum, æquè vtrumque in naſtra ſit poteſtate, liberum nequaquam eſt arbitrium. Etſi enim bruta animalia quædam per voluntatem ſuam facere poſſunt vel dimittere; quia tamen iudicio rationis carent, liberum non habent arbitrium. Si quid etiam tale quid velit ac diſponit face-

re, quod in eius non sit potestate, vel quod sine dispositione ipsius æquè fieret, in hoc liberum arbitrium non habet. Verbi gratia, sæpe talia nos facere proponimus, quæ decepti nos posse implere confidimus, & nonnũquam nitimur vel desideramus vt ea fiant, quę non minus fierẽt absque nostro proposito. Veluti si qui diutinis pœnis mori cogantur, & morte ipsa cruciatus finire desiderent, & ad hoc nitantur; nequaquam cùm id accidit, ex libero suo arbitrio assequuntur, quod videlicet non minus contingeret eis etiam nihil indè præmeditantibus. Et hæc quidem liberi arbitrij diffinitio nullatenus in Deum cadit, sed in eos tantum qui voluntatem mutare, & in contraria possunt deflectere: vt videlicet in eorum sit potestate, id quod eligitur tam dimittere quàm facere. Denique & nonnulli liberum ad hoc reduxerunt arbitrium, vt his tantum ipsi concedant quæ & benè facere & malè possunt. Quorum opinionem beatus quoque Hieronymus secutus Homelia illa de filio prodigo inter cætera sic ait. Solus Deus est, in quo peccatũ non cadit, cætera cùm sint liberi arbitrij in vtrũque possunt suam deflectere voluntatem. At verò qui diligentius liberum arbitriũ inspexerit, nulli benefacienti hoc deesse dixerit. Maximè autem Deo, & his omnibus qui tanta beatitudine sunt corroborati, vt iã in peccatũ labi nõ queãt. Quo enim quisque à peccato remotior est, & ad bonũ pronior; tanto in eligendo bonũ liberius habet iudiciũ, quanto ab illa vltima seruitute peccati, de qua scriptũ est, *Qui facit peccatũ, seruus est peccati*, longius abstitit. Generaliter itaque ac verissimè liberũ arbitrium dicitur, cùm quilibet quod ex ratione decreuerit, volũtariè ac sine coactione adimplere valebit. Quæquidẽ libertas arbitrij tam Deo quàm hominibus æquè indubitanter inest, quicumque tunc voluntatis facultate priuati non sunt, atque his præcipuè, vt diximus, qui iam omnino non possunt peccare. Quãuis enim peccare nequeant, aut à bono quod faciunt minimè se retrahere queant, quia non oportet, non ideo tamen id alicuius coactionis necessitate agunt, quod vtique si non vellẽt, nequaquam facere cogerentur. Quod & diligenter beatus attendens Augustinus lib. xxii. de Ciuit. Dei his astruit verbis: Sicut prima immortalitas fuit quam peccando Adam perdidit, non posse mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare, nouissimum non peccare posse. Item, certè Deus ipse

nunquid quoniam peccare non poteſt, ideo liberũ arbitrium habere negandus eſt? &c. Quicquid itaque gerimus, ſiue fortuitu, ſiue præmeditatè, quia id optimè Deo diſponẽte & prouidẽte, cur fieri oporteat agimus, ex libero eius, ſi nõ ex noſtro, procedit arbitrio: & quamuis ea caſu facimus; nihil tamen quantum ad ipſum caſu fit, cuius prouidentia cuncta prȩcedit, & ex eius diſpoſitione quicquid agimus contingit. Vnde & præfatus Doctor quæſt. LXXXIII. c. XXVI. ita meminit. Quicquid caſu fit, temerè fit. Si ergo caſu aliqua fiũt in mundo, non prouidentia vniuerſus mundus adminiſtratur: Itẽ, illud bonũ cuius participatione ſunt bona cætera, non propter aliud, ſed per ſemetipſum bonum eſt. Quod diuinã etiam prouidentiam vocamus. Nihil igitur caſu fit in mundo. Ac ſi aperte dicat, Nihil fit quod non ex aliqua prouidentia ſaltem diuina proueniat, nec tamẽ ideo penitus eos errare dicimus, qui caſu plurima fieri profiteantur, quantũ ad noſtrã, vt dictum eſt, incertitudinem. Qui etiam iuxta Philoſophos cùm ea naturæ incognita dicunt quæ caſu proueniunt, hoc eſt nullã rei naturã ad hoc præcognoſcendũ ſufficere, vt inde certa queat eſſe; nullatenus hîc diuinæ maieſtatis, ſed creaturarũ tantum naturam attendunt. Qui etiam cum ea quæ per miracula fiunt impoſſibilia dicunt, vel cõtra naturã fieri profitentur, vt Virginẽ parere, vel cæcum vlteriùs videre, profecto ad vſitatum naturæ curſum, vel ad primordiales rerũ cauſas reſpiciunt, non ad excellẽtiam diuinæ potentiæ, quam videlicet conſtat ex propria natura quicquid decreuit poſſe, & præter ſolitũ ipſas rerũ naturas quocũque modo voluerit permutare. qui ſi nũc quoque hominẽ ex limo terræ formaret, vel feminã de coſta viri produceret, ſicut in primis actum eſt parentibus: nemo vtique eſſet qui contra naturã vel prȩter naturã id fieri non cenſeret, eo vt dictũ eſt, quod primordialiũ cauſarũ inſtitutio ad hoc minimè ſufficere poſſet, niſi Deus præter ſolitum propria voluntate vim quandam rebus impartiret, vt hoc inde fieri poſſet, qua videlicet voluntate & ex nihilo cuncta potuit creare. Ex quo liquidum eſt, vt iam non ſemel meminimus, Philoſophorum Tractatus, per quos maximè rerum naturæ veſtigantur, ita creaturarum naturis, & earum vſu quotidiano contentos eſſe, vt ſummam illam diuinæ potentiæ naturam, quæ vniuerſis imperat naturis, & cuius voluntati obtemperare propriè naturam dicendũ eſt, vix aut nunquam attingere au-

deant, ſed omnes earũ regulas infra eam, aut extra eã penitus conſiſtere. Vnde cùm aliquid poſſibile vel impoſſibile, ideſt naturæ conſentire vel repugnare dicunt, iuxta ſolam creaturarum facultatem, non diuinæ potentiæ virtutem hæc motiuntur. Ex quo apparet quàm verum ſit quod ſuprà meminimus, in illa videlicet Philoſophorum regula, cuius poſſibile eſt antecedens, & conſequens; eos ad creaturarum tantum nomen accommodare. Quod & fortaſſis ad ſequentia prænotari neceſſarium fuit, vbi videlicet iuxta illam veterem, vt ait Philoſophia, querelam, videntur omnia ſecundum diuinæ prouidentiæ incommutabilitatẽ ex neceſſitate cõtingere.

De quo & nunc nobis ſupereſt diſſerere, cùm hoc maximè ad diuinam conſtet ſapientiam pertinere. Hæc quippè proſpiciendo futura, prouidentia dicitur ſiue præſcientia. Ipſum enim Dei proſpicere prouidere eſt, ſiue præſcire futura, hoc eſt, omnia quę futura ſunt cognoſcere antequã fiant, & ita vt de præſentibus vel præteritis, de his quoque ipſum jam certum exiſtere, ſicut dudum ſuperiùs ratione adhibita cofirmauimus. Sed ſi diligenter ipſos quoque Philoſophos reuoluamus, præcipuè verò Ariſtotelem adeo in rationibus argumentorum diſcretum, vt indè Peripatheticorum, id eſt Dialecticorum princeps dici mereretur, inueniemus apud eos, qualiter pſeudo-Philoſophos refellere poſſimus, & eorum non rationes, ſed ſophiſmata diſſoluere, quibus de prouidentia Dei adeo ſimplicium fidem perturbare ſolent, vt non ſolum bona, verumetiam mala neceſſario prouenire aſtruant, nec vllatenus à nobis peccata poſſe vitari; ſed neceſſariò vnumquemque quod deliquerit committere: cùm & hoc videlicet à Deo conſtet prouiſum eſſe, cuius prouidentiam conſtat nullo modo falli poſſe. Horũ igitur muſcipulam diſrumpentes, telam illam fortiſſimam inſpiciamus, quam in primo περὶ ἑρμηνείας Ariſtoteles orditur, vt eam cõtradictionis proprietatẽ corroboret etiam in propoſitionibus de futuro, quàm generaliter de omnibus præmiſerat, dicens videlicet quod omniũ affirmationum & negationum alteram eſſe veram neceſſe ſit ſicut & alteram falſam. Verbi gratia, naualle bellum eſt cras futurum, & non eſt futurum cras: affirmatio & negatio ſunt diuidentes. Vnde & alteram earum eſſe veram, & alteram earum rurſus neceſſe eſt eſſe falſam, cùm videlicet nec ambæ

ſimul eſſe veræ, nec ambæ queant ſimul eſſe falſæ; nec vlla ſit propoſitio, quam non veram vel falſam neceſſe ſit eſſe. Vnde hanc vel illam neceſſe eſt eſſe veram: hoc eſt neceſſe eſt eſſe bellum tale cras fieri. Quæ quidem verba diuerſos ſucceſſus habentia Ariſtoteles diligẽter determinare nos docens, vt videlicet ſupradictam contradictionis proprietatẽ conſeruare vbique ac defendere poſſimus, diligenter nos tandẽ de prædicatione neceſſarii tam ſimplici & abſoluta, quàm determinata nos inſtruit. Dicit itaque quia neceſſe eſt naualle bellum cras eſſe futurum vel nõ eſſe futurum. Non tamen ideò vel nauale bellũ cras eſſe futurum neceſſe eſt vel nõ cras eſſe neceſſe. Hæc quippè propoſitio, nec eſſe eſt nauale bellum cras futurũ eſſe futurum, vel non eſſe cras futurum, duos habet ſenſus; vnum quidem in quo hypothetica diſiuncta eſt falſa, ac ſi ita diceremus, neceſſarii nomen bis ponentes, Neceſſe eſt nauale bellum cras eſſe futurum, vel neceſſe eſt non eſſe cras futurum: alium verò in quo Cathegorica eſt vera, habens diſiunctum ſubiectum, & quaſi diſiunctam in ſubicto poſitam, & neceſſarii nomen ſemel poſitum in prædicato. Ac ſi videlicet ita dicamus, Nauale bellum cras eſſe futurum, vel non eſſe futurum, hoc videlicet totum neceſſe eſt, hoc eſt neceſſe eſt vt ipſum cras fiat vel non fiat. Et hoc quidem modo neceſſarii nomen ſemel poſitum & abſolutè prædicatum veram reddit enuntiationem; & generaliter ad quaſlibet affirmationes & negationes earum prædicatio ipſius veraciter applicatur: vt videlicet de ſingulis dicamus, quia hanc vel illam eſſe veram eſt neceſſe, quod Ariſtoteles intellexit cùm proprietatem aſſignaret contradictionis: non tamen ideò ad alteram earum neceſſarii prædicationem abſolutè poſſumus applicare, vt veraciter dicamus quia vel hanc neceſſe eſt eſſe veram, vel illam neceſſe eſt eſſe falſam. Ideo autem abſolutè addimus, quia determinatam neceſſarii prædicationem omnibus huiuſmodi veris propoſitionibus applicari, ipſe ibidem edocet dicens: Igitur eſſe quid eſt quando eſt, neceſſe eſt: & non eſſe quod non eſt quando non eſt neceſſe eſt. Sed non ideò ſimpliciter dici quia neceſſe ſit. Non enim ſic determinata neceſſarii prædicatio ſimplicem infert, vt quia videlicet neceſſe eſt eſſe dum eſt, ideò concedi oporteat vt & ſimpliciter dicatur, quia neceſſe eſt eſſe, hoc eſt omnino ine-

uitabile quin ſit. Ex quo quidem tanti Philoſophi tanto documento & rationabili, illud ſupra memoratum, quod de diuina prouidentia obiici ſolet, facile refelli poteſt. Conſtat, inquiunt, diuinam prouidentiam falli non poſſe. ***

Cetera deſunt.

PETRI ABAELARDI DE BEATA VIRGINE

PROSA.

Iudocus Clichtoueus in Elucidatorio Eccleſiaſtico, Lib. IIII.

Author huius Proſæ fuiſſe dicitur Petrus Abaelardus, vir ſua tempeſtate virtutis & doctrinæ ſplendore ac gloria inſignis. Et certè modulationis huius elegantia ac gratia facilè prodit eum omnifariæ eruditionis fuiſſe pleniſſimum.

Mittit ad Virginem
Non quemuis Angelũ,
Sed fortitudinem,
Suum Archangelum.
Amator hominis.
Fortem expediat,
Pro nobis nuntium
Naturæ faciat
Vt præiudicium,
In partu Virginis.
Naturam ſuperet
Natus Rex gloriæ,
Regnet & imperet,
Et Zima ſcoriæ
Tollat de medio.
Superbientium
Terat faſtigia,
Colla ſublimium
Calcans vi propria,
Potens in prælio.
Foras eijciat
Mundanum principem,
Matremque faciat,
Secum participem,
Patris imperij.
Exi qui mitteris
Hæc dona dicere,
Reuela veteris
Velamen literæ,
Virtute nuntij.
Accede nuntia,
Dic aue cominus,
Dic plena gratia,
Dic tecum Dominus,
Et dic ne timeas.
Virgo ſuſcipias,
Dei depoſitum,
In quo perficias
Caſta propoſitum,
Et votum teneas.

Digitized by Google

Audit & ſuſcipit
Puella nuntium,
Credit & concipit,
Et parit filium,
Sed admirabilem.
Conſiliarium
Humani generis,
Et Deum fortium,
Patremque poſteris
In pace ſtabilem.
Cuius ſtabilitas
Nos reddat ſtabiles,
Ne nos labilitas
Humana labiles,
Secum præcipitet.

Sed dator veniæ,
Conceſſa venia,
Per matrem gratiæ,
Obtenta gratia,
In nobis habitet.
Natura * premitur
In partu Virginis,
Rex regum naſcitur,
Vim celans numinis,
Et Rector ſuperum.
Qui nobis tribuat
Peccati veniam,
Reatus diluat,
Et donet patriam
In arce ſyderum.
Amen.

* Hi quinque Verſus non ſunt in Clitho touco

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANDREÆ

QVERCETANI

TVRONENSIS,

NOTÆ

Ad Hiſtoriam Calamitatum Petri Abaelardi.

Quæ ſcripſerit Petrus Abaelardus apperietur ac demonſtrabitur in Notis.

Digitized by Google

ANDREÆ QVERCETANI, TVRONENSIS, NOTÆ

Ad Historiam Calamitatum Petri Abaelardi.

MAGISTRI PETRI] Sic aliquot MS. Codices quos vidimus. Nec omninò malè meo iudicio. Nam vt Guillelmus Nangius ait, Auctor hic, *Magister in Dialectica insignis & celeberrimus* extitit. Vnde & Petrus Abbas Cluniacensis, de eo loquens in Epistola ad Innocentium Papam, *Magister Petrus*, inquit, *sapientiæ vestræ, vt credo, optimè notus, nuper è Francia veniens per Cluniacum transitum fecit.* Item in Epistola ad Heloisam Paracliti Abbatissam, *Mitto etiam, sicut mandastis, Magistri Petri absolutionem in charta scriptam & sigillatam.* Et Necrologium vetus Ecclesiæ S. Victoris Paris. XI. *Kal. Maij obijt Magister Petrus, &c.* Itemque Paracliten se Calendarium, VIII. *Kal. Ianuar. obijt Petrus Cluniacensis Abbas, cuius concessu habet Ecclesia nostra corpus magistri nostri Petri.* PAG. 5.

ABAELARDI] Sed de hoc eius cognomento non benè sibi constant veteres. Etenim S. Bernardus, Otho Frisingensis, Gaufridus, Robertus Autisiodorensis, & alij, *Abailardum* nominant, quem Auctor Chronici Archiepiscoporum Senonensium *Abaulardum*, Canonicus Turonensis anonymus *Abaielardum*, Vincentius Beluacensis *Abelardum* dicunt. Nec maior etiam inter Scriptores Gallicos conuenientia. Siquidē Ioannes Clopinellus Magdunensis, Philippo Pulchro Regi coætaneus, *Abayelart* appellat, quem alter incertus Poëta, qui scri-

Digitized by Google

image
not
available

DIALECTICARVM RATIONVM ARMATVRAM OMNIBVS PHILOSOPHIÆ DOCVMENTIS PRÆTVLI] Primi ſui in Dialectica Præceptoris nomen prætermiſit, quem tamen Otho Friſingenſis Rozelinum, & Auentinus Rucelinũ quendam fuiſſe teſtãtur. Othonis verba ſic habẽt. *Habuit tamen primò præceptorẽ Rozelinũ quendã, qui primus noſtris tẽporibus in Logica ſententiã vocũ inſtituit.* Et Auẽtini l. vi. Ann. Boior. *His quoque tẽporib. fuiſſe reperio Rucelinũ Britannũ, Magiſtrũ Petri Abelardi noui lycei cõditorẽ, qui primus ſcientiã vocum ſiue dictionũ inſtituit, & nouam philoſophandi viã inuenit.* At qui Britannus huic, veteri & anonymo Frãcorũ Hiſtorico Cõpendienſis dicitur, & Ioãnis etiã cuiuſdã in Dialectica potentis Sophiſtæ diſcipulus aſtruitur. Sic enim Hiſtoricus ille, qui fragmentum Hiſtoriæ Franc. à Roberto ad Philippũ i. Regẽ ſcripſit. *In Dialectica quoque hi potentes extiterunt Sophiſtæ; Ioannes, qui eandem artẽ Sophiſticã vocalẽ eſſe diſſeruit, Robertus Pariſiacenſis, Roſcelinus Cõpendienſis, Arnulfus Laudunenſis; Hi Ioannis fuerũt ſectatores, qui etiã quam plures habuerũt auditores.* Nec tamen propterea ſuſpicandũ eſt hunc Auentino contradicere. Fieri nãque poteſt vt Roſcelinus in Britãnia natus ſit, ac poteſtea Clericus in Eccleſia Cõpendienſi fuerit. Et certè Beccenſis Abbas Anſelmus, qui tunc florebat, eum Clericum nuncupat in Epiſtola ad Fulconem Beluacenſem Epiſcopũ, his verbis: *Audio, quod tamen abſq; dubietate credere non poſſum, quia Roſcelinus Clericus dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res ab inuicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen vt vna ſit voluntas & poteſtas: aut patrẽ & Spiritũ ſanctũ eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici, ſi vſus admitteret.* Vnde & aliquo modo conijcere licet, cur Petrus noſter illius inter Præceptores ſuos nõ meminit. Nã & Yuo Carnotenſis Epiſcopus inſanas aliquot ſententias ſuper quibuſdã Chriſtianæ fidei articulis eum defendiſſe ſubindicat Epiſt. viii. quãquam non exprimit quales illæ fuerint. Sed de hac re pluribus ante Conciliũ Sueſſionẽſe. Nunc tantũ addã ex Auentino, quòd *eo* ipſo Roſcelino *auctore duo Ariſtotelicorũ & Peripateticorum genera eſſe cæperunt: Vnum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod ſcientiam rerum ſibi vendicat, quamobrẽ Reales vocantur. Alterum nouum, quod eam diſtrahit, Nominales ideò nuncupati, quòd auari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur eſſe aſſertores. In hiſce duobus generibus diſſidium & bellum ciuile eſt. Illius Thomas Aquinas Italus, & Ioannes Duns Scotus, huius Vuillelmus Occomenſis Anglus, anteſignani.*

Digitized by Google

anno MCLXXX. his verbis. *Philippus Dei gratia Francorum Rex. Nouerint vniuersi præsentes & futuri, quod Adela mater nostra dum terram Corbolij nomine teneret dotalitij, Petro Clerico suo beati Exuperij Canonico intuitu seruitij sui donauit demum, quam Isabellis & Bertrannus filius eius vendiderunt Heliæ Iudeo, &c.* Vnde patet & Corbolium iam tempore nostri Abaelardi sedem quoque Regiam fuisse, sicut Melidunum.

PRÆCEPTOR MEVS GVILLELMVS ARCHIDIACONVS PARISIENSIS, HABITV PRISTINO COMMVTATO AD REGVLARIVM CLERICORVM ORDINEM SE CONVERTIT] Hanc in Guillelmo commutationem habitus egregiè commendat Hildebertus Cenomanensis Episcopus in Epistola 1. quã ad eum scripsit: *De conuersione*, inquit, *& conuersatione tua lætatur & exultat anima mea; illum prosequens actione gratiarum, cuius muneris est quòd tandem philosophari decreueris. Nondum quippe redolebas Philosophum, cùm ex acquisita Philosophorum sententia, scientiæ morum tibi minimè depromeres venustatem, &c.* Ingressus est autem Regularem Ordinem in Capella quadam S. Victoris extra vrbem Parisiacam, vbi cum aliquibus discipulis Monasterium illud cœpit construere, quod postea Ludouicus Grossus Rex munificè consummauit, ac magnis & opulentis reditibus dotauit. Hoc enim testatur imprimis anonymus, sed vetus Author, qui variarum Abbatiarum initia collegit, & institutores earumdem annotauit, his verbis. *Eodem tempore Magister Vuillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum literatus & religiosus, assumens habitum Canonici Regularis, cum aliquibus discipulis suis extra vrbem Parisius, in loco vbi erat Capella quædam sancti Victoris Martyris, cœpit ædificare Monasterium Clericorum. Assumpto autem illo ad Episcopatum Catalaunensem, venerabilis Gilduinus eius discipulus primus Abbas ibi factus est.* Et sic etiam intelligendum quod paulo post Abaelardus subjungit, *Nec tamen*, inquit, *hic suæ conuersionis habitus aut ab vrbe Parisiaca, aut à consueto Philosophiæ studio eum reuocauit: sed in ipso quoque Monasterio, ad quod se causa Religionis contulerat, statim more solito publicas exercuit Scholas.* De eo autem iam Catalaunensi Episcopo facto nos alibi plura.

EXTRA CIVITATEM IN MONTE S. GENOVEFÆ] Mons hic, Lecutitius siue Locotitius olim dictus, extra muros vrbis PAG. 6.

Pariſiacæ fuit vſque ad annum Chriſti MCCXI. quo Philippus Auguſtus F. R. *vrbem totam*, vt Rigordus refert, *in circuitu circumſepſit à parte Auſtrali vſque ad Sequanam fluuium, ex vtraque parte maximam terræ amplitudinem infra murorum ambitum concludens, & poſſeſſores agrorum & vinearum compellens, vt terras illas & vineas ad ædificandum in eis nouas domos habitatoribus locarent, vel ipſimet nouas ibidem domos conſtituerent, vt tota ciuitas vſque ad muros plena domibus videretur.* Vnde & Eugenius III. in Litteris ad Odonem Abbatem S. Genouefæ, dicit Eccleſiam illam adhuc extra Pariſiacam vrbem ſitam anno MCL. *Eugenius* inquit, *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Odoni primo Abbati Eccleſiæ S. Genouefæ, quæ ſecus Pariſius eſt.* Idēque repetit adhuc Alexander III. in alijs ad Albericū Abbatem litteris anno MLXIII datis. Fuiſſe autē in hac Eccleſia literarū & Scolarū publicarū ſedē, etiam antequā de ſtatu Canonicorū ſeculariū ad regularem Ordinem mutaretur ope atque induſtria Suggerij S. Dionyſij Abbatis, iniungente eidem domino Eugenio Papa III. & illuſtri Francorum Rege Ludouico VII. Philippi Auguſti patre, ſignificant cum Petrus noſter, dicens ſe ibi Scolarum ſuarum caſtra poſuiſſe; tum eo antiquior *Hulbodus* qui ſicut fert inſcriptio vetus poſita in Eccleſia S. Ioānis Baptiſtæ Leodienſis, *dum adoleſcentulus è ſcolari diſciplina canfugiſſet Pariſius ſanctæ Genouefæ Canonicis adhæſit*, tempore Roberti Regis Frācorum, *& in breui multarum Scolarum inſtructor fuit, vbi cùm aliquandiu à domino Notgero*, Leodienſi Epiſcopo, *ignoraretur, tandem canonica Epiſcopalis ſententiæ executione compulſus eſt redire, pluribus ibi relictis ſtudiorum ac moralitatis inſignibus.* Quare & in illius rei memoriam ac velut honorificum teſtimoniū Cancellarius Vniuerſitatis Pariſienſis ex ſola Canonicorum S. Genouefæ Congregatione longo poſtea tēpore delectus eſt, & vſque ad Pontificatum Benedicti XI. Papæ, qui primus auctoritatem ac facultatem parem Cancellario Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis conceſſit.

CARISSIMA MIHI MATER MEA LVCIA] Calendarium Paraclitenſe, *XIV. Cal. Nouembris obiit Lucia mater Magiſtri noſtri Petri.*

GVILLELMVS IN EPISCOPATV CATALAVNENSI] De Guillelmo hoc ſiue Vuillelmo jam Catalaunenſi Epiſcopo mentio fit apud Iuonē Carnotenſem, Epiſt. CCLXVIII. apud S. Bernardum

Bernardum Epist. III. & apud Othonem Frising. lib. I. de rebus gestis Frederici I. cap. XLVII. Fuit autem ex Canonico Regulari S. Victoris assumptus ad Episcopatum ann. CHRISTI MCXII. vt coniicere est ex electione Gelduini discipuli eius in Abbatem primum Ecclesiæ S. Victoris, quæ celebrata est anno MCXIII. & onus Episcopale sustinuit annis septem ac mensibus sex. Sic enim tabulæ MS. Catalaunensium Episcoporum, *Guillelmus venerabilis rexit Ecclesiam annos septem, menses sex.* Quibus expletis, demum fato cessit anno MCXIX. die XXV. Ianuarii, sicut ex his Calendarii Victorioni verbis discitur, *VIII. Cal. Febr. Anniuersarium Vuillelmi Catalaunensis Episcopi, & nostri Canonici.*

MAGISTER ANSELMVS LAVDVNENSIS] Plures eodem prope tempore Anselmi Laudunenses fuerunt. Historia namque Restaurationis Ecclesiæ Laudunensis à Canonico quodam eiusdem Ecclesiæ conscripta, meminit Anselmi S. Vincentij Laudunensis Abbatis, qui *cùm cœnobio suo fere* X. *&* VII. *annis præfuisset, & pro vtilitate eiusdem Cœnobij Romam profectus fuisset, à Clericis Tornacensibus, qui iam quadringentis annis proprio Episcopo caruerant, mirabili euentu, Deo ordinante ibi repertus in Episcopum electus est, & à Domino Papa Eugenio inuitus & reluctãs obedientiæ vinculo constrictus Pontifex consecratus est, sicque per eum Tornacensi Ecclesiæ antiqua dignitas restituta anno ab Incarn. Domini* MCXLV. Meminit & Anselmi alterius antiquioris, cognomento Beessi, *qui se simulando religiosum non parum ab omnibus laudabatur & honorabatur. Vnde & pro religione sua Thesaurus Ecclesiæ Laudunensis ei seruandus traditus est cum alijs custodibus, quoniam antiqua consuetudo erat eiusdem Ecclesiæ, vt septem custodibus ipse thesaurus committeretur, quorum quatuor Ecclesiastici, tres verò essent laici. Sed vt ex fine patuit longè alius erat in corde quàm homines viderent in facie. Videns enim multum sibi ab omnibus credi ex auro & lapidibus preciosis quibus cruces festis diebus super altare ponendæ fuerant opertæ, non exiguam partem furtim discerpens aurifici cuidam vendendi causa tradidit.* Denique & tertium Anselmum Laudunensem memorat, qui super hoc thesauri furto iam detecto consultus est à reliquis Ecclesiæ Laudunensis Canonicis, & à ciuibus, tanquam vrbis totius lucerna & lumen. Sic enim idem Author de eo loquitur: *Protinus ergo*, inquit, *generalis Conuentus Canonicorum & ciuium conuocatur, quid opus sit fa-*

image
not
available

loquens, *adgraui ſsimos viros Anſelmum Laudunenſem, & Guillelmum Campellenſem Catalauni Epiſcopum migrans, ipſorumque dictorum pondus tanquam ſubtilitatis acumine vacuum iudicans, non diu ſuſtinuit. Inde magiſtrum induens Parrhiſius venit, plurimum in inuentionum ſubtilitate, non ſolum ad Philoſophiam neceſſariarum, ſed & pro commouendis ad iocos animis hominum vtilium, valens.*

ADVLESCENTVLA QVÆDAM NOMINE HELOISSA, NEPTIS CANONICI CVIVSDAM, QVI FVLBERTVS VOCABATVR] Vir doctus Papyrius Maſſonus Lib. III. Annal. hanc Heloiſam præſtanti ingenio formaque puellam, ait fuiſſe filiam naturalem Ioannis neſcio cuius Pariſienſis Canonici. Verùm id vnde ſumpſerit, non eſt in promptu, nec certè concordat aut ipſius Abaelardi dictis, aut Calendario etiam Paraclitenſi quod recenſet obitum Fulberti Canonici Heloiſæ auunculi, corruptè tamen ſub Huberti nomine, his verbis: VII. *Cal. Ianuar. obijt Hubertus Canonicus Dominæ Heloiſæ auunculus.* Quin & Fulberti Canonici Pariſienſis meminit Ordericus Vticenſis Monachus lib. VII. Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ; quẽ vt hunc quoque eundem Heloiſæ auunculum fuiſſe credam, ratio potiſſimum temporis facit. *Regnante*, inquit, *Ludouico Rege, quidam Canonicus nomine Falbertus Pariſius erat, qui os integrum de ſpina S. Ebrulfi habebat, quod Capellanus de Capella Henrici Regis Francorum ſubtraxerat, eique iamdudum pro amoris pignore dederat. Timens autem pro diuerſis cauſis illud habere, Fulcone Presbytero* MAULIÆ *mediante, accerſit Guillelmum de* MONSTEROLO *Priorem* MAULIÆ, *eique reliquias tradidit deferendas Vticenſi Eccleſiæ.* PAG. 10.

VBI APVD SOROREM MEAM] Sorori huic Abaelardi nomen Dionyſia, quam reperio deceſſiſſe II. Nonas Decembris. Sic enim Calendarium Paraclitenſis Cœnobij. II. *Non. Decem. obijt Dionyſia Magiſtri noſtri Petri germana.* PAG. 13.

DONEC PARERET MASCVLVM, QVEM ASTROLABIVM NOMINAVIT] Heloiſa ipſa ſcribens ad Petrũ Abbatem Cluniacenſem, *Memineritis*, inquit, *& amore Dei & noſtri, Aſtralabij veſtri, vt aliquam ei vel à Pariſienſi, vel alio quolibet Epiſcopo prębendam acquiratis.* Et Petrus Heloiſæ reſpondens. *Aſtralabio veſtro, veſtrique cauſa noſtro, mox vt facultas data fuerit, in aliqua nobilium Eccleſiarum prębendam libens acquirere laborabo.* Geſtaſſe verò & Petri prænomen hunc Aſtralabium, ſiue Aſtrolabium, docet Necrologicus liber Paraclitẽſis in hæc verba. IV. *Cal. Nouemb. obijt Petrus Aſtralabius Magiſtri noſtri Petri filius.*

Digitized by Google

image
not
available

ſummoperè in vigilando auxilientur nobis, ad priuilegia ergares Dei Sanctorumque eius corroboranda; vti recipiant ipſi nobiſcum remiſſionem peccaminum pro huiuſmodi re dignè exequenda. Precibus etenim noſtræ genitricis, ſcilicet ADELAIDIS *Reginæ inſignis, cui prorſus nihil denegare, verum omnimodis denotè inſeruire debemus, promoti, ſuper quarumdam Eccleſiarum villarumque aſtipulatione præcepti, quæ* Monialibus Deo famulantibus in Monaſterio ſanctæ Mariæ* ARGENTOLIO, *ob animæ ſuæ, patris quoque noſtri, videlicet* HVGONIS *beatæ memoriæ, atque noſtræ requiem dedit; libenter eius voluntati paruimus, & dictis fauentes, petitionem ipſius idoneæ ratione perſoluere curauimus. Sunt autem res collatæ hæ. In primis eæ quæ poſſidebat Argentolio Rex* HVGO, *donans illa Deo ſacratis inibi degentibus. Ad hoc Cauenoilus, vbi haberi æſtimantur manſa* XXX. *cum Eccleſia in honore ſancti Petri. Villa quoque Montiliacus cum manſis* VII. *& Eccleſia in honore S. Martini. In Aconiaco verò vico manſa duo. In Otreuilla ſimiliter duo manſa & dimidium. Inter Alnedum & Liſiuillam manſum vnum. In Villena ergo manſum. In Satrouilla* XX. *manſa cum duabus piſcationibus. In inſula Berliſeia, & in ipſa villa Cornella altera piſcatio. In Argentolio mercatum & theloneum rotarum atque tenſamentum vini. In Lupocurte* V. *manſa. Villa Trapas quoque, & quicquid ad eam pertinet cũ Eccleſia. Anilecortis verò villa, & quicquid ad eam pertinet cũ Eccleſia. Burduneiũ quoque villa, & omnia ad eam pertinentia cũ Eccleſia. Monſterolum quidem villa, cum Eccleſia S. Loaniũ† villa cũ Eccl. & molendino vno, & cũ arpennis pratorum* XII. *Bratheias villa cũ omnibus appendicijs ſuis & Eccleſiis. Merlant quoque villa. Cariſius quoque villa cum tribus molendinis atque pratis. Hæc omnia ſupradicta prædictis Monialibus data ob amorem Dei & reuerentiam beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ confirmamus auctoritate, quatenus ſemper ſub pleniſſima defenſione, & emunitatis tuitione rata permaneant. Ita videlicet vt nullus abhinc ad cauſas exigendas, aut freda vel tributa, aut manſiones vel paratas faciendas, vel fideiuſſores tollendos, aut homines eius Eccleſiæ tam ingenuos quàm ſeruos, ſuper terram earum commanentes, iniuſtè diſtringendos, nec vllos redditus aut illicitas occaſiones requirendas noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt exigere præſumat. Sed liceat ipſis ſupradicta ſub firmitatis defenſione quieto ordine poſſidere, ad ſtipendia earum ſine tenus ibi Deo militantium. Et hanc auctoritatem, vt firmior in Dei nomine habeatur, à fidelibus quoque ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentiùs*

* f quas

† S. Loanius

image
not
available

ac meditationi incubãs, de acuto acutior, de literato efficitur literatir.

ERAT AVTEM ABBATIA ILLA NOSTRA SECVLARIS ADMODVM VITÆ] Attamen & non adeò longè antea Reges Hugo & Robertus reformationem illius procurauerat per manũ venerabilis Odilonis Abbatis Cluniacensis, quem Fulbertus Carnotensis Episcopus Archangelum cognominat. Asserit enim hoc imprimis Ademarus Lemouicensis Monachus in Chronico, cùm ait. *B. Dionysii Cœnobium, quod iam pristinam Monasticam corruperat Regulam, Rex* HVGO *regulari honestate sicut in Ecclesiis Domini rectum erat, honestius restaurauit per manum venerabilis* ODILONIS *Abbatis, & alia Sanctorum nonnulla Monasteria in decorem pristinæ disciplinæ reuocauit.* Asserit & Iotsaldus Cluniacensis Monachus in vita S. Odilonis, lib. II. cap. IX. in hæc verba: *Lutetiæ Parisiorum proximum est Monasterium S. Dionysii Martyris glorioſi corporis honore præclarum. Qui locus à Francorũ Regibus Hugone & Roberto viro Dei* ODILONI *fuerat cõmissus, vt Monachili Ordine, & doctrina regularis vitæ proueheretur in melius. In quo Cœnobio aliquando Dei famulus cõmanens vitæ pabulum & salutis haustũ facundo ore suis auditoribus ministrabat. Gerebat tunc officium Præposituræ senior* IVO *amicabilis homo, qui benè meritum Patrem obseruare, & colere studebat, &c.*

CVIVS ABBAS IPSE, QVO CÆTERIS PRÆLATIONE MAIOR; TANTO VITA DETERIOR] Abbati huic S. Dionysii nomen Adã, qui cœpit regere Monasterium anno MXCIX Sed vtrũ tã in famis vitę fuerit, vti scribit hîc Abaelardus, haud immeritò dubitari potest. Nam & pauperũ CHRISTI curam magnam gessisse, patet vel ex his eius Litteris, quas Tabulæ Sandionysianæ suggesserunt.

PAG. 19.

De quinque modiis annonæ datis ab Eleemosynario pauperibus.

In Dei nomine ego ADAM *Dei gratia Monasterij Martyris Christi* DIONYSII *Abbas, patefieri volo vniuersitati fidelium, quod* XIII. *nostræ prælationis anno, in terra nostra fames adeò præualuit, vt annona quãuis caro pretio emenda vix posset inueniri: qua inopia pauperes afflicti & penè exanimes officinis nostris multipliciter se ingerebant. Fores verò Domus Eleemosynæ quotidie innumeri irrumpebant, quorum afflictioni ego & fratres nostri cõdolentes in Capitulum cõuenimus, & qualiter eorũ penuriæ & defectioni à nobis subueniri posset tractare cœpimus. Hoc nobis tractantibus, frater* IOANNES *cui Eleemosynam commiseramus, surrexit in medio; dixitque quoniam si Domum*

Digitized by Google

image
not
available

Quare ſatis mirari non poſſum cur Abaelardus etiã ſubijciat ſe *intolerabiles* Abbatis illius & Monachorum S. Dionyſi, *ſpurcitias frequenter atque vehementer, modo priuatim, modo publicè redarguentem, omnibus ſuprà modum oneroſum atque odioſum effeciſſe.* Niſi forſitan eis, quos poſtea infenſiſſimos habuit, aliqua ſaltem verborum acrimonia parem gratiam referre voluerit.

AD QVAS QVIDEM TANTA SCHOLARIVM MVLTITVDO CONFLVXIT, VT NEC LOCVS HOSPITIIS, NEC TERRA SVFFICERET ALIMENTIS] Nemo breuius infinitam illam Scholarium Abaelardi multitudinem expreſſit, quàm Chronici Moriniacenſis Scriptor cùm ait: *Petrus Abailardus Monachus & Abbas, vir erat religioſus, excellentiſſimarum Rector Scholarum, ad quas penè de tota Latinitate viri litterati confluebãt.* Sed quod ſummatim & vno penè verbo complexus eſt, id Fulco Diogilli Prior etiam ante clariùs ac ſpecialius expoſuerat. Nam in Epiſtola qua conſolatus eſt eum poſt caſtrationem, de diſcipulis & auditoribus, ab Italia, Germania, Hiſpania, Anglia, Flandria, cunctiſque Franciæ Prouincijs ad eius Scholas confluẽtibus ſic loquitur, *Roma ſuos tibi docendos tranſmittebat alũnos, & quæ olim omnium artium ſcientiam auditoribus ſolebat infundere, ſapientiorẽ te ſe ſapiẽte tranſmiſſis Scholaribus monſtrabat. Nulla terrarum ſpatia, nulla montium cacumina, nulla concaua vallium, nulla via difficili licet obſita periculo & latrone quominus ad te properarent retinebat. Anglorum turbam iuuenum mare interiacens & vndarum procella terribilis non terrebat; ſed omni periculo contempto, audito tuo nomine ad te confluebat. Remota Britannia ſua animalia erudienda deſtinabat. Andegauenſes eorum edomita feritate tibi famulabantur in ſuis. Pictaui, Vuaſcones, & Hiberi; Normannia, Flandria, Theutonicus & Sueuus, tuum calere ingenium, laudare & prædicare aſsiduè ſtudebat. Prætereo cunctos Pariſiorum ciuitatem habitantes, & intra Galliarum proximas & remotiſsimas partes, qui ſic à te doceri ſitiebant, ac ſi nihil diſciplinæ non apud te inueniri potuiſſet. Ingenij claritate & ſuauitate eloquij, & linguæ abſolutioris facilitate, necnon & ſcientiæ ſubtilitate permoti, quaſi ad limpidiſsimum Philoſophiæ fontem iter accelerabant.* Ac ne quis inter alios de Romanis Scholaribus dubitet, id ipſum teſtatur & S. Bernardus licet Abaelardo noſtro paulò ſubinfenſior, his Epiſtolæ CXCIII. verbis, *Securus tamen eſt*, nempe Petrus Abaelardus,

quoniam Cardinales & Clericos Curiæ ſe diſcipulos habuiſſe gloriatur. Et alibi Guidonem de Caſtello Presbyterum Cardinalem, qui poſtea Celeſtinus II. Papa fuit, eius quoque auditorem fuiſſe ſubindicat. Verum vt Pontificibus Maximis & Cardinalibus Epiſcopos etiam aliquos eruditiores ac maioris nominis coniungamus, Petrus ille Nouarienſis, ſeu Lombardus, à Lombardia patria cognominatus, idéque poſtea Pariſienſis Epiſcopus, & Magiſter Sententiarum, lectiones eius præ cæteris amplexatus eſt. Denique Gaufridum Antiſſiodorenſem, & Berengarium Pictauienſem, de quorum ſcriptis ac doctrina dicetur alibi diſcipulos illius extitiſſe manifeſtius eſt quam vt probationibus indigeat.

ACCIDIT VT QVENDAM THEOLOGIÆ TRACTATVM DE VNITATE ET TRINITATE DIVINA SCHOLARIBVS NOSTRIS COMPONEREM] Tractatus hic ille eſt quem edidimus ad calcem Operis, & cui varia nomina paſſim Abaelardus ipſe tribuit. In Epiſtola enim ad Gaufridũ Pariſienſem Epiſcopum *Opuſculum de fide ſanctæ Trinitatis* appellat; in Commentario ſuper Epiſtolam ad Romanos, frequenter *Theologiam ſuam*, & in præfatione Operis, *ſacræ eruditionis Summam*, ſiue *diuinæ Scripturæ Introductionem*. Quòd autem Opus illud ſe compoſuiſſe dicit, vt Scholarium petitioni ſatisfaceret, qui Trinitatem fidei Chriſtianæ fundamentum, humanis & Philoſophicis rationibus ac ſimilitudinibus ediſſeri requirebant, & plus quæ intelligi quàm quæ dici poſſent efflagitabant; hæc tamẽ ſola non fuiſſe ſcribendi cauſa vel inde colligi poteſt, quod Libro II. ipſius Operis artic. IV. docet, Hæreſes non adeo repreſſas fuiſſe ſuis temporibus, vt iam nullo fidei fundamento eſſet opus: imò nullos in tantam olim inſaniam prorupiſſe hæreticos, quanta nonnulli contemporaneorum ſuorum debacchati eſſent. Et apertiùs Artic. præcedenti, *Quicquid*, inquit, *horum quiſlibet conſtituat, miror qua me fronte aliquis arguat, ſi cæterorum de his ſcribentium prouidentiam laudet. Niſi forte in hoc noſtrum iam penitus ſuperfluere Tractatum dicat, quod & illorum documenta ſufficiant, & nullæ iam vlterius quibus reſiſtendum ſit pullulent hæreſes, vel nullæ de noſtra fide ſuperſint dubitationes, quæ aliquibus rationibus vel ad documentum, vel ad defenſionem eius egere videantur. Atque vtinam ita ſit! At verò vt innumeram multitudinem infidelium, quæ extra Eccleſiam eſt, tam Iudæorum ſcilicet*

quàm Ethnicorum prateream, quis ita omnes hæreſes repreſſas profiteri audeat, vt iam nulla apud nos fidei ſint ſchiſmata, nullæ vlterius futuræ ſint diſſenſiones? Compoſuit igitur Librum illum cùm Scholaribus, tum ad reprimendos diuinorum librorum magiſtros hæreticos, qui ſuo tempore multa Catholicæ fidei vel ſanctis doctrinis aduerſa non ſolum tenebant, verumetiam docebant, *quorumque vnus*, inquit art. v. *in Francia, alter in Burgundia, tertius in pago Andegauenſi, quartus in Bituricenſi, peſtilentiæ cathedras tenebant.* Imo potiſſimum aduerſus hæreſim vnius ex illis ſcripſit, vt ipſemet declarat in Epiſtola jam citata ad Gaufridum Pariſienſum Epiſcopum, his verbis: *Relatum eſt nobis à quibuſdam diſcipulorum noſtrorum ſuperuenientibus, quòd erectus ille & ſemper inflatus Catholicæ fidei hoſtis antiquus, cuius hæreſis deteſtabilis tres Deos confiteri, imo & prædicare Sueſſionenſi Concilio à Patribus conuicta eſt, atque inſuper exilio punita, multas in me contumelias & minas euomuerit, viſo Opuſculo quodã noſtro de fide ſanctæ Trinitatis, maximè aduerſus hæreſim præfatam, qua ipſe infamis eſt, conſcripto.* Et lib. II. ipſius Opuſculi, art. vij. *Alter quoque*, inquit, *totidem erroribus inuolutus, tres in Deo proprietates, ſecundum quas tres diſtinguntur perſonæ, tres eſſentias diuerſas ab ipſis perſonis, & ab ipſa Diuinitatis natura conſtituit, vt ſcilicet paternitas Dei vel filiatio ſiue proceſſio res quædam ſint tam ab ipſis perſonis quàm ab ipſo Deo diuerſæ.* Quis autem fuerit hæreticus iſte non diu quærendum, ſi quod Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus ad Fulconem Beluacenſem Epiſcopum de Roſcelino Abaelardi noſtri primo præceptore ſcripſit attendatur. Sic enim inter cætera de peruerſis eius circa Trinitatem erroribus à Rainaldo Remẽſi Archiepiſcopo damnandis loquitur. *Audio, quod tamen abſque dubietate credere non poſſum, quia Roſcelinus Clericus dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res ab inuicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen vt vna ſit voluntas & poteſtas, aut patrem & Spiritum ſanctum eſſe incarnatum, & tres Deos verè poſſe dici ſi vſus admitteret, in qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiſcopum Lanfrancum fuiſſe, & me eſſe. Quapropter dictum eſt, Concilium à venerabili Remenſi Archiepiſcopo Rainaldo colligendum eſſe in proximo. Quoniam ergo puto reuerentiam veſtam ibi præſentem futuram, volo vt inſtructa ſit quid pro me reſpõdere debeat, ſi ratio exegerit.* Et paulo poſt, *Quicumque blaſphemiam quam ſupra poſui me audiſſe à Roſcelino dici pro*

Digitized by Google

ate asseruerit, sive homo, sive Angelus, anathema est, & confir-
do dicam, quandiu in hac persisterit pertinacia, anathema sit, om-
nim Christianus non est. Quid Abaelardi dictis conue-
ius, aut affinius dici potest? Attamen quod Anselmus
hunc Roscelinũ asseruisse Lanfrancum, & se, in eadem
o fuisse sententia, manifestius adhuc conuincit illum ip.
sse contra quem Petrus noster scripsit. Ait enim idem
fata Epistola ad Gaufridum, *Hic contra egregium illum*
em Christi Robertum Arbrosello contumacem ausus est Epistolam
gere, & contra illum magnificum Ecclesiæ Doctorem Anselmum
uarien sem Archiepiscopum adeò per contumelias exarsit, vt ad
s Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens eius contumacia
ecta, & vix tam cum vita euaserit. Vult cum infamia habere par-
pem, vt per infamiam bonorum suam consoletur infamiam, nec nisi
em odit, qui bonus esse non sustinet. Qui ob intemperantiam arro-
antiæ suæ ab vtroque regno in quo conuersatus est, tam Anglorum sci-
icet quàm Francorum, cum summo dedecore expulsus est, & in ipsa,
cuius pudore Canonicus dicitur, beati Martini Ecclesia, numquam
vt aiunt, à Canonicis verberatus, morem solitum seruauerit. Quæ
verba faciunt & ad interpretationẽ alterius eiusdem Anſel-
mi loci, qui scribens ad Vrbanum II. Papam, refert se cùm
Beccense Monasterium regeret præsumptã fuisse à quodam
Clerico in Francia talem assertionem: *Si in Deo tres sunt perso-*
næ, vna tamen res, & non sunt tres res; Ergo Pater cum Filio & Spi-
ritu sancto est incarnatus. Et postea subiungit illum in Concilio
venerabili Remensi Archiepiscopo Rainaldo errorem suum
abiurare coactum. Audisse tamen postea præfatæ nouitatis
auctorem in sua perseuerantẽ sententia dicere, se nõ ob aliud
abiurasse quod dicebat, nisi quia à populo verebatur interfici.
Præterea quæ Petrus Abaelardus de Concilio celebrato Sues-
sioni; & Anselmus de defensione sententiæ post abiurationẽ
eam dixerunt, eadem quoque omnia Iuo Carnotensis
Episcopus Roscelino tribuit his Epistolæ VII. verbis; *Iuo Dei*
gratia Carnotensium humilis Episcopus Roscelino nõ plus sapere quàm
oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Si esses ouis centesima in de-
perdita, sed gregi iam reddita, sicut exarserat in te zelus meus,
tam intellexi te auersum & aduersum; sic requieseret in te spiri-
tus meus si te cognoscerem ad doctrinã sanam conuersum & reuersum.
Quia sciote post Concilium Suessionense in auribus quorumdam,

quos mecum benè noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis diſputationibus ſtudioſiſsimè defendiſſe, & eandem quam abiuraueras, & alias non minus inſanas perſuadere voluiſſe, non poteſt intrare in cor meum, quòd adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaueris. Denique quod Aduentinus de Ruſcelino, ſiue Roſcelino ſcribit, eum auctorem fuiſſe Nominalium, *qui auari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videbantur eſſe aſſertores*, ab hac etiam altera, quam Abaelardus aduerſario ſuo obtrudis, obiectione non omnino diſconuenit: *Hic*, inquit, *ſicut pſeudo-Dialecticus, ita & pſeudo-Chriſtianus, cùm in Dialectica ſua nullam rem partes habere æſtimat, ita diuinam paginam impudenter peruertit, vt eo loco quo dicitur Dominus partem piſcis aſsi comediſſe, partem huius vocis, quæ eſt piſcis aſsi, non partem rei intelligere cogatur.* Quare non mirum, ſi præfatus Abaelardus nomine deſignare quis iſte eſſet ſuperfluum duxerit, quem tot ſingulares notæ ſingulariter notabilem faciebant. Et hæc quantum ad occaſionem componendi Tractatus de Trinitate ſufficiant.

QVEM QVIDEM TRACTATVM CVM VIDISSENT ET LEGISSENT PLVRIMI, COEPIT IN COMMVNE OMNIBVS PLVRIMVM PLACERE] Cuius autem vel qualis æſtimationis fuerit iſte Liber, vnicum etiam S. Bernardi teſtimonium demõſtrare potens eſt. Scribens enim ad Epiſcopos & Cardinales Curiæ Romanæ, *Legite*, inquit, *ſi placet, Librum Petri Abaelardi, quem dicit Theologiæ. Ad manum eſt enim; cùm, ſicut gloriatur, à pluribus lectitetur in Curia.* Et Epiſtola CXCI. *Surrexit à mortuis Liber ille, iam iam extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad Romam propagines eius. Hæc gloriatio hominis illius, quòd Liber ſuus in Curia Romana habet vbi caput ſuum reclinet.* Sed quia Libri ſententiarum Petri Lombardi Epiſcopi Pariſiẽſis id obtinuerunt, vt ſoli tandem in publicis Theologiæ Scholis legi, vel ab antiquis retro temporibus meruerint, plurimum adhuc ipſam Abaelardi Theologiam commendaſſe mihi videbor, ſi dictum Lombardum ea potiſſimum in componendis illis Libris vſum fuiſſe palam fecero. Quod præſtare nec difficile, nec aliquibus fortaſſis ingratum fuerit. Id enim ex Eulogio Ioannis Cornubienſis, ipſius Lombardi diſcipuli diſcitur, vbi poſtquam dixit, *Magiſter Petrus Abailardus in Theologia ſua ſic diſſeruit: Quid eſt dicere Deum fieri hominem, niſi diuinam ſubſtantiam,*

image
not
available

putationis quam Hugoni Rothomagenſi Archiepiſcopo nuncupauit, his verbis: *Scripſit autem idem Petrus aliud Opuſculum, quod Scito te ipſum intitulauit, & ſuam ni fallor Ethicam appellauit*: quia ſcilicet in eo plurima de moribus, ſiue vt S. Bernardi verbis vtar, de virtutibus & vitiis moraliter diſputauit. Nec dubito quin Librum iſtum legiſſet etiam anonymus ille Poeta, qui ſcripſit anno MCCCLXXVI. Nam cùm Abaelardus in Commentario ſuo præfato ſuper Epiſtolam ad Romanos promiſiſſet ſe de libero arbitrio tractaturum in Ethica, ſic dictus Poeta definitionem eiuſdem liberi arbitrii protulit ex Abaelardo.

Pierre Abalard en vn Chapitre,
Où il parle de franc arbitre,
Nous dit ainſi en verité,
Que c'eſt vne habilité
D'vne voulenté raiſonnable,
Soit de bien ou de mal prenable.
Par grace eſt à bien faire encline,
Et à mal quand elle deſcline.

Verum hæc Ethica, quamuis diligentiſſimè perquiſita, nec inuenta adhuc nec reperta eſt.

DENIQVE compoſuit Abaelardus Hiſtoriam Calamitatum ſuarum, de qua mentionem facit Petrarcha: Plures Epiſtolas ad Heloiſam & alios, quarum aliquæ memorantur à Ioanne Clopinello Magdunenſi: Regulam & inſtitutionem Sanctimonialium: Expoſitiones in Orationem Dominicam, in Symbolum Apoſtolorum, in Symbolum Athanaſii: Solutiones Problematum Heloiſæ: Sermones per anni Circulum, ad Virgines Paraclitenſes, & alia quædam Opuſcula quę nunc primum edidimus: Hymnos etiam Eccleſiaſticos, qui reperiuntur in Breuiario Paraclitenſi. Necnon Apologeticum pro innocentiæ ſuæ excuſatione, quem vt alium ab Apologia ſiue Confeſſione fidei ab eodem vniuerſis Eccleſiæ filiis directa, credam, hæc Othonis verba lib. 1. de rebus geſtis Freder. cap. XLIX. me mouent, *Poſt damnationem*, inquit, *ſui dogmatis*, de qua nos poſtea, *ad Cluniacenſe Cœnobium ſe contulit, Apologeticum ſcribens, prædictorum Capitulorum partim verba, ex toto autem ſenſum negans, qui ſic incipit. Ne iuxta Boetianũ illud, pramÿs nihil af-*

image
not
available

launenſium, & Abaelardo; tum ex Epiſt. LVIII. eiuſdem S. Bernardi, qua manifeſtè docet Ebalum Guillelmo ſucceſſiſſe. Magiſter autem Albericus paulo poſt Leodienſi, Canonicus effectus eſt, vt conſtat ex Calendario S. Victoris Pariſienſis ac tandem in Magiſterio Scholarũ iã ſeneſcens Archiepiſcopatum Bituricenſem obtinuit. Nam id notat Chronologus S. Petri Viui Senonenſis ad annum MCXXXIX. *Hoc an.* inquit, *Vlgrinus Bituricenſis Archiepiſcopus obijt. Succedit Albericus Remenſis.* Et appertius adhuc, *Anno* MCXLI. *Petrus de Caſtro Bituricenſis ordinatur Archiepiſcopus, defuncto Alberico Rhemenſi Magiſtro.*

DEFVNCTIS MAGISTRIS GVILLELMO, ATQVE ANSELMO] Deceſſit Guillelmus Campellenſis Epiſcopus anno MCXIX. vt iam ſuprà notatum eſt: Anſelmus verò Laudunenſis anno MCXVI vt ſcribit Ioannes S. Victoris Canonicus Regularis in Chronico, *Hoc anno*, inquit, *obijt vir venerabilis Anſelmus Laudunenſis Decanus, Magiſter nominatiſſimus, litterarum ſcientia clarus, vir morum honeſtate, & conſilij maturitate venerandus, qui inter cetera opera in Pſalterio gloſas marginales & interlineares ordinauit.* Quibus verbis addit & aliud Chronicon manuſcriptum, *Epiſtolas quoque Pauli, & alias vtriuſque Teſtamenti Scripturas pari modo delineando expoſuit, & in eis exponendis atque glozandis iuxta antiquorum Patrum ſcripta vſque ad ſenilem etatem deſudauit. De quo dixiſſe fertur Eugenius Papa, quia Deus ſpiritum eius ſuſcitauerit ne ſcriptura periret. Ad Pontificales Cathedras pluries vocatus nullatenus acquieuit.* Defunctus autem Lauduni, in Eccleſia S. Vincentii ſepultus eſt, vbi & vnus ex diſcipulis tali Epitaphio moribus ac meritis congruo tumulum eius decorauit.

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille Magiſter
Anſelmus, cui per diffuſi climata mundi
Vndique notitiam contraxit, & vndique laudem
Sana fides, doctrina frequens, reuerentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, cenſura vigens, correctio dulcis,
Conſilium ſapiens, mens prouida, ſobria, clemens.
Sed quas larga Dei conceſſit gratia dotes
Idibus inuiſis diſſoluit Iulius ater.
Qua viuens viguit comitetur gratia functum.

image
not
available

douici Regis Francorum celeberrimè conſecratus : omnibus deſolatis nouus Paſtor tranſmittitur. Et apud Robertum de Monte breuiter, *Anno* MCXIV. *in Remenſi Metropoli poſt Manaſſem illuſtrem virum, exturbato Geruaſio Radulphus ſucceſſit, qui Viridis cognomen habuit.*

ASCITO CONANO PRÆNESTINO EPISCOPO, QVI TVNC LEGATIONE FVNGEBATVR IN GALLIA] Conani huius, ſiue Cononis, Paſchalis II. Papæ Legati meminerunt Nicolaus Monachus in vita S. Godefrid. Epiſcopi Ambian. lib. IIII. C. IX. Sugerius in vita Ludouici Groſſi, Robertus Autiſſiodorenſis ad annum MCXV. Guillelmus Malmesburienſis lib. I. de Geſtis Potif. Angl & alij. Extantque etiam aliquot Goffrid. Vindocinenſis Abbatis, & Iuonis Epiſcopi Carnotenſis Epiſtolæ ad eum ſcriptæ. Chronicon Vrſpergẽſis Abbatis Cunonem, & aliquis alius Conum nuncupat. Nec fortaſſe nomen id aliud eſt à Conradi nomine. Nam in Chronico Vizeliacenſi reperitur ad annum MXXIV. *Cono, qui & Conradus, Imperator Romæ.* Cono autem hic Epiſcopus Prænestinus bis in Gallia ſedis Apoſtolicæ Legatione functus eſt, ſemel ſub Paſchali, anno MCXV. quo tria Concilia celebrauit Beluaci, Rhemis, & Catalauni. Sic enim docet nos vetus Chronicon S. Petri Viui Senonenſis, *Anno* MCXV. inquit, *Factum eſt Concilium Rhemis* VI. *Cal. April. Item aliud fuerat celebratum apud Beluacum à Conone Præneſtino Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ Legato. Rurſus in eodem anno aliud apud Catalaunum* V. *Id. Aprilis.* Secundò ſub annum MCXX. Callixto II. Pontifice, ſicut ex Præcepto Ludouici Senionis Regis de Eccleſia Cergiaci & rebus pertinentibus ad eam patet, his verbis: *Communicato cum Palatinis noſtris conſilio, ad ipſam ſanctiſſimorum Martyrum*, ſcilicet Dionyſij & ſociorum, *Baſilicam cum coniuge noſtra accelerauimus, & præſente venerabili Epiſcopo domino* CONONE *ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legato, quoniam iure & conſuetudine Regum Francorum demigrantium inſignia regni ipſi ſancto Martyri tãquam Duci & Protectori ſuo referuntur, Coronam patris noſtri ei reddidimus, pro dilatione redditionis ſatisfecimus, & tam pro ſalute animæ noſtræ, quàm pro regni adminiſtratione, coniugis & prolis cõſeruatione Eccleſiam de Cergiaco ſicut liberè poſsidebamus, cum decimis & omnibus ad Eccleſiã pertinẽtibus Eccleſiæ reſtituẽdo, ipſis ſanctis Martyribus cõtulimus.* Et infrà, *Actũ publicè anno incarnati Verbi* MCXX. *regni* XII. *Adelaudis autem*

image
not
available

dis Legatus, dequo plura ſanctus Bernardus, & qui vitam eius conſcripſit Bernardus alter Bonævallis Abbas. Extant etiam aliquot Gauffridi Vindocinenſis Abbatis ad eum Epiſtolæ.

INDE QVASI REVS ET CONVICTVS ABBATI SANCTI MEDARDI, QVI ADERAT TRADITVS] Abbas his forſitan Anſelmus ille qui ſub annum Chriſti MCXXVIII. Abbas ſancti Vincentij Laudunenſis, ac tandem anno MCXLV. Epiſcopus Tornacenſis effectus eſt: de quo iam nos ſuperiùs ex Hiſtoria Laudunenſis Eccleſiæ. Monaſterium autem ſancti Medardi cœptum eſt à Clotario I. R. F. apud Sueſſionas, & à Sigiberto filio eius expletum atque compoſitum; vti docet Gregorius Turonenſis Archiepiſcopus lib. IV. Hiſt. Fr. cap. XX. his verbis. *Tempore quoque Clotharij Regis ſanctus Dei Medardus Epiſcopus, conſummato boni operis curſu, & plenus dierum, ſanctitate præcipuus, diem obyit. Quem Clotharius Rex cum ſummo honore apud Sueſſionas ciuitatem ſepeliuit, & baſilicam ſuper eum fabricare cœpit, quam poſtea Sigibertus filius eius explenit atque compoſuit.* Refertque ſanctus Gregorius Pontifex Maximus, hoc Monaſterium à Ioanne III. prædeceſſore ſuo caput omnium Monaſteriorum & Abbatiarum Franciæ conſtitutum fuiſſe. Sed quia Litteræ quibus id aſſeritur, valde ſuſpectæ ſunt, & à multis etiam falſitatis arguuntur, libet hîc integram Ioannis III. Conſtitutionem ſubijcere; quanquam & ipſa ſuppoſitionis, aut ſaltem adulterationis vitio non caret. Meminit enim inter cetera nominis Archiepiſcoporum, quod ante Pipini & Caroli Magni ſeculum in vſu non fuit. Nec ſtilus quoque conformis eſſe videtur litteris Apoſtolicis illius ſecuti. Quinimo neque Monaſticarum fundationum confirmationes à Sede Romana requiri, neque anni Dominicæ Incarnationis publicis inſtrumentis apponi, niſi longo poſt tempore cœperunt vti docet alicubi doctiſſimus & illuſtriſsimus Cardinalis Baronius. Eſt autem Conſtitutio illa ſiue Priuilegium Ioannis III. eiuſmodi. PAG. 25.

Digitized by Google

image
not
available

Stephani & domni Medardi, quorum honore & meritis ipſe locus ſacratus refulget. Ad quorum altare venerandum & præcipuum, omnes Eccleſias & altaria, de omnibus terris quæ collatæ ſunt vel conferentur, facta præceptione regali, & Apoſtolica auctoritate cauſa honoris cõcedimus. Conſecrationes quoque fontium, & ſcrutinij myſteria ſemper in ipſo celebrentur Monaſterio. *Chriſmatis quoque ac olei vbicunque libuerit expetant benedictionem, nec vllius occaſionis cauſa vel neceſſitatis à quoquam Rectore tantus honor intermittatur, ne tantæ ſublimitatis locus vileſcat, quem caput conſtituimus Monaſteriorũ totius Galliæ, nulliuſque ditioni patimur eſſe ſubiectum: ſed ſemper ſub Regali cuſtodia poſitus, huius ſanctæ Romanæ ſedis Antiſtitũ auctoritate aduocationem B. Petri habeat. Caueant autem omnes ſanctæ Dei Eccleſiæ ſucceſſores & Regni gubernatores, ne hoc priuilegium irritum faciant, quod Apoſtolica auctoritate ſancitum, & Regum manibus verè firmatum eſt, & conſenſu* Bavdaridi *Epiſcopi Sueſſorum factum, inſuper & ſeptuaginta Epiſcoporum tali anathemate ſolidatum. Quicũque huius nomine auctoritatis contradictor extiterit, vel fratres in præfata Baſilica inquietauerit, vel de omnibus rebus ipſi loco conceſſis vel concedendis aliquid abſtulerit, vel aliter ordinauerit, in die reuelationis Domini ſit anathema maranatha, & à conſortio Chriſtianitatis ſequeſtratus, à corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti alienus exiſtat. Et cuiuſcumque ſublimitatis vel dignitatis ſit, honore ſuo in preſenti ſæculo priuetur, & in exilium relegetur, & in futuro ſæculo cum Iuda traditore Domini in pœnis æternalibus damnetur, & cum Diabolo & Angelis eius in inferno inferiori numquam reſargendus demergatur, niſi ſanctæ congregationis animos placauerit, & ſanctæ Dei Eccleſiæ miniſtros ſibi reconciliauerit. Ego Simplicius Notarius ſanctæ Romanæ Sedis ſubſcripſi & ſigillaui. Datum in Eccleſia S. Silueſtri,* v. *Idus Martij, anno Dominicæ incarnationis* dlxii. *indictione* x. Ceterum, quanti fecerint & alij Frãcorum Reges poſt Clotharium, inſignẽ illam S. Medardi Baſilicam; vel id imprimis indicat quod Andreas Marcianenſis Monachus ſcribit, *Ludouicum Imperatorem anno* xi. *Imperij ſui, impetraſſe ab Eugenio Papa corpus S. Sebaſtiani Martyris, & Sueſſionis in baſilica S. Medardi collocaſſe, in cuius aduentu multa perpetrauerit Deus miracula.*

Dionysivm areopagitam corinthiorvm potivs qvam atheniensivm fvisse epiſcopvm] Hæc Bedæ ſentẽtia de Dionyſio Areopagita multis etiam hodie non placet, qui Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem eſſe illũ Areopagi-

image
not
available

Vtrum glorioſus Martyr & Pontifex Dionyſius, cuius venerabile corpus in veſtra requieſcit Eccleſia, ſit ille cenſendus qui Areopagita vocatur ab Apoſtolo Paulo conuerſus, diuerſæ ſunt ſententiæ diuerſorum. Quidam autem fatentur Dionyſium Areopagitam in Græcia fuiſſe mortuum & ſepultum, aliumque Dionyſium extitiſſe qui fidem Chriſti Francorum populis prædicauit. Alij verò aſſerunt illum poſt mortem B. Pauli veniſſe Romam, & à S. Clemente Papa in Galliam deſtinatum, aliumque fuiſſe qui mortuus eſt in Græcia, & ſepultus. Vtrũque tamen egregium in opere & ſermone præclarum. Nos autem neutri volentes præiudicare ſententiæ, ſed veſtrum cupiẽtes honorare Monaſterium, quod immediatè ad Romanam ſpectat Eccleſiam, ſacrum B. Dionyſij pignus, quod bonæ memoriæ P. tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis tunc Apoſtolicæ ſedis Legatus de Græcia tulit in vrbem, vobis per dilectos filios Hemericum Priorem & quoſdam alios nuncios Monaſterij veſtri ad generale Concilium deſtinatos deuotè dirigimus: vt cùm vtraſque reliquias habueritis, nulla de cetero remaneat dubitatio, quin ſacræ b. Dionyſij Areopagitæ reliquiæ apud veſtrum Monaſterium habeantur. Vos igitur eas reuerenter ſuſcipite, hanc nobis viciſſitudinem rependentes, vt in orationibus veſtris ſpecialis ſemper ad Deum commemoratio noſtri fiat, & ſecundum oblationem eorumdem nunciorum veſtrorum anniuerſaria obitus noſtri memoria ſolleminiter celebretur. Omnibus autem qui ad has ſacras reliquias veneran-das deuotè conuenerint, quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentijs auctoritate Apoſtolica relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & remiſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Data Laterani pridie Non. Ianuar. Pontificatus noſtri anno XVIII.

Verùm quod attinet ad Abaelardum, cùm fratres eius grauiter ei comminarentur, & de eo vindictam ſumere vellent, quòd eorum Patronum Areopagitam fuiſſe denegaſſet, aliquando tandem palinodiam cantare compulſus eſt. Epiſtolam enim direxit Adæ Abbati ſuo, *Aduerſus eos, qui ex auctoritate Bedæ Presbyteri arguere conabantur Dionyſium Areopagitam fuiſſe Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, & non magis fuiſſe Athenienſium Epiſcopum.* Quam tamen & per dubitationem concluſit, his verbis: *Denique, vt hanc litem variarum ſententiarum pacatiſſimo fine ſopire penitus valeamus, facilè fortaſſis, ſi duos Dionyſios Corin-*

image
not
available

ſubitò puer familiaris, qui meos meque recognoſcens, letus & triſtis, Domini *noſtri bonæ memoriæ Abbatis Adæ anteceſſoris deceſſum denunciat, communemque de perſona noſtra pleno* Conuentu *factam electionem.* Electumque eodem quo deceſſor eius Adam defunctus eſt anno, nēpe MCXXIII. ſubindicat etiā alibi. Nā in præcepto de hominibus villæ beati Dionyſij, quos poſtea libertati tradidit, annum Chriſti MCXXV. adminiſtrationis ſuę tertium numerat, his verbis, *Actum in Monaſterio b. Dionyſij in generali conuentu, præſidente domino Suggerio venerabili Abbate eiuſdem Monaſterij, tertio adminiſtrationis eius anno, Incarnationis autem Dominicæ MCXXV. die Dominica Idus Martij, Luna VII. Ind. III. Epacta XIV. concurrente III. regnante Ludouico glorioſo & illuſtri Francorum Rege, XVII. adminiſtrationis ſuæ anno, & præſentem condonationem confirmante. Ego Suggerius Abbas ſubſcripſi.* & infra, *Ego Gregorius domini Suggerij Abbatis Cancellarius relegi & ſubſcripſi.*

Conveni evm cvm Episcopo Meldensi] Nondum bene mihi conſtat quis hic Meldenſis Epiſcopus. Et tamen aut Burchardum, aut Manaſſem eius ſucceſſorem affirmare poſſum. Nā in tabulario S. Martini de Campis inuenio Burchardum adhuc ſuperſtitem anno MCXXII. Epiſcopatus ſui tertio, Manaſſem verò iam cœpiſſe regere Meldēſem Eccleſiam anno MCXXV. quo *Eccleſiam de Choſiaco S. Martino dedit, cùm candelis de feſtiuitate B. Mariæ, cum tortellis de feſtiuitate S. Stephani, cum XVIII. denarijs infra XII. dies Natalis Domini à Presbytero perſoluendis, cum decimis tam maioribus quam minoribus ad eandem Eccleſiam, & ad Capellam de Marrolijs pertinentibus: & conſilio etiam domini Gaufridi Carnotenſis Epiſcopi, XL. ſolidos ſingulis annis à Presbytero de beneficijs eiuſdem Eccleſiæ perſoluendos.*

Stephanvs qvippe Regis tvnc Dapifer] Nec hinc certè magis præciſa tēporis illius definitio poteſt erui. Nam & Stephanus Dapifer, Regis Ludouici litteris etiam anno MCXX. atque MCXXII. ſubſcripſiſſe legitur in archiuis S. Dionyſij. Quare prætermiſſa diſquiſitione iſta, vidēdum iam potius quis fuerit hic Dapifer ſiue Seneſcall' Stephanus. Hugo de Clerijs in cōmentario de Maioratu & Seneſcalcia Franciæ Comitib. olim Andeg. hęreditaria, docet fuiſſe Stephanum de Garlanda Guillelmi de Garlandâ Dapiferi ſucceſſorem, his verbis: *Guillelmus de Garlanda tunc Franciæ Seneſcallus recognouit in illo collo-*

Digitized by Google

image
not
available

tini, & Eccleſiam Eſſonia cum atrio & decima, Anſelmus eidem Monaſterio contulit. Hoſpites verò in eodem atrio commanentes STEPHANVS *frater eiuſdem Anſelmi ei Monaſterio conceſſit. Apud Canoilum quicquid* ALBERTVS *de Bri, Eccleſiam ſcilicet cum decima, prata, & terram, & nemus Monachis præfati Monaſterij conceſſit, ipſo Anſello annuente, ex cuius feodo habebat. His & alijs beneficijs bonæ memoriæ Anſellus præfatum ditauit Monaſterium, & Chriſtum heredem fecit, fratribus ſuis Stephano,* VVILLELMO, ET GILLEBERTO *concedentibus. In vodo, quod eſt inter Gornaium & Kalam XV. arpenta pratorum habent,* V. *de dono noſtro, VII. de dono* ALBERICI *de Monteſirmo, & tria de aliorum fidelium beneficio. Nos autem hæc omnia prædicta dona, Guidonis videlicet Rubei, & Vxoris eius, & Anſelli Dapiferi noſtri, &* STEPHANI *fratris ſui, & Balduini de Claciaco, & Alberici de Monteſirmo, & volumus & approbamus, & quantum ad noſtram pertinet maieſtatem in perpetuum omnino confirmamus. Terram quoque & nemus de Campo-mulloſo, quem* ARNVLFVS *de Corquerellis, annuente* PAGANO *de Montegajo, prædictis Monachis dedit, nos eidem Eccleſiæ confirmamus. Eidem etiam Eccleſiæ confirmamus terram, & nemus quod dicitur Raimundi. Actum Pariſius anno Incarnati Verbi* MCXXIV. *Adehaidis Reginæ VII.*

S. Stephani Dapiferi,
S. Gilleberti Buticularij,
S. Hugonis Conſtabularij,
S. Alberici Camerarij

Data per manum Stephani Cancellarij.

Verum hæc Charta ſcrpulum ingerit, qui paulò diligẽtius excutiendus eſt. Nam & Stephanum Dapiferum, & Stephanum Cancellarium ſimul ſubſcriptos habet. Cùm tamen Annales Moriniacẽſis Cœnobij, quos Teulfus, & aliquot loci illius Monachi ſcripſerunt, eundem faciant Stephanum de Guarlanda Dapiferum cũ Stephano Cancellario Regis. Teulfi verba ſunt hæc Annalium libro II. *Defuncto Vvillelmo Anſelli Dapiferi germano, Stephanus Cancellarius frater amborum Maior Regiæ domus effectus eſt. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, vt homo qui Diaconatus fungebatur officio, militiæ ſimul poſt Regem duceret Principatum. Hic vir induſtrius, & ſecularì præditus ſapientia, cum multis Eccleſiaſticorum bonorum redditibus, tum familiaritate Regis, quam ſic habebat, vt ei potius à quibuſdam diceretur imperare quàm ſeruire. Temporali felicitate ſupra cæteros*

mortales noſtris temporibus efflorebat. Tradita verò nepti ſua in coniugio Almarico de Monteforti, cum honore de Rupeforti, qnipuellæ de matrimonio obuenerat, tumefactus oblituſque ſui Adelam Reginam frequentiſſimis moleſtijs ſibi reddidit infeſtam, odijſque creſcentibus Rege turbato, depoſitus ab honore pulſatur à Curia. Ipſe verò veluti quadam correptus inſania regnum turbare totis viribus enititur, & viri in armis ſtrenui, Amalrici dico, fretus auxilijs, patriam hanc bellis accendit. Sed cùm ſuos affectus deducere non poſſet ad effectus, reuerſus ad ſemetipſum Seneſcalciam, quam iure poßidere ſe dicebat hereditario, dimiſit, & cum Rege Ludouico, Adeleide Regina interueniente, pacificatus eſt. Ex quibus quantus & qualis fuerit Stephanus de Garlanda Dapifer facillime poteſt iudicari. Sed vt eum fuiſſe credam Stephanum illum Cancellarium, qui poſtea Pariſienſis Epiſcopus factus eſt, adduci nequeo. Multa enim in antiquis & fide dignis monimentis occurrũt, quæ contrarium perſuadere videntur. Et primò, tabulæ S. Martini referunt Stephanum Pariſienſem Epiſcopum, *Eccleſiam S. Dionyſij quæ dicitur de Carcere, quam diu manus laica iniuſtè inuaſerat, quæ etiam ſuo tempore ad manus Regias redacta fuerat, ipſam in manibus ſuis redditam ex conſenſu, petitione & voluntate Regis Ludouici, annuente Adelaide Regina, & Henrico eiuſdem Eccleſiæ Abbate concedente, in perpetuum donaſſe S. Martino de Campis anno Chriſti* MCXXXIII. In litteris verò Henrici Abbatis S. Germani de Pratis memorantur *ſeruientes Stephani de Garlanda*, qui ſub annum adhuc MCXXXVIII. *Caſtrum Gurnaicum cum appendicijs in aduocatione tenebat pro Almarico Eboredi Comite neptis ſuæ filio, cui idem caſtrũ hereditario jure ſucceſſerat.* Secundo, tumulus Stephani Pariſienſis Epiſcopi, qui deceſſit anno MCXL. eum primò Cãcellarium, poſt Epiſcopum fuiſſe, nulla Dapiferi vel Seneſcalli mentione facta, demonſtrat, hoc modo : *Hic iacet felicis memoriæ R. P. & Dominus Stephanus, quondã Frãciæ Cancellarius, poſt Pariſienſis Epiſcopus, &c.* Denique, quod luce meridiana clarius eſt, Tabulæ B. Mariæ de Gornaio referũt ſimul & *Stephanũ Pariſienſum Epiſcopum, & Stephanum Dapiferum Gornaium tenentem.* Quare dubio hoc ita remoto, iam ſubiungendum reſtat, Stephano de Guarlanda Radulphum Peronæ, ſeu Viromanduorum Comitem in Seneſcalcia ſucceſſiſſe. Quod apertè teſtatur Hugo de Clerijs cum ait, *Poſt Stephanum* fuit Seneſcallus, *Radulphus Peronæ Comes, qui ſimiliter fecit*

Digitized by Google

hominia & ſeruitium. Poſt Radulphum Theobaldus Magnus, Comes Bleſenſis, Dapiferi munere functus eſt ſub Ludouico Iuniore. Poſt Theobaldum Magnum Theobaldus alter filius eius, itidem Comes Bleſenſis, Philippi Auguſti Seneſcallus extitit. Et ſic de ceteris.

ASCENSV EPISCOPI TERRAE] Hatonis ſcilicet Epiſcopi Trecenſis, poſteaque Cluniacenſis Monachi, de quo multa Petrus venerabilis Abbas Cluniaci, S. Bernardus, & alij eiuſdem æui ſcriptores in Epiſtolis. PAG. 28]

ORATORIVM QVODDAM IN NOMINE S. TRINITATIS CONSTRVXI] Tacet hoc loco, quod alibi refert ac ſæpe repetit, Oratorium illud ſe, cum in nomine S. Trinitatis fundatum ac dedicatum eſſet, quia tamen ibi profugus ac iam deſperatus diuinæ gratia conſolationis aliquantulum reſpiraſſet, in memoriam huius beneficij Paracletum ſiue Paraclitum nominaſſe. Quod aſſerunt etiam Robertus Autiſſiodorenſis, Chronicon S. Petri Viui Senonum, & alij. Conſtruxitque illud in pago Trecenſi, ſuper fluuium Arduzonem ſiue Ardiconem, in parrochia Quinceij vicina Nogento ſuper Sequanam. Guillelmus Nãgius in Chronico: *Conſtruxerat enim Monaſterium in Epiſcopatu Trecenſi iuxta Nogentum ſuper Sequanam, in quodam prato vbi legere ſolitus fuerat.* Et Innocentius II. in litteris ad Heloiſam: *Heloiſæ*, inquit, *Abbatiſſæ, cæteriſque ſororibus in Oratorio, quod in pago Trecenſi, in parrochia Quinceij ſupra fluuium Arduconem ſitum eſt.* Vocant autem illud Romani Pontifices, *Paraclitenſe Cœnobium, Oratorium S. Trinitatis, Paraclitum, & Oratorium ſancti Spiritus.* Sed de eo plura adhuc poſtea.

QVOD CVM COGNOVISSENT SCHOLARES, COEPERVNT VNDIQVE CONCVRRERE] Franciſcus Petrarcha lib. II. de Vita ſolitaria, *Qui*, Petrus Abaelardus, inquit, *inuidiæ cedens, ſolitudinis Trecenſis abdita penetrauit, etſi non ſine magno vndique ſtudioſorum conuentu, quos è multis vrbibus ſolitario illi diſcipulos doctrinæ celebris fama contraxerat, ſine requie tamen optata, quam ſibi radicitus tenax liuor, odiumque conuulſerant.*

ALTER REGVLARIVM CANONICORVM VITAM, ALTER MONACHORVM SE RESVSCITASSE GLORIABATVR] Sanctos Norbertum Canonicæ Præmonſtratenſium Congregationis inſtitutorem, & Bernardum Monaſticj Ciſterciẽſium Ordinis promotorem præcipuum intelligit. Quorum hic primus Claræ-

uallenſis Cœnobij Abbas, benedictus eſt à Guillelmo de Campellis Epiſcopo Catalaunenſi ſub annum MCXIV. Epiſcopatu Lingonenſi vacante, ſicut in Chronico Victoriano legitur, poſteaque trecentorum & amplius Monachorum Pater eſſe meruit. Ille verò, teſte veteri Laudunenſis Eccleſiæ Canonico, *poſt paucos annos noui luminis, nouæque conuerſionis, nec ſolùm interius, ſed etiam exteriùs cãdoris nouus inuentor & incæptor, dominus ſcilicet Norbertus, de Lotharingia Franciam adueniens, diuina præcedente & comitante gratia in Epiſcopatu Laudunenſi primam illam vineam plantauit, quæ in charitate radicata & fundata iam emiſit propagines ſuas, & vino fortitudinis ſuæ, quod lætificat cor hominis, iam vbertim inebriauit plures Principes & Iudices terræ, iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus. Itaut fortiter inebriati nihil aliud quærant niſi laudare nomen Domini, & cantare ei Canticum nouum.* Nec omninò malè loco huic conuenire videtur, quod Auctor Chronici Lemouicenſis refert ad annum MCXXX. *Sub his*, inquit, *temporibus Ordo Canonicus Præmonſtratenſium, & Monaſticus Ciſtercienſium quaſi duæ oliuæ in conſpectu Dei pietatis lumen & deuotionis pinguedinem mundo miniſtrabant, & quaſi vites fructiferæ religionis palmites circumquaque propagabant, & per omnes ferè Chriſtiani orbis terminos bonæ opinionis paulatim odore diffuſo nouas Abbatias, vbi antea cultus Dei non fuerat, conſtruebant. Vnde & in Syriam & Paleſtinam de vtroque Ordine fratres miſſi nonnullas Abbatias ædificauerunt. Eratque circa ea tempora pulcra ac decora facies Eccleſiæ diuerſorum Ordinum ac profeſſionum circundata varietate, dum hinc Præmonſtratenſes, inde Ciſtercienſes Monachi, inde etiam diuerſi habitus atque profeſſionis ſanctimoniales & mulieres Deo deuotæ in continentia atque paupertate ſub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis ſe inuicem prouocarent, & noua certatim diuerſis in locis Monaſteria fundarent.* Vtrique tamen illi duorum eiuſmodi Ordinum propagatores fellis & acrimoniæ pleni fuerunt in Abaelardum noſtrum, vt vel ex ſolis aliquot Epiſtolis liquet quas Bernardus Innocentio Pontifici Romano & Cardinalibus aduerſus eum ſcripſit.

EST IN BRITANNIA MINORE ABBATIA QVAEDAM S. GILDASII RVIENSIS] Abbatia hæc omnium Britanniæ. Abbatiarum antiquiſſima. Nam ſanctus ipſe Gildaſius, ſiue Gildas, cognomento Sapiens, in maiore Britannia natus, illius prima fundamenta iecit tempore Childerici Regis Merouei filij. Quod ne minus probabiliter dixiſſe videar, producam teſtimonium Authoris

thoris anonymi, ſed veteris ac fide digni, qui vitam ac res geſtas S. Gildæ ſcripſit: Cùm *Dei juſſu*, inquit, *peruenisſet* Gildas, *in Armoricam quondam Galliæ regionem (tunc autem à Britannis, à quibus poſſidebatur) Letania dicebatur, ab eis honorifice & cum gaudio magno ſuſceptus eſt.* Et paulò poſt, *Veniens itaque ad quoddam caſtrum in monte Reuyſij, in proſpectu maris ſitum, ibi potioris fabricæ conſtruxit Monaſterium, atque in eo clauſtra Cœnobitali ritu perfecit.* Itemque rurſus, *Poſitum eſt autem corpus ſancti viri in Eccleſia, quam ipſe in antiquo caſtro Reuſij conſtruxerat. Vbi per multa annorum curricula ſeruabatur, & ab vniuerſa Britannorum gente venerabiliter colebatur, quoniam innumerabiles ibi fiebant virtutes.* Vnde patet & cur Cœnobium illud S. Gildæ Ruienſis nomen obtinuerit. Verùm poſtea bellis in Britannia ſuperuenientibus, interfectoque crudeliter ab impijs religioſo Comite Brittonum Salomone, non modo locus ipſe penitus, cùm alio, nomine Lochmenech, deſertus atque deſtructus eſt, ſed etiam habitatores eorum regiones alienas petere compulſi ſunt, ac nouas in Bituricenſi pago ſedes eligentes, ſecum corpus pretioſum S. Gildæ detulerunt, & in Dolenſi Monaſterio poſuerunt, vbi Bituricus Princeps Ebbo benigniter eos ſuſcepit quod diſertè confirmatur ab Auctore Chronici Lemouicenſis, in hæc verba: *Per idem tempus*, inquit, nempe verſus annum Chriſti DCCCCVII. *in Biturica in caſtro Dolenſi fundatum eſt Cœnobium nobile quod Dolenſe vocatur, ab Ebbone viro illuſtri Domino prædicti caſtri. Hic deuotus vir poſt paululum à Britannia plures Monachos fugientes cum multis ſanctorum reliquijs religioſe ſuſcepit, qui Normannorum rabiem mortis metu euaſerant. Hi corpus beati Gildaſij Abbatis ad Dolenſe Cœnobium detulerunt. Cui Dei electo iſdem Ebbo proprium Cœnobium iuxta caſtellum ſuum ex alia aquæ parte conſtruxit, vbi illius venerabile corpus cum multorum ſanctorum reliquijs honorabiliter conditum requieſcit.* Nec tamen propterea Ruienſe Monaſterium, cùm omnipotenti Domino placuiſſet vt reſtauraretur, illo deinceps adhuc S. Gildæ nomine minus gauiſum eſt. Nam Gaufridus tandem Comes, totius Britanniæ Principatum adeptus, vt refert idem qui ſuprà vitæ S. Gildæ Scriptor, *rogauit Goſtinum Floriacenſis tunc Monaſterij Abbatem, qui etiam poſtea Bituricenſi Eccleſiæ præfuit Archiepiſcopus, vt tranſmitteret ſibi Felicem Monachum ad reſtaurãda Monaſteria, quæ erant in ſua regione ſolo tenus deſtructa. Anno igitur Incarn. Dominicæ* MVIII. *miſſus eſt Felix à ſupradicto Abbate ad Gaufredum Comitem, qui honorifice ab eo ſuſceptus eſt, atque prædicta Cœno-*

bia, nempe Ruiense, & Lochmenech, *ei donauit cum omnibus appendicijs suis: commendauitque illum fratri suo Iudicaelj Episcopo Venetensi, in cuius dioceſi ipsa Monasteria erant.* Et aliquanto post. *Cùm autem dubitaret quem potiorem locum de duobus statueret sedem Abbatiæ habere, Ducem Alanum Episcopumque Venetensem super hac re consuluit. Illi conuocatis nobilibus viris, aliquibus etiam Episcopis, statuerunt locum S. Gildæ qui erat antiquior, & terræ fertilitate, frumenti etiam & vini, arborumque pomiferarum abundantior: diuersorum quoque magnorum piscium generibus suis temporibus affluentior.* Atque hæc fortè diffusius quàm oportuit à me relata sunt, sed occasione potissimum Petri Abaelardi, qui & ipse Brito, demum ad illam etiam S. Gildæ Abbatiam concordi fratrum electione cum assensu Principis terræ vocatus est, vt proprijs verbis declarat. Et certe quòd Abbas fuerit in Britannia, licet tacito Abbatiæ nomine, testatur quoque Guillelmus Nangius cùm ait, *Petrus Abaelardus Magister in Dialectica insignis & celeberrimus, primò vxoratus, deinde S. Dionysij in Francia Monachus, post in Britannia, vnde natus fuerat, Abbas constitutus.*

ACCIDIT VT ABBAS S. DIONYSII PRAEDICTAM ILLAM ARGENTEOLI ABBATIAM TANQVAM AD IVS MONASTERII SVI ANTIQVITVS PERTINENTEM ACQVIRERET.] Fuit Argenteoili Monasterium ab ipsis fundatoribus Abbatiæ sancti Dionysij subiectum. Postea tamen Carolus Magnus illud Theodradæ filiæ suæ commisit. Quæ congregatis ibi Sanctimonialibus eo pacto tenuit, vt post mortem eius in vsum Ecclesiæ S. Dionysij reuerteretur. Quod manifestè docet hoc Ludouici & Lotharij Imperatorum Præceptum è Chartulario S. Dionysij depromptum.

Confirmatio Ludouici & Lotharij Imperatorum, super Ecclesia Argentolij, quam dedit Hermenricus & vxor sua Mūma * S. Dionysio.

IN *nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi,* LVDOVICVS ET LOTHARIVS *diuina ordinante prouidentia Imperatores Augusti. Si ea, quæ à Deum timentibus hominibus ad loca diuino cultui dedicata, sollemni donatione largita vel condonata sunt, & postea qualibet occasione indè abstracta esse noscuntur, nostra auctoritate ad statum suum reuocamus, & iterum nostræ jussionis oraculo confirmamus: hoc nobis proculdubio ad æternam beatitudinem adi-*

piſcendam, ſeu ſtabilitatem imperij noſtri roborãdam pertinere confidimus. Ideò notum ſit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quàm & futurorum induſtriæ, quia illuſtris femina ſoror videlicet noſtra Theodradæ Deo ſacratæ, noſtræ ſuggeſſit manſuetudini, qualiter compertum habuiſſet, quod Monaſterium vocabulo ARGENTOLIVM ſitum in pago Pariſiaco ſuper fluuium Sequanam, quod ipſe primò per beneficium domni & genitoris noſtri KAROLI ſereniſſimi Imperatoris, & poſtea per noſtram largitionem tenebat, ad Monaſterium beati & glorioſi CHRISTI Martyris DIONYSII, vbi præſenti tempore vir venerabilis HILDVINVS Abba, & ſacri Palatij noſtri Archicapellanus, Rector præeſſe videtur, pertinere deberet. Petijtque vt pro mercedis noſtræ augmento ad ſtatum priſtinum illud reuocari feciſſimus, eo videlicet modo vt memoratum Monaſterium poſt ſuum ab hac luce diſceſſum, ſi tamen aliud Monaſterium ei antea in cõparatione pro ipſo à nobis datum non fuerit, aut propria voluntate eum dimittere non voluerit, ad poteſtatem Monaſterij S. DIONYSII abſque vlla contrarietate vel cuiuſquam interrogatione reciperetur. Nos verò audita illius ſalubri ac religioſa petitione, prædictum venerabilem virum Hilduinum, quia præſens aderat, ſi quid de hac re compertum haberet interrogamus. Qui ſtatim donationem cuiuſdam Deum timentis ac religioſi hominis nomine ERMENRICI, ac coniugis ſuæ NVMMANAE, qui præfatum Monaſterium in ſuo proprio conſtruxerant, & id per teſtamenti paginam ad Beati Dionyſij Martyris Chriſti Monaſterium ſollemni donatione contulerant, necnon & præceptum confirmationis LOTHARII quondam Regis, quod ſuper eandem donationem conſcribere juſſerat, nobis petitioni memoratæ dilectæ ſororis noſtræ Theodradæ annuere, & ſicut petebat, per noſtram auctoritatem ſæpedictum Monaſteriũ ARGENTOGILVM ad poteſtatem S. Dionyſij, precioſiſſimi Chriſti Martyris reuocare. Quapropter hanc noſtræ auctoritatis cõfirmationem fieri præcipimus, per quam omnimodis decernimus atque iubemus, vt iam dictum Monaſterium Argentogilum poſt ipſius dilectæ ſororis noſtræ ab hac vita diſceſſum ad Monaſterium & poteſtatem ſæpedicti beatiſſimi Chriſti Martyris Dionyſij, ad quam primitus ob Dei amorem, & ipſorum ſanctorum reuerentiam piamque interceſſionem à ſupradictis Dei fidelibus traditum vel condonatum fuiſſe noſcitur, abſque vllius perſonæ contradictione, aut noſtra vel ſucceſſorum noſtrorum interrogatione recipiatur, & in jure ac dominatione ipſius Monaſterij cum omni integritate vel appendicijs ſuis quicquid ibidem præſenti tempore cernitur pertinere reuocetur. Et ſi fortè contigerit, vt eadem ſoror noſtra ipſum Monaſterium aut ſpon-

image
not
available

tocum fratribus noſtris conſilio, nuntios noſtros & chartas antiquas fundationis & donationis & confirmationum priuilegia bonæ memoriæ Papæ Honorio Romam delegauimus, poſtulantes vt iuſtitiam noſtram canonico inueſtigaret & reſtitueret ſcrutinio. Qui, vt erat vir conſilij & iuſtitiæ tutor, tam pro noſtra iuſtitia quàm pro enormitate Monacharum ibidem malè viuentium, eundem nobis locum cum appendicijs ſuis, vt reformaretur ibi religionis ordo, reſtituit. Rex verò Ludouicus Philippi chariſſimus, Dominus & amicus noſter eandem reſtitutionem confirmauit, & quæcunque regalia ibidem habebat auctoritate Regiæ maieſtatis, Eccleſiæ præcepto. Et in vita Ludouici Groſſi, *Papa Honorius vir grauis & ſeuerus, qui cum iuſtitiam noſtram de Monaſterio Argentoilenſi puellarum miſerrima conuerſatione infamato, tum legati ſui Matthæi Albanenſis Epiſcopi, tum Domini Carnotenſis, Pariſienſis, Sueſſionis, Domini etiam Archiepiſcopi Rhemenſis Rainaldi, & multorum virorum teſtimonio cognouiſſet: præcepta regum antiquorum Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, & aliorum, de iure loci præfatis nũtijs noſtris oblata perlegiſſet, curiæ totius perſuaſione, tam pro noſtra iuſtitia, quàm pro earum fœtida enormitate, beato Dionyſio & reſtituit, & confirmauit.*

QVAE CVM EXVLES DISPERGERENTVR, HELOISAM CVM QVIBVSDAM ALIIS DE EADEM CONGREGATIONE IPSI ADHAERENTIBVS AD PRAEDICTVM ORATORIVM INVITAVI] Sanctimonialium Argentoili ſic à Monaſterio ſuo dejectarum aliæ in Cœnobium B. Mariæ de Footel, ſeu de Nemore tranſlatæ ſunt, vt colligitur ex his Henrici S. Dionyſij Abbatis litteris, *Henricus Dei gratia Abbas, & Conuentus b. Dionyſij. Vniuerſis, qui præſentes litteras viderint, in Domino ſalutem. Notum facimus, quòd cum inter nos ex vna parte, & Abbatiſſam & Moniales de Footel ex altera, tam ſuper poſſeſſione quàm proprietate Eccleſiæ b. Mariæ de Argentolio, qui eſt Prioratus cum ſuis appendicijs, quæſtio verteretur, auctoritate Apoſtolica coram Domino Priore S. Victoris Pariſienſis, S. Succentore Siluanectenſi, & Magiſtro R. de Orſon, Canonico Nouiomenſi, pro bono pacis promiſimus dictis Monialibus, quò dabimus & aſſignabimus eis in terris ſuis in territorio de Trembleyo decimam, quæ ſingulis annis valeat decem libras, infra* XV, *dies poſt factam compoſitionem. &c. Actum anno Domini* MCCVII. Ea enim conditione Cœnobium illud ad ius priſtinum Abbatis S. Dionyſij reductum fuerat, vt Monialibus loca prouideret, vbi poſſent ſaluare animas ſuas. Heloiſam verò, quæ Prioratum cõuentus habebat, cum quibuſdam alijs de eadem congregatione

Digitized by Google

ipſi adhærentibus, Petrus Abaelardus ad Paraclitum Oratoriũ ſuum inuitauit: eamque ibi Abbatiſſam cæteris præfecit. Quod teſtatur etiam Guillelmus Nangius cùm ait, *Sed ibi Heloiſam, quæ per induſtriam Sugerij Abbatis S. Dionyſij in Francia poſtmodum eiecta, venire fecit cum nonnullis monialibus religioſis. Quæ ibi Abbatiſſa effecta.* Et ante eum Robertus Autiſſiodorenſis, *Hic*, inquit, *Abaelardus ſubtiliſſimus mirabiliſque Philoſophus conſtruxerat Cœnobium in territorio Trecaſſino, in prato quodam vbi legere ſolitus fuerat: in quo Sanctimoniales plurimas Epiſcopali auctoritate congregauit, quod Paracletum nominauit. Quibus ſanctimonialibus Heloiſſam quondam vxorem ſuam religioſam feminam, & litteris tam Hebraicis, quàm Latinis adprimè eruditam præfecit Abbatiſſam.*

PAPA INNOCENTIVS II. PER PRIVILEGIVM CORROBORAVIT] Priuilegium hoc datum eſt anno MCXXXI. extatque ſuprà cum alijs Pontificum Romanorum ad Heloiſam Reſcriptis, pag. 346. Quare hîc ipſum repetere ſuperfluum duximus.

PLVS VT ARBITROR VNO ANNO IN TERRENIS COMMODIS SVNT MVLTIPLICATAE] Circumadiacentes nempe populi miſericordes eis atque propitij plurima largiti ſunt. Sed ante alios *Milo Dominus Nogennij*, ſicut in Tabulis Paraclitenſibus legitur, *in cuius territorio Paraclitenſe conſtructum eſt Oratorium, ei loco donauit culturas tres, vnam inter Bruſletum & viam, Alteram iuxta Carmam, tertiam iuxta viam Triagnelli ad ſiniſtram. Conceſſit inſuper prædicto loco quæcumque homines ſui de vniuerſo feodo ſuo ei darent. Dedit etiam vſuarium nemoris ſui de Monte Moruei omni tempore ad omnia neceſſaria ipſius loci, nec non & totum mareſchium in riueria Ardutionis loco illi adiacens tam ad hortos faciendos, quàm ad cetera neceſſaria. Quæ omnia in dedicatione ipſius Oratorij, ſeu benedictione Cimiterij, & omni modam immunitatem totius loci coram omni populo qui aderat, in manu domini Trecenſis Epiſcopi poſuit, & ſic in perpetuum confirmauit, præſentibus Hilduino Decano, Hilduino Magno, Stephano Ridel, Rainaldo Carnail. Die inſuper illo, quo Sanctimoniales Oratorium ingreſſæ poſſederunt, donauit eis piſcationem totam Ardutionis fluuioli penitus immunem à S. Albino vſque Quinceium. Qui etiam pro Comitiſſa nepte ſua in Sanctimonialem ſuſceptа dedit furnũ de S. Albino cũ vſario nemoris quod Furmis habebat, præſentibus Anſello de Triagnello, Milone Sancto, & Petro fratre ſuo. Pro anima Hugonis filij ſui ibidem ſepulti dedit culturam ad Noereth cum tertia arte de Guamneuerijs, præſentibus illis qui ſepulturæ affuerunt. Simon quo-*

quæ de Nogennio dedit de alodio suo culturas duas, vnam scilicet in qua ipsum Oratorium constructum est, & aliã in monte Limarsum in præsentia Hulduini Decani & Milonis de Nogennio. Hubertus de Nogennio duo iugera terræ ante ipsum Oratorium per manum Milonis de Nogennio. Atque hæc omnia confirmauit aliquanto post Theobaldus Comes Trecensis, scilicet anno MCXLVI. *Laudante filia præfati Milonis Isabel, & Girardo genero suo, Freerio, Iosfrido, Gaucherio, Stephano, nepotibus eius.* Ipseque etiam Monialibus illis modium frumenti singulis annis, & totam piscationem in molendinis suis apud Pontes dedit, vt in litteris Domini Eugenij III. Papæ suprà relatis continetur.

AD hæc, *Galo & Adelaudis vxor eius soror Ermelinæ quæ se Deo & Ecclesiæ Paracliti in Sanctimonialem dedit, laudauerunt & concesserunt Deo, & dictæ Ecclesiæ Paracleti & Sanctimonialibus ibidem Deo seruientibus medietatem molendini de Creuecor, & vineas etiam de Creuecor, & X L. solidos census: & in hoc censu habuerunt Sanctimoniales Paracleti censum Pruuini, & hoc quod restabat ad percipiendum de X L. solidis ceperunt apud Lizinas. Hæcque concessio facta est apud Pruuinum in præsentia Comitis Theobaldi, & Matildis Comitissæ vxoris eius, & per manum etiam ipsius Comitis. Qui Comes, vt hæc stabilis & inconuulsa permaneret, eam sigilli sui auctoritate corroborari præcepit anno ab Incarn. Domini* MCXXXIII. *regnante Ludouico Rege Francorum, Hainrico Archiepiscopo Senonensi Cathedra residente, Hatone verò Episcopo Trecensium existente.*

LVDOVICVS quoque ipse Francorum Rex eisdem *Sanctimonialibus de Paraclito in perpetuum concessit, vt nunquam de quibuslibet rebus, quas ipsæ vel seruientes ipsarum ad vsus earumdem emerent vel pro suis necessitatibus de suis proprijs rebus venderent, aliquam illi vel successoribus suis consuetudinem in tota terra sua persoluerent. Quod vt ratum & inconcussum permaneret, scripto commendari præcepit, & ne posset à posteris infringi, sigilli sui auctoritate corroborauit publicè apud S. Germanum in Leya, anno incarnati Verbi* MCXXXV. *regni sui* XXVII. *Ludouico filio suo in regem sublimo anno III.*

PRAETEREA Matildis Comitissa, Theobaldi coniux, Abbatiam in loco Pomerij constructam à se, Paraclitensi Cœnobio subditam esse voluit. Et pro concessione prędicti loci, quem Heloissa ipsa prima Paracliti Abbatissa religiosorum interuentu virorum ei dederat ad constructionem, *dedit Comitissa Ecclesiæ*

Digitized by Google

Paracleti tres modios frumenti per ſingulos annos in molendino ſuo Pruuini ſub Creuecor, laude filiorum ſuorum Comitum Henrici, Theobaldi, & Stephani, ſicut eſt in Litteris Hugonis Archiepiſcopi Senonenſis hac de re confectis; quas etiam ſupra cum Pontificum Romanorum Reſcriptis integras retulimus. Inſuper confirmauit decimam de S. Martino de Campis & de Boal, quam Gillelmus Clericus eius dedit poſt deceſſum Eccleſiæ Paracliti & Sanctimonialibus ibidem Deo ſeruientibus, anno MCLIV. regnante Ludouico Francorum Rege, Hugone Archiepiſcopo Senonenſi exiſtente. Nec non & alia plurima bona eidem Cœnobio contulit, quæ recitare longum ac faſtidioſum foret.

DENIQVE *Hato* ipſe *Trecenſis Epiſcopus medietatem omnis decimæ de S. Albino, & medietatem Candelarum in Purificatione Beatæ Mariæ dedit: Milo de Quinceio miles de aſſenſu vxoris ſuæ Petronillæ, & filij ſui Garnery, & filiæ ſuæ Iſabel, quicquid habebat in decima de Quinceio.* Anſellus Dominus Trianguli Prioratum Conuentualem Beatæ Mariæ de Triangulo in Trecenſi Dioceſi; Necnon Anſellus filius eius, medietatem totius nemoris quod vocatur Couldroy in territorio de Marcelliaco. Alij, quorum nomina non reperi, Priorotus de Leaualle in eadem dioceſi, de Neofortio in Meldenſi, & S. Martini de Beaurain in Beluacenſi. *Manaſſes Meldenſis Epiſcopus octauam partem magnæ quàm paruæ decimæ de Melnillo, & medietatem minutæ decimæ de Tillijs, & quartam partem minutæ decimæ de S. Maximo. Beucelina Vxor Guerrici de Pontibus, quæ ſe monialem in Paraclito reddidit, domum cum Cellario Seſamiæ ſitam. Nobilis mulier Helia de Villamauro relicta Milonis de Pruuino quondam Mareſcalci Campaniæ decem libras annui redditus de proprio patrimonio ſuo. Maria Trecenſis Comitiſſa plateam ſuam Pruuini. Demum Agnes de Marigniaco pro ſuſceptione ſui duas partes minutæ decimæ villæ Marigniacy. Manaſſes nepos eius tertiam partem, Theobaldus eius filius tertiam partem, laudante Letuiſa vxore illius.* Atque hi ſunt præcipui Paraclitenſis Monaſterij benefactores: quibus & aliquot alios addere poſſem. Sed ad ea, quæ notanda ſuperſunt, feſtinat ſtylus.

ILLI SORORI NOSTRAE QVAE CAETERIS PRAEERAT] Heloiſam dicit primam Paracliti Abbatiſſam, de cuius doctrina & religione ſic paucis Petrus Cluniacenſis Abbas ad eam ſcribens,

Necdum

Digitized by Google

Necdum, inquit, *metas adoleſcentiæ exceſſeram, necdum in iuueniles annos euaſeram, quando nomen non quidem adhuc religionis tuæ, ſed honeſtorũ tamen & laudabilium ſtudiorum tuorum mihi fama innotuit. Audiebam tunc temporis mulierem, licet necdum ſeculi nexibus expeditam, litteratoriæ ſcientiæ & ſtudio ſecularis ſapientiæ ſummam operam dare. Quo efferendo ſtudio tuo, & mulieres omnes euicisti, & penè viros vniuerſos ſuperaſti. Mox verò, iuxta verba Apoſtoli, vt complacuit ei, qui te ſegregauit ab vtero matris tuæ, per gratiam ſuam, longè in melius diſciplinarũ ſtudia commutaſti, & pro Logica Euangelium, pro Phyſica Apoſtolum, pro Platone Chriſtum, pro Academia clauſtrum tota iam & verè Philoſophica mulier elegiſti.* Religioſam quoque feminam & tam Hebraicis quàm Latinis litteris adprimè eruditam fuiſſe teſtatur Autiſſiodorenſis Monachus, nec non ipſum Paraclitenſe Calendarium Gallicum his verbis, *Heloiſe mere & premiere Abeſſe de ceans, de doctrine & religion tres reſplendiſſante.* Quod apertiùs adhuc declarat Abaelardus ipſe ſuis ad eam ſcriptis Epiſtolis. Et in exhortatione de litterarum ſtudio ad Virgines Paraclitẽſes, *Magiſterium*, inquit, *habetis in Matre, quod ad omnia vobis ſufficere, tam ad exemplum ſcilicet virtutum, quàm ad doctrinam litterarum poteſt: quæ non ſolum Latinæ, verumetiam tam Hebraicæ quàm Græcæ non expers litteraturæ, ſolo hoc tempore illam trium linguarum adepta peritiam videtur, quæ ab omnibus in beato Hieronymo tanquam ſingularis gratia prædicatur.* Porro locus hic requirere videtur, vt quemadmodum de primis Abbatiæ Paraclitenſis benefactoribus iam egimus: ita quænam poſt Heloiſam Abbatiſſæ illam rexerint nunc adiungamus. Quod tamen ita præſtabimus, vt earum tãtum nomina commemoremus, quarum mentionem in Paraclitici Monaſterij Tabulis & Calendario reperimus, nec ſeriei etiam ac annorum rationem vbique forſan tenebimus.

ELENCHVS *Abbatiſſarum Monaſterij Paraclitenſis juxta Nogentum ſuper Sequanam.*

I HELOISA, neptis Fulberti Canonici Pariſienſis, primò Petri Abaelardi coniux, deinde Monialis & Prioriſſa Argentolij, poſt Oratorij Paraclitici Abbatiſſa, quod ab anno MCXXX. ad annum MCLXIV. prudenter atque religioſè rexit.

Sub ea autem fuerunt & duæ Abaelardi neptes, Deo ſacratæ, ſcilicet Agnes Prioriſſa, & Agatha: de quibus ita Calendarium Paraclitenſe: *II. Cal. Martias obijt Agnes Prioriſſa neptis Magiſtri noſtri Petri.* Et alibi, VIII. *Cal. Iun. obijt Agatha Deo ſacrata neptis Ma-*

Cardinalis Gallicus recedit etiam ad Deum. Infans Dei
mus in cœnaculo Gallicum recedit etiam ad Deum. Infans Dei

II. Hujus rei, inter quos & Neapolitanum Archiepiscopum Lucensis consecrandus quem pontifex fuit, apud Trianglum & Monachii Bavarorum Principem mediatores fuere, non Assistit de Trianglum & filio suo Carolino, domus Bavaricæ heres Dominus Assistit, & domus ejus Assistit.

III. Denique, cum annum Calendarium Pontifex Pontificium Gallicum ejusdem Calendarii Pontificium Gallicum ejusdem Calendarii Pontificium Gallicum ejusdem Calendarii

VII. I. ſub annum MCCIII. fortè IACOBA, cuius adhuc obitus ſic adnotatur in Calend. Paracl. VIII. *Idus Mart. obijt bonæ memoriæ Iacoba Deo ſacrata Abbatiſſa noſtra.* Et in Calendario Gallico, *Madame l'Abbaiſſe Iaque giſt ou cuer deuant les huis des prones.*

VIII. IOANNA, de qua rurſus idem Calendarium II. *Nonas Octobris obijt bonæ memoriæ Ioanna Deo ſacrata Abbatiſſa noſtra.*

IX. IOANNA altera, commemorata ſimiliter in eodem Calendario ſub diem VIII. Calend. Ianuar.

X E. iam Abbatiſſa anno MCCXXXIV. Minuit numerum Sanctimonialium Prioratus de Boſrenco anno MCCXLIIII. menſe Maio. Nec dubito quin EVSTACHIA illa ſit, cuius obitus diē ſic quoque recenſet Paraclit. Calendarium, XVIII. *Cal. Febr. obijt bonæ memoriæ Euſtachia Abbatiſſa Deo ſacrata noſtra.*

XI MARIA, ſoror Odonis Rothomagenſis Archiepiſcopi, quę cœpit regere verſus annū MCCXLIX. Extātque literæ Innocentij IV. Papæ Theſaurario Senonenſi pro ea directæ, quarū ſubſtātia talis eſt. *Cùm Maria monialis de Paraclito in Abbatiam ipſius Monaſterij aſſumpta fuiſſet, locum quem in eodem Monaſterio velut* MONIALIS *habuerat, Agneti abbatiſſæ Monaſterij de Pomeria Senon. dioceſis tunc Moniali S. Mariæ Autiſſiod. prout ad eam ſpectare dicitur, conferre curauit. Quia verò dicta Agnete poſtmodum aſſumpta in Abbatiſſam eiuſdem Monaſterij de Pomeria præfatus locus vacat ad præſens, maximè cùm ibidem certus numerus Monialium habeatur: Nos obtētu venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Rothomagenſis, qui pro eadem Maria germana ſua perſonaliter Apoſtolicam gratiam implorauit, ipſius Mariæ ſupplicationibus annuentes, litterarum noſtrarum auctoritate ſibi duximus concedendum, vt ſi forte pro infirmitate ac debilitate ſui corporis fuæ ceſſerit regimini Abbatiæ, prædictum locum, aliqua conſuetudine ſeu conſtitutione contraria non obſtante, ad opus ſuum quoad vixerit valeat retinere. Datum Laterani* VII. *Cal. Maij, Pontificatus noſtri anno* XI. Conceſſit etiam illi idem Innocentius auctoritate ſua, quòd in Monaſterio ipſo Paraclitēſi vnam mulierē idoneam in Monialem inſtituere valeret, nonobſtante ſtatuto de certo ſororum numero, eiuſdem Monaſterij iuramento, vel confirmatione Sedis Apoſtolicæ, ſeu quacumque firmitate vallato. Nec adminiſtrationem morte finiuit niſi poſt annū MCCLXXXII. III. Nonas Septembris. Calendarium enim Paraclitenſe diem obitus eius ita conſignatum refert, III. *Nonas Sept. obijt Maria bonæ memoriæ Abbatiſſa noſtra.* Et Calendar. Gal-

licum; ad eandem diem, *Marie Abbeſſe giſt ou cuer au Preſtres.*

XII. AGNETA DE BORDIS, cuius quoque diem poſtremum ſic adnotat idem Calendar. XIIII. *Cal. Iunias, obÿt bonæ memoriæ Agnete de la Borde Abbatiſſa noſtra.*

XIII. CATHARINA DE BARRIS, *anno* MCCCXX. Obijt IV. Cal. Decembr. quo die Calendarium præfatum illius obitum commemorat his verbis, IV. *Cal. Decembr. obÿt bonæ memoriæ Katharina Deo ſacrata Abbatiſſa noſtra.* Et Calendar. Gallicum, *Caterine Abbeſſe giſt ou cuer au Preſtres.*

XIIII. AALIS DE BARRIS, quæ cum Guidone Abbate Vallis Lucentis quandam diſcordiam cõpoſuit anno MCCCXXXVII.

XV. ISABEL, cuius meminit etiam Paraclit. Calendar. hoc modo, III. *Cal. Septembr. obÿt bonæ memoriæ Iſabel Deo ſacrata Abbatiſſa noſtra.*

XVI. GVILLEMETA DE LA MOTHE, obijt XVIII. Cal. Ianuar. anno MCCCCXXXI. vt refert idem Calendarium. Sepultaque fuit ante maius altare.

XVII. CATHARINA DE COVRCELLES, Abbatiſſa Paraclitenſis, & Beatæ Mariæ ad Moniales Trecenſ. Hæc ſtruxit clauſtrum, refectorium, dormitorium, & alia ædificia. Obijtque VII. Idus Iulias, anno MDXIX. quo etiam Iacobus Ragnier Epiſcopus Trecenſis, qui hoc Monaſterium reformauerat in muris & craticulis anno MDIX. ſcilicet annis CCCLXXIX. poſt eius exordium & principium, fato ceſſit, teſte Paraclit. Calendario.

XVIII. CAROLA DE COLIGNY, de qua rurſus ipſum Calendarium, IX. *Cal Maias obÿt bonæ memoriæ Karola de Colligny Abbatiſſa noſtra anno Domini* MDXXXIII.

XIX. ANTHONETA DE BONNEVAL, cuius item obitus diem ſic commemorat idem Calendarium, ad XXIII. Cal. Iun. *Hac die Veneris in craſtino Aſcenſionis Domini* XX. *Maÿ inter meridiem & primam horam anno eiuſdem Domini* MDXLVII. *obÿt ſapiens & prudens Domina, Domina Anthoneta de Bonneual huius Cœnobÿ Abbatiſſa.*

XX. RENATA DE LA TOVR, Religioſa Piſciacenſis Cœnobij. Paraclitum non adijt, quia cita morte de medio ſublata eſt XII. Cal. Maij, anno MDXLVIII.

XXI. IOANNA DE CHABOT, obijt XXV. die Iunij, anno MDXCIII. vti ſæpeditum Calendarium adnotat.

Digitized by Google

XXII. LEONARDA DE TVRENNE, obijt prima Septembris die, anno Domini MDC.

XXIII. MARIA DE LA ROCHE FOVCAVT, virtutibus & meritis insignis, altique sanguinis prosapia commendabilis, quæ prudenter ac piè regit etiamnum hoc anno MDCXV.

VERVM vt hę Notæ, quæ ab Abaelardo cœperunt, in eum similiter desinant, paucis nunc adhuc subiũgendũ quod ipse in Historia Calamitatum suarum omisit, nempe condẽnationem alteram libri sui de Trinitate Senonis factam, de qua sic Otho Fringensis inter cæteros, lib. 1. de rebus gestis Frider. 1. cap. XLVIII. *Sedente in vrbe Roma Innocentio, in Francia verò Lodouico senioris Lodouici filio regnante*, Petrus Abaelardus, *ab Episcopis Abbatéque Bernardo denuò ad audiẽtiam apud Senonas euocatur, præsentib. Lodouico Rege, Theobaldoq; Palatino Comite, & alijs Nobilibus, de populoque innumeris. Vbi dum de fide sua disputaretur, seditionem populi timens, Apostolicæ sedis præsentiam appellauit. Episcopi verò simul & Abbas missa ad Romanam Ecclesiã legatione, ac eis pro quibus impetebatur Capitulis, damnationis eius sententiam in litteris reportauerunt.*

Idem narrant etiam Continuator Sigeberti, Robertus Autissiodorensis, Guillelmus Nangius, Vincentius Beluacensis, Ioannes S. Victoris Canonicus, Chronici Turonensis Scriptor, & alij. Sed aliter quàm omnes, acrioréque animo Gofridus Claræuallensis Monachus lib. III. vitæ S. Bernardi, cap. v. cùm ait. *Fuit in diebus illis Petrus Abailardus Magister insignis, & celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfidè dogmatizans. Cuius cùm blasphemijs plena grauissimis volitare vndique scripta cœpissent, profanas nouitates vocum & sensuum viri eruditi atque fideles ad Dei hominem*, S. Bernardum, *detulerunt: qui nimirum solita bonitate & benignitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione conuenit. Cum quo etiam tam modestè tamque rationabiliter egit, vt ille quoque compunctus ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret vniuersa. Cæterum cùm recessisset ab eo Petrus idem, consilijs stimulatus iniquis, & ingenij sui virib. plurimóque exercitio disputandi infeliciter fidens, resilijt à proposito saniori. Expetens denique Senonensem Metropolitanum, quòd in eius Ecclesia celebrandum foret in proximo grande Concilium, Claræuallensem causatur Abbatem suis in occulto detrahere libris. Addit quoque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans vt*

Digitized by Google

Digitized by Google

quo poſtmodũ à multis increpatus, ſe excuſauit quòd adoleſcens ſcripſiſſet, & quòd ſibi viri ſanctitas nondum penitus nota eſſet.

SOLVTO autem illo Cõuentu, qui celebratus eſt anno MCXL. infœlix Abaelardus incertus quid ageret, Cluniacũ ſe cõtulit, vbi humaniter exceptus eſt à Petro Mauricio dicto Venerabili, eiuſque & Ciſtercẽſis Abbatis opera paulo poſt idem & S. Bernardus collocuti inimicitias poſuere. Quod & ipſe Cluniacenſis Abbas Innocentio II. ſignificauit. Nec tamen propterea Abaelardus Apologeticum pro ſuæ innocẽtiæ excuſatione ſcribere deſtitit. Quod cùm innotuiſſet Guillelmo S. Theodorici Abbati, qui S. Bernardum intimo diligebat affectu, ſeque tranſtulerat ad Ordinem Ciſtercienſem apud Signiacum, vbi feliciter obiit, Cantici Canticorum reliquit expoſitionẽ, vt aduerſus eũ ſtili ſui acumen dirigeret. Hoc enim declarat ipſe Guillelmus in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei, his verbis: *Sunt præterea & alia Opuſcula noſtra, Libellus de ſacramento altaris, meditationes nouitijs ad orandum formandis ſpiritibus non vſquequaque inutiles, & ſuper Cantica Canticorum ad illum locum, Paululum cùm pertranſiſſem, eum inueni quẽ diligit anima mea. Nã contra Petrum Abaelardum*, qui prædictum opus ne perficerem effecit: neque enim integrum mihi fore arbitrabar tam delicato intus vacare otio, ipſo fortis fines fidei noſtræ nudo vt dicitur gladio tã crudeliter depopulante.* Compoſuit autem tres libros, ſub nomine *Diſputationis Catholicorum Patrum contra dogmata Petri Abaelardi*, quos & ſapientiſſimo Præſuli Hugoni Rothomagenſium Archiepiſcopo dedicauit. Suntque illi procul dubio, de quibus Gaufredus Monachus Ciſtercienſis in Epiſtola data ad Henricũ Cardinalem Albanenſem, quem ſciebat interfuiſſe Remenſi Concilio, vbi Eugenius III. Papa Giſlebertum Pictauienſem Epiſcopum abſoluerat potius, quàm condamnauerat, hoc modo loquitur; *Audiui etiam quòd ſuper damnatione Petri Abaelardi diligentia veſtra deſideret pleniùs noſſe ſimiliter veritatem, cuius libellos piæ memoriæ Dominus Innocentius Papa II. in vrbe Roma & in Eccleſia beati Petri incendio celebri condemnauit, Apoſtolica auctoritate hæreticum illum denuncians. Nam & ante plures annos venerabilis quidam Cardinalis & Legatus Romanæ Eccleſiæ Cono nomine, Regularis quondam Canonicus Eccleſiæ S. Nicolai de Aruaſia, Theologiam eius Sueſſione Concilium celebrans ſimiliter concremauerat, ipſum Petrum præſentem arguens, & conuictum de hæretica prauitate condemnans. Vnde veſtro ſi placuerit deſiderio, per Libellum de vita S. Bernardi & per eius Epiſtolas miſſas ad curiam ſa-*

tisfiet. Inueni tamen in Claraualle Libellum cuiusdam Abbatis Nigrorum Monachorum, quo errores eiusdem Petri notantur, quem & olim me vidisse recordor: sed à multis annis, vt custodes Librorum asserunt, studiosè quæsitus, primus quaternio non potuit inueniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad Monasterium cuius Abbas extitit, qui eundem librum composuit, & si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, & mittere vobis. Credo enim quòd vestræ inquisitioni sufficere debeat, vt cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata. Ac ne quis miretur quod de primo quaternione illi' libri dicit, habeo nunc ipsissimum exemplar dono viri docti & humani Nicolai Camusatij Canonici Ecclesiæ Trecensis, in cuius capite scriptũ adhuc legitur, *Deest vnus quaternus, qui tenuerit obedientiam scriptorum, illum requirat.*

VERVM & Gaufredus etiam ille, primò Abaelardi auditor, indéque Cisterciensis Monachus, Autissiodorensis vulgò cognominatus, aduersus eundem Abaelardum præceptorem suũ scripsit. Quod vel ante omnes asserit Helinandus, alter in Frigido Monte Monachus, qui & ipse quædam Gaufridi verba refert in hunc modum, *Huius Petri aliquando fuerat discipulus Gaufredus Autissiodorensis, qui multo tempore fuit Notarius S. Bernardi, qui inter cætera de eodem Petro dixit: Ego mihi aliquando recolo magistrum fuisse illum, qui precium redemptionis nostræ euacuãs, nihil aliud in sacrificio Dominicæ passionis commendabat, nisi virtutis exemplum, & amoris incentiuum. Quod enim Scripturæ perhibent de potestate diaboli precioso illo sanguine humanum genus esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quòd exemplum nobis exhibitum est vsque ad mortem pro veritate & iustitia certandi, & adhibitum est velut quoddam incentiuum amoris, cùm ex impenso amore data est occasio redamandi. Et quidem magna sunt hæc & vera, sed non sola. Benedictus Deus, qui mihi simul & vobis Magistrum dedit postea meliorem, per quem prioris redarguit ignorantiam, & insolentiam confutauit, secundum quem tria specialia in passione sua Christus nobis exhibuit, exemplum virtutis, incentiuum amoris, & sacrificium redemptionis. Quod tertium enacuanti heretico nihil prodesse tria cetera potuerunt. Hæc & alia multa dictus Gaufredus contra Petrum magistrum suum fortiter & Catholicè scripsit.* Eadem verba recitant & Vincentius Beluacensis lib. XXI. Speculi Historialis ca. XVII. & Ioannes Monachus S. Victoris in Chronico sub annum Christi MCXL.

INTERIM verò Abaelardus in morbum incidit, & valetudinis causa Cabilonum ab Abbate suo Petro missus, ibi in Monaste-

rio

S. Marcellini Cluniacenſis Ordinis exceſſit è vita die XXI. Aprilis anno Chriſti MCXLII. ætatis ſuæ LXIII. Hoc enim prodit Calendarium vetus Paraclitenſe Gallico ſermone conſcriptum his verbis, *Maiſtre Pierre Abaelard fondateur de ce lieu & inſtituteur de ſainte religion treſpaſſa le XXI. Auril aagé de LXIII. ans.* Nec referre opus eſt quanta cum auſteritate, pœnitentia, deuotione, poſtremum illum vitæ ſuæ terminũ clauſerit. Petrus ipſe Mauricius Abbas eius id optimè diffuſeque deſcripſit in Epiſtola ad Heloiſam Paracliti Abbatiſſam, quam nos etiam ſupra iam inſeruimus. Sed non prætereundum quod cum eodem Petro teſtantur Robertus Autiſſiodorenſis, Guillelmus Nangius, & alij, ſcilicet, Heloiſam illam quondam Abaelardi cõiugem, *magnam poſt eius mortem ei in aſſiduis precibus fidem ſeruaſſe, corpuſque eius de loco vbi obierat ad prædictum Paracliti Monaſterium tranſtuliſſe.* Denique & ipſa, ſicut in Thronico Turonenſi legitur, *in ægritudine poſita præcepit vt mortua intra mariti tumulum poneretur. Et ſic eadem defuncta ad tumulum apertum deportata, marit⁹ eius, qui multis diebus ante eam defunctus fuerat, eleuatis brachijs illam recepit, & ita eam amplexatus brachia ſua ſtrinxit.*

REFERENDA AD PAG. 1144.

His ita breuiter adnotatis, iam ſupereſt vt aliqua quæ feſtinante nimis ſtylo de Miliduni atque Corboili Comitibus ſuprà retuli pag. 1144. hîc iterum diligẽtius ac attentius diſquiram, antequàm in huius velitationis portum me recipiam. Sic igitur ea, quæ dicta ſunt ibi, concipienda atque legenda moneo.

MELDVNVM CASTRVM, ET SEDEM REGIAM] Melduni ſiue Meliduni caſtrum & Comitatum Hugo Rex Francorum Burchardo Vetulo, Comiti Vindocinenſi, ac Lauarzini Domino conceſſit in beneficium. Poſtea Rainaldus Burchardi filius, Cancellaris Franciæ, & Epiſcopus Pariſienſis, Melidunenſis Comes extitit ſub ROBERTO Rege, ſicut ex tabulis Eccleſiæ S. Dionyſij de Carcere palam eſt. Sed hoc mortuo Comitatus redijt ad Hẽricum I Roberti filium, qui Vicecomitem ibi conſtituit. Nam & in litteris Philippi qui fundationem S. Martini de Campis à patre factam confirmauit, *Vrſio Vicecomes Melidunenſis* inter alios Aulæ Regiæ milites ſubſcri-

sit. Denique Philippus ipse Henrici filius sedem Regiã Melduni posuit, vbi & vita functus est Abaelardi nostri tempore, sicut testatur Suggerius S. Dionysij Abbas in vita Ludouici Grossi Philippo geniti, his verbis, *Cumque ferè sexagenarius esset, Regem exuens apud Milidunum castrum super fluuium Sequanæ, præsente Domino Ludouico extremum clausit diem.*

AD CASTRVM CORBOLII, QVOD PARISIACAE VRBI VICINVS] Antiquum est & hoc castrum, ac si non Regum, saltem Reginarum Sedes. Quod vt melius intelligatur, veteres etiam Corbolij, siue Corboili, aut Curbolij Comites adnotabo. Et certè antiquissimus, quem legerim, Corbolienſis Comes fuit Haino, qui sub annum Christi DCCCLXIII. vixisse dicitur. Nam Ioannes S. Victoris Monachus, de eo sic ad illum annum scribit, *Eodem tempore corpus B. Guenaili Abbatis à Britannia propter timorem Northmannorum translatum in Gallias, Deique dispositione in castro Corbolienſi receptum est à Comite Haymone, & in Ecclesia in honore ipsius à dicto Haimone constructa honorifice collocatum est.* Et Calendarium S. Guenaili, ad diem XXI. Maij, *Anniuersarium sollemne Haimonis Comitis fundatoris B. Guenaili de Corbolio, qui dedit eidem Ecclesiæ hospites, quos habemus vltra pontem Sequanæ.* Verum si ita est, annorum longa distantia persuadet Haimonẽ hunc alium ab Haimone illo Corboliẽsi Comite fuisse, qui sicut refert Odo Fossatensis Monachus, *ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli orationis gratia Romam pergens ibi in eodem itinere finem vitæ accepit.* Nam id versus initium regni Hugonis accidit. Et eo defuncto *Burchardus* Vindocini Comes, *vxorem eius nomine Elizabetham, nobili & ipsam progenie exortam, sibi coniugio copulauit: ac in eo copulæ thalamo Rex Hugo castrum Melidunum atque Corboilum, Comitatumque Parisiacæ vrbis illi dedit.* Quare deinceps Burchardus & ipse se pro Comite Corbolienſi gessit. Aut si postremus hic Haimo ille est, qui S. Guenaili siue Guenaldi Ecclesiam construxit, necesse videtur corpus eius sancti seriùs Corbolium allatũ fuisse quàm præfatus Ioannes adnotauit. Et hæc opinio mihi eò magis placet, quòd Burchardus Elizabethæ cõiugis eius maritus, in litteris pro S. Guenaldo datis, illius etiam concessionis meminit, quam præfatæ Ecclesiæ fecerat, his verbis: *Notũ fieri volumus omnibus fidelibus Clericis & laicis, quòd ego Burchardus Comes Corboilenſis, ob remedium animæ meæ, antecessorum succes-*

ſorumque meorum, precibus quoque Guillaudi eiuſdem loci Canonici, & Magiſtri filij mei Reinaldi S. Guenailo terrulas, quas Haimo Comes prius dederat eidem ſancto, conceſſi, &c. Ceterum de Burchardo hoc Corboilenſi Comite mentio fit etiam in Calendario S. Guenaili, hoc modo: *Item anniuerſarium Burcardi Comitis, qui dedit eidem Eccleſiæ quoſdam hoſpites apud Mandeuillam.* Poſtea Corboliẽſis Comes effectus eſt Guillelmus, qui detectioni corporum S. Dionyſij & ſociorum ſubſcripſit tempore Henrici primi Regis. Nec affirmare velim eum Elizabethæ & Haimonis primi viri ſui filium extitiſſe. Poſt Guillelmum Rainaldus Comitatum tenuit adfuitque confirmationi fundationis S. Martini de Campis à Philippo I. Rege factæ, ſub annum Chriſti MLXVII. Rainaldo Burchardus II. ſucceſſit, qui anno MLXXI. clauſtrum S. Exuperij Corbolienſibus Canonicis conceſſit. Et hic filium habuit Odonem, poſt ſe quoque Corbolij caſtri Comitem, de quo Tabulæ S. Martini de Campis ad annũ MXCVII. Refertque Suggerius in vita Ludouici Groſſi, hunc Guidonis Rubei fratruelẽ fuiſſe, ac Stephani Comitis lãcea percuſſum interijſſe. Quo facto, conſanguineus eius Hugo Creciacẽſis Guidonis Rubei filius, *Corbolium caſtrum, cuius ſe heredem iactabat,* Ludouico Groſſo *Regi* Philippi filio, *cum omnibus angarijs, tallijs & poſſeſſionibus abiurare* coactus eſt. Denique Ludouicus iunior Ludouico Groſſo ſiue ſeniore genitus Adelæ vxori ſuæ terram Corbolij dotalitij nomine reliquit. Docent enim hoc literæ Philippi II. Regis Adelæ filij Corbolij datæ anno MCLXXX. his verbis: *Philippus Dei gratia Francorum Rex. Nouerint vniuerſi præſentes & futuri, quòd Adela mater noſtra dum terram Corbolij nomine teneret dotalitẽ, Petro Clerico ſuo beati Exuperij Canonico intuitu ſeruitij ſui donauit domum, quam Iſabellis & Bertrannus filius eius vendiderant Heliæ Iudæo, &c.* Sicque patet qualiter Corboilum caſtrum regia quoque ſedes effectum fuerit. Imò & ab hoc tempore Vicecomites etiam ibi ſicut Meliduni conſtituti ſunt à Regibus. Nam Tabulæ B. Mariæ de Gornaio *Paganum Vicecomitem de Corbolio* memorant anno MCCV.

FINIS.

Digitized by Google

image
not
available

cleſiæ Laudun. Theſaurum furatus. 1147
Anſelmus abbas S. Medardi Sueſſion. 1167
Anthoneta de Bonneual Abbatiſſa Paraclit. 1190
Apelles, de quo Paul. Apoſt. quis 9. 719
Apparitiones Domini reſurgentis quot fuerunt 391. 392. 393. & ſeq.
Arduzo fluuius 29. 347. 1177.
Argentolij ſiue Argenteoli Abbatia 17. 18. 57. à quibus fundata 1150. 1180 reſtaurata à Matre Roberti Regis, & Monialib. commiſſa ibid. & ſe. olim iuris S. Dionyſij 1180. à Sugerio Abbate vendicata 34. 1182. 1183
Argentolij Sanctimoniales tranſlatæ in monaſteriũ B. Mariæ de Footel, & in oratorium Paraclit. 1183. 1184
in Aſcenſionis Domini die Sermo 865. item in octaua. 869
in Aſſumptione B Mariæ Sermo. 908
Aſtrolabius Abaelardi & Heloiſę filius. 13. 1149. 1150

B

BAptiſmus aquæ paruulis æquè prodeſt vt magnis 475. conferriq́ue poteſt etiam à peccatore. 477
Baptiſmi aquæ ſacramentum defenditur aduerſus hereticos. 474
Baptiſmi ſacramentum cur Circunciſioni ſucceſſit. 758
ſine Baptiſmo etiam paruuli ſaluari non poſſunt, niſi martyrium interueniat. 564.
Bartholomæus Epiſcopus Laudunenſis. 1164
Baudaridus Epiſcopus Sueſſionenſis 1169.
Beatitudines ſeptem tãtum 408. 409
S. Benedicti Regula viris tantum ſcripta, non feminis. 79. 80
Berengarius Abaelardi pater 7. 1142
Berengarius Pictauienſis Abaelardũ defendit 1192. 1193. eius Apologia pro eo: 302. 303. & ſeq.
S. Bernardus Monachorum pater 1177. 1178.
S. Bernardi Epiſtolę contra Petrum Abaelardum 270. 271. & ſeq.
Bona ſeptem tot beatitudinib. reſpondentes. 408
Britannia, terra leuis. 41. 1142
Burchardus Meldẽſis Epiſcopus 1173
Burchardus I. Corbolienſis Comes 1144. 1195. item Melidunenſis. ibid.
Burchardus II. Corbolienſis Comes 1197.

C

CAbilonenſis ſoli amœnitas 341
Calices duo diſcipulis dati qualiter accipiendi. 397. & ſeq.
Cancellarius Vniuerſitatis Pariſ. è domo S. Genouefæ. 1146
Cantica ſanctarum feminarum. 433
Cantricis officium in Monaſterio. 155
Cantus & laudes Eccleſiæ defenduntur aduerſus hereticos. 468
Capilli capitis, eloquia diuina. 420
Caritas quid. 977
a Carnibus non abſtinendum & cæteris ſuperfluè veſcendum. 173
qui à Carnibus abſtinendum prædicant, & non ab alijs cibis, arguuntur. 180
Carola de Coligny Abbatiſſa Paraclit. 1190.
Catharina de Barris Abbatiſſa Paraclit. 1190
Catharina de Courcelles Abbatiſſa Paraclit. 1190
Celleratiæ officium in Monaſterio 157. 158.
Chaos magnum firmatum inter Lazarum & diuitem, quid. 402. 403
Cibi Monialium quales. 199
Ciborum comeſtio num indifferens 484. 485.
ex Cibis num aliquid reijciendum, & cur potiſſimum. 703. 704
Circunciſio cur in antiquo populo præceſſit 751. 752. cur ea ceſſante

Digitized by Google

baptiſmus ei ſucceſſit 758. & cur Dominus vtraque ſuſcepit. 759
Circunciſionis ſignum an ſoli populo Iſraeli & eius vernaculis præceptum 530. 531. & cur illud Abraham accepit 560. 561. quid conferebat aut figurabat 561. 563. & num ſine eo quis ſaluari poterat. 564
in Circunciſione Domini Sermo. 751
Conanus, ſeu Cono Prænestinus Epiſcopus ſedis Apoſtolicæ legatus in Galliam 20. 1165. Concilium Sueſſionéſe tenuit aduerſus Abaelardum. 20. 21. & ſeq. 1165. 1166
Concubitus quinam inculpabilis. 445. 446.
Concupiſcentia quid; & vtrum peccatum. 618
Confeſſio oris neceſſaria, & quot modis dicitur. 478
an ſine Confeſſione quis poteſt ſaluari. 480.
Confirmationis ſacramentum. 996 b
Coniugij ſiue matrimonij bonum 444. 445. & ſeq.
Conſolamentum hæreticorum quid, & eius modus. 481
Continentes auibus comparati. 441
Contritio cordis interior neceſſaria 478.
Corbolium caſtrum Pariſijs vicinum 5. 1144. dotalitii nomine Adelę Reginæ datum. 1144. 1145
Corbolij Comites 1144. 1196. Vicecomites. 1197
Cornu altaris, ſacrificium Chriſti. 795
Corporis & ſanguinis Chtiſti ſacramentum aduerſus hæreticos defenditur. 469. 470. & ſeq.
Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum. 371. 372
Crux per ferculum Salomonis ſignificata. 808
Crucis patibulum quàm ignominioſum apud Iudæos. 860. 861
de Cruce Sermo, 860

D

DAniel Abbas S. Medardi. 1168
Dedicatio Templi Salomonis qualiter facta. 921
in Dedicatione Eccleſiæ Sermo. 921
Defuncti viuorum orationibus & beneficijs releuantur. 488
Deus vnus, non duo vt hæretici dicebant. 453
Deus, timor interpretatur. 687
Deus an per opera ſua recognoſci poteſt 1103. 1104. vnus potius quàm plures credi debet 1105. 1106. quomodo verè dicatur omnipotens 1109 & ſeq. vtrũ plura facere poſſit vel meliora quàm facit 1112. 1113. & ſeq. an locomoueri poteſt. 1124. 1125
Diaconæ & Diaconiſſæ. 944
Diaconorum inſtitutio. 944.
Dialecticæ diſciplinę laus. 238. 239 & ſeqq.
Diei nomine pariter & nox in Scriptura comprehenditur. 439
Dilectio vera & perfecta quę. 621
Dilectio Dei & proximi qualiter ordinari debet. 690. 691
Dilectionis proximi præceptum ante aduentum Chriſti imperfectũ. 418
per Dilectionem proximi num lex impleatur. 616. 690. 691
circa Dilectionem proximi duo ſunt naturalia regis præcepta. 423
Dionyſia Petri Abaelardi ſoror. 1149.
S. Dionyſius Areopagita num idem qui Corinthius 25. 224. 1169. 1170
S. Dionyſij Corinthij corpus Abbati S. Dionyſii in Francia donatũ ab Innocentio III. Papa 1170. 1171
S. Dionyſii Abbatia ſecularis admodum vitæ 19. reformata ab Odilone Abbate Cluniacenſi. 1153
Diuerſum quot modis eſſentialiter ſumitur. 1077
Dolenſe Monaſterium, 1179

E

EBbo Biturícus Princeps. 1179
Ebrietas ſtatũ mentis euertit. 432

Digitized by Google

Electrum quid,& eius myſtica explicatio. 748.749
de Eleemoſyna Sermo. 935
in Epiphania Domini Sermo. 764
Epiſcopi quales eſſe debent. 965.b
Epiſtolæ Apoſtolorum ad quid vtiles 492.493.
Ermengardis Abbatiſſa Paracliten-ſis. 1188
Ermenricus Argentolij fundator. 1181.
Eugenij III. diploma confirmatiuum omnium bonorum Paraclitenſis Monaſterij. 349.350
Euſtachia Abbatiſſa Paraclit. 1189

F

FElix Abbas S. Gildaſij. 1179
Felix Abbas S. Petri de Cella Trecenſis. 1172
Ferculi Salomonis expoſitio. 808. & ſeqq.
Fides quid 977.979.& ſeq.
Fides Catholica quæ. 982
quod Fideles ab infidelibus teſtimonia ſumere licitè poſſunt. 1041
Filij nomine Sapientia ſignificatur 985.993.& ſeq.
Fulbertus Canonicus Pariſ. Heloiſæ auunculus. 10.1149
Fulconis Diogilli Prioris Epiſtola ad Abaelardum, 217

G

GAius, de quo Paulus Apoſt. quis 723.
Garnerius Epiſcopus Trecenſis. 1189
Gaufredus Comes Britanniæ. 1179
Gaufredus Monachus Ciſtercienſis aduerſus P. Abaelardum ſcripſit 1194.
Gaufridus Epiſcopus Carnotenſis 22.1166.& 1167.
S. Genouefæ Eccleſia extra vrbem Pariſ. 6.1145.1146. olim Scolarum & litterarum ſedes 1146. in Canonicos regulares mutata. 1146
Gentes vnde dicuntur 505. & inuectiones in eas. 512.513
Gentium conuerſio. 883
Gertrudis prima Pomerij Abbatiſſa 355.
S. Gildaſij Ruienſis Abbatia. 32. à quo primum fundata 1078.1079 & eius reſtauratio. 1179.1180
S. Gildaſij reliquiæ in Dolenſe Monaſterium delatæ 1179
Gozlenus Abbas Floriacenſis, deinde Archiepiſcopus Bituricenſis 1179
Gladij duo in Cœna Domini reperti quid deſignant. 842.
Gornaium caſtrum. 1174.1175.1176
Gratia quid. 733
de Gratia Dei iniquis denegata queſtio. 652.653
S. Guenaili Corbolienſis fundatio 1196
Guichardus Prior S. Aigulfi de Pruuino. 1172.
Guido Rubeus fundator B. Mariæ de Gornaio. 1174
Guillelmus Campellenſis Abaelardi Præceptor 4.1144 Pariſienſ. Archidiaconus 5.1145. Canonicus Regularis in Monaſterio S. Victoris ibi. Epiſcopus Catalunenſis. 57. 1146 1147. quando obiit. 20.1147.1163
Guillelmus Corbolienſis Comes 1197
Guillelmus de Guarlanda Dapifer 1173.1174.1175.
Guillelmus Abbas S. Theodorici aduerſus Abaelardum ſcripſit. 1193
Guillemeta de la Mothe Abbatiſſa Paraclit. 1190

H

HAbitus ſanctimonialium qualis eſſe debet. 198
Haimo Corboliéſis Comes. 1144 1196
Hato Trecenſis Epiſcopus 1177.1186
Helia de Villamuro. 1186

Digitized by Google

Heliæ translatio figura ascensionis Christi. 869.870.
Helisindis Abbatissa Paraclitensis. 1188.
Heloym apud Hebræos quid significat. 996.997
Heloisa Fulberti Canonici Parisiensis neptis 10.1149. Abaelardo traditur instituenda, & ab eo adamatur, 10.11. imprægnatur ac parit filium 12.13. dehortatur Abaelardum à nuptijs 13.14. ab eo ducitur in vxorem 16. trãsmittitur ad Abbatiam Argenteoli 17. vbi fit Sanctimonialis 18. eijcitur, & Paraclitensi Oratorio ab Abaelardo prę-ficitur 34. 1183. 1184. vnde sic dicta 71. Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ linguæ non inexpers 260. à Petro Venerabili mirifice laudatur 338 339. corpus Abaelardi obtinet ab eo 342. & absolutionem quoque 345. cum eo sepelitur. 1195
Helúildis Abbatissa Paraclit. 1188
Henricus Abbas S. Dionysij. 1170
Hermes, de quo Paulus Apost. quis 720.
Hilarius Abaelardi discipulus plangit recessum Præceptoris sui à Paraclito. 243
Hilduinus Abbas S. Dionysij 26. 1181
Huboldus insignis Magister apud S. Genouefam docuit tempore Roberti Regis. 1146
Hugo Creciacensis. 1144
Hugo Senonensis Archiepiscopus 355. 1186.

I

IAcoba Abbatissa Paraclit. 1189
Idem quot modis dicitur. 1077
Ieiunia Pentecostes sollemnitatem præcedere debent, & quare 970 b
Ieiuniorum abstinentia. 181.182
Iesus cur filius Dei dicitur 504. & quod non adoptiuus inquantum homo. 505
Iesus Christus factus pro nobis sub lege, & maledictus. 778.780
Iesus ad solos Iudæos reuera missus; quod erga Gentiles egit ex gratia super addidit. 427.428
quòd Iesus Christus manducauit, & bibit cum discipulis ante passionẽ 463.
Iesus Christus quomodo tribus diebus & tribus noctibus in sepulcro 390. 391. quoties apparuit post resurrectionem. 392. 393. & seq.
Incarnatio & passio Christi non simulata, contra quosdam hæreticos. 461.462
de Incarnatione Dominica, Sermo 730.
Infirmariæ officium in Monasterio 155.156.
Innocentius II. Papa 34.39
Innocentij II. diploma pro confirmatione Oratorij Paraclitensis 346.347
Innocentij rescripta contra Petrum Abaelardum. 299.301
Innocentius III. Papa corpus S. Dionysij Corinthij dedit Monachis S. Dionysij in Francia, & eius ea de re authenticum. 1170.1171
Ioanna Abbatissa Paraclit. 1189
Ioanna de Chabot Abbatissa Paraclit. 1190.
Ioannes Cornubiensis Petri Lombardi discipulus. 1159
Ioannis III. Papę priuilegiũ pro Monasterio S. Medardi Suession. 1168
S. Ioannes quàm honorabilis inter ceteros Apostolos fuerit 905. 906 907.
de S. Ioanne Euangelista Sermo. 905
Ioannes Baptista à bono Angelo nũciatus, contra quosdam hereticos 459.

de

de S. Ioanne Baptiſta Sermo. 946
Iudas proditor qualiter & quoties à Chriſto deſignatus. 832.833
Iudæi quando ſic dici cœperunt, & vnde. 532
Iudicael Epiſcopus Venetenſis. 1180
Iudicium de aliquo prius dubio tripliciter fit. 699
Iurare per cœlum, terram, Hieroſolymam, & caput noſtrum cur Dominus prohibuit. 419.420

L

LÆnas quàm ſeueriter ſancti Patres punierint. 927
Lapidis à Patriarcha Iacob vncti expoſitio. 923.924
Laudunenſis Eccleſia ſtudioſorum conuentus. 1148
Lazari ſuſcitatio expoſita. 801. & ſeq.
Lecti Monialium quales eſſe debent 198.
Lecutitius mons. 1145
Leonarda de Turenne Abbatiſſa Paraclit. 1191
Leproſum mundatum cur Dominus ad iudicium ſacerdotis miſit. 401
Lex cur promiſſionem æternæ vitæ non habuerit. 613
Lex Moyſi ab omnipotenti Deo data, non à Principe malignorum Spirituum. 454
Legis trãſgreſſor in vno præcepto, ſit omnium reus, qualiter. 387
Liberum arbitriũ quid, & de eo plura. 592.593
Libri gentilium quatenus cauendi 1050.
Linguæ igneæ ſuper Apoſtolos deſcẽdentes quid deſignauerunt. 876
ad Litterarum ſtudium exhortatio 251. & ſeq.
Logica vnde dicta. 241
Lotulfus Nouariẽſis Anſelmi diſcipulus, 9.42.1162
Lucia Abaelardi mater 7.1146
Ludouici & Lotharij Imper. confirmatio ſuper Eccleſia Argentolij 1180.
Ludouici Groſſi Charta de B. Maria de Gornaio. 1174
Lugdunenſis prima ſedes Galliarum 250.

M

MAgi quinam & vnde venerũt adorare Dominum. 765. 766. & ſeq.
Manaſſes Archiepiſcopus Remenſis 1164.
Manaſſes Meldenſis Epiſcopus. 1173 1186.
Manuum impoſitio. 481
in S. Marcellini Papæ & Martyris die Sermo. 917
S. Marcellini tranſgreſſio excuſatur 918.919
Maria Trecenſis Comitiſſa. 1186
Maria Abbatiſſa Paraclit. 1189. ſoror Odonis Archiepiſcopi Rothom, ibid.
Maria de la Roche foucaut Abbatiſſa Paraclit: 1191
Maria Virgo cur benedicta in mulieribus potius quàm in viris ab Angelo dicta eſt. 734. velleri comparata. 741
Maria Virgo qualiter obiit & in cœlum aſſumpta fuit. 910. 911. & ſeq.
de Maria Virgine proſa. 1136
Matildis Comitiſſa. 1185
Matrimonij defenſio contra Tatianum hereticum. 456.457
S. Medardi Abbas 25. Monaſterium à quo conditum. 1167. & priuilegiũ Ioannis Papæ pro eo. 1167.1168
Meldenſis Epiſcopus. 27
Melidunum caſtrum, Sedes Regia 4. 1195.
Meliduni Comites. 1144. Vicecomites 1144.1195.
Mens Dei quæ. 987
Mileſendis Abbatiſſa Paraclit. 1188

Digitized by Google

image
not
available

Pauperes ſpiritu qualiter beati dicũtur. 409
de Peccatore pœnitente quantum in cœlo gaudium. 403. 404
Peccatorũ tria genera per tres mortuos à Chriſto ſuſcitatos deſignata. 798.799
Peccatum in quopropriè accipiendũ 245.246.
Peccatum quot modis dicitur. 591
Peccatum originale quid. 597
de Peccato originali quæſtiones ſiue obiectiones. 591
Peccati actus omnis voluntarius potius quàm neceſſarius. ibid.
de Peccato in Spiritum ſanctũ quæſtio. 405.& ſeq.
Peccata per venenum aſpidum deſignata. 546
Pentecoſtes ſollemnitas quid dignitatis præ ceteris habeat. 995.b. 996.
in Pentecoſtes die & ferijs ſermones 871.872.& ſeqq.
à Perſecutionibus vtrum nos licitè poſſumus defendere. 685
Perſona Chriſti vna. 375.376
Perſonæ tres qualiter in vnitate diuinæ ſubſtantiæ. 1067. 1068. & ſeqq.
Perſonarum diſtinctio in vna diuinitatis natura. 985
Petrus Abaelardus Palatio oppido Britannię oriundus 4.1142. vnde & Palatinis cognominatus 1142.eius parentes 4.7.1142.1146. præceptores 4.5.7.1143. 1145. fratres 4. 1142.ſoror. 13.1149. Magiſter vulgo dictus.1141. variæ cognominis ſui Abaelardi ſcripturæ ibid.
trus Abaelardus à Magiſtro ſuo Guillelmo Campellenſi perſecutus 4.regit ſcolas apud Melidunũ 5.'apud Corbolium ibid.apud Pariſiacum ibid. recedit ad Melidunum 9.r egreditur ad montem S. Genouefæ extra ciuitatem 6. in patriam reuertitur. 7. quomodo Laudunum iuit ad Magiſtrum Anſelmum 7. quomodo ſacros cœperit legere libros Scholaſticis, & nouas cudere gloſas 8. perſecutio Magiſtri Anſelmi in eum 9. quomodo reuerſus Pariſius gloſas ſuas, quas Lauduni lege cœperat, conſummauit. 9.
Petrus Abaelardus in amorem Heloiſæ lapſus, quomodo vulnus indè tam mentis quàm corporis tulit 10.primò Clericus & Canonicus 16.1150.Heloiſam ducit in vxorem 16. & quomodo caſtratus eſt 17. 219. 1152. fit Monachus in Monaſterio S.Dionyſij 18.1152.1153 Scholarium ad eum confluẽtium multitudo. 18.1155.Liber Theologiæ ſuę 20.cur conſcriptus. 1156 1157.& quantæ æſtimationis fuit 20.perſecutio quam ſuſtinuit à cõ diſcipulis, 20. Concilium contra eum, ibidem. & prædicti libri ſui combuſtio. 24
Petrus Abaelardus quænam & quot opera compoſuit 1160.ad Trecenſem ſolitudinem ſe confert, vbi & Oratorium conſtruit. 28. illudque Paraclitũ nominat,& cur 30. perſecutio quorumdam in eum 31.ad Abbatiam S.Gildaſii aſſumitur,& tam à Monachis quàm Principe terræ perſecutionem patitur.32. 33 & ſeqq.Heloiſam olim coniugem ſuam Oratorio Paraclitenſi præficit. 34. infamatio turpitudinis in eum 35. ſcribit Regulam pro ſanctimonialibus Paraclitenſibus.130 & ſeqq. vocatur ad Concilium Senonas.270.1191.Epiſtolæ S.Bernardi ad Cardinales & Innocentium contra eum 270.271.& ſeqq. reſcriptum Innocentij 299. defenditur à Berengario diſcipulo.

Digitized by Google

302.309.1192.edit confessionem fidei 330. Cluniacum proficiscitur. 335.cum S. Bernardo conciliatur 336.obit apud S. Marcellum.341.& seq. 1195. corpus eius Heloisæ remittitur à Petro Vener. cum epitaphio.342.& absolutione 345. & in Paraclito sepelitur. 1195
Petrus Lombardus Theologiâ Abaelardi vsus in compositione sententiarum. 1159
Petrus Presbyter hæreticus in Prouincia. 1066
Petrus Venerabilis Abbas Clun. Heloisam miris effert laudibus. 338 339. ei corpus Abaelardi remittit cum epitaphio 342.& absolutione 345.
Petrus Apostolus Romæ fuit. 494. 495.
de S. Petro Apostolo Sermo. 892
Phœnicis auis resurrectio. 851.852
Pluuiæ in vellus descendentis expositio. 741
Pœnitentia secũda post naufragium tabula, & quid de ea tenendum. 478.
Pomerij Abbatia à quo constructa. 355.
Portariæ seu Ostiariæ officium in Monasterio. 158.
Pœna cur post peccati condonationem reseruatur. 632
Præcepta legis alia moralia, alia figuralia. 416.417
de Prædestinatione quæstio. 641
Prælationes non ambiendæ. 148
Prælatorum austeritas arguitur. 150
Præputium quid, & vnde dicitur. 535
Præscientia Dei. 1134
Prisca, de qua Paulus Apost. quæ. 717.
Processio Spiritus sancti. 1085. 1085 & seq.
Prouidentia Dei. 1134.1135
Prouidentiâ mundum regi etiam Philosophi gentium asserunt. 515
Proximi nomen ad quos se extendat 614.615.
Pruuini castrum. 27.1172
Psalmus quid significat. 903
in Purificatione B. Mariæ Sermo. p. 774.

Q

QVinciacus. 243
Quinceij parrochia. 346
Quinceij Dominus. 1186

R

RAdulfus Abaelardi frater. 1142
Radulfus frater Anselmi Laudunensis. 1164
Radulphus Veromanduorum Comes Dapifer. 1176
Radulfus Remensis Archiepiscopus: vide Rodulfus.
Rainaldus Corbolienſis Comes. 1144.1197
Rainald° Episcopus Paris. Melidunẽsis Comes 1144.1195.
in Ramis Palmarum, Sermones quatuor. 760.& seq.
Renata de la Tour Abbatissa Paraclit. 1190
Resurrectio Christi non simulata, contra quosdam hereticos. 462
Resurrectio mortuorum asseritur aduersus Saducæos. 487.851
Rinoceros typus conuersionis S. Pauli. 899.900.
Robertus Arbroscllo. 335
Roberti Regis Præceptum de restauratione Abbatiæ Argentolij 1150. 1151.
Rodulfus Archiepiscopus Remensis 20. 1164. Viridis cognominatus 1164.
Romani ad quos scribit Paulus, quorum prædicatione conuersi. 494.

Digitized by Google

Ros quid myſticè. 743
Roſcelinus ſeu Rozelinus Abaelardi præceptor 1143. hæreticus ibid. auctor Nominalium ibid. condemnatus in Concilio Sueſſionenſi 1157. 1158.
Ruienſe monaſterium. 1179

S

SAcramentum quid. 979
Sacrificæ ſeu Theſaurariæ officium in Monaſterio. 154
Sanctificatio viri infidelis in vxore fideli qualiter accipi debet. 447
Sanctimonialium origo 94 95. & ſeq. inſtitutio & Regula 130 131. & ſeq. conſecratio 202. 203.
Sanctorum orationes viuis vtiles 488.
Sanguis Domini cur noui Teſtamenti, potius quàm corpus eius, dictus eſt 394. 395. & ſeq.
Sanguine Chriſti qualiter iuſtificati & redempti ſumus. 553
Sapientiæ Dei nomina varia 1130. 1131
Satisfactio neceſſaria. 479
Scriptura ſacra ſpeculum animæ 188.
Scripturarum intelligentia quàm neceſſaria. 371. 385
Scapulare Monachorum quid. 435
Sedis Romanæ præeminentia & auctoritas. 894. 895
in Septuageſima, Sermo. 783
Seruorum duo genera 500. & quinam generaliter ſerui. 501
Sion, celſitudo ſupernæ patriæ. 787
Sollicitudo quid propriè. 422
Spes quid. 977
Spiritus pro ratione & animi diſcretione. 429
quòd Spiritus ſanctus ex Patre Filioque procedit. 1085. 1087. & ſeqq.
Spiritus ſanctus in ſpecie Columbæ ſuper Chriſtum deſcendit. 772
Spiritus ſancti vocabulo caritas notatur. 985. 986. 994
Spiritus ſancti in Apoſtolos deſcenſus 873. & ſeqq:
ad Spiritum dandum cur aſcendit Chriſtus cum eum iam in terra dediſſet. 890
Stella magos præcedens nouiter ex elementis creata. 772
Stephanus Cancellarius Franciæ, & Epiſcopus Pariſienſis. 1175. 1176
Stephanus Regis Dapifer 27. de Guarlãda cognominatus 1173. frater Anſelli & Guillelmi de Guarlanda 1174. non Cancellarius, nec Epiſcopus Pariſienſis. 1175. 1176
S. Stephani prothomartyris laus. 263 & ſeq.
Sueſſionenſe Concilium aduerſus Roſcelinum 1166. aduerſus Abaelardum. 20. 21. & 1166
Sugerius Abbas S. Dionyſij 27. 1172 1173. quando electus. 1173
Superfluitas euitanda à Monialibus 184.
Suſanna ſpeculum caſtitatis, & qualiter liberata. 928. 930. 931
de S. Suſanna Sermo. 925
Symbolum fidei ab omnibus Chriſtianis ſciri debet. 368. 369
Symboli multiplex acceptio. 369. 370
Symboli Apoſtolici expoſitio 398 & ſeq. item Symboli Athanaſij 381 & ſeq.

T

TAnquelmus hæreticus. 1036
Templa ab Apoſtolis ad orandum & baptizandum conſtituta 466.
in Templis & Eccleſijs orandum 464. 465.
Tentationum ſpecies quot, & quæ nos potiſſimum tentant. 366
Terricus Scholarum Magiſter. 24
Theobaldus Comes Trecenſis 26.

Digitized by Google

image
not
available

Digitized by Google

image
not
available

ERRATA QVÆDAM, ET OBMISSA.

PAg. 421.l.9.non tam ipſum,*dele vocabulum* non.p.422.l.27.cum enim iratus,*lege* reatus.p.449.l.21.inordinat,*lege* inordinatam.p.458.l.17. ornabant ſe,*adde* ſubiectę.p.602.l.25. ſemel iterum, *lege* non iterũ.p.742. l.4. ab omni,*lege* abſque omni.p.778.l.4.quem nec,*lege*,quem &.p.788.l. 3.quietè vix vnus,*lege* quietè viximus. p.798.l. 14. diuinæ conſuetudinis, *lege* diuturnæ.p.805.l.28.meritis nequitiam.l.mentis. p.81.l 1.38. condeſcendendũ.l.conſcendendũ.p.816.l.38.inferius, l.interius. p.818.l. 30.mortuus,l.mortuis.p.820.l.3.olei. l. olim.p. 823.l.18. crucifixu,l. crucifixio.p. 836.l.2.in quibuſdam.l.vt quibuſdã.p.1013.l.22.in quo.l.ſine quo. p.1027. l.20.quod itaque,l.quodam.Itaque l.29. atque animæ,l. animare.l. 30.diuerſitas natura l.diuerſitate naturæ.p.1029 l.27.eam,l.tam p.1036.l.29.ſecundum nouum l. ſeculum nouum.p.1045.l.16.a quibus l.aliquib.p.1060 l.2.& 3.numquam hic l.numquid hi.p.1064.l.27.vt qui.l.vt quod. p.1066. l.6.debemus,l.debet.p.1068.l.17.aliud l.adhuc.p.1069.l.18.dicitur vnius.l. viuus.p.1072.l.quam nunc.l.quam nouit. pa.1077.l.24. hæc quomodo.l. hæc quęſtio.l.30. homo eſt nullius,*leg. vid.*hoc in illius.pag.1079.l.24.diuerſæ quæ.l. diuerſę quædam. pag. 1081. l. 3. *poſt* aſſerat illos, *adde* diuinæ Trinitatis rationem inueſtigaſſe ,atque inueniſſe , vt iam quoque ſuprà meminimus.*Inuiſibilia*,inquit,*ipſius à creatura &c.*p.1084.l.15. commemorat,l. commemorauit.p.1087.l.37.eorum ſigillum,l.æreum.pag.1088.l.4. *poſt dicamus*,*adde* ſuæ ſapientię genitorem: & tantumdem eſt dicere filiũ, quantum ſi dicamus,ſapientiam &c.l.16. non eſſentialitate, &c. *reſtitue*, eſſentialiter tantum,ſed etiam proprietate intelligitur. l. 18.ideo aliud.l. aliquid.l.20.*poſt* diſtãt, *adde* nullatenus procedũt.p.1089.l.12.non vehem. l.nos.p.1092.l.14.in ſubſtantia l.in ſubſiſtentia.l.36. inflans.l. inſufflãs p. 1099.l.14.incipit.l. inſpicit.l.16.poſt intuetur,*adde* induitur.l.22.vtram.l. vtramque p. 1098. l. 9. ſubſtantiam.l.ſubſiſtentiam. p.1099.l.8. moueat quidem ſpiritus ſcilicet.l.moueat quod ſpiritus ſanctus cum &c.p.1110.l. 10.vſum l.vrſum.p.1113.l.35.non facit.l.hoc facit.pag.1114.l.27. profero,l. profecto.l.29. hanc,l.habet.p.1117.l.29.minimè l.maximè.pag. 1119.l.vlt. poſſibile.l. ſic & conſequẽs & impoſſible.p.1120.l.4.contenta.l.contemperata.p.1121.l.38.aliud.l aliquid.p.1122.l.9.alio falſo,l. alio verò. p.1123.l. 3.ne tamen.l.nec tunc.l.27.quod ſic modo.l.de eo quo fit modo.l.33.id eſt l.idem.p.1124.l.2.incarnatus eſſe,*adde* eiuſdem.p.1125.l.33.noua fuerit diſponere, l. noua fiunt diſpoſitione.p. 1128. ſed human. l. ſed aſſumptione human.p.1135.l.4.fieri,*adde*,vel non cras fieri.l.11. cras eſſe, *adde* futurum. *Reliqua benevolus Lector facilè ſupplebit.*

†

Digitized by Google

image
not
available

Digitized by Google

image
not
available